FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMAE AQUINATIS DOC. ANG.

Tomus Undecimus.

FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI,

QUA OMNIA ARGUMENTA, ET RATIONES, QUÆ IN SINGULIS ARTICULIS TRACTANTUR, NON MODICA CLARITATE FORMANTUR, ET EXPLICANTUR, ARGUMENTORUM-QUE RESPONSIONES EXPLICATÆ AD IPSORUM PARTES APTE ACCOMMODANTUR.

CUI ETIAM ACCEDUNT ELUCIDATIONES, SEU APPENDICES P. SERAPHINI CAPPONI Á PORRECTA ORDINIS PRÆDICATORUM.

AUCTORE

Fr. Hieronimo de Médicis à Camerino,

SAC. THEOLOG. MAG. ORD. PRAED.

ET MANTUÆ CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM GENERAL. INQ.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TOMUS UNDECIMUS.

Continens tertiae partis tertium volumen.

VICIÆ

APUD SOLER FRATRES, TYPOG. EDIT.

1862.

26421

Veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium.

Proverb. VIII. 7.

Tractatus

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA NONA,

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS QUANTUM AD IPSIUS ESSENTIAM, ET INSTITUTIONEM, IN NOVEM ARTICULOS DIVISA.

Post hæc considerandum est de sacramento Extremæ-unctionis: de quo quinque videnda sunt.

Primo, de essentialibus ipsius, et de ejus institutione.

Secundo de effectu ipsius.

Tertio de ministro ipsius.

Quarto, de eo cui conferri debet, et in qua parte.

Quinto de ejus iteratione.

Circa primum quæruntur novem.

Primo, utrum Extrema-unctio sit sacramentum.

Secundo, utrum sit unum sacramentum.

Tertio, utrum hoc sacramentum fuerit á Christo institutum.

Quarto, utrum oleum olivæ sit conveniens materia hujus sacramenti.

Quinto, utrum oporteat oleum esse consecratum.

Sexto, utrum oporteat materiam hujus sacramenti per Episcopum consecrari.

Septimo, utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam.

Octavo, utrum forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem deprecativam.

Nono, utrum prædicta oratio sit competens forma hujus sacramenti.

ARTICULUS I.

Utrum Extrema-unctio sit sacramentum.

Pro negativa. = Videtur quod Extrema-unctio non sit sacramentum.

1. Unctio quæ fit oleo ad Cathecumenos, non est sacramentum. Ergo nec Extrema-unctio quæ fit oleo ad infirmos, est sacramentum.

Conseq. prob., quia sicut oleum assumitur ad infirmos, sic ad Cathecumenos.

2. Sacramenta novæ legis fuerunt præfigurata in veteri lege. Sed Extrema-unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege. Ergo non est sacramentum.

3. Omne sacramentum est vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum, ut Dion. dicit. 3. Eccles. Hierar. Sed Extrema-unctio non ponitur ad purgandum, nec ad illuminandum; quia hoc soli baptismo attribuitur. Neque ad perficiendum; quia hoc secundum Dion. pertinet ad Chrisma et ad Eucharistiam. Ergo Extrema-unctio non est sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sacramenta Ecclesiæ sufficienter subveniunt defectibus hominum, secundum quemlibet statum. Sed exeuntibus non subvenit aliud, quam Extrema-unc-

tio. Ergo Extrema-unctio est sacramentum.

2. Spiritualis medicina est sacramentum. Sed extrema-unctio est quædam spiritualis medicina. Ergo est sacramentum.

Minor prob., quia Extrema-unctio valet ad remissionem peccatorum, ut dicitur Jacobi. 5.

Determinatio.

Conclusio. Extrema-unctio non est quid sacramentale, sed sacramentum.

Prob. Illud quod pertingit ad effectum intentum in administratione sacramentorum, est sacramentum, et non sacramentale. Sed extrema-unctio pertingit ad effectum intentum in administratione sacramentorum. Ergo Extrema-unctio non est quid sacramentale, sed sacramentum.

Maior manifestatur ex differentia quæ est inter sacramentalia et sacramenta. In his enim quæ Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt sacramenta, ut Baptismus; quædam sacramentalia, ut exorcismus: Quorum hæc est differentia, quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesiæ quæ attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio quæ quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Illud igitur quod attingit effectum intentum in administratione sacramentorum, non est sacramentale; sed sacramentum.

Minor prob. Nam effectus intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati. Unde Isaiæ 27. dicitur: *Hic est omnibus fructus, ut tollatur peccatum.* Et cum ad hunc effectum pertingat Extrema-unctio, ut patet Jacobi 5. Sequitur quod attingat effectum intentum in administratione sacramentorum, ac per hoc, quod sit sacramentum, et non ad aliud sacramentum, quasi ei annexum, ordinetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem quod oleum, quo Catechumeni inunguntur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet, sed aliquo modo ad baptismum disponit, ut dictum est quæst. 71. art. 1. Et ideo illa unctio non est sacramentum. Extrema autem unctio ad peccati remissionem perducit, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non omnia sacramenta fuerunt præfigurata per sacramenta veteris legis. Sacramentum enim confirmationis, et Extremæ-unctionis non potuerunt per aliqua sacramenta antiqua præfigurari: et hujus ratio jam dicta est quæst. 65. art. 1. ad 4. et 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 3. et in specie quare sacramentum confirmationis non habuerit in veteri lege figuram, dictum est in quæst. 72 artic. 1. ad 2. Ratio igitur, quare sacramentum Extremæ-unctionis non fuerit per sacramentum aliquod in lege veteri præfiguratum, est, quia hoc sacramentum immediate disponit hominem ad gloriam, cum detur his qui á corpore exeunt, et quia in veteri lege non erat adhuc tempus perveniendi ad gloriam. *Neminem enim ad perfectum adduxit lex.* Ideo istud sacramentum in lege veteri præfigurari non debuit, per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram ejusdem generis, quamvis per figuras remotas, aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus quæ leguntur in veteri testamento.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem quæ innitur ex auctoritate Dion. dicitur quod Dion. non facit mentionem de Extrema-unctione, sicut nec de pœnitentia nec de matrimonio, quia ipse non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiasticæ hierarchiæ ordinata dispositio quantum ad ministros et actiones ministrorum et recipientes. Tamen

cum per Extremam-unctionem aliquis consequatur gratiam et remissionem peccatorum, non est dubium quod Extrema-unctio habet vim illuminativam et purgativam, sicut baptismus, quamvis minus plenam.

ARTICULUS II.

Utrum Extrema-unctio sit unum sacramentum.

Pro negativa.=Videtur quod extrema-unctio non sit unum sacramentum.

1. Sacramentum unum habet unam materiam et unam formam. Sed Extrema-unctio non habet unam materiam et unam formam. Ergo Extrema-unctio non est unum sacramentum.

Maior prob., quia unitas rei est sua materia et est sua forma; cum ex eodem res habeat esse et unitatem.

Minor prob. quia forma hujus sacramenti frequenter iteratur, etiam eadem vice. Et materia pluries: cum inunctio adhibeatur secundum diversas partes.

2. Inunctio est sacramentum, et non oleum: Esset enim hoc ridiculum dicere. Sed inunctiones sunt plures. Ergo plura sunt sacramenta.

3. Unum sacramentum ab uno ministro perfici debet. Sed Extrema-unctio quandoque potest per plures ministros perfici: sicut si post primam unctionem factam, sacerdos moriatur; tunc enim alius sacerdos debet ulterius procedere. Ergo non est unum sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sicut se habet immersio ad baptismum; ita se habet unctio ad hoc sacramentum. Sed plures immersiones sunt unum sacramentum baptismi. Ergo plures unctiones sunt unum sacramentum Extremæ-unctionis.

2. Si Extrema-unctio non esset unum sacramentum, sed plura, secundum pluralitatem unctionum, sequeretur quod facta prima unctione, non oporteret ad perfectionem sacramenti quod fieret secunda; cum quodlibet sacramentum habeat esse per se perfectum: quod tamen est falsum. Ergo est unum sacramentum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Extreme-unctionis est unum, de cujus tamen perfectione sunt plures actiones.

Manifestatur: Et primo quoad primam partem, scilicet quod sit unum sacramentum. Pro quo est sciendum quod unum numero, per se loquendo, dicitur tripliciter. Uno modo sicut indivisibile quod nec actu, nec potentia est plura, ut sunt punctus et unitas. Alio modo, sicut continuum quod quidem actu est unum, sed potentia est plura, ut linea. Tertio modo sicut perfectum aliquod quod ex pluribus partibus constituitur, ut domus quæ est multa quodammodo etiam in actu: sed illa multa conveniunt in aliquo uno; et hoc modo quodlibet sacramentum dicitur unum, inquantum multa quæ sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum; sacramentum enim significando, causat. Ex quibus probatur prima pars conclusionis.

Sacramentum quod habet unum significatum, et effectum, est unum. Sed Extrema-unctio habet unum significatum, et effectum: qui est curatio interiorum vulnerum. Ergo sacramentum Extremæ-unctionis est unum.

Altera pars conclusionis ostenditur. Sacramenta enim sunt in triplici differentia. Quædam sunt, in quibus sufficit una actio ad significationem ipsorum, et tunc sacramenti perfectio consistit in una tantum actione, sicut patet in sacramento confirmationis. Alia sunt sacramenta, quorum significatio potest esse in una et in multis actionibus; et tunc sacramentum perfici potest et una et pluribus actionibus; sicut baptismus potest perfici et una ablutione, et tribus: quia absolutio quæ significatur in baptismo potest esse per unam immersionem et per multas. Quædam tandem sunt sacramenta, cujus perfecta signifi-

catio non potest esse, nisi per plures actiones, et tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti, sicut patet in Eucharistia; quia refectio corporalis quæ spiritualem significat, non potest esse nisi per cibum et potum. Et simile est in sacramento Extremæ-unctionis: nam perfecta vulnerum curatio non potest significari, nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices.

Sic ergo probatur secunda pars. De perfectione sacramenti, cujus significatio non potest esse, nisi per plures actiones, sunt plures actiones. Sed sacramentum Extremæ-unctionis est hujusmodi, ut dictum est. Ergo de ejus perfectione sunt plures actiones.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod alicujus materia duplex est, scilicet totalis, et partialis; et similiter forma duplex est, totalis, et partialis: Sicut materia totalis hujus hominis est totum corpus, et forma est ipsa anima. Partialis materia est caro, ossa et hujusmodi; et formæ partiales, sunt formæ harum partium. Unum perfectum exigit unam materiam et formam totalem, non autem unam formam et materiam partialem. Tunc dicitur ad maiorem quod unum sacramentum requirit unam materiam et unam formam totalem, nec ejus unitas tollitur per diversitatem partialem materiæ, aut formæ. Et ad minorem dicitur quod sacramentum Extremæ-unctionis habet unam totalem materiam, scilicet diversas ejusdem corporis partes, et unam totalem formam; licet sit diversitas materiæ et formæ partialis quæ unitatem non tollit.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis illæ actiones sint plures simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione quæ est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus auritur interior morbus, et ideo est unum sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod ministrorum pluralitas, non tollit unitatem sacramenti, quia ministri instrumentaliter tantum operantur; mutatio enim martellorum, non tollit unitatem operationis fabri. Unde et sacramentum Eucharistiæ, si sacerdos celebrans ante perfectionem sacramenti moriatur, debet alius supplere differenter tamen quam in sacramento Extremæ-unctionis. Nam sacerdos supplens in sacramento Eucharistiæ, si primus consecrasset hostiam, et non calicem, posset accipere aliam hostiam, et á capite incipere. In sacramento autem Extremæ-unctionis, non debet inungere amplius partem inunctam, sed ad alias procedere, ne sacramentum super eamdem materiam iteretur.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum Extremæ-unctionis fuerit á Christo institutum.

Pro negativa.=Videtur quod hoc sacramentum non fuerit á Christo institutum.

1. De sacramentis á Christo institutis fit mentio in Evangelio: sicut de Eucharistia, et baptismo patet. Sed de Extrema-unctione non fit mentio in Evangelio. Ergo Extrema-unctio non est á Christo instituta.

2. Magister dicit in 4. sentent. dist. 23. quod Extrema-unctio est ab Apostolis instituta. Ergo ipse Christus per se non instituit.

3. Sacramentum quod Christus instituit, etiam ipse per se exhibuit: ut patet de baptismo et de Eucharistiæ. Sed Extremam-unctionem nulli Christus exhibuit. Ergo extrema-unctio non est á Christo instituta.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sacramenta novæ legis digniora sunt quam sacramenta veteris legis. Sed omnia sacramenta veteris legis sunt á Deo instituta. Ergo multo fortius omnia sacramenta novæ legis habent institutionem á Christo.

2. Ejusdem est instituere, et statutum removere. Sed Ecclesia quæ in successoribus Apostolorum habet eamdem auctoritatem, quam Apostoli habuerunt,

non posset auferre sacramentum Extremæ-unctionis. Ergo Apostoli non instituerunt hoc sacramentum, sed ipse Christus.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod sacramentum istud et confirmationis Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit. Et eorum ratio erat, quia hæc duo, propter plenitudinem gratiæ quæ in eis confertur, non potuerunt ante missionem plenissimam Spiritus Sancti institui. Unde sunt ita sacramenta novæ legis quod in verteri lege figuram non habuerunt.

Reprobatio.

Sed hæc ratio non multum cogit, quia sicut Christus ante passionem suam promisit plenam Spiritus Sancti missionem, ita potuit instituere hæc sacramenta.

Vera sententia.

Conclusio. Omnia sacramenta Christus per se ipsum instituit, sed quædam per se ipsum promulgavit quæ scilicet sunt maioris difficultatis ad credendum, quædam vero Apostolis promulganda reservavit, sicut confirmationem et Extremam-unctionem.

Prob. primo. Ea quæ pertinent ad fundamentum legis, debuerunt ab ipso legislatore institui. Sed sacramenta pertinent ad fundamentum novæ legis. Ergo Sacramenta omnia fuerunt á Christo legistatore instituta.

Secundo, Sacramenta habent efficaciam ex eorum institutione. Ergo fuerunt instituta á Christo.

Conseq. prob., quia efficacia inest sacramentis divinitus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicendum ad maiorem, quod multa Dominus fecit et dixit quæ in Evangeliis non continentur; illa enim præcipue curaverunt Evangelistæ tradere quæ ad necessitatem salutis et ad Ecclesiæ dispositionem pertinent, et ideo potius institutionem baptismi et pœnitentiæ et Eucharistiæ et ordinis, factam á Christo narraverunt, quam Extremæ-unctionis vel confirmationis quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem sive distinctionem Ecclesiæ pertinent. De olei tamen unctione fit mentio in Evangelio, Marc. 6. ubi dicitur quod Apostoli *oleo ungebant infirmos*.

Ad 2. Dicitur quod Magister dicit, hoc sacramentum ab Apostolis institutum, quia per doctrinam Apostolorum nobis est ejus institutio promulgata.

Ad 3. Negatur maior: Nom enim omnia sacramenta quæ Christus instituit, per se ipsum exhibuit. Nom enim Christus exhibuit aliquod sacramentum aliis quod ipse non acceperit in aliorum exemplum: et quia ipsi non competebat accipere pœnitentiam nec Extremam-unctionem, eo quod sine peccato esset; ideo nec aliis hujusmodi sacramenta exhibuit.

ARTICULUS IV.

Utrum oleum olivæ sit conveniens materia sacramenti Extremæ-unctionis?

Pro negativa.=Videtur, quod oleum olivæ non sit conveniens materia hujus sacramenti.

1. Sacramenti quod immediate ad incorruptionem ordinat, convenientior materia est chrisma, quam oleum. Sed sacramentum Extremæ-unctionis immediate ordinat ad incorruptionem. Ergo ejus convenientior materia est chrisma, quam oleum.

Maior prob., quia incorruptio significatur per balsamum quod in chrismate ponitur.

2. Spiritualis medicatio per vini appositionem significatur, ut patet Luc. 10. Sed hoc sacramentum est spiritualis medicatio. Ergo vinum est convenientior materia hujus sacramenti.

3. Ubi est majus periculum, ibi debet esse commune remedium. Sed in fine vitæ est majus periculum, et oleum non est commune remedium: cum non inveniatur oliva ubique crescere. Ergo

oleum olivæ non est conveniens hujus sacramenti materia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Jacobi c. 5. Oleum materia hujus sacramenti determinatur, dum dicitur: Infirmatur quis in vobis: inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Oleum autem proprie dicitur oleum olivæ. Ergo hoc est materia hujus sacramenti.

2. Spiritualis sanatio per olei inunctionem significatur, ut patet Isaiæ 1. ubi dicitur: *Plaga tumens non est curata medicamine, neque fota oleo.* Ergo conveniens materia hujus sacramenti est oleum.

Determinatio.

Conclusio. Oleum olivæ est conveniens materia hujus sacramenti.

Quæ conclusio habet duas partes. Prima est quod materia hujus sacramenta sit oleum. Secunda quod sit oleum olivæ.

Et quoad primam probatur. Materia sacramenti quod significat perfectam sanationem quæ in fine adhibetur, debet esse oleum. Sed sacramentum Extremæunctionis est spiritualis sanatio quæ adhibetur in fine vitæ. Ergo hujus sacramenti materia debet esse oleum.

Maior prob., quia sanatio spiritualis quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta: quia post eam non relinquitur alia. Debet etiam esse levis, ut spes quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem significat perfectam sanationem; quia est lenitivum et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Materia igitur sacramenti quod significat et causat perfectam sanationem, debet esse oleum.

Altera pars prob. Quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant. Et ideo oleum olivæ debet esse quod assumitur in materiam hujus sacramenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod incorruptio gloriæ non est res contenta in hoc sacramento, nec oportet quod tali rei respondeat significatio materiæ. Unde non oportet quod balsamum ponatur in materia hujus sacramenti, quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua exeuntes, de cætero non indigent propter se; sed indigent tantum nitore conscientiæ qui nitor per oleum significatur.

Ad 2. Negatur maior, de spirituali sanatione quæ in fine vitæ adhibetur. Nam vinum sanat mordendo; sed oleum liniendo: et ideo curatio per vinum pertinet magis ad pœnitentiam, quam ad hoc sacramentum.

Ad 3. Dicitur primo ad minorem, quod oliva quamvis non ubique crescat, potest tamen de facili ad quemlibet locum oleum transferri. Dicitur secundo quod hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, quod exeuntes sine hoc sacramento non possint salutem consequi.

ARTICULUS V.

Utrum oporteat oleum esse consecratum.

Pro negativa. = Videtur quod non oporteat oleum esse consecratum.

1. Sacramentum Extremæ unctionis habet unam sanctificationem in usu, per formam verborum. Ergo superfluit alia sanctificacio materiæ.

2. Sacramenta habent in materia significationem et efficaciam. Sed oleo secundum suam naturam convenit significatio effectus hujus sacramenti, quatenus scilicet est linitivum et penetrativum, ut art. præced dictum est. Efficaciam vero habet ex institutione divina. Ergo non est necessaria materiæ consecratio.

3. In baptismo qui est perfectius sacramentum, quam sit Extremæ-unctio, non præexigitur materiæ sanctificatio, quantum ad necessitatem sacramenti, Ergo nec in Extrema-unctione.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In omnibus aliis unctionibus, materia est prius consecrata. Sed hoc sacramentum est quædam unctio. Ergo requirit materiam consecratam.

Determinatio,

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod oleum simplex est materia hujus sacramenti et in ipsa sanctificatione olei quæ fit per Episcopum, perficitur sacramentum.

Reprobatio.

Sed hoc patet esse falsum ex his quæ supra dicta sunt, quæst. 72. art. 1. ad 3. Ubi ostensum est quod solum sacramentum Eucharistiæ perficitur in consecratione materie.

Vera sententia.

Conclusio. Materia sacramenti Extremæ-unctionis quod in ipsa unctione consistit, sicut baptismus in ipsa ablutione, est oleum consecratum.

Probatur. Nam triplex ratio potest assignari: quare exigatur materiæ consecratio. Prima sacramenta, quibus non est usus ipse Christus, indigent materia consecrata. Sed sacramento Extremæ-unctionis non est usus Christus: sicut nec sacramento confirmationis. Ergo hæc duo sacramenta exigunt materiam consecratam.

Maior ostenditur. Quia omnis efficacia sacramentorum á Christo descendit et ideo sacramenta ille quibus Christus est usus, ut baptismus et Eucharistia, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Et ideo hæc sacramenta, quibus, est usus, non exigunt ad necessitatem sacramenti consecratam materiam. Sacramenta vero quibus non est usus Christus, consecratam exquirunt materiam.

Secunda ratio est, Quia in sacramento Extremæ-unctionis confertur gratia cum tali plenitudine, ut non solum tollat culpam, sed etiam peccatorum reliquias et corporis infirmitatem, et propterea ejus materia debet esse consecrata.

Tertia est. Ex hoc quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex naturali proprietate materiæ; et ideo oportet quod hæc efficacia sibi per consecrationem materiæ detur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Prima enim sanctificatio est materiæ secundum se, secunda vero magis pertinet ad usum ipsius, secundum quod est actu conferens effectum suum, et ideo neutra sanctificatio superfluit: quia etiam instrumenta efficaciam accipiunt ab artifice et dum fiunt et dum ad actum applicantur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod illa efficacia que est ex ipsa institutione sacramenti, applicatur huic materiæ per sanctificationem, vel consecrationem.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de baptismo et Extrema-unctione, quia baptismo usus est ipse Christus, ex quo usu materia sanctificationem accepit. Sacramento autem unctionis extremæ non est usus Christus; et propterea ejus materia prius est sanctificanda et consecranda.

ARTICULUS VI.

Utrum oporteat materiam sacramenti Extremæ unctionis esse consecratam per Episcopum.

Pro negativa. = Videtur quod non oporteat materiam hujus sacramenti esse consecratam per Episcopum.

1. In sacramento Eucharistiæ simplex sacerdos materiam consecrare potest. Ergo et in Extrema-unctione.

Consequentia prob., quia dignior est consecratio materiæ in sacramento Eucharistiæ, quam in Extrema-unctione.

2. In operibus corporalibus, ars dignior numquam præparat materiam inferiori. Sed Episcopus est supra sacerdotem qui sacramentum Extremæ-unctionis dispensat, ut dicetur infra quæst. 123. Ergo Episcopus non preparat ma-

teriam in hoc sacramento, eam consecrando.

Minor prob., quia dignior est ars quæ utitur, quam ea quæ præparat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In aliis unctionibus, materia per Episcopum consecratur: ut patet in confirmatione, et in unctione Cathecumenorum. Ergo ita debet fieri in unctione extrema.

Determinatio.

CONCLUSIO. Materiam sacramenti Extremæ-unctionis oportet esse consecratam per Episcopum.

Prob. In sacramentis quæ indigent materia consecrata, materiæ sanctificatio fit per Episcopum, et usus quandoque per sacerdotem. Sed sacramentum Extremæ-unctionis indiget materia consecrata, et sanctificata. Ergo in hoc sacramento materiæ sanctificatio per Episcopum est facienda.

Maior ostenditur; Nam minister sacramenti, non inducit sacramenti effectum propria virtute, ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti quod dispensat. Quæ quidem efficacia primo est á Christo, et ab ipso in alios ordinate descendit, scilicet in populum, mediantibus ministris qui sacramenta dispensant; et in ministros inferiores, mediantibus superioribus qui materiam sanctificant. In hoc igitur quod Episcopus sanctificat materiam sacramenti quod dispensat sacerdos, ostenditur quod sacerdotalis potestas est ab Episcopali derivata; secundum illud Ps. 132. *Sicut unguentum in capite*, scilicet in Christo quod prius *descendit in barbam Aaron*, deinde descendit *usque ad oram vestimenti*, scilicet ab Episcopis in sacerdotes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de sacramento Eucharistiæ, et Extremæ-unctionis. Sacramentum namque Eucharistiæ consistit in ipsa materiæ sanctificatione, non autem in usu, et ideo proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti, non est quid consecratum. Unde non præexigitur aliqua sanctificatio circa materiam per Episcopum facta, sed exigitur sanctificatio altaris et hujusmodi, et etiam ipsius sacerdotis quæ non nisi per Episcopum fieri potest. Unde etiam in illo sacramento ostenditur potestas sacerdotalis ab Episcopo derivata, ut Dion, dicit 3. cap. cœl. Hier. Ideo autem illam consecrationem materiæ quæ est in se sacramentum, et non illam quæ ut sacramentale quoddam ordinatur ad sacramentum quod consistit in usu fidelium, potest facere sacerdos; quia quantum ad corpus Christi verum, nullus ordo est supra sacerdotium, sed quantum ad corpus Christi mysticum, Episcopalis ordo est supra sacerdotalem, ut dicetur quæst. 132. art. 4.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod materia sacramenti non est talis, ut in ea fiat aliquid per eam qui ipsa utitur, sicut est in artibus mechanicis, sed ut ejus virtute aliquid fiat, et sic participat aliquid de ratione causæ agentis, inquantum talis materia est instrumentum quoddam divinæ operationis: et ideo oportet quod á superiori arte, vel potestate talis virtus materiæ acquiratur, quia in causis agentibus, quanto aliquod agens est prius, tanto est perfectius, in causis autem pure materialibus, quanto materia est prior, tanto imperfectior.

ARTICULUS VII.

Utrum sacramentum Extrema-unctionis habeat aliquam formam.

Pro negativa=Videtur quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam.

1. Forma sacramenti debet esse tradita á Christo qui sacramentum instituit, vel ab Apostolis ejus. Sed forma sacramenti Extremæ-unctionis non invenitur tradita á Christo, nec ab Apostolis ejus. Ergo hoc sacramentum nullam habet formam.

Maior prob. quia cum efficacia sacra-

mentorum sit ab institutione et á forma, oportet quod forma tradatur ab ipso qui sacramentum instituit.

2. Forma sacramenti communiter debet servari apud omnes. Sed in sacramento Extremæ-unctionis non est aliqua forma quæ servetur eodem modo apud omnes. Ergo sacramentum hoc non habet aliquam formam.

Maior prob. Ea quæ sunt de necessitate sacramenti, observantur eodem modo apud omnes. Sed forma est maxime de necessitate sacramenti. Ergo eodem modo debet esse apud omnes servata.

3. In sacramento quod habet materiam sanctificatam, non requiritur aliqua forma. Sed hoc sacramentum habet materiam sanctificatam, ut dictum est art. 5. Ergo hoc sacramentum nullam requirit formam.

Maior prob., quia in baptismo non requiritur forma, nisi ad sanctificationem materiæ; quia est aqua verbo vitæ diluendis criminibus sanctificata.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Magister dicit 4. Sent. dist. 1. quod omne sacramentum novæ legis consistit in rebus, et verbis: quæ verba sunt ipsa forma sacramenti. Sed sacramentum hoc est sacramentum nove legis. Ergo hoc sacramentum indiget aliqua forma verborum.

2. Ad hoc est ritus universalis Ecclesiæ quæ quibusdam verbis utitur in collatione hujus sacramenti.

Determinatio.

Quorumdam erronea positio.

Quidam dixerunt quod nulla est forma de necessitate hujus sacramenti. Et eorum ratio poterant esse argumenta inducta pro negativa.

Reprobatio.

Sed hoc videtur derogare effectui hujus sacramenti quia omne sacramentum novæ legis efficit significando significatio autem materiæ non determinatur ad determinatum effectum (cum ad multa se habere possit) nisi per formam verborum; et ideo in omnibus sacramentis novæ legis quæ efficiunt quod figurant, oportet esse et res et verba.

Et præterea Jacobus c. 5. totam vim hujus sacramenti videtur constituere in oratione quæ est forma hujus sacramenti, ut art. seq. dicetur. Et ideo prædicta positio præsumptuosa videtur, et erronea.

Vera sententia.

Conclusio. Sacramentum Extremæunctionis habet formam determinatam, sicut alia novæ legis sacramenta.

Prob. primo, Quia hæc sententia communiter tenetur.

Secundo, Omnia sacramenta novæ legis habent formam, ut ostentum est in reprobando contrariam positionem. Sed Extrema-unctio est unum sacramentorum novæ legis. Ergo Extrema-unctio habet propriam formam,

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod sacra scriptura omnibus communiter proponitur, et ideo forma baptismi qui ab omnibus dari potest, debet in sacra scriptura exprimi. Et similiter forma Eucharistiæ quæ exprimit fidem illius sacramenti, quæ fides est de necessitate salutis. Sed formæ aliorum sacramentorum non inveniuntur traditæ in sacra scriptura, sed has Ecclesia, ex traditione Apostolorum qui á Domino acceperunt, habet ut dicit Apostolus 1. Cor. 11. *Ego enim accepi á Domino quod et tradidi vobis, etc.*

Ad 2. Negatur minor. illa enim verba quæ sunt de essentia formæ scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur. Sed illa quæ sunt de bene esse, non ab omnibus observantur.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod materia baptismi habet quandam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Salvatoris. Sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu santificantem, et similiter post sanc-

tificationem materiæ sacramenti Extremæ-unctionis secundum se; requiritur sanctificatio in usu, per quam actu sanctificet.

ARTICULUS VIII.

Utrum forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non per deprecativam.

Pro affirmativa.=Videtur quod forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non per deprecativam.

1. Forma sacramenti habentis certum effectum, debet proferri per orationem indicativam. Sed sacramentum Extremæ-unctionis habet certum effectum; sicut et alia sacramenta novæ legis. Ergo forma sacramenti Extremæ unctionis debet proferri per orationem indicativam,

Maior prob., quia certitudo effectus non exprimitur in formis sacramentorum, nisi per orationem indicativam: ut cum dicitur: *Hoc est corpus meum.* Vel *Ego te baptizo.*

2. In formis sacramentorum debet exprimi intentio ministri quæ requiritur ad sacramentum quæ non exprimitur nisi per orationem indicativam. Ergo forma hujus sacramenti debet esse indicativa.

3. In quibusdam Ecclesiis dicuntur in collatione hujus sacramenti hæc verba: *Ungo hos oculos oleo sanctificato. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* Et hoc est conforme aliis formis sacramentorum. Ergo videtur quod in hoc consistat: forma hujus sacramenti.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod est forma sacramenti, ab omnibus oportet servari. Sed verba prædicta non dicuntur secundum consuetudinem omnium Ecclesiarum; sed tantum verba deprecativa, scilicet: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi dominus quicquid deliquisti per visum, etc.* Ergo forma hujus sacramenti est oratio deprecativa.

2. Hoc videtur ex verbis Jacobi qui attribuit efficaciam hujus sacramenti orationi. *Oratio fidei,* inquit, *salvabit infirmum.* Ergo cum efficacia sacramenti sit ex forma, videtur quod forma hujus sacramenti sit oratio deprecativa.

Determinatio.

Conclusio. Forma sacramenti Extremæ-unctionis est oratio deprecativa quæ est: Per istam sanctam unctionem, et piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum auditum, etc.

Prob. primo. Ex verbis Jacobi in sua canonica c. 5. dicentis; infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et ex usu Rom. Ecclesiæ quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti.

Secundo probatur ratione. Triplex enim ratio hujus potest assignari. Prima, quia suscipiens sacramentum hoc est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari.

Secunda, quia datur exeuntibus qui jam esse desinunt de foro Ecclesiæ, et in solius Dei manu requiescunt, unde et ei per orationem commendantur.

Tertia, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui ex operatione ministri, peractis etiam omnibus quæ sunt de essentia sacramenti sequatur, sicut est character in baptismo et in confirmatione, et transubstantiatio in Eucharistia, et remissio peccati in pœnitentia, existente contritione quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de sacramentis quæ semper ex operatione ministri habent certum effectum qui

semper, servatis substantialibus sacramenti, consequitur, ut de baptismo et confirmatione in 3, ratione dictum est; non autem est vera in Extrema-unctione, in qua non semper sequitur effectus ex operatione ministri, licet ex se habeat effectum, si non impediatur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod per ipsum actum qui ponitur in forma, scilicet per istam sanctam unctionem, satis exprimitur intentio ministri.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod verba illa indicativi modi quæ secundum morem quorumdam, præmittuntur orationi, non sunt forma hujus sacramenti; sed sunt dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.

ARTICULUS IX.

Utrum prædicta oratio sit competens forma sacramenti Extremæ-unctionis.

Pro negativa. = Videtur quod prædicta oratio non sit competens forma hujus sacramenti.

1. In formis aliorum sacramentorum fit mentio de materia: ut patet in forma confirmationis. Sed in hac forma non fit mentio de materia hujus sacramenti. Ergo hæc non est conveniens forma.

2. In formis aliorum sacramentorum non fit mentio de misericordia divina, sed magis de Trinitate et passione. Ergo in hac forma non debuit fieri mentio de divina misericordia, sed tantum de Trinitate et passione.

Consequentia prob. quia sicut effectus hujus sacramenti provenit in nos per misericordiam divinam; ita et effectus aliorum sacramentorum.

3. Effectus sacramenti Extremæ-unctionis duplex est, ut dicetur quæstione sequenti, scilicet remssio peccati et sanitas corporalis. Sed in verbis prædictis non fit mentio nisi de uno, scilicet de remissione peccatorum, non autem de corporali sanatione, ad quam tamen Jacobus ordinat orationem fidei, dicens: *oratio fidei salvabit infirmum*. Ergo forma prædicta est incompetens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est Ecclesiæ usus, quæ sub hac forma sacramentum hoc confert.

Determinatio.

Conclusio. Hæc oratio, scilicet per istam sanctam unctionem et per suam piissimam misericordiam, etc. est competens forma sacramenti Extremæ-unctionis.

Prob. Quia hæc oratio tangit sacramentum, dum dicitur, per istam sanctam unctionem; et illud quod operatur in sacramento, scilicet divinam misericordiam; et effectum, scilicet remissionem peccatorum. Ergo est conveniens forma.

AD ARGUMENTA.

1. Dicitur quod etsi non fiat in hac forma expressa mentio de materia; potest tamen signari per actum unctionis, quod non est in forma confirmationis: per actum enim signandi non significatur Chrisma, et ideo oportuit exprimere.

Ad 2. Negatur consequentia: misericordia enim miseriam respicit: et quia hoc sacramentum datur in statu miseriæ, scilicet infirmitatis: ideo potius in hoc sacramento quam in aliis, fit mentio de divina misericordia.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod in forma debet exprimi effectus principalis, et qui semper inducitur ex sacramento, nisi ex parte recipientis sit defectus. Sanitas corporalis non est talis effectus hujus sacramenti, ut dicetur quæstione sequenti, quamvis quandoque sequatur; ratione cujus Jacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma hujus sacramenti.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 119.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium, unctionis Extremæ sacramentum nihil esse. Si enim nihil est secundum istos, utique nec sacramentum verum est. Item hæresim *Heraclitarum*, *Ruthenorum*, *Waldensium*, *Joann. Wicleff.* *Lutheri*, ut refert *Joan. Bunderius*, dicentium, unctionem Extremam non esse connumerandam inter sacramenta, quoniam á Patribus, non á Christo dimanavit pro sacramento, idest á Christo non est instituta. Contra hos autem art. præsens pugnat, dum sacramentum verum esse Extremam unctionem, probat ab effectu vero, sc. á remissione peccati: contra illos, quoad institutionem est art. 3. quem vide. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praedictam haeresim merito esse damnatam á Consilio Trident. session. 14. cap. 1. de Extrema unctione sic. "Redemptor noster clementissimus Extremae-unctionis sacramento finem vitae, servorum sc. suorum tamquam firmissimo quodam praesidio munivit.» Item de Extre. unctio. canone 1. "Si quis dixerit, Extremam-unctionem non esse vere, et proprie sacramentum, etc. sed figmentum humanum: anathema sit. Et can. 2. si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, etc.» anathema sit. Quod si esset nihil (ut Albanenses mentiuntur) quomodo posset esse praesidium, et quidem firmissimum circa finem vitae? Vel quomodo esset tunc vere, et proprie sacramentum? Quomodo conferret gratiam tunc, vel remitteret peccata, vel alleviaret infirmos? Item á Concil. "Coloniensi c. 49. Extrema unctio, quae (quoniam in morte Extrema lucta est) adhibetur; ut vel convalescat aegrotus, si Deo ita visum fuerit, vel fide, bonaque spe obdormiat in domino.» Quod si nihil esset, secundum Albanenses: quomodo aegroti convalescentiam, spem bonam, atque fidem causare posset. Item á Conc. *Senonensi* in decretis fidei? Decr. 10. c. de Extrema-unctione. "Si quis infirmatur (inquit Jacobus) in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, etc. et, si in peccatis sit, remittentur ei. Quibus liquido constat, Extremam-unctionem, caeterorum sacramentorum instar, remissionem peccatorum efficaciter operari.» Et quomodo efficaciter operaretur, si, ut impii homunciones evomunt, esset nihil? Item ab Eugenio IV. in decreto Armenis dato, sacro approbante Concil. Flor. "Quintum sacramentum est Extrema unctio, etc. cujus effectus est mentis sanatio, (et inquantum expedit) ipsius etiam corporis.» Per hoc ergo, quod mentem sanare dicit, et corpus: damnat Albanenses ipsam nihil esse dicentes. Item á Papa *Innocentio I.* in epist. 1. ad Decentium *Eugubinum* Episcopum c. 8. "Illud, quod in B. Apostoli Jacobi epistola conscriptum est, si infirmus aliquis in nobis est, vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, etc. non est dubium, de fidelibus aegrotantibus in intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, etc. Non pœnitentibus autem istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam, quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?» Ecce, quod Extrema-unctio est sacramentum, et aliis connumeratum, et consequenter est aliquid. *Tertio* habes: quomodo per rationes dicta Patrum supra, pro quanto Extremam-unctionem dicunt esse sacramentum verum, et probes, et declares, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Waldensium* (Prat. *Calvinistæ*, *Pauperes de Lugduno*, *Sectarii*) et *Lutheri* postea (ut refert *Æneas Sylvius*) dicentium, unctionem Extremam non esse inter sacramenta Ecclesiae computandam. Articulus enim praesens per hoc, quod determinat, illam esse sacramentum unum, virtualiter concludit contra istos. Non enim sacramenta Ecclesiae essent septem tantum, si hoc sacramentum esset plura. Ex hoc igitur, quod dicitur hic esse unum, statuitur implicite, quod est annumerandum inter sacramenta

Ecclesiae. *Secundo* habes: quomodo per rationem virtualiter ostendas, haeresim praedictam damnari merito á Papa *Eugenio IV.* in Decr. Armenis dato, sacro approbante Concilio *Florentino V.* " Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium, quam futurorum faciliori doctrina sub hac formula brevissima redegimus. Novae legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, Extrema-unctio, ordo, et matrimonium. » Quod si Extrema-unctio non esset unum sacramentum, sed vel nihil (ut garriebant Albanenses art. append.) vel plura: tunc non essent septem solum, ut intendit *Eugenius* ex declaratione sequenti á Concil. Trident. facta. Item á Conc. Trid. sess. 7. de sacramentis in communi, can 1. " Si quis dixerit, sacramenta novæ legis esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, Extremam-unctionem, ordinem, et matrimonium, etc. anathema sit. » Item á, etc. ut art. 1. append. Ex dictis enim ibi potest probare aliquo modo intentum præsens: sicut et ex dictis hic vicissim. Item á Papa *Lucio III.* de hæretic. " Ad abolendam, etc. Universos, qui de sacramento corporis, et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, et observat, etc. vinculo perpetui anathematis innodamus. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto sacramentum Extremæ-unctionis implicite saltem dicunt esse unum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Herarchitarum* dicentium, unctionis Extremæ sacramentum non fuisse á Deo institutum. Item errorem quorumdam scholasticorum non vulgaris nomenclaturæ (quos honoris gratia non nomino) dicentium, unctionem Extremam fuisse á B. Jacobo institutam. Videat, qui voluerit, super 4. sentent. dist. 22. vel circa, et librum de sacramentis cujusquam par. 15. c. 2. vel alios de hoc sacramento tractantes: et quos invenerit præmissum errorem docentes, expurget, seu corrigat. Intentio namque cathoeicorum Doctorum, de quorum numero illi habentur, non fuit defendere sua dicta contra sanctam Romanam Ecclesiam. Hinc arguendi sunt illi, qui vel incuria, vel affectione nimia decepti, postquam Concilium aliquod sanctam Ecclesiam repræsentans determinaverit oppositum alicujus eorum Doctoris, illum incorrectum, et pœnitus immutatum relinquunt, ac si vel Concilium nullum factum fuisset, vel Doctores illi sui non subessent Concilio. Ex qua re profecto, et contra suorum Doctorum piam intentionem supradictam faciunt: et aliis secuturis, qui forsan Conciliorum decreta de tali re non viderunt, magni scandali occasio fiunt, tantoque magis, quanto Doctores illi sui majus inter catolicos nomen habuerint. Pro generalissima igitur regula tenendum, atque diligenter servandum est id, quod sequitur. Quando Concilium aliquod celebratum fuisse de recenti, vel alias per summum Pontificem determinationem, ut de fide factam, noverint aliqui, præsertim majores, tunc sumpto Concilio, vel determinatione illa, tamquam speculo, ante oculos suos mente recta conspiciant, utrum dicta singula Doctorum suorum ad normam determinationis illius correspondeant. Et, si quidem in singulis ei concordaverint, bene: si vero non, illos emendent, vel ad bonum sensum aliquo bono modo reducant, ita, ut legentibus appareat, ut non possint errare. Non enim concilia illorum, sed illi Conciliorum sensui, verbisque coaptari debent. Nec expectandum, quod Concilia quotidie fiant ad prohibendum hos, vel illos, horum, vel illorum dicta in particulari, quoniam sat est Ecclesiæ, semel proposuisse sua decreta, tamquam regulam, secundum quam omnia aliorum (quicumque sint illi) corrigantur. Et, quoniam satisfactum est ab ipsa in communi ad hunc finem: ideo non est tutum in conscientia (ut supra dictum est) dimittere post Conciliorum celebationem in suis libris incorrecta, si quæ corrigenda sunt, quoniam nulla in oppositum sufficit excusatio. Honori itaque Doctorum suorum, honori necnon conscientiæ propriæ, consulant omnes: ne quando

irascatur pia mater Ecclesia, et tantum animarum damnum, vel scandalum (quod supra tactum est) de manu negligentium justissime requirat; Damnum, inquam, et scandalum, quia, si non esset á Christo institutum, quomodo responderemus contra hæreticos? Horum enim, qui negant, Extremam-unctionem esse sacramentum, hoc pro suo fundamento assumunt, quod á patribus (inquiunt) non á Christo instituta est. Vide supra ar. 1. app. circa principium. Cæterum, quia parum, quasi coacte digressi, ad propositi filum revertentes dicamus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores in principio dictos merito damnari á Concilio Tridentino, sess. 7. de sacramentis in communi, can. 1. "Si quis dixerit: sacramenta novae legis non fuisse omnia á Jesu Christo Domino instituta, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, Extremam-unctionem, ordinem, et matrimonium: anathema sit." Item sessione 14. de Extrema-unctione, cap. 1. "Circa illius institutionem declarat, et docet sancta Synodus: quod Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum: quemadmodum in sacramentis aliis auxilia maxima praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremae-unctionis sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam, etsi adversarius noster occasionem per omnem vitam quaerat, et captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos poenitus, et á fiducia, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam, cum impendere nobis exitum vitae prospicit. Instituta est autem haec sacra unctio infirmorum, tamquam vere, et proprie sacramentum novi testamenti á Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostulum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in nobis." etc. Hæc ibi; et de Extrema-unctione can. 1. "Si quis dixerit: Extremam-unctionem non esse vere, et proprie sacramentum á Christo Domino nostro institutum, et á B. Jacobo Apost. promulgatum, etc. anathema sit." Item á Concilio *Senonensi*, in decretis fidei, decreto quarto, decimo capite de Extrema-unctione: "Si quis infirmatur (inquit Jacob.) in vobis, et cæt. Quibus liquido constat, Extremam-unctionem remissionem peccatorum efficaciter operari, ac proinde nec ab Jacobo quidem fuisse institutam, sed ab eo tantum, cui peculiare est, ut gratiam, et gloriam conferre possit." *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto unctionem extremam dicunt á Christo institutam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse á Concilio Florentino in decreto de sacramentis, sic. "Quintum sacramentum est Extrema-unctio, cujus materia est oleum olivae." Item á Concilio Tridentino, sessione decimaquarta, de Extrema-unctione, capitulo 1. "Quibus Jacobi verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta intellexit Ecclesia, hujus salutaris sacramenti materiam esse oleum, etc. Nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat." Item ab eodem de sacrament. Extr.-uncti, can. 3. "Si quis dixerit, Extremae-unctionis ritum, et usum; quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli, etc. anathema sit." Cum ergo sancta Romana Ecclesia in hoc utatur oleo olivae, dicendum est, quod B. Jacobi intentio cap. 5. est loqui de oleo olivae assignando ipsum pro materia sacramenti hujus. Item, merito id ipsum insinuatum fuisse á Concilio Cabilonensi 2. cap. 48. "Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo ungi debent." Ubi nota ly cui etiam decreta Patrum consonant: et hoc pro multis probationibus ad idem. Item á Concilio Senonensi decreto fidei 10. cap. de Ext.-unct. "Ad unctionis autem sacramentum Christus manuduxisse primum videtur; cum Apostoli ungerent multos infirmos, et sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed praeceptoris instituto, fecisse putandi sunt."

Facit hoc dictum Concilii etiam pro art. 2. ad 1. resp. 2. *Secundo* habes: quomodo per rationem antedicta Patrum, pro quanto oleum olivae statuunt esse materiam Extremae-unctionis et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á Concil. Trid. sess. 14. de Extrema-unctio. cap. 1. " Ex apostolica traditione per manus accepta intellexit Ecclesia, hujus salutaris sacramenti materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. » Item á Papa Eugenio IV. in Decr. Armen. dato, sacro aprobante Concil. Florent. " Quinimo sacramentum est Extrema-unctio; cujus materia est oleum olivae per Episcopum benedictum.» Item á Cabilonensi Concilio 2. cap. 44. secundum beati Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant: « Infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, á Presbyteris ungi debent. » Ubi vides, quod secundum Concilium B. Jacobus, quem sequti sunt Patres, oleum ab Episcocopis benedicendum sanxit. Item ab Innoc. I. in Epist. ad Decennium Eugub. Episc. cap. 8. " In B. Jacobi epistola conscriptum est. Si infirmus aliquis, etc. ungentes eum oleo, etc. Quod non est dubium, de fidelibus aegrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, ab Episcopo confecto. » Haec ibi, ubi per ly confecto intelligitur consecrato. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum pro quanto oleum Extremae-unctionis volunt præexistere consecratum, et intelligas, et probes et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem Joann. Wicleff, ut refert Concil. Constantiense sess. 8. dicentis, quod confirmatio juvenum ordinatio clericorum, consecratio locorum (ex hoc intellige, tu, istum voluisse addere et olei sacramentum) reservantur Papae, et Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris. Articulus enim præsens apertissime declarat, quod hujusmodi fiunt á summis sacerdotibus propter ordinatissimam Dei dispositionem, et consequenter é diametro pugnat contra Wicleffum. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, errorem praedictum merito damnari á Concil. Constantiensi, ubi supra: quam damnationem universaliter factam vide q. 20. art. 3. append. et qu. 21. art. 1. append. Item á Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. " Proinde sacrosancta Synodus declarat, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere: et positos (sicut Apostolus ait) á Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Et can. 7. Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, etc. anathema sit. » Ecce, quod secundum planas litteras Concilii reservantur hujusmodi officia Episcopis, tum quia sunt presbyteris superiores, tum quia sic á Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam positi sunt, tum quia presbyteri non possunt hujusmodi facere. Item á Gelasio Papa, dist. 95. " Presbyteros, etc. prohibemus, episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendae, sibimet arripere facultatem. » Ubi monstrat; quod consecrare oleum pro unctione extrema, est Episcoporum tantum, et non solum confirmationis sacramentum conferre. Nam dicit ibi glossa, quod chrisma ibi stat pro oleo. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas; merito esse dictum á, etc. ut art. 5. append. quod oleum unctionis extremae oportet esse benedictum per Episcopum. *Quarto* habes: quomodo per rationem dicta Patrum in art 5. append. pro quanto de Episcopo loquuntur, quoad olei benedictionem, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art 7. habes *primo*: quomodo per rationem dissipes illum errorem, qui nunc est haeresis, narratum in textu. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas ipsum merito damnari á Concil. Trident. sess. 14. de Extr.-unc. c. 1. " Infirmatur (inquit Jacobus) quis in vobis, inducat presbyteros, etc. Quibus verbis, ut ex Apos-

tolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, pro prium ministrum, et effectum hujus sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, etc. formam esse illa verba: per istam unctionem, etc. » Forma igitur determinata haec ex Apostolica traditione per manus accepta est: et consequenter ex Concilio confirmatur dictum á S. Doctore in responsione ad 1. Item á Concilio Florentino, sive ab Eugenio IV. eodem Concil. approb. in Decr. Armenis dato: " Quintum sacramentum est Extrema-unctio, etc. Forma hujus sacramenti est haec: per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. Et similiter in aliis membris. » Ubi per ly *similiter in aliis membris* intellige auditum, gustum, etc. secundum quod successive fit unctio: ut correspondeant singula singulis, et hoc traditur ad litteram ex contextu ipsius decreti. Item á Concilio Trident. can. 3. " Si quis dixerit: Extremae-unctionis ritum, et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli : ideoque eum mutandum, posseque á Christianis absque peccato contemni, anathema sit. » Ecclesia autem Romana, ut patet, utitur praedicta forma in collatione Extremae-unctionis. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto sacramentum hoc insinuant habere aliquam formam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Beato Jacobo Apostolo, quod forma debet fieri hic per orationem deprecativam. Insinuatur autem cap 5. ejus epistolae, sic: " infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum, oleo. Ecce, quod per ly orent denotat orationem deprecativam formæ: sicut per ly ungentes eum oleo denotat applicationem materiæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem idem ostendas esse merito insinuatum á Conciliis supra art. 7. append. adductis. Quae ibi vide tu. *Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto deprecativam statuunt formam debere esse hic, et non indicativam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Scripturis, et Conciliis; quod forma prædicta est competens. Hoc autem insinuatum est Jacob. 5. et in Concilio Florent. etc. ut supra art. 7. append. Nihil enim in Scripturis incompetens est, neque in legitimis Conciliis; cum utrumque Spiritus Sancti opus sit. *Secundo* habes: quomodo per rationem praemissa scripturarum, et Patrum pro quanto orationem praedictam dicunt esse competentem formam Extremae-unctionis (hoc autem dicunt, quando ipsam pro forma assignant) et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA,

DE EFFECTU HUJUS SACRAMENTI, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu hujus sacramenti.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum Extrema-unctio valeat ad remissionem peccatorum.

Secundo, utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.

Tertio, utrum hoc sacramentum characterem imprimat.

ARTICULUS. I.

Utrum Extrema-unctio valeat ad remissionem peccatorum.

Pro negativa. = Videtur quod Extrema-unctio non valeat ad remissionem peccatorum.

1. Ad illud quod per unum effici potest, aliud non exigitur. Sed in eo qui Extremam-unctionem accipit, requiri-

tur pœnitentia, quæ ad peccatorum remissionem sufficit. Ergo per Extremamunctionem non dimittuntur peccata.

2. In peccato sunt tantum tria, scilicet macula, reatus pœnæ, et reliquiæ peccati. Sed Extrema-unctio non remittit peccati maculam sine contritione, quæ sola ad remissionem maculæ sufficit: nec quoad pœnam, quia si infirmus convalescat, tenetur perficere satisfactionem injunctam: nec quoad reliquias culpæ, quia adhuc remanent dispositiones ex actibus præcedentibus relictæ, ut patet post convalescentiam. Ergo nullo modo per Extremam-unctionem fit peccatorum remissio.

3. Remissio peccatorum non fit successive, sed in instanti. Sed Extrema-unctio non fit in instanti, nec tota simul, cum plures unctiones requirat. Ergo ejus effectus non est remissio peccatorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Jac. 5. dicitur: si in peccatis fuerit, dimittentur ei.

2. Sacramentum conferens gratiam, remittit peccata. Sed sacramentum Extremæ-unctionis confert gratiam, sicut et alia sacramenta novæ legis. Ergo sacramentum hoc remittit peccata.

Maior prob., quia remissio peccatorum fit per gratiam.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod sacramentum Extremæ-unctionis principaliter est institutum contra peccatum veniale: quod quidem non potest, dum hæc vita agitur, perfecte curari; et ideo sacramentum exeunctium specialiter contra peccatum veniale ordinatur.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verum, quia pœnitentia sufficienter, etiam in hac vita delet venialia peccata, quoad culpam: quod autem non possint evitari post peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ suum effectum.

Vera sententia.

Conclusio. Effectus principalis sacramenti Extremæ-unctionis, est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.

Quæ conclusio habet tres partes, scilicet quod principalis effectus sit peccatorum remissio, quoad reliquias peccatorum; et quoad culpam, si eam inveniat. Et quoad omnes sigillatim probatur. Et prima quidem pars primo delaratur quoad illum terminum (principalis). Quodlibet enim sacramentum est principaliter institutum ad unum effectum, quamvis ex consequenti etiam alios inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod significat et figurat, ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus.

Probatur igitur prima pars. Sacramentum quod adhibetur per modum cujusdam medicationis spiritualis, habet pro effectu remissionem peccatorum. Sed sacramentum Extremæ-unctionis adhibetur secundum modum cujusdam spiritualis medicationis. Ergo effectus hujus sacramenti principalis est remissio peccatorum.

Maior prob., quia medicina est ad pellendum infirmitatem; spiritualis autem infirmitas est peccatum. Illud igitur quod adhibetur ut spiritualis medicina, habet pro effectu curationem spiritualis morbi, qui est peccatum.

Minor prob. Sicut enim baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita Unctio-extrema est spiritualis medicatio vel sanatio.

Secunda pars conclusionis sic ostenditur: nam sicut medicatio corporalis præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis medicatio præsupponit spiritualem vitam; et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus qui-

bus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ; et hic defectus nihil aliud est quam quædam debilitas et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali; quam debilitatem quidam peccati reliquias dicunt. Et contra hanc debilitatem roboratur homo per hoc sacramentum.

Tertia pars conclusionis demonstratur: quia enim hoc robur fit á gratia quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod veniale vel mortale, tollit ipsum quoad culpam, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam supra de Eucharistia et confirmatione dictum est: et ideo Jacobus Apostolus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *si in peccatis sit, dimittentur ei*, scilicet quoad culpam; non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quæ peccatorum reliquiæ vocatur, et sic remanet probata conclusio quoad omnes suas partes: est enim sacramenti hujus effectus remissio peccati quoad reliquias, et ex consequenti quoad culpam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod quamvis effectus principalis hujus sacramenti possit haberi sine actuali perceptione illius, nunquam tamen habetur sine perceptione ipsius in proposito: et ideo, quia pœnitentia est principaliter instituta contra actualem culpam, quodcumque aliud sacramentum deleat culpam ex consequenti, non excludit necessitatem pœnitentiæ.

Ad 2. Negatur minor; nam Extrema-unctio aliquo modo, quantum ad illa tria, remittit peccatum; quamvis enim culpa, quoad maculam, sine contritione non dimittatur; tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistia et confirmatione accidere potest. Similiter etiam et reatum pœnæ temporalis diminuit; sed ex consequenti, in quantum tollit debilitatem, quia eamdem pœnam levius portat fortis quam debilis: unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura. Reliquiæ autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ dispositiones sunt quidam inchoati habitus, sed quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens; qua sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non potest mens ita in peccatum inclinari.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quando sunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium præcedentium, et agit virtute earum; et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quæ effectum sacramento præbet.

ARTICULUS II.

Utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.

Pro negativa=Videtur quod sanitas corporalis non sit effectus hujus sacramenti.

1. Medicina spiritualis non habet pro effectu corporalem sanitatem. Sed Extrema-unctio est spiritualis medicina, sicut et reliqua sacramenta. Ergo non inducit corporalem sanitatem.

Maior prob., quia spiritualis medicina ad spiritualem sanitatem ordinatur, sicut corporalis ad corporalem.

2. Sacramentum semper habet effectum suum in eo qui non fictus accedit. Sed quandoque non sanatur corporaliter suscipiens hoc sacramentum, quantumcumque devotus accipiat. Ergo sanitas corporalis non est effectus hujus sacramenti.

3. Jac 5. ubi ostenditur efficacia hujus sacramenti, effectus sanationis non

attribuitur unctioni, sed orationi; dicit enim, *oratio fidei salvabit infirmum*. Ergo corporalis sanatio non est effectus hujus sacramenti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumenta sed contra

1. Ante Christi passionem uncti oleo per Apostolos sanabantur, ut patet Marc. 6. Ergo et nunc habet corporalem effectum in corporali sanatione.

Conseq. prob., quia operatio Ecclesiæ habet maiorem efficaciam post Christi passionem, quam ante.

2. Baptismus per ablutionem corporalem quam exterius facit, significat et efficit spiritualem. Ergo et Extrema-unctio per sanationem corporalem quam exterius significat, efficit et causat spiritualem.

Determinatio.

Conclusio. Sanitas corporalis est effectus Extrema-unctionis, non quidem semper ex ipso sacramento sequens, sed tantum quando est expediens spirituali sanationi.

Probatur, ex convenientia et differentia quæ est inter sacramentum baptismi et Extremæ-unctionis: convenit enim Extrema-unctio cum baptismo in hoc quod sicut baptismus per ablutionem corporalem facit spiritualem emundationem á maculis spiritualibus; ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem, facit sanationem interiorem. Et sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam Extrema-unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Differunt autem, quia corporalis ablutio, ex ipsa naturali proprietate elementi, facit corporalem mundationem, et ideo semper eam facit; sed unctio non facit corporalem sanationem ex naturali proprietate materiæ, sed ex virtute divina quæ rationabiliter operatur: et quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed solum quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper inducit eam, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod spiritualis medicina non habet corporalem sanitatem pro effectu principali: potest tamen ipsam habere ut secundarium effectum.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de effectu principali, et etiam secundario, quando ad principalem effectum expedit.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod oratio illa est sacramenti forma, et ideo effectus illius orationis est effectus sacramenti.

ARTICULUS III.

Utrum sacrmentum Extremæ-unctionis characterem imprimat.

Pro affirmativa. — Videtur, quod hoc sacramentum characterem imprimat.

1. Sacramentum distinctivum imprimit characterem. Sed Extrema-unctio est sacramentum distinctivum. Ergo imprimit characterem.

Maior prob., quia character est signum distinctivum.

Minor prob., quia sicut baptizatus distinguitur á non baptizato, et ordinatus á non ordinato, ita unctus á non uncto: et per hoc, sicut baptismus et ordo characterem imprimunt, ita et Extrema-unctio.

2. In sacramento in quo est unctio, imprimitur character. Sed in hoc sacramento est unctio. Ergo in hoc sacramento character imprimitur.

Maior prob., quia in sacramentis ordinis et confirmationis, in quibus est unctio, character imprimitur.

3. In omni sacramento est aliquid quod est res tantum, et aliquid quod

est sacramentum tantum, et aliquid quod est res et sacramentum. Sed non potest aliquid assignari in hoc sacramento, quod sit res et sacramentum, nisi character. Ergo in hoc sacramento imprimitur character.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Nullum sacramentum imprimens characterem iteratur, ut dicetur quæst. 685. Sed hoc sacramentum iteratur. Ergo non imprimit characterem.

2. Sacramentum quod confertur ei qui exit de præsenti Ecclesia, non imprimit characterem. Sed hoc sacramentum confertur exeunti de præsenti Ecclesia. Ergo non imprimit characterem.

Maior prob., quia distinctio quæ fit secundum characterem sacramentalem, est eorum qui sunt in præsenti Ecclesia.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Extremæunctionis non imprimit characterem.

Prob. Per sacramentum quod imprimit characterem, deputatur homo ad aliquid sacrum, ut dictum est q. 63. art. 1. et 6. Sed per sacramentum Extremæ-unctionis non deputatur homo ad aliquid sacrum agendum vel suscipiendum. Ergo sacramentum hoc characterem non imprimit.

Minor patet, quia hoc sacramentum est quoddam remedium, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Non enim omne sacramentum distinctivum characterem imprimit. Ad probationem dicitur quod character facit distinctionem statuum quantum ad ea quæ in Ecclesia sunt agenda; et hanc distinctionem non habet homo ab aliis per hoc quod est inunctus.

Ad 2. Negatur maior: Non enim quodlibet sacramentum in quo fit inunctio, imprimit characterem. Ad probationem dicitur, quod unctio quæ fit in ordine et confirmatione, est inunctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquid sacrum, sed unctio hæc est medicationis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod in hoc sacramento res et sacramentum non est character, sed quædam interior devotio, quæ est spiritualis unctio.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 120.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim supra q. 29. art. 1. append. narratorum dicentium, Extremam-unctionem esse nihil: et non esse tamquam verum sacramentum aliis connumerandum. Si enim peccatorum remissionem causat (ut vere praesenti articulo monstratur) utique et aliquid, et verum sacramentum est. Item quomodo, etc. haeresim quorumdam (ut in Concil. Triden. infra citando tangitur) dicentium; Exremam-unctionem fuisse olim tantum gratiam curationum, et nunc jam cessasse. Nam gratia curationum tantum, cum se ad corporum sanitatem solum extendat, (ut patet per dict. super 1. Corin. 12. ly gratia sanitatum, ly gratia curationum) non remittit ex se peccata: multoque minus, si jam cessasset cujus oppositum articulus prasens, ceu contra tales turbinum errores motus, lucidissime demonstrat. *Secundo* habes quomodo per rationem ostendas, tales haereses merito damn. á Concil. Triden. sess. 14. de Extr.-unc. c. 2. "Res porro, et effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spíritus Sancti, cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac pec-

cati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae spem excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda; ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. Et de Ext.-unc. can. 2. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, etc. sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. Et sess. 7. de sacram. in communi, can. 6. Si quis dixerit: sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem non conferre: quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit. » Ergo á fortiori damnatur ex his error ille, qui Extremam-unctionem dicit tantum fuisse gratiam curationum, et illum etiam, qui dicit, eam jam cessasse. Item ad Eugenio IV. sacro approbante Concil. Flor. in Decr. Armenis dato. *Effectus vero ejus est mentis sanatio.* Ubi per ly ejus intelligit Extremam-unctionem, cum textualiter de ipsa loquatur. Item, á, etc. ut supra q. 29. ar. 1. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta patrum et scripturarum (nam scripturæ Jacobi ap. 5. Idem, quod supra dictum est, important, ut patet pro quanto Extremam-unctionem delere dicunt peccata, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem elidas errorem Græcorum dicentium quod unctionis extremæ sacramentum non prodest infirmis ad salutem corporis. Item propositionem suspectam, seu scandalosam Erasmi (ut refertur pro tali á Jacobo Lop. stun. post suum itinerarium inter propositiones Erasmi) dicentis: hodie oleo sacro unguntur laborantes, non ut convalescant, sed ut tutius migrent. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos merito damnari á Concil. Trid. sess. 14. c. 2. de Extrem.-unct. ut supra art. 1. app. et can. 2. " Si quis dixerit; sacram infirmorum unctionem non alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. » Item á Concil. Flor. de sacr. in Decr. sæpius adducto. " Effectus vero ejus est mentis sanatio: et, in quantum animæ expedit, ipsius etiam corporis. » Item á Concil. Senonensi in Decr. fid. Decr. 10. c. de Extr.-unct. " Si quis infirmatur (inquid Jacob.) in vobis, etc. oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum dominus, et, si in peccatis sit, etc. Quibus liquido constat, Extremam-unctionem non ægritudinis tantum corporalis medicamentum esse, sed etiam remissionem peccatorum efficaciter operari. » Item á Concil. Coloniensi, p. 7. c. 49. " Restat Extrema-unctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur, ut vel convalescat ægrotus, si Deo ita visum, vel fide, bonaque spe obdormiat in domino. Ecce litteraliter contra Erasmum. Item á Cabilonensi Concil. 2. c. 48. " Secundum B. Apost. Jacobi documentum, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, etc. oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus. » Item á scripturis sacris Jacobi. 5. ut sæpius visum est. Quod si (ut impudenter plerique solent) dicerent, illam epistolam Jacobi non esse de canone scripturarum sacrarum, ideoque ipsam rejicere vellent: expugnes illos per Conc. Trid. sess. 4. Decret. de can. scrip. ubi connumerat ipsam epistolam in canone. Sed et á multis Conciliis, ac Pontificibus summis, idem prius factum fuerat, ut diffuse videre potes 1. par. q. 1. ar. 1. app. Item á Matth. 6. ubi dicitur, quod inuncti ab Apostolis oleo infirmi sanabantur. Intellige tu corporaliter. Illa autem inunctio est quædam mentio de hoc sacramento, supra q. 19. a. 3. ad 1. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum pro quanto effectum salutis corporalis dicunt esse ab Extrema-unctione, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse insinuatum á Conciliis, quod Extrema-unctio non imprimit characterem. Hoc autem insinuatum est in decr. Eugen. IV. Armenis dato, sacro Flo. approbante Concil. « Inter

hæc sacramenta baptismus, confirmatio, ordo, characterem, idest spirituale quoddam signum á cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt. » Item á Concilio Trid. sess. 14. de Extrema-unctione c. 3. " Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. » Adde his can. 9. de sacram. in commun. sess. 7. " Si quis dixerit. in baptismo, confirmatione, et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. " Si, inquam, addas hoc, tunc ad litteram videbis quod Concil. Tridentinum (sicut et Flor.) dicit Extremam-unctionem non imprimere characterem. Illa namque quæ imprimunt ipsum, ait, quod ob hoc non possunt iterari, et hanc unctionem fatetur posse iterari. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto Extremam-unctionem statuunt non imprimere characterem, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA PRIMA,

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI, IN TRES ARTICULUS DIVISA.

Deinde considerandum est de administratione hujus sacramenti.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum laicus possit hoc sacramentum conferre.

Secundo, utrum diaconus.

Tertio, utrum solus Episcopus.

ARTICULUS 1.

Utrum laicus possit sacramentum Extremæ-unctionis conferre.

Pro affirmativa. = Videtur quod laicus possit hoc sacramentum conferre.

1. Sacramentum quod habet efficaciam ex oratione, potest etiam laicus conferre. Sed Extrema-unctio habet efficaciam ex oratione, ut patet Jac. 5. Ergo hoc sacramentum potest laicus conferre.

Maior prob., quia oratio laici quandoque est ita Deo accepta, sicut oratio sacerdotis.

2. De quibusdam Patribus in Ægypto legitur quod oleum ad infirmos transmittebant, et sanabantur. Et de beata Genovefa legitur quod oleo ungebat infirmos. Ergo hoc sacramentum etiam á laicis potest conferri.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Qui potest conferre hoc sacramentum habet potestatem remittendi peccata. Sed laicus non habet potestatem remittendi peccata. Ergo laicus non potest conferre hoc sacramentum.

Maior prob., quia in hoc sacramento fit peccatorum remissio.

Determinatio.

Conclusio. Laicus non potest sacramentum Extremæ-unctionis conferre.

Prob. Quia Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hier. quod in Ecclesiastica Hierarchia sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, et quidam recipientes tantum, qui sunt laici: et ideo nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit.

Objectio.

Sed nonne laici baptizare possunt in casu necessitatis.

Responsio.

Dicitur quod ex divina dispensatione factum est, ut laici in casu necessitatis baptizare possint; ut nulli spiritualis regenerationis, quæ fit per Baptismum, facultas desit, cum sacramentum baptismi sit necessitatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. di-

citur quod oratio illa non fit á sacerdote in persona sua, quia cum sit quandoque peccator, non esset ejus oratio exaudibilis. Sed fit in persona totius Ecclesiæ, in cujus persona orare potest sacerdos, quasi persona publica, non autem laicus qui est privata persona.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod illæ unctiones non erant sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium tales unctiones, et meritis ungentium vel mittentium oleum, consequebantur effectum sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam sacramentalem.

ARTICULUS II.

Utrum diaconi possint Extremam-unctionem conferre.

Pro affirmativa.=Videtur quod diaconi possint hoc sacramentum conferre.

1. Qui habent virtutem purgativam, possunt Extremam-unctionem conferre. Sed *diaconi habent virtutem purgativam* ut Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hierarch. part. 1. Ergo diaconi possunt sacramentum Extremæ-unctionis conferre.

Maior prob., quia Extremæ-unctionis sacramentum est institutum tantum ad purgandum ab infirmitate mentis et corporis.

2. Diaconi possunt baptizare. Ergo possunt etiam sacramentum Extremæ-unctionis conferre.

Antec. prob., quia beatus Laurentius Romanum baptizavit.

Conseq. prob., quia dignius sacramentum est baptismus quam Extrema-unctio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Jac. 5. dicitur, *Inducat presbyteros Ecclesiæ.*

Determinatio.

Conclusio. Diaconi non possunt sacramentum Extremæ-unctionis conferre.

Prob. Habentes vim purgativam, et non illuminativam, non possunt Extremæ-unctionis sacramentum conferre. Sed diaconi habent virtutem purgativam, et non illuminativam. Ergo Non possunt hoc sacramentum conferre.

Maior prob., quia sacramentum hoc est purgativum et illuminativum; cum conferat gratiam, per quam fit non solum purgatio, sed etiam illuminatio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Ad conferendum enim hoc sacramentum requiritur non solum vis purgativa, sed etiam illuminativa, quia utrumque per gratiam efficit.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod hoc sacramentum non est necessitatis, sicut baptismus; et ideo non ita committitur dispensatio ejus in articulo necessitatis omnibus, sed solum illis quibus ex officio competit. Diaconis autem competit baptizare, non tamen ex officio, ut superius dictum est quæst. 67. art. 1.

ARTICULUS III.

Utrum solus Episcopus possit Extremam-unctionem conferre.

Pro affirmativa.= Videtur quod solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre.

1. Sacramentum quod unctione perficitur, á solo Episcopo potest conferri, ut patet de confirmatione quam solus Episcopus confert. Sed sacramentum hoc unctione perficitur, sicut confirmatio. Ergo solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

2. Qui confert hoc sacramentum, potest sanctificare ejus materiam. Sed simplex sacerdos non potest sanctificare materiam hujus sacramenti, quam solus Episcopus sanctificat. Ergo simplex sacerdos non potest hoc sacramentum conferre, sed solus Episcopus.

Maior ostenditur. Qui potest majus, potest minus. Sed sanctificare materiam hujus sacramenti, minus est quam materia sanctificata uti, cum usus, sit finis materiæ sanctificatæ. Ergo qui po-

test conferre hoc sacramentum quod per usum sanctificatæ materiæ confertur, multo magis debet habere potestatem sanctificandi materiam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Minister hujus sacramenti inducendus est ad eum qui sacramentum suscipit, ut patet Jac. 5. Sed Episcopus non posset accedere ad omnes infirmos suæ Diœcesis. Ergo non solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre, sed etiam simplex sacerdos.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Extremæ-unctionis possunt simplices sacerdotes administrare.

Prob. Sacramenta quæ á solis Episcopis dispensantur, ponunt recipientes in aliquo statu perfectionis super alios. Sed sacramentum Extremæ-unctionis non ponit recipientes in aliquo perfectionis statu super alios. Ergo hoc sacramentum non reservatur solis Episcopis, sed simplices sacerdotes ipsum conferre possunt.

Maior manifestatur, quia Episcopus proprie habet officium perficiendi, ut Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hierarchiæ, sicut sacerdos habet officium illuminandi; unde illa sola sacramenta dispensanda Episcopis reservantur, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponit, ut sunt ordo et confirmatio.

Minor prob. quia Extrema-unctio omnibus datur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Non enim omne sacramentum quod unctione perficitur, reservatur Episcopo, sed solum illa quæ ponunt suscipientem in aliquo perfectionis statu super alios, ut sunt confirmatio et ordo.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem negatur minor. Ad cujus probationem dicitur quod quamvis in genere causæ finalis usus materiæ santificatæ sit potior quam materiæ sanctificatio tamen in genere causæ efficientis, sanctificatio materiæ potior est, quia ab ea pendet usus sicut á causa activa et ideo santificatio requirit altiorem virtutem activam quam usus.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 121.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Manus impositoriorum* (Prat. *Manus impositorii*) dicentium, laicalem impositionem manuum sacramentum esse. Si enim laicorum manus impositio est sacramentum (secundum istos) secundum eosdem videtur utique, quod laici possint sacramenta ministrare: contra quod pugnat iste articulus, et ex consequenti etiam contra illud primum. Item hæresim Lutheri, ut supra refertur quæst. 8. art. 1. et 2. et 4. et quæst. 19. art. 3. dicentis: sacerdotes omnes christianos esse, et æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus discretione facta. Item hæresim Hussitarum, ut refertur quæst. 20. art. 1. dicentium: sacerdotem potiorem efficit non dignitas, sed vitæ meritum. Per hujus enim articuli rationem omnes prædictæ hæreses debellari possunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á, etc. ut supra locis nunc citatis in append. Item á, etc. ut supra quæst. 19. art. 3. et 4. append. Item á Concilio Tridentino, ut supra in præsenti articulo, et corollar. post prob. allegatur. Cujus verba, quia alias recitata sunt superius, ideo hoc sat est. Vide tu illic. Item ab eodem sess. 14. de Extrema-unctione, cap. 3. " Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum, qui et suscipere, et ministrare hoc sacramentum debent, haud

obscure fuit illud etiam in verbis prædictis (á Beato Jacobo scilicet) traditum. Nam et ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Hæc ibi; et canone quarto: Si quis dixerit: presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate: anathema sit. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto, vel sacramentum nullum á laico conferri ex officio, vel Extremam-unctionem ab eodem absolute conferri non posse dicunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim Jacobi Præpositi (Prat. Jacob. Præposit.) dicentis, Laicos omnes esse sacerdotes, et posse consecrare, si non sint in peccato mortali. Contra hanc siquidem pugnat articulus præsens á fortiori. Si enim diaconus non est sacerdos, et hac ratione non posset Extremam-unctionem conferre, ut hic concluditur: profecto per hoc idem manifeste ostensum relinquitur, quod laici non sunt sacerdotes, nec sacramenta conferre possunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: prædictam hæresim merito damnari á Concil. Trident. sess. 23. ca. 4. et canon. 6. Vide quæst. 19. artic. tert. quart. appen. Item, á, etc. ut quæst. 8. art. 1. 2. et 4. Item, merito damnari ab Apost. Hebr. 5. ubi definiens, quid sit sacerdos, inquid. " Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. Ecce, quod secundum Apost. adeo non omnes sunt sacerdotes, ut positio ista seipsam confodiat. Omnis, inquit, pontifex ex hominibus, etc. quasi diceret. Si aliquis non assumatur ex hominibus, et constituatur pro hominibus in his, quæ sunt ad Deum, non est sacerdos; sicut, si quis non habet animam rationalem, utique non est homo. Ex his patet, quod positio illa hæreticalis contradictionem implicat. Nam, si omnes sunt sacerdotes; profecto nullus erit sacerdos. Non enim sacerdotes illi, nec aliquis illorum, assumetur ex hominibus, idest altius sumetur, quam alii, cum omnes sint sacerdotes, et similiter nec omnes, nec aliquis eorum constituetur tamquam superior pro aliis hominibus in his, quæ sunt ad Deum. Sicut ergo non habens definitionem alicujus rei non est illa res, cum definitio et definitum sint idem, ita non habens definitionem veram sacerdotis, hæc præmissa est, non est verus sacerdos. Oportet igitur secundum Apostolum, quod sint aliqui homines non sacerdotes, ad hoc, quod aliqui alii possint vere dici, et esse sacerdotes. Item á, et cæt. ut art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito ab Apostolo Jacobo, et á Conciliis ipsum citantibus, ipsique consentientibus, ut est Concil. Cabilonense secundum, Senonense, Florent. et cæt. de quibus supra alibi, fuisse insinuatum, quod diaconi hoc sacramentum conferre non possunt. Insinuatum autem est hoc ab eo per ly presbyteros; cum dicit: infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, et cæt. Diaconi enim non sunt presbyteri, ut patet, et habetur ex multis Conciliis supra alibi ad simile propositum citatis. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto diaconum insinuant sacramentum hoc dare non posse, et intelligas; et declares, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á scripturis, et Conciliis, Summisque Pontificibus, quod Extrema-unctio potest administrari non tantum per Episcopos, sed etiam per sacerdotes simplices. A scriptura quidem Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros*, etc. Nomine autem presbyterorum intelligit Episcopos, vel sacerdotes, ut sup. ead. quæstion. per Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. declaratum est. A Conciliis vero Florentino, de Sacram. quinto loco. *Minister hujus sacramenti est sacerdos.* Hæc ibi in decr. Armenis dato. Ubi attribuendo ministerium hujus sacerdoti non intendit excludere Episcopos, im-

mo á fortiori includere: ut ex Concil. Trident. loco nunc citato, et ex aliis infra patet. Item á Concil. Trident. ubi supra nunc, et Canon quarto, ibi. " Si quis dixerit; presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus, etc. ob idque proprium Extremæ-unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit. » Ubi ly solum, ut, patet ex contextu, excludit laicos de quavis communitate. Item ab Innocentio 1. sic. " Illud superfluum videtur esse adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam, idcirco de presbyteris dictum est. quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem á se visitandum, benedicere, et tangere chrismate, sine cunctatione potest cujus est ipsum chrisma conficere. » Hæc ille, et recitantur in Decr. dist. 95. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto sacerdotem dicunt ex officio ministrum esse Extremæunctionis, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SECUNDA,

QUIBUS HOC SACRAMENTUM CONFERRI DEBEAT, ET IN QUA PARTE CORPORIS, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quibus hoc sacramentum conferri debet, et in qua parte corporis.

Circa quod quæruntur septem.

Primo, utrum sanis debeat hoc sacramentum conferri.

Secundo, utrum debeat conferri in qualibet infirmitate.

Tertio, utrom debeat conferri furiosis, et amentibus.

Quarto, utrom pueris.

Quinto , utrum totum corpus in hoc sacramento inungi debeat.

Sexto, utrum convenienter determinentur partes in quibus inungitur.

Septimo, utrum mutilati in prædictis partibus inungi debeant.

ARTICULUS I.

Utrum sanis conferri debeat Extrema-unctio.

Pro affirmativa.=Videtur quod etiam sanis debeat hoc sacramentum conferri.

1. Sacramentum, cujus principalis effectus est sanatio mentis, debet dari etiam sanis. Sed Extremæ-unctionis effectus principalior est sanatio mentis quam corporis, ut dictum est quæstione 122. Ergo Extrema-unctio debet dar etiam sanis.

Maior prob., quia etiam sani corpore indigent sanatio mentis.

2. Baptismus datur omnibus intrantibus præsentem Ecclesiam. Ergo Extrema-unctio debet dari omnibus exeuntibus. Sed quandoque illi qui sunt in propinquo exitus, sunt sani, sicut illi qui decapitandi sunt. Ergo Extrema-unctio debet dari etiam sanis.

Conseq. prob., quia sicut baptismus est intrantium ita Extrema-unctio est exeuntium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Jac. 5. dicitur: *Infirmatur quis ex vobis, etc.* Ergo solis infirmis competit hoc sacramentum.

Determinatio.

CONCLUSIO. Sacramentum Extremæunctionis non est sanis conferendum.

Prob. Sacramentum, quod est quædam spiritualis curatio, quæ per quamdam corporalem curationem significatur, non debet dari nisi his qui corporaliter infirmantur. Sed Extrema-unctio est quædam spiritualis curatio, quæ per quemdam corporalis curationis modum significatur. Ergo Extrema-unctio non competit his qui non sunt corporaliter infirmi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod falsa est maior quando mentis sanatio per corporis sanationem est significanda. Tunc ad minorem dicitur quod quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus hujus sacramenti; tamen oportet quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis hujus sacramenti, etiam si corporalis sanatio non sequatur: et ideo solum illis per hoc sacramentum sanitas spiritualis dari potest, quibus competit curatio corporalis, scilicet infirmis; sicut ille solus potest baptismum suscipere, qui potest corporalis ablutionis particeps esse, non autem puer in ventre matris existens.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod sicut baptismus non est nisi illorum intrantium qui corporali ablutioni subjici possunt; ita hoc sacramentum illorum exeuntium tantum est quibus competit curatio corporalis.

ARTICULUS II.

Utrum sacramentum Extremæ-unctionis dari debeat in qualibet infirmitate.

Pro affirmativa.=Videtur quod hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate.

1. Jac. 5. ubi hoc sacramentum traditur, nulla infirmitas determinatur. Ergo in omnibus infirmitatibus debet hoc sacramentum conferri.

2. Medicina corporalis omnibus infirmis datur. Ergo hoc sacramentum quod dignius remedium est quam corporalis medicina, debet omnibus infirmis conferri.

Conseq. prob., quia quanto remedium est dignius, tanto debet esse universalius.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Hoc sacramentum ab omnibus dicitur Extrema-unctio. Sed non omnis infirmitas ad extremum vitæ perducit; cum quædam ægritudines sint causa longioris vitæ, ut Philosophus dicit libro de longitudine et brevitate vitæ. Ergo hoc sacramentum non debet dari in omnibus infirmitatibus.

Determinatio.

Conclusio. sacramentum Extremæunctionis non est dandum in qualibet infirmitate, sed in ea tantum quæ nata est inducere mortem, et de periculo timetur.

Prob. Ultimum Ecclesiæ spirituale remedium non est dandum nisi in infirmitate mortali, cum de vita timetur. Sed sacramentum Extremæ-unctionis est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Ergo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium; propter hoc quod ægritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod quælibet infirmitas augmentata potest mortem inducere; et ideo, si genera infirmitatum pensentur, in qualibet ægritudine potest dari hoc sacramentum: et hinc est quod Apostolus non determinat infirmitatem aliquam. Sed si pensetur infirmitatis modus et status, non semper debet infirmantibus hoc sacramentum dari.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod medicina corporalis habet pro principali effectu sanitatem corporalem, qua omnes infirmi, in quolibet statu indigent. Hoc autem sacramentum habet pro principali effectu illam tantum sospitatem quæ exeuntibus, et iter ad gloriam agentibus est necessaria: et ideo hoc remedium; etsi dignius sit, non tamen debet dari nisi his qui in periculosa ægritudine sunt constituti.

ARTICULUS III.

Utrum Extrema-unctio debeat dari furiosis et amentibus.

Pro affirmativa. = Videtur quod fu-

riosis et amentibus debeat hoc sacramentum dari.

1. Illis qui in periculosissimis infirmitatibus sunt constituti, dari debet hoc sacramentum. Sed dictæ infirmitates sunt periculosissimæ, et cito ad mortem disponunt. Ergo furiosis et amentibus debet hoc sacramentum in remedium dari.

Maior prob., quia periculo debet remedium adhiberi.

2. Baptismus datur furiosis, ut dictum est q. 68. art. 12. Ergo et hoc sacramentum furiosis potest dari.

Conseq. prob., quia baptismus est dignius sacramentum quam Extrema-unctio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacramentum Extremæ-unctionis non debet dari nisi his qui ipsum cognoscunt. Sed furiosi et amentes ipsum non cognoscunt. Ergo furiosis et amentibus non est hoc sacramentum exhibendum.

Determinatio.

Conclusio. Furiosis et amentibus non est sacramentum Extremæ-unctionis exhibendum, nisi habeant lucida intervalla.

Prob. sacramentum, ad cujus effectum percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, et personale meritum conferentis et generale meritum, totius Ecclesiæ, non debet dari illis qui ipsum non cognoscunt, ut sunt furiosi et amentes. Sed ad percipiendum effectum Extremæ-unctionis plurimum valet devotio suscipientis, et meritum personale conferentis, et generale meritum totius Ecclesiæ. Ergo sacramentum hoc non est furiosis et amentibus exhibendum.

Maior prob., quia furiosi et amentes, et qui sacramentum non cognoscunt, non possunt ipsum cum devotione suscipere.

Minor prob., quia per modum deprecationis forma hujus sacramenti confertur. Et confirmatur conclusio, quia furiosi et amentes possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera, quando tales periculose infirmi sunt capaces hujus sacramenti. Tunc ad minorem dicitur quod quamvis in periculo mortis tales quandoque sint, tamen remedium per devotionem propriam non potest eis applicari, et ideo non debet eis conferri.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi baptismus sit dignius sacramentum, tamen non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale peccatum quod non curatur ex nostro arbitrio: in hoc autem sacramento requiritur motus liberi arbitrii, qui non est in furiosis: et præterea baptismus est necessitatis, non autem Extrema-unctio.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum Extremæ-unctionis debeat dari pueris.

Pro affirmativa.=Videtur quod hoc sacramentum debeat dari pueris.

1. Illis qui laborant eisdem infirmitatibus quibus laborant adulti, debet dari hoc sacramentum. Sed pueri quandoque laborant eisdem infirmitatibus quibus laborant adulti. Ergo pueris est hoc sacramentum exhibendum.

Maior prob., quia eidem morbo debet idem remedium adhiberi.

2. Illis in quibus sunt reliquiæ peccati debet hoc sacramentum dari. Sed in pueris sunt reliquiæ peccati originalis. Ergo pueris debet hoc sacramentum dari.

Maior prob., quia hoc sacramentum datur ad purgandum reliquias peccati, tam originalis quam actualis, ut dictum est q. 122. art. 1.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Illis quibus hoc sacramentum est dan-

dum, debet competere forma hujus sacramenti. Sed pueris non competit forma hujus sacramenti. Ergo pueris non est dandum hoc sacramentum.

Minor prob., quia pueri non peccaverunt per visum, auditum, etc. quod tamen in forma Extremæ-unctionis exprimitur.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Extremæunctionis non est pueris exhibendum.

Prob. Sacramentum quod exigit actualem devotionem in suscipiente, non est pueris exhibendum. Sed sacramentum hoc exigit actualem devotionem in suscipiente. Ergo non est pueris exhibendum.

Et confirmatur, quia sacramentum Eucharistiæ quod exigit actualem devotionem in suscipiente, non datur pueris; unde eadem ratione pueris non est Extrema-unctio danda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera quando eædem infirmitates ex eadem causa proveniunt. Tunc ad minorem, dicitur, quod infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatæ, sicut in adultis, contra quas infirmitates præcipue hoc sacramentum datur, quæ sunt ex peccato causatæ, quasi peccatorum reliquiæ.

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera de reliquiis peccati actualis, non originalis tantum: Extrema enim unctio non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ: unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quæ in pueris non inveniuntur.

ARTICULUS V.

Utrum in sacramento Extremæ-unctionis totum corpus debeat inungi.

Pro affirmativa.=Videtur quod in in hoc sacramento totum corpus debeat inungi.

1. Sacramentum quod præcipue datur ad sanandam animam, debet conferri per totum corpus. Sed Extrema-unctio datur præcipue ad sanandam animam. Ergo debet dari per totum corpus.

Maior prob., quia anima est tota in toto corpore.

2. Ubi est morbus, ibi debet apponi medicina. Sed quandoque morbus est universalis in toto corpore, ut febris. Ergo totum corpus debet inungi.

3. In baptismo totum corpus immergitur. Ergo et in hoc sacramento totum corpus debet inungi.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Est universalis Ecclesiæ usus et ritus, secundum quem non inungitur infirmus hoc sacramento, nisi in determinatis partibus corporis.

Determinatio.

Conclusio. In sacramento Extremæunctionis non est inungendum totum corpus, sed tantum debent inungi partes illæ in quibus est radix spiritualis morbi.

Prob. Sacramentum quod per modum curationis adhibetur, non debet conferri in toto corpore, sed solum in illis partibus in quibus radix spiritualis infirmitatis invenitur. Sed hoc sacramentum exhibetur per modum curationis. Ergo non est adhibendum toto corpori, sed partibus in quibus radix infirmitatis spiritualis invenitur.

Minor probatur, á simili in curatione corporali, quæ non oportet quod fiat per medicinam toto corpori appositam; sed illis partibus ubi est radix morbi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quamvis sit tota anima in qualibet parte corporis, quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias quæ sunt radices actuum peccati; et ideo oportet quod in determinatis partibus fiat inunctio, in quibus illæ potentiæ habent esse.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non semper apponitur medicina ubi est morbus, sed congruentius ubi est radix morbi.

Ad 3. Negatur consequentia: baptismus enim fit per modum ablutionis; ablutio autem corporalis non fit nisi in illa parte cui apponitur; et ideo baptismus toti corpori adhibetur. Medicatio autem debet apponi ad radices infirmitatis: et cum Extrema-unctio per modum medicationis adhibeatur, convenienter partibus illis in quibus radix spiritualis morbi viget, adhibetur.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter determinentur partes inungendæ.

Pro negativa. = Videtur quod inconvenienter determinentur istæ partes, ut scilicet infirmus inungatur in oculis, in naribus, auribus, labiis, manibus et pedibus.

1. Sapiens medicus curat morbum in radice. Sed cor est radix unde *exeunt cogitationes quæ coinquinant hominem*, ut dicitur Matth. 15. Ergo in pectore debet fieri inunctio.

2. Intrantes Ecclesiam unguntur chrismate in vertice á sacerdote, ad significandum mentis puritatem. Ergo etiam exeuntes hoc sacramento ungi debent in vertice.

Conseq. prob., quia puritas mentis non minus est necessaria exeuntibus quam intrantibus.

3. Ubi est maior vis morbi, ibi debet adhiberi remedium. Sed in viris præcipue in renibus, et in mulieribus in umbilico viget spiritualis morbus, secundum Gregorium libro 32. Moral. cap. 1. super illud Job. 40. *Fortitudo ejus in lumbis*, etc. Ergo ibi debet fieri inunctio.

4. Sicut peccatur per pedes, ita et per alia membra corporis. Ergo sicut inunguntur pedes, ita et alia corporis membra debent inungi.

ARTIC. VI.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est ritus Ecclesiæ inungentis in hoc sacramento dictas partes.

Determinatio.

Conclusio. Partes inungendæ in sacramento Extremæ-unctionis convenienter determinantur, scilicet oculi, nares, aures, labia, manus, quæ sunt de necessitate sacramenti: insuper renes et pedes, quæ tamen non sunt de necessitate sacramenti, sicut quinque priores.

Prob. Partes in quibus vigent prima principia spiritualis infirmitatis, quæ est peccatum, convenienter in hoc sacramento inunguntur. Sed in prædictis partibus vigent prima principia spiritualis infirmitatis. Ergo prædictæ partes convenienter inunguntur.

Maior patet, quia Extrema-unctio datur per modum medicinæ contra spiritualem infirmitatem peccati.

Minor manifestatur: Nam principia peccandi in nobis sunt eadem quæ et principia agendi; quia peccatum in actu consistit: principia autem agendi in nobis sunt tria. Primum est dirigens, et hoc est vis cognoscitiva; secundum est imperans, et hoc est vis appetitiva: tertium est exequens, et hoc est vis motiva. Nostra autem cognitio omnis ortum habet á sensu: ideo in sensibus vigent prima principia peccandi, et propterea inunguntur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, et manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget. Pedes autem inunguntur propter vim motivam, cujus sunt pricipalius instrumentum: renes vero propter appetitivam; in his enim maxime concupiscibilis viget.

Sed quia vis cognoscitiva est primum principium nostrarum operationum simpliciter, præcedens vim appetitivam et executivam, et ipsa cognitio á sensibus ortum habet: ideo inunctio locorum

quinque sensuum est de necesitate sacramenti, propter quod ab omnibus servatur harum partium inunctio. Quia autem vis appetitiva et motiva non sunt prima principia nostrorum actuum, sed sequuntur vim cognoscitivam, ideo non ab omnibus servatur inunctio renum et pedum; sed quidam has partes inungunt, quidam vero inungunt tantum pedes; et quidam nec pedes nec renes. Et hoc fieri potest, quia inunctio renum et pedum ad integritatem sacramenti non pertinet. Patet igitur quod in his partibus vigent prima peccandi principia, et quod convenienter hoc sacramento, determinantur inungendæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod cogitatio á corde non exit nisi per aliquam imaginationem, quæ est motus factus á sensu, ut dicitur in 2. de anima tex. 160. Et ideo cor non est prima radix cogitationum, sed organa sensuum, nisi quatenus cor est principium totius corporis, sed tunc est causa remota.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod intrantes debent puritatem mentis acquirere, sed exeuntes debent mentem purgare: et ideo exeuntes debent inungi in illis partibus in quibus contingit puritatem mentis inquinari.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod secundum quorundam consuetudinem inunctio fit etiam in renibus, propter hoc quod ibi maxime viget concupiscibilis; non tamen hoc est necessarium, quia appetitiva non est prima radix peccati, ut in corpore dictum est.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod organa corporis, quibus actus peccati exercentur, sunt pedes, manus et lingua, quibus etiam exhibetur unctio, et membra genitalia, quibus propter earum immonditiam, et honestatem sacramenti, non debet unctio adhiberi.

ARTICULUS VII.

Utrum mutilati debeant inungi illis unctionibus.

Pro negativa. — Videtur quod mutilati non debeant inungi illis unctionibus, quæ partibus quibus sunt mutilati, competunt.

1. Ille qui non habet infirmitatem, non potest inungi, ut dictum est art. 1. Ergo nec ille qui non habet partem illam in qua debet fieri inunctio.

Conseq. prob., quia sicut hoc sacramentum exigit determinatam dispositionem in suscipiente, ut scilicet sit infirmus, ita exigit determinatam partem.

2. Ille qui est sæcus á nativitate, non deliquit per visum; sed in unctione quæ fit ad oculos, fit mentio de delicto per visum. Ergo oculorum unctio in cæco nato non debet fieri: et sic de aliis carentibus aliqua alia parte.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Defectus corporis non impedit aliquod aliud sacramentum. Ergo nec istud debet impedire. Sed de necessitate istius sacramenti est quælibet unctio. Ergo omnes unctiones debent fieri etiam in mutilatis.

Determinatio,

Conclusio. Mutilati inungi debent, quanto propinquius fieri potest, ad illas partes in quibus unctio fieri debuerat.

Manifestatur, quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ quæ illis membris debentur saltem in radice et interius peccare possunt, per ea quæ ad illas partes pertinent, quamvis non exterius.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod mutilatus habet potentiam pertinentem ad membrum quo caret, quia et peccare potest interius, ut dictum est, et ideo est inungendus.

Ad 2. Dicitur ad antec. quod cæcus natus non potuit peccare per visum exterius, potuit tamen interius per visum peccare.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 122.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*., quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, et Conciliis; quod Extrema-unctio sanis dari non debet. A scripturis quidem Marc. 6. ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos. Nam ista unctio erat mentio quædam hujus sacramenti, ut dicitur qu. 29. ar. 3. ad 1. in responsione 2. Et in Conc. Senonensi in Decretis fidei. Decret. 10. c. de Extrema-unctione, ubi dicitur. " Ad unctionis-extremæ sacramento, Christus manuduxisse primum videtur, cum Apostoli oleo ungerens multos infirmos, et sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed præceptoris instituto, fecisse putandi sunt. Sed, ne hic noster ungendi infirmos ritus Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videtur: si quis infirmatur (inquit Jacobus) in vobis, etc. » Item á Jacob. 5. *infirmatur quis*, etc. *unguentes oleo*, etc. prout sæpius adductum est. A Conciliis autem, ut á Conc. Floren. de sacramentis, loco quinto. " Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, » Item á Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. de Extrem.-unct. " Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vere præsertim; qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur. Unde sacramentum exeuntium nuncupatur. » Ubi vides, quod ex etymologia quadam nomínis definit, non nisi infirmis dandum, et per ly exeuntium etiam confirmat, simul et declarat dictum in responsione ad 2. argum. á D. Tho. Item ab eodem ibidem c. 1. " Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præperavit, quibus Christiani conservare se interos, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommoda possint: ita Extremæ-unctionis sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio, munivit. » Item á Concil. Cabilonensi 2. et aliis supra nominatis in appendicibus á qu. 29. usque huc: sique ulla sint, illa sunt, in quibus fit mentio de B. Jacobi auctoritate toties dicta, infirmatur, etc. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, pro quanto Extremam-unctionem dicunt sanis non esse dandam, et intelligas, et declares, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum á Concil. Florent. et Triden. quod sacramentum hoc conferendum est in extremis, et non in quocumque statu, puta levi, ipsius infirmi. Hoc autem dictum fuisse ab iisdem, vide litteraliter supra ar. 1. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto Extremam-unctionem infirmis tantum periculosis judicant esse dandam, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per S. Docto. interimas impiam hæresim Donati, et Calvini dicentium, chrisma sacrum conspuendum, et conculcandum esse. Chrismatis autem nomine accipi quandoque oleum, dixit glos. super decret. Gelasii Papæ adductas superius quæstio. 29. artic. 5. appen. et pro tanto hic recensetur hæresis prædicta illorum. Ex articulo enim præsenti patet, quanta reverentia exhibenda sit oleo sacro: et consequenter contra similes hæreticos militat. et á fortiori sane. *Secundo* habes: quomodo per S. Doct. ostendas, hæresim prædictam merito damnari, et quidem á fortiori, per Papam Urban. IV. Ariminensi Episcopo scribentem; " Ad hæc; etc. Si locus ad hospitalitatis usum et pauperum provisionem, sicut moris est auctoritate Pontificis fuerit destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari: sicut de vestibus, et ligneis vasis, et aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo indubitanter observat et venerabilium patrum edocent sanctiones. » Hæc ille, et recitantur de relig. domib. Item per Stephanum Papam in 7. reg. ju. " Quicquid in sacratis, Deo rebus injuste Igitur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, et á quoquam violari non debent. atem per Papam Sixtum de consecr. dist. 1. in Sancta Apostolica sede statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam á sacratis, dominoque dicatis hominibus contrec-

tentur; ne pro talibus præsumptionibus dominus iratus plagas imponat populo suo, et hi etiam, qui non peccaverunt, pereant: quia perit justus sepissime pro impio. » Pro ultimo dicto hic á Sixto habes exemplum in lib. Josue cap. 7. de Achan. prævaricatore anathematis, propter cujus peccatum punita est plebs Israelitica, licet ipsa non sumpserit de ipso anathemate. Item per Stephanum amico familiari scribentem. » Vestimenta Ecclesiæ, in quibus domino ministratur, et sacra debent esse, et honesta quibus aliis usibus non debent frui. quam ecclesiasticis, et Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut afferri, nisi á sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hos transgredientes veniat, et corruere eos faciat ad ima. » Hæc ille: et recitantur de consecrat. dist. 1. de isto Balthasar, quantum supplicium et in se, et in aliis, et in regno suo, et in præsenti, et in inferno justissime á Deo receperit pro tam sacrilega insolentia quam circa res sacras exhibuit, vide in sequ. et inde conjicies, quantam ultionem exercuerit, et in æternum exerciturus sit Dominus contra prædictos, similesque hæreticos olei sacri nefandissimos osores. Tantum igitur scelus, condignamque ejus pœnam, Daniel. c. 5. ad cæterorum exemplum, prædictorumque damnationem narraturus, sic ait: " Balthasar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: et unusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, et argentea; quæ asportaverat Nabuchodenosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem ut biberent in eis Rex, et optimates ejus, uxoresque ejus, et concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem, et biberunt in eis Rex, et optimates ejus, uxorosque ejus, et concubinæ illius, etc. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: et Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies Regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum, et compages renum ejus solvebantur: et genua ejus ad se invicem collidebantur. Exclamavit itaque Rex fortiter, etc. Igitur introductus est Daniel coram Rege, etc. et ait: Tu Balthasar non humiliasti cor tuum, sed adversus dominatorem cœli elevatus es, et vasa domus ejus allata sunt coram te; et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ vinum bibistis in eis, etc. Ideirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est. Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretatio sermonis, Mane: numeravit Deus Regnum tuum, et complevit illud, Thecel. Appensus es in statera, et inventus est minus habens. Phares. Divisum est regnum tuum, et datum est Medis, et Persis. Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldeus: et Darius Medus succesit in Regnum. » Porro, si de vasis templi veteris testameti adeo zelavit Deus: quantum putas zelaturum eum esse pro sacramentis novi testamenti á seipso personaliter, ac immediate institutis? Zelabit utique magis. Hinc et nota, quod illa vasa non conculcavit, neque conspuit Balthasar ipse. Quid ergo supplicii pertulisset, si illa conspurcasset, pedibusque conculcasset? Nota et majorem consecrationem circa oleum sanctum, ut quod sit materia hujus sacramenti intrinseca; quam sit consecratio vasorum prædictorum. Pensato igitur hinc et culparum, et pœnarum quantitatem Donati atque Calvini sacrilegorum, quando Balthasar minoris culpae patrator tanta justissime luit. Item. etc. quomodo ostendas, haeresim praedictam damnari per Lucium III. Papam sic. Universos, qui de sacramento corporis, et sanguinis Domini N. J. Christi, vel de baptismate, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat, et observat: et generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum concilio clericorum, vel clerici ipsi (sede vacante) cum concilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, haereticos judicaverit, perpetui anathematis vinculo innodamus. » Haec ibi de haereticis. Ubi nota, praedictos, ac similes de oleo sancto taliter sentientes, inter haereticos computari; ut contextum Papae consideranti patet. Item per Alexand. IV. de haeret. in 6. c. Accusatus. Is enim ibi damnat ea, quae sa-

piunt haeresim manifeste, et expositionibus juris peritorum adjunctis, dicit, quod illa sapiunt haeresim manifeste, ad quibus admiscentur non tantum Ecclesiae sacramenta, sed etiam res sacramentales, cum ergo oleum sanctum sit plusquam res sacramentalis, in quantum materia intranea hujus sacramenti est: jam videre est quod abutens oleo sancto per conspuitionem, et conculcationem, opus haereticale facit, et sub illa decretali pro tali comprehenditur. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito Innoc. III. de bapt. et ejus effect. c. majores: insinuasse á fortiori, Extremam-unctionem non debere conferri furiosis, et amentibus. Id autem sic insinuavit. " Dormientes, et Amentes, nisi priusquam incurrerent amentiam, aut dormirent, in contritione persisterent (quia in eis intelligitur contritionis propositum perdurare) si sic fuerint immersi, characterem non suscipiunt sacramenti, secus autem, si prius catechumini extitissent et habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. » Unde patet, quod furiosis, et amentibus, ut sic non est baptismus conferendus, nisi pro quanto propositum affluit, vel adest. Ex his reliquit Papa tamquam manifestum, quod multo minus furiosis, ut sic, non sunt danda sacramenta non tantae necessitatis, (ut baptismus) existentia: nisi devotionem ad illa habeant; id, quod in statu lucidi intervalli contingere potest, ut conclus. 2. innuit. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Innocentii, pro quanto Extremam-unctionem monstrat furiosis non esse dandam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Eugenio III. sacro approb. Concil. Florentin. in decreto Armenis dato, quod pueris non debet conferri hoc sacramentum. Insinuatum autem est hoc tunc, quando inungendas esse has partes, scilicet visum, auditum, renes, gustum, etc. statuendo dixit: *per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus: quicquid deliquisti per visum,* et similirer in aliis membris, intelligens auditum, odoratum, gustum, tactum, gressum, renes, ut in contextu ibi patet. Cum igitur pueris non conveniat peccare, ut plurimum, his partibus; et sacramentum conferri non debeat iis, de quibus forma non verificatur, sequitur quod Eugenius Papa per hujusmodi suum dictum innuerit, Extremam-unctionem non esse dandam pueris. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissum decretum Eugenii, pro quanto pueros negat esse inungendos, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum fuisse á Conciliis, quod totum corpus inungi non debet: hoc autem insinuatum est á Concil. Florent. in decreto illo toties dicto Armenorum, ubi quinto loco de sacramentis loquens numquam de toto inungendo, sed tantum de aliquibus partibus speciatim, facit mentionem: ut quisque videre potest, et in art. sequ. app. dicitur ad litteram. Item á Concil. Trid. sess. 14. de Extr.-unct. can. 3. " Si quis dixerit: Extremæunctionis ritum, et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Jacobi, ideoque eum mutandum; posseque á Christianis absque peccato contemni; anathema sit. » Quæ etiam praedixerat sine anathem. cap. 3. addens. " Haec omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana aliarum omnium mater, et magistra aliud in hac administranda unctione quantum ad ea, quae hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacob. praescripsit. » Modo quis nesciat, Ecclesiam Romanam non inungere totum corpus? *Secundo* habes: quomo per rationem praedicta Patrum, pro quanto negant totum corpus inungi debere, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Concil. Florentino, quod convenienter partes prædictæ inungendae sunt. Insinuatum vero est hoc ab illo Decr. Armenis dato quinto loco de sacramentis, sic: " Infirmus in his locis ungendus est: in oculis oportet visum, in auribus propter auditum, in naribus propter adoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in ma-

nibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Florent. " Modo sciunt Catholici omnes, quod Ecclesia in sacramentis dandis errare non potest. Et nota, quia Concil. Florent. non determinat, an sit de tanta necessitate unctio pedum et renum, sicuti est unctio aliarum partium ideo videtur in hoc remittere nos determinationi S. Thomae. Nam ex eo, quod in omnibus aliis doctrina ejusdem secutum est non tantum in verbis, sed etiam quandoque in ordine verborum (ut illud legenti, patet, maxime de sacramentis) non mirum est: si videatur in hoc remittere nos, etc. supra. Quicquid tamen sit de hoc, et de varia servatione quarumdam ecclesiarum tempore D. Thom. inungendae sunt singulae partes illae á Conc. Flor. nominatae, et á S. Th. de mente propria in 1. concl. praedictae. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, prout jacent et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse á Papa Bonifacio VIII. insinuatum, quod mutilatis potest unctio extrema dari. Insinuatum autem, est hoc, quando de reg. jur. in 6. reg. 66. dixit: " Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet, perinde ac si impleta fuisset. » Quasi ad propositum praesentis quaesiti dicat. Cum non estat per inungendum (puta quia mutilatus est) quo minus in locis debitis oleo sacro inungantur tunc; si circum illa eo modo, quo potestest fieri, inunctus fuerit, haberi debet pro sufficienter ad susceptionem hujus sacramenti inuncto. Nemo enim potest ad impossibile obligari, ut dicitur ibi in reg. 6. et multo minus Deus praecepit impossibilia, contra Lutherum (vide 2. Part. q. 6. a. 5. app.) et juxta versus antiquorum recitatos á gloss. sup. regulam illam: " ultra posse meum non lex me justa coegit. Nec putat esse reum, qui totum posse peregit. » De impossibilitate divinorum mandatorum cem anathematizatione contrarii vide Conc. Trident. sess. 6. c. 11. et can. 18. et 1. Joan. 5. et Rom. 1. Item á simili, insinuatum esse hoc merito (supra q. 9. a. 3. maxime in app.) ostendere per rationem potes, ubi dicitur, quod quis potest per scriptum; vel interpretem, in casu necessitatis confiteri. In casu ergo, quo in locis debitis propter mutilationem non potest fieri unctio, poterit adhiberi circa loca propinqua, et satisfactum erit. Vide ibi q. 9. indeque tibi pro praesenti articulo deservias. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Bonifacii, in quantum mutilatis unctionis extremae sacramentum insinuant dari posse, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA TERTIA,

DE ITERATIONE HUJUS SACRAMENTI IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de iteratione hujus sacramenti.

Circa quod quæruntur duo.

Primo, utrum hoc sacramentum debeat iterari.

Secundo, utrum in eadem infirmitate debeat iterari.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta Extremæ-unctionis debeat iterari.

Pro negativa. — Videtur quod hoc sacramentum non debeat iterari.

1. Unctio altaris non debet iterari, nisi altare illud sit fractum. Ergo nec unctio Extrema quæ adhibetur homini, debet iterari.

Conseq. prob., quia dignior est unctio quæ sit homini, quam quæ sit lapidi.

2. Post extremum nihil est. Sed hæc unctio dicitur extrema. Ergo hæc unctio non debet iterari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Curatio corporalis iteratur. Sed hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio, per modum corporalis curationis exhibita. Ergo et hoc sacramentum iterari potest.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum Extremæ-unctionis sine aliqua sui injuria potest iterari.

Prob. Sacramentum quod non habet effectum perpetuum, potest sine sui injuria reiterari. Sed sacramentum Extremæ-unctionis non habet effectum perpetuum. Ergo potest sine sui injuria reiterari.

Maior ostenditur, quia nullum sacramentale aut sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari; quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, et sic fieret injuria illi sacramento.

Minor prob. Quia sanitas corporis et mentis, quæ est effectus hujus sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi unctio quæ fit homini, sit dignior quam unctio lapidis; quia tamen unctio lapidis fit ad ipsius altaris consecrationem, quæ est perpetuo in lapide quamdiu altare manet, ideo non potest iterari. Sed hæc unctio non fit ad consecrationem hominis, cum per eam non imprimatur character: et ideo potest iterari.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod post extremum simpliciter, nihil est: tamen post extremum secundum æstimationem hominum, potest aliquid esse. Tunc ad minorem dicitur, quod hoc sacramentum dicitur Extrema-unctio, quia non debet dari nisi illis quorum mors est propinqua, secundum hominum æstimationem, quæ tamen secundum rei veritatem propinqua tunc non est. Et ideo, si convalescat quis post receptam Extremamunctionem, si postea infirmetur tali infirmitate, quod de vitæ periculo dubitetur, potest iterum hoc sacramento inungi, et toties quoties ad mortem infirmetur.

ARTICULUS II.

Utrum in eadem infirmitate debeat sacramentum Extremæ-unctionis iterari.

Pro negativa. = Videtur quod in eadem infirmitate non debeat iterari.

1. Una medicina non debet in eodem morbo iterari. Sed hoc sacramentum est quædam spiritualis medicina, ut dictum est. Ergo contra unum morbum non debet iterari.

Maior prob., quia uni morbo non debetur nisi una medicina.

2. Quia si hoc sacramentum posset in eadem infirmitate iterari, posset aliquis infirmus tota die inungi: quod est absurdum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quandoque morbus diu durat post sacramenti perceptionem, et sic reliquiæ peccatorum iterum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur. Ergo tunc debet hoc sacramentum iterari.

Determinatio.

Conclusio. In eadem infirmitate, secundum diversum infirmitatis statum. potest Extrema-unctio iterari.

Manifestatur: hoc enim sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti propinquare. Infirmitates autem sunt in duplici differentia: quædam non sunt diuturnæ; unde quando in eis datur hoc sacramentum, si homo ad statum illum perveniat, quod sit in periculo mortis,

non recedit á statu illo nisi infirmitate curata, et ita non debet iterum inungi, sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, et tunc poterit iterum inungi: quædam vero sunt infirmitates diuturnæ, ut hectica, hydropisis, et hujusmodi: et in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis. Et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi; quia jam est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter; potest igitur eadem infirmitate durante, secundum diversum statum, iterari Extrema-unctio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod una medicina non debet iterari in eadem infirmitate, secundum eumdem infirmitatis statum: secus autem est, si status infirmitatis varietur.

Ad 2. Negatur consequentia. Si enim infirmitas statum non mutet, non iteratur unctio; et hæc de sacramento Extremæ-unctionis dicta sint.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 123.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, interimas errorem Græcorum, supra qu. 30. art. 2. dicentium, unctionis extremæ sacramentum non prodesse infirmis ad salutem corporis. Non enim, ut patet, moveretur iste articulus á D. Thoma, et sic determinaretur, nisi præsupponeretur manifeste, quod unctio extrema prima vice collata fuit ad salutem corporis. Quo contra secundum errorem dictum Græcorum præsens articulus non movendus fuisset, vel saltem non sic determinandus. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tamquam in radice, ostendas, errorem hunc merito damnatum fuisse á, etc. ut supra quæst. 30. art. 12. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum á Conc. Florent. in Decreto Armenis dato, de sacramentis, in principio. *Reliquo vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.* Ubi per ly quatuor intelligit, ut contextus edocet, Extremam-unctionem, confessionem, Eucharistiam, matrimonium. Item á Concilio Trid. sess. 14. de Extrema-unctione, ca. 3. "Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari potuerunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, rejicias propositionem suspectam, seu scandalosam Erasmi, supra qu. 30. art. 2. dicentis: quod hodie oleo sacro unguntur laborantes, non ut convalescant, sed ut tutius migrent. Ex eo enim, quod præsens articulus sic inquirit de unctione infirmorum, dat intelligere omnibus, quod infirmi et post unctionem sæpe convalescunt, et, ut convalescant, unguntur: immo hoc ipsum præsupponit, ut patet consideranti; et consequenter militat radicaliter contra erasmum. *Secundo* habes: quomodo per rationem radicaliter ostendas, hanc merito damnari á, etc. ut qu. 30. art. 2. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum, et consequenter illum Erasmi errorem condemnatum á Concilio Trid. sess. 14. de Extrema-unct. ca. 3. "quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, hujus sacramenti subsidio iterum juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint." Ubi nota ly si convaluerint, et ly cum in aliud simile inciderint. Pro tanto enim adducitur nunc Concilium, non pro quanto statuit unctionem reiterandam simpliciter sic

namque adductum est supra) sed pro quanto reiterandam ipsam in eadem infirmitate dicit, et quomodo. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro sensu quem diximus et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA QUARTA,

DE SACRAMENTO ORDINIS QUOAD EJUS ESSENTIAM, ET EJUS PARTES, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Post hæc considerandum est de sacramento ordinis. Et primo de ordine in communi. Secundo de distinctione ordinum. Tertio de conferentibus ordinem. Quarto de impedimentis ordinandorum. Quinto de his quæ sunt ordinibus annexa.

De ipso autem ordine in communi tria videnda sunt. Primò de ejus entitate, et quidditate, et partibus ejus. Secundo de ejus effectu. Tertio de suscipientibus ipsum.

Circa primum quæruntur quinque.

Primo, utrum ordo in Ecclesia esse debeat.

Secundo, utrum convenienter definiatur.

Tertio, utrum sit sacramentum.

Quarto, utrum ejus forma convenienter exprimatur.

Quinto, utrum hoc sacramentum habeat materiam.

ARTICULUS I.

Utrum ordo in Ecclesia esse debeat.

Pro negativa=Videtur quod ordo in Ecclesia esse non debeat.

1. Illud quod requirit prælationem et subjectionem non debet esse in Ecclesia. Sed ordo requirit subjectionem et prælationem. Ergo ordo non debet esse in Ecclesia.

Maior prob., quia subjectio videtur repugnare libertati in quam vocati sumus per Christum.

2. In Ecclesia quilibet debet se alio inferiorem reputare, juxta illud ad Philipp. 2. *Superiores invicem arbitrantes.* Ergo in Ecclesia non debet esse ordo.

Conseq. prob., quia ille qui in ordine constituitur, alio superior fit.

3. In Angelis invenitur ordo propter distinctionem eorum in bonis naturalibus et gratuitis: homines autem omnes sunt in natura unum: gratiarum autem dona quis eminentius habeat, est ignotum. Ergo inter homines qui in Ecclesia sunt, ordo esse non debet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *Quæ sunt á Deo, ordinata sunt,* ut dicitur ad Rom. 13. Sed Ecclesia est á Deo qui eam ædificavit. Ergo ordo in Ecclesia esse debet.

2. In statu naturæ et in statu gloriæ invenitur ordo quo quædam aliis sunt superiora. Ergo et in Ecclesia debet esse ordo.

Conseq. prob., quia status Ecclesiæ est medius inter statum nature et statum gloriæ.

Determinatio.

Conclusio. Ordo debet esse in Ecclesia.

Prob. Illud per quod repræsentatur Deus, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod in alia influit, debet esse in Ecclesia. Sed per ordinem repræsentatur Deus non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod in alia influit. Ergo ordo debet esse in Ecclesia.

Maior manifestatur, quia Deus voluit producere opera sua in sui similitudinem, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et ut per ea ipse Deus posset cognosci. Habet autem Deus et quod sit

in se, et quod in alia influat. Ecclesia autem est inter præcipua opera Dei, et ideo ne Ecclesiæ deesset ista magna perfectio repræsentandi Deum, et secundum quod in se est, et secundum quod in alia influit, debuit in ea esse id per quod Deus utroque modo repræsentatur.

Minor ostenditur: nam ordo quem Deus creaturis indidit, consistit in hoc quod una creatura per aliam ad ultimam perfectionem reducatur: imposuit enim Deus omnibus rebus hanc naturalem legem, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per primá, ut Dionysius dicit cap. 5. Eccles. hierarchiæ: unde per hujusmodi ordinem assimilantur creaturæ Deo secundum quod est in se, et secundum quod in alia influit, quatenus creaturæ non solum sunt in seipsis, sed etiam in alia influunt. Dum igitur in Ecclesia ponitur ordo, ut quidam de Ecclesia aliis traderent sacramenta (Deo in hoc cooperante, sicut in corpore naturali membra quædam aliis influunt) repræsentatur Deus in Ecclesia quam ipse ædificavit, et secundum quod est in seipso, et secundum quod in alia influit. Et sic patet minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod subjectio est duplex. Quædam est quæ ordinatur ad bonum ejus cui aliquis subjicitur, et hæc est subjectio servitutis qua servus ad utilitatem domini ordinatur. Alia est subjectio quæ ordinatur ad bonum ejus qui alicui subjicitur, et talis subjectio non repugnat libertati in quam vocati sumus per Christum. Ad formam igitur dicitur quod maior est vera de subjectione servitutis, non autem de subjectione quæ ordinatur ad bonum ejus qui subjicitur. Tunc ad minorem dicitur quod ordo non requirit primam subjectionem; quæ est servitutis, sed eam quæ ordinatur ad utilitatem eorum qui subjiciuntur.

Ad 2. Negatur consequentia: quilibet enim in Ecclesia debet se existimare inferiorem merito, non officio: ordines autem officia quædam sunt.

Ad 3. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio in proposito de Angelis et de hominibus, ut etiam dictum est 1. parte qu. 108. art. 4 ad 3. Nam distinctio ordinum in Angelis est ex naturalibus et gratuitis, ut ibi dictum est; quia Angelis data fuerunt gratuita secundum capacitatem naturalium, non autem homini. Distinctio igitur ordinum in Ecclesia non attenditur secundum naturam, nec secundum gratiam gratum facientem, sed per distinctionem potestatis dispensandi sacramenta, quæ per diversos ordines confertur.

ARTICULUS II.

Utrum ordo convenienter definiatur.

Pro negativa. == Videtur quod inconvenienter definiatur ordo, cum dicitur: *ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.*

1. Pars inconvenienter ponitur tamquam genus in definitione totius. Sed signaculum est pars sacramenti ordinis. Ergo signaculum inconvenienter ponitur tamquam genus in definitione ordinis.

Minor prob. Nam per signaculum exponitur character, ut patet per Magistrum in 4. dist. 24. Character autem est pars sacramenti, quia condividitur aliis duabus partibus sacramenti, est enim character res et sacramentum distinctum contra id quod est res tantum, et id quod est sacramentum tantum.

3. In definitione baptismi non ponitur character. Ergo nec in definitione ordinis debet poni.

Conseq. prob., quia sicut in ordine, ita in baptismo character imprimitur.

2. Definitio quæ convenit alteri á definito, non est conveniens. Sed hæc definitio convenit alteri á definito. Ergo hæc definitio non est conveniens.

Minor prob. Nam hæc definitio convenit baptismo, in quo datur quædam spiritualis potestas accedendi ad sacra-

menta; et iterum est quoddam signaculum, cum sit sacramentum.

4. In inferioribus est ordo, sicut et in superioribus; et tamen inferioribus non est potestas præeminentiæ, de qua est præsens sermo. Ergo ordo non est per quem traditur potestas.

Antec. prob., quia ordo est ralatio quædam inter duo extrema, quæ extrema sunt superior et inferior. Et quia relatio in utroque extremorum salvatur, ideo ordo est in superioribus et etiam in inferioribus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est auctoritas Magistri in 4. dist. 24.

Determinatio.

Conclusio. Ordo, secundum quod est Ecclesiæ sacramentum, convenienter definitur per hoc quod dicitur: ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.

Prob. Definitio continens ea quæ conveniunt sacramento ordinis, est conveniens ordinis definitio. Sed suprædicta definitio continet ea quæ ordini conveniunt. Ergo hec est conveniens ordinis definitio.

Minor ostenditur: nam ordo est quoddam exterius signum, et habet interiorem effectum. Primum signatur, cum dicitur quod ordo est quoddam signaculum Ecclesiæ: interior vero effectus manifestatur cum dicitur quod spiritualis potestas traditur ordinato.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter, primo negando minorem. Ad probationem dicitur, quod signaculum non ponitur hic pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum exterioris potestatis, scilicet pro hoc quod ordinans porrigit calicem vel librum, et pro eo quod ille qui ordinatur, tangit ea quæ porriguntur sibi ad ordinante: et hujusmodi signaculum non est pars sacramenti, sed causa collatæ et acceptæ potestatis. Dicitur secundo, negando etiam minorem, loquendo de charactere, secundum quod est signum interius. Ad probationem dicitur, quod quando dividitur sacramentum per illa tria, non dividitur per illa quasi per partes integrales, proprie loquendo; quia illud quod est res tantum, non est de essentia sacramenti quod est sacramentum tantum, sed illud exterius quod geritur, transit, et sacramentum et res manere dicitur. Unde relinquitur quod interior character, quod est sacramentum et res, sit essentialiter sacramentum ordinis: et propterea convenienter ordo per signaculum definitur.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis in baptismo conferatur aliqua spiritualis potentia recipiendi alia sacramenta, ratione cujus spiritualis potentiæ characterem imprimit, non tamen collatio hujus potentiæ est spiritualis effectus ejus, sed effectus proprius baptismi est interior ablutio, propter quam baptismus fieret, etiam priori causa non existente. Ordo autem principaliter importat potestatem; et ideo character, qui est spiritualis potestas, in definitione ordinis ponitur, et non in definitione baptismi.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod in baptismo datur quædam potentia spiritualis ad recipiendum, et ita est quodammodo passiva. Potestas autem propriæ nominat potentiam activam, cum aliqua præeminentia; quæ potestas in baptismo non datur, sed in ordine tantum.

Ad 4. Negatur prior pars antec. Non enim est eodem modo ordo in inferioribus, quo est in superioribus. Ad prob. dicitur, quod nomen ordinis dupliciter accipitur: uno modo, ut significat relationem: alio modo, ut significat gradum ordo, prout significat relationem, est tam in inferiori quam in superiori, ut objectio inducta dicit: ordo vero, ut sumitur pro gradu eminenti, est tantum in superiori qui habet aliquam eminentem potestatem.

ARTICULUS III.

Utrum ordo sit sacramentum.

Pro negativa. = Videtur quod ordo non sit sacramentum.

1. *Sacramentum est materiale elementum*, ut dicit Hugo de sancto Victore libro 1. de Sacr. p. 9. cap. 1. Sed ordo non nominat materiale elementum. Ergo non est sacramentum.

Minor prob., quia ordo nominat relationem vel potestatem.

2. Illud quod est in Ecclesia triumphante non est sacramentum. Sed ordo est in Ecclesia triumphante. Ergo ordo non est sacramentum.

Maior prob., quia in Ecclesia triumphante non est aliquod sacramentum.

3. Dignitas Regia non est sacramentum. Ergo nec ordo est sacramentum.

Conseq. prob., quia sicut prælatio spiritualis, quæ est ordo, datur cum quadam consecratione; ita et prælatio secularis, quia et Reges inunguntur, ut dictum est q. 109. art. 3. ad 2.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contrà.

1. Ordo enumeratur ab ominibus inter septem Ecclesiæ sacramenta.

2. Illud per quod homo fit dispensator sacramentorum, est sacramentum. Sed per ordinem homo fit dispensator aliorum sacramentorum. Ergo ordo est magis sacramentum, quam alia.

Maior prob., quia propter quod unumquodque tale et illud magis.

Determinatio.

Conclusio. Ordo est sacramentum.

Prob. Illud quod exhibetur homini cum quadam consecratione per visibilia signa, est sacramentum. Sed ordo confertur homini cum quadam consecratione per visibilia signa. Ergo ordo est sacramentum.

Maior prob., quia sacramentum nihil aliud est quam quædam sanctificatio homini exhibita, cum aliquo signo visibili.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis ordo in suo nomine non exprimat aliquod materiale elementum, tamen ordo non confertur sine aliquo materiali elemento, ut ostiariatus cum clavibus, lectoratus cum libro, et sic de aliis.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ordo qui est in Ecclesia triumphante, est alterius rationis ab ordine qui est in Ecclesia militante: potestates enim quæ per ordinem dantur, debent proportionari illis quibus dantur. Communicatio autem divinorum, ad quam datur spiritualis potestas, non fit in Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit, et ideo spiritualis potestas, quæ est ordo, non adhibetur Angelis per aliqua visibilia signa, sicut hominibus; et ideo in hominibus est sacramentum, non autem in Angelis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non omnis benedictio quæ hominibus adhibetur, vel consecratio, est sacramentum; quia et Monachi et Abbates benedicuntur, et tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta. Et similiter, nec Regalis inunctio est sacramentum, quia per hujusmodi benedictionem non ordinantur illi qui benedicuntur vel inunguntur, ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictiones ordinis.

ARTICULUS IV.

Utrum forma hujus sacramenti convenienter exprimatur.

Pro negativa.=Videtur, quod forma sacramenti ordinis, qua dicitur, accipite et agite hoc vel illud, non sit conveniens.

1. Efficacia sacramentorum, quam ex forma habent, est ex virtute divinitatis, quæ in eis secretius operatur salutem. Ergo in forma hujus sacramenti deberet fieri mentio de virtute divina per invocationem Trinitatis, sicut fit in aliis sacramentis.

2. Apud eum qui sacramenta dispen-

sat, non residet auctoritas quæ per imperium designatur, sed ministerium tantum. Ergo Episcopus, qui ordinis sacramentum dispensat, non debet uti imperativo modo, dicendo, *agite vel accipite* hoc vel illud, puta claves, urceolos, librum, etc.

3. In forma sacramenti non debet fieri mentio nisi de illis quæ sunt de essentia sacramenti. Sed usus acceptæ potestatis non est de essentia sacramenti, sed consequitur ad ipsum. Ergo non deberet fieri mentio de eo in forma hujus sacramenti, dicendo, sic agite, vel esto verbi Dei relator, et sic de aliis.

4. In formis aliorum sacramentorum non fit mentio de remuneratione æterna, ad quam tamen omnia sacramenta ordinant. Ergo nec in forma hujus sacramenti deberet fieri mentio de remuneratione, cujus tamen contrarium fit, cum dicitur, *habiturus partem, si fideliter impleveris officium*, cum his qui bene verbum Dei ministraverunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est auctoritas Magistri in dist. 24. lib. 4. Sent.

Determinatio.

Conclusio. Forma sacramenti ordinis, qua dicitur, accipite et agite hoc vel illud, vel accipite potestatem faciendi hoc vel illud, est conveniens.

Prob. In forma cujuslibet ordinis exprimitur traductio potestatis quæ recipitur ab eo á quo recipitur et usus potestatis receptæ. Ergo forma cujuslibet ordinis est conveniens.

Antec. prob. Nam in hoc quod actus ordinis sive potestatis quæ recipitur, imperatur, exprimitur traductio potestatis receptæ, ex potestate ejus qui ordinem confert; et ex actu qui imperatur, exprimitur usus potestatis acceptæ: puta in forma ordinis lectoratus dicitur: accipe, et in hoc denotatur traductio potestatis ex potestate. Et dum subditur, esto verbi Dei relator, exprimitur usus potestatis acceptæ.

Conseq. prob., quia hoc sacramentum consistit in potestate tradita. Potestas autem á potestate traducitur, sicut simile ex simili: et iterum, potestas per usum innotescit, quia potentiæ notificantur per actus. Forma igitur sacramenti ordinis debet hæc duo exprimere, scilicet traductionem potestatis et potestatis usum. Ex hoc igitur quod forma sacramenti ordinis hæc duo exprimit evidenter sequitur quod sit conveniens.

Aliter formatur hæc ratio. Forma sacramenti, quod principaliter consistit in potestate tradita, in qua exprimitur traductio potestatis et usus potestatis traductæ, est conveniens. Sed in prædicta forma sacramenti ordinis, quod consistit principaliter in potestate tradita, exprimitur traductio potestatis et usus ejus. Ergo prædicta forma est conveniens.

Præmissæ patent ex immediate supradictis: maior enim patet ex probatione consequentiæ; et minor ex probatione antecedentis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod efficacia quam habent sacramenta ex secreta operatione virtutis divinæ, consistit in hoc quod conferant gratiam et imprimant characterem, si sint ex his quæ characterem imprimunt. Unde ex divina virtute secretius operante, habent omnia sacramenta quod gratiam conferant, et quod baptismus, confirmatio et ordo conferant gratiam et imprimant characterem. Hæc est autem differentia inter sacramentum ordinis et alia sacramenta, quod hæc ordinantur principaliter ad collationem gratiæ, et quædam etiam ad characterem. Ordo vero principaliter non ordinatur ad aliquid horum, sed ad communicandam potestatem, quæ ex eo qui ordinem confert, in eum qui ordinem suscipit, derivatur, quasi per univocam

communicationem. Et quia effectus ad quos ordinantur alia sacramenta, non assimilantur potestati ejus qui sacramenta confert, sed divinæ virtuti; ideo in forma aliorum sacramentorum non fit mentio de potestate dantis sacramentum, sed de aliquo pertinente ad divinam virtutem, ut patet in formis aliorum sacramentorum: gratia enim ad quam baptismus vel pœnitentia ordinatur, non assimilatur potestati dantis hæc sacramenta, qui potest illa dare, etiamsi careat gratia, sed divinæ virtuti operanti in his sacramentis. Ideo in eorum formis de divina virtute fit mentio, dum dicitur: ego te baptizo in nomine Patris, etc. Potestas autem ad quam sacramentum ordinis ordinatur, est similis autoritati dantis ordinem, et ab ea derivatur tamquam univocum ex univoco, et sicut ignis ex igne: ideo in forma ordinis sufficit exprimere traductionem potestatis et usum ejus. Ad formam igitur negatur antecedens; etsi enim verum sit de aliis sacramentis, non est tamen verum de sacramento ordinis, respectu ejus ad quod principaliter ordinatur, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quamvis in ministro hujus sacramenti qui est Episcopus, non sit auctoritas respectu collationis sacramenti, scilicet gratiæ et characteris, quæ sunt res sacramenti: est tamen in eo auctoritas respectu potestatis ordinis, quæ confertur per ipsum, in quantum á sua potestate derivatur: et sic antecedens in proposito non est verum. Et ad probationem quæ innitur, dicitur quod Episcopus habet ministerium respectu sacramenti: tamen est causa potestatis, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod usus potestatis potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est effectus potestatis in genere causæ efficientis: et sic non pertinet ad essentiam sacramenti ordinis, nec habet ut possit poni in ejus definitione: alio modo, ut est quodammodo finis: et sic habet rationem causæ finalis, et habet ut in definitione ordinis ponatur.

Ad 4. Negatur consequentia. Nam merces debetur ei qui operatur: et cum alia sacramenta non ordinentur ad aliquod spirituale agendum, sed solum ad aliquid recipiendum, et ordo ordinetur ad aliquid agendum; ideo potius in forma sacramenti ordinis, quam in formis aliorum sacramentorum: mentio fit de mercede, quæ est finis operis.

ARTICULUS V.

Utrum sacramentum ordinis habeat materiam.

Pro negativa. = Videtur quod sacramentum ordinis non habeat materiam.

1. In rebus materialibus quæ in hoc sacramento adhibentur, ut sunt claves, candelabra, et hujusmodi, non videtur esse aliqua virtus sanctificandi. Ergo sacramentum ordinis non habet aliquam materiam.

Conseq. prob. quia in omni sacramento quod habet materiam, virtus operans in sacramento est in materia, sicut virtus operans in baptismo, est in aqua, et sic de aliis.

2. Materia in aliis sacramentis est præsanctificata, ut patet in confirmatione in qua, sicut in ordine, confertur gratiæ plenitudo. Sed ea quæ adhibentur in hoc sacramento ut materialia, ut claves et candelabra, non sunt præsanctificata. Ergo hoc sacramentum non habet materiam.

3. In quolibet sacramento habente materiam requiritur contactus materiæ ad eum qui suscipit sacramentum. Sed in sacramento ordinis non requiritur contactus eorum quæ ut materialia adhibentur, ut á quibusdam dicitur. Ergo prædictæ res non sunt materia hujus sacramenti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumenta sed contra

1. Sacramentum ordinis consistit in

rebus et verbis, sicut et omnia alia sacramenta. Ergo sacramentum ordinis habet materiam, quæ sunt res quæ in hoc sacramento adhibentur.

Conseq. prob., quia res in quolibet sacramento sunt materia ipsius sacramenti; sicut verba sunt forma.

2. Baptismus in quo datur potestas tantum ad suscipiendum sacramenta, habet materiam. Ergo et ordo, in quo datur potestas dispensandi sacramenta, habet materiam.

Conseq. prob., quia plus requiritur ad dispensandum sacramenta, quam ad suscipiendum.

Determinatio.

Conclusio. Sacramentum ordinis materiam habet, diversimode tamen ei materiam habere competit, quam aliis sacramentis quæ materiam habent.

Probatur. Et primo quantum ad primam partem, scilicet quod habeat materiam. Effectus sacramenti ordinis, scilicet character, non percipitur ex aliqua operatione illius qui ad sacramentum accedit, sicut est in sacramento pœnitentiæ, cujus effectus qui est gratia, percipitur per actus pœnitentis, qui sunt loco materiæ, sed omnino ab extrinseco advenit. Ergo sacramento ordinis convenit materiam habere.

Conseq. prob., quia materia in sacramentis exterius exhibita significat virtutem in sacramentis agentem ab extrinseco omnino advenire, sicut ipsa materia est extrinseca ab eo cui confertur sacramentum.

Aliter formatur hæc ratio ad primam partem conclusionis. Sacramento cujus effectus non percipitur ex aliqua operatione ejus qui sacramentum suscipit, competit habere materiam exterius adhibitam. Sed effectus sacramenti ordinis, scilicet character, non percipitur ex aliqua operatione ejus qui ordinatur, sed omnino ab extrinseco advenit. Ergo sacramento ordinis competit materiam exterius adhibitam habere.

Maior probatur, ex differentia quæ est inter sacramentum cujus effectus est omnino ab extrinseco, et sacramentum cujus effectus est ex aliqua operatione suscipientis sacramentum: quia enim effectus baptismi non est ex aliqua operatione baptizati, sed omnino ab extrinseco; ideo in baptismo adhibetur materia extrinseca ab eo qui baptizatur: quia vero in sacramento pœnitentiæ effectus est etiam aliquo modo ex operatione pœnitentis, ideo in sacramento pœnitentiæ non adhibetur aliqua materia extrinsecus exhibita; sed ipsi actus pœnitentis sunt loco materiæ.

Minor autem est ex se manifesta: non enim ille qui ordinatur, facit aliquam operationem ex qua sequatur potestas, quæ est effectus ad quem principaliter hoc sacramentum ordinatur.

Altera conclusionis pars ostenditur, quia hoc quod confertur in aliis sacramentis, derivatur tantum á Deo, non á ministro qui sacramentum dispensat. Sed illud quod in sacramento ordinis traditur scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta á perfecta, et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia quæ virtutem divinam significat et continet, ex sanctificatione per ministrum adhibita. Efficacia autem sacramenti ordinis principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat: materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem quæ traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam: quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis, et sic patet quod diversimode invenitur materia in sacramento ordinis, et in aliis sacramentis quibus competit materiam extrinsecus exhibitam habere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod vera est in aliis sacramentis in quibus virtus est á solo

Deo, et omnino ab extrinseco, non autem in sacramento ordinis in quo potestas est etiam á ministrante et conferente ordinem, ut in probatione secundæ partis conclusionis dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in aliis sacramentis oportet materiam sanctificari, propter virtutem quam continet: quod non oportet in sacramento ordinis, cujus materia non continet aliquam virtutem, quia tota virtus residet in ordinante; materia autem adhibetur tantum ad determinandam virtutem ejus qui ordinem confert.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negatur minor: necessarius est enim in hoc sacramento contactus materiæ, quod ipsa verba formæ videntur ostendere: dicitur enim, accipe hoc vel illud: quæ verba videntur ostendere quod ille qui ordinatur, debeat accipere illud quod sibi in ordinatione traditur, ac per hoc quod contactus materiæ sit de essentia sacramenti. Vel dicitur secundo, sustinendo id quòd aliqui dicunt, quod contactus materiæ in sacramento ordinis non sit de essentia sacramenti. Et tunc dicitur ad maiorem, quod illa est vera in sacramentis quorum materia continet virtutem, ut aqua in baptismo; et oleum in confirmatione et in Extrema – unctione; non autem est vera de materia in qua non est virtus sacramenti, ut est materia sacramenti ordinis, quæ non adhibetur nisi ad determinandam virtutem ejus qui ordinem confert, ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 124.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem *Pseudoapostolorum*, ut refert Card. Turrec. de Ecclesia l. 4. part. 2. c. 37. dicentium, omnes ordines religiosorum, sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, et prælatorum, sunt ad fidei Ecclesiæ detrimentum. Ex artic. enim præsenti probatur multipliciter, quod ordo ecclesticus, qualis est omnis prædictus, est ad magnum decorem, perfectionemque Ecclesiae: et consequenter illum errorem satis, superque expugnat. Nam error ille pro tanto hic adducitur, pro quanto negat, ordinem debere esse, vel convenienter esse, in Ecclesia. Hunc enim inconvenienter, immo et inconvenientissime in Ecclesia esse dicit, per hoc, quod affirmat, ordines tales esse ad fidei Ecclesiae detrimentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari ab Apostolo 2. Tim. 3. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* etc. Ubi per totum capitulum vides, approbari ordinem in Ecclesia, et etiam declarari, quid nomine ordinis importetur. Unde quoad 1. dicit ly *Diaconos simiter pudicos,* etc. quoad 2. inquit ly *gradum bonum*, etc. Item ab eodem Apostolo c. 1. ad Titum. « Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros sicut et ego disposui tibi. » Ecce, quod Apostolus vult, ordinem esse in Ecclesia, et propagari. Item ab eodem 1. Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Ex quo Apostoli dicto infer, ut supra. Item á multis pontificibus, et Conciliis, de quibus vide in Decr. d. 21. usque ad d. 49. Inde enim saepissime colliges ordinem dari, et approbari, in Ecclesia. Item á Clemente I. Papa, et martire in epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini. " Quoniam, sicut á B. Petro Apostolo accepimus, omnium Apostolorum patre, qui claves regni cœlestis accepit, qualiter tenere debemus de sacramentis, quae geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere. Tribus enim gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbytero, diacono, et ministro, idest hypodiacono, etc. » Lege epistolam totam cum tertia sequenti, et divinum esse munus

conspicies, ordinem esse in Ecclesia, Item á Papa Anacleto, qui fuit graecus, et tertius, vel quartus Papa post Petrum, in epistola prima. "Omnis Ecclesiae status navi magnae similis est, per undosum pelagus diversis et locis, et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis auctor hujus dominus ipse omnipotens Deus: gubernator vero sit Christus, tum deinde Proretæ officium Episcopus impleat, Presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locum tencant,» etc. Ubi approbatum ordinem esse, et consequenter damnatum errorem prædictum, patet, sub ista pulcherrima similitudine navis, quam similitudinem et prædixerat B. Petrus Apostolus, ut ait Papa *Clemens* supradictus in epistola prima ad B. Jacobum. Si vis, lege totam illam similitudinem, quia pulcherrima est, et ad multa valet. Item ab eodem Anacleto in epist. secunda de ordinatione Episcoporum, et omnium clericorum. "In novo testamento post Christum Dominum á Petro sacerdotalis ordo cœpit: quia ipsi Petro Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum. Tu es Petrus, et super hanc Petram, etc. Porro, quod Episcopus, non ab uno, sed á cunctis, consensu, aut praesentia comprovincialium est ordinandus et nullatenus minus, quam á tribus, ceteris consentientibus cunctis, idcirco instituente domino fieri jubetur, ne aliquid contra fidem Ecclesiae unius tyrannica auctoritas moliretur, et regula, vel fides confunderetur credentium. Nota ly instituente domino, et ly ne contra fidem, et ly regula, vel fides.» Per haec enim ad litteram monstrat contra errorem praedictum, quod ordo in Ecclesia datur pro tutela fidei, tantum abest, ut sit in detrimentum ejus. Item á Concil. Trid. sess. 23. ca. 17. de refor. Ut Sanctorum ordinum á diaconatu ad ostiariatum functiones, ab'Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, in usum juxta sacros canones revocentur, sancta synodus decernit.» In qua sessione etiam per omnes canones de sacramento ordinis promulgatos potes damnatos videre Pseudoapostolos praedictos. Item ab eodem ibi cap. 1. "Sacrificium, et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt: ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo testamento sanctae Eucharistiae sacrificium visibile ex domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et externum sacerdotium, in quod vetus traslatum est. *De hac translatione habes in* ad Haeb. 7. et in epist. 2. Anacleti Papae, Decr. 2. Item á Concil. Senonensi, in Decretis fidei, Decr. 20. cap. de sacram. ordin. Porro sacramentum ordinis, etc. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Denique, si omnia essent unum membrum, nec esset aliquis, qui non sit sacerdotali ordine insignitus, ubi corpus? Aut quid denique confusius, quid perturbatius esse queat? Quosdam itaque Christus sacerdotes instituit, quibus sui corporis potestatem commisit. Veri quidem, dum, instituto sui corporis, et sanguinis sacramento, hoc facite, inquit, in meam commemorationem; mystici vero, dum, posteaquam in discipulos insufflaset. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, etc.» Item á Decr. distin. 93. c. juxta sanctorum, etc. A subdiacono, etc. Diaconi Ecclesiae, etc. Diaconi qui quasi. Vide tu ibi Papam Anacletum, et Zachariam, et Evaristum, et Clementem, et Sinodum sancti Sylvestri approbantes ordinem in Ecclesia. Vide et apostolicas constitutiones auctore Clemente Papa, et martyre, lib. 8. c. 24. 25. 27. 28. *Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta scripturarum, et sanctorum patrum, pro quanto ordinem statuunt debere esse in Ecclesia, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod omnes Christiani in eodem sunt ordinis gradu. Per hunc enim articulum patet á definitione ordinis, quod ordo est, in quo confertur potestas activa, et præeminens, et consequenter, quod existentes in ordine necessario præeminent. Cui (rogo) præeminent: si omnes de Ecclesia, hoc est omnes Christiani, sunt in eodem ordine? Diceret forsan Lutherus, quod præeminent infidelibus. Ceterum huic obstat propositum articuli, in quo concluditur, quod ordo est in Ecclesia, idest, inter eos, qui sunt de Ecclesia, alii aliis præeminent isto gradu. Quod, ut melius vi-

deas, lege sequentia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam merito damnari á Concilio Trident. sess. 14. cap. 6. Declarat sancta Synodus, falsas esse, et á veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt. » Ubi, quid intelligas per ly *quosvis homines*, declarat subsequenter dicens, ly *ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue*. Ecce quam aperte alios Christi fideles distinguit á sacerdotibus, et sacerdotes ab Episcopis: et per hoc, quam aperte damnet Lutherum. Item ab eodem session. 23. cap. 4. « Si quis, omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil, aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Et can. 6. Si quis dixerit: in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit. » Item á, etc. ut supra qu. 17. art. 3. app. et qu. 19. a. 3. 4. app. et qu. 20. a. 1. et qu. 31. art. 1. app. Item á. etc. ut supra q. 8. a. 1. 2. 4. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Apostolo, quod ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, sive exhibetur cum aliquo signo exteriori. Insinuatum autem est hoc, quando dixit 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositionem manuum presbyterii*. Ecce quod Apostolus docet, ordinem dari per aliquod signaculum Ecclesiæ, quod ipse vocat impositionem manuum presbyterii. Quod vero auctoritas hæc intelligenda sit dicta ad propositum ordinis patet ex eo, quod allegatur á Conc. Trid. sess. 14. de Extr.-unct. cap. 3. ad propositum ordinis Ecclesiasti sic: *sed aut Episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii*. Item ab eodem Apostolo insinuatur idem 2. Tim. 1. *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*. Quam Apostoli auctoritatem ad propositum ordinis debere intelligi, patet ex eo, quod allegatur á Conc. Trid. sess. 23. cap. 3., sic. Ordinem esse vere, et proprie unum ex septem sacramentis, etc. Inquit enim Apostolus: admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. » Item insinuatur idem ab eod. Apost. quando Timotheum hortando ad non ordinandum indignos, 1. Tim. 5. dicit, *manus cito nemini imposueris*. Hoc est, neminem absque ratione ordinaveris. Item á Conc. Trid. sess. 23. c. 3. *Per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis exterioribus perficitur*. Ecce ergo signaculum quoddam poni convenienter in definitione ordinis. Quod autem potestas spiritualis tradatur in ordine (quod erat prius definitionis) secundum Concilia, patebit qu. 35. ar. 2. app. ubi agetur de charactere, qui est spiritualis potestas. Et tunc ex hujus articuli ratione, tamquam per locum á definitione ordinis ostendere poteris, quod illa Concilia merito ponunt characterem imprimi in ordine. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto insinuant, ordinem esse gradum per signaculum exterius dantem spiritualem potestatem, et intelligas, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis: ordo sacer non est Ecclesiæ sacramentum. Item Waldensium, ut refert Guido, forsitan et Lutheri, dicentium: ordinis sacramentum nihil aliud esse, quam ritum quendam eligendi concionatorem in Ecclesia. Et, ordinis sacramentum quid sit, Ecclesiam ignorare. Et, ordinis sacramentum figmentum esse ex hominibus natum, nihil de Ecclesia, et de sacramento intelligentibus. Ut enim patet, contra hos omnes errores pugnat articulus præsens, ipsosque expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito prædictos errores damnari á Concilio Florent. in Decreto Eugenii IV. Armen. dato, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum, tam præsentium, quam futurorum, doctrina faciliori sub hac brevissima redigimus formula. Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet, Baptismus, Con-

firmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, et Matrimonium. » Quantæ autem laudis, honorisque, et libertatis pro veritate dicenda, ut interim sileam de infallibilitate decretorum ejus aliis Conciliis legitimis generalibus communi, Concilium illud Florentinum dignum sit: vide Cardinalem Bessarion Græcum, qui fuit præsens, supra qu. 17. art. 1. append. Item a Papa Leone X. dum in sua Bulla contra errores Lutheri damnat illum; vide supra qu. art. 1. append. addendo pro complemento majori qu. 24. art. 1. append. Item á Gregorio IX. dum universaliter condemnat totam phalangem Waldensium, seu pauperum de Lugduno, seu Inzabbatatorum, de qua damnatione habuisti supra. Item á Concilio Trident. session. 7. de sacramentis, can. 1. " Si quis dixerit: sacramenta novæ legis esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, et Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie saramentum: anathema sit. Item sessio. 23. can. 3. Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, et proprie sacramentum á Christo institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum á viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et sacramentorum: anathema sit. Item á, et cæter. ut sup. quæst. 19. art. 3. append. ubi diffuse tractatur canonice de Romana Ecclesia, et ejus fide. Item a, etc. ut qu. 17. art. 1. appen. et qu. 20. ar. 1. Coroll. post ad 1. Item alibi passim supra, ut q. 19. a. 4. append. q. 26. ar. 3. app. q. 24. art. 1. app. et multis aliis locis. Item á Papa Lucio III. de hæret. c. ad abolendam. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem decernunt esse sacramentum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Florent. quod forma hujus sacramenti est conveniens. Hoc autem insinuatum fuit in Decr. Armen. dato, quando sexto loco de sacram. dixit. " Forma sacerdotii est talis. Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. » Pro cujus ultimo dicto sciendum, quod in quodam Pontificali antiquo Romano sic jacent formæ Ostiariorum. " Sic agite: quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. Lectorum. Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum his qui verbum Dei ministraverunt ab initio. Exorcistarum. Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super énergumenos, sive baptizatos, sive cathechumenos. Acolitorum. Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accedenda Ecclesiæ luminaria mancipatos: in nomine Domini. Item. Accipite urceolum ad suggerendum vinam, et aquam, in Eucharistiam sanguinis Christi: in nomine Domini. Subdiaconorum. Videte cujusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, quod Deo placere positis. Diaconorum. Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini. » Item insinuatum á Conc. Carthag. 4. c. 7. de forma Exorcistæ, cap. 8. de forma Lectoris, c. 9. de forma Ostiarii: et recitantur hujusmodi in Decr. dist. 23. c. exorcista, c. lector c. ostiarius. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto in forma ordinis ponunt et traductionem potestatis á potestate, hæc traductio semper intelligitur in ly Accipe, ly Accipite. ly Age, ly agite, ly vobis traditur, et usum potestatis receptæ, ut ibi patet, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Concilio Florentino, quod ordo habet materiam. Insinuatum autem est hoc, quando in decreto Armenis dato Eugnius IV. ipso Concilio approbante, dixit; " Sextum est sacramentum ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo. » Item á Concilio Tridentino sess. 23. cap. 3. " Per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis exterioribus perficitur. » Signa autem illa exteriore esse materiam

vidimus nunc ex Concilio Florent. puta calicis porrectionem, urceoli, etc. Vide art. 4. append. Nam in formis illis importatur etiam materia. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto ordinem insinuant habere materiam, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA QUINTA,

DE EFFECTU HUJUS SACRAMENTI, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu hujus sacramenti.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.

Secundo, utrum imprimatur character quantum ad omnes ordines.

Tertio, utrum character ordinis præsupponat characterem baptismalem.

Quarto, utrum præsupponat de necessitate characterem confirmationis.

Quinto, utrum character unius ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius ordinis.

ARTICULUS I.

Utrum in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.

Pro negativa=Videtur quod in sacramento ordinis non conferatur gratia gratum faciens.

1. In sacramento quod ordinatur contra defectum ignorantiæ, non confertur gratia gratum faciens. Sed sacramentum ordinis, ut communiter dicitur, ordinatur contra defectum ignorantiæ. Ergo in sacramento ordinis non confertur gratia gratum faciens.

Maior prob., quia contra ignorantiam non datur gratia gratum faciens, sed gratia gratis data; quia illa respicit affectum, ista intellectum.

2. In sacramento quod distinctionem importat, non confertur gratia gratum faciens. Sed sacramentum ordinis distinctionem importat. Ergo in sacramento ordinis non confertur gratia gratum faciens.

Maior prob., quia membra Ecclesiæ non distinguuntur per gratiam gratum facientem, sed secundum gratiam gratis datam, de qua dicitur 1. ad Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt.*

3. In eo qui accedit ad ordines, præsupponitur gratia gratum faciens, per quam sit idoneus ad susceptionem ordinis. Ergo in collatione ordinis non confertur gratia gratum faciens.

Conseq. prob., quia nulla causa præsupponit effectum suum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In sacramento per quod dantur dona Spiritus Sancti, datur gratia gratum faciens. Sed in sacramento ordinis dantur dona Spiritus Sancti. Ergo in sacramento ordinis datur gratia gratum faciens.

Maior prob., quia dona Spiritus Sancti non sunt sine gratia gratum faciente.

Minor prob. Ordo per numerum septenarium significat dona Spiritus Sancti, ut Magister dicit in 4. dist. 24. Sent. Ergo in sacramento ordinis dantur dona Spiritus Sancti.

Consequentia hæc probatur, quia sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant, ut dictum est quæstione 62. art. 1. ad 1.

2. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam gratum facientem. Sed ordo est unum sacramentorum novæ legis. Ergo in ordine confertur gratia gratum faciens.

Maior prob., quia in definitione sacramenti novæ legis ponitur quod est

causa gratiæ: dicitur enim, est signum rei sacræ sanctificantis.

Determinatio.

Conclusio. In sacramento ordinis confertur gratia gratum faciens.

Prob. In sacramento per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem, confertur gratia gratum faciens. Sed per sacramentum ordinis homo fit idoneus ad aliorum sacramentorum dispensationem. Ergo in sacramento ordinis confertur gratia gratum faciens.

Maior prob., quia cum *Dei perfecta sint opera*, ut dicitur Deut. 32. cuicumque datur aliqua potentia divinitus: dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri: quod etiam in naturalibus patet. Nam animalibus dantur membra quibus potentiæ animæ possint exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiæ. Gratia autem gratum faciens est necessaria ad hoc quod aliquis digne sacramenta recipiat et dispenset: et ideo, sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento per quod homo ordinatur ad dispensationem aliorum sacramentorum, quale est ordinis sacramentum, debet dari gratia gratum faciens. Et sic patet maior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ordo datur non in remedium unius personæ, sed totius Ecclesiæ: unde cum dicitur contra ignorantiam dari, non est intelligendum ita, quod per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente, sed quod suscipiens ordinem perficitur ad pellendam ignorantiam á plebe: ad quod congrue faciendum necessaria est gratia gratum faciens. Ad formam igitur dicitur, quod maior est vera de eo quod ordinatur contra ignorantiam unius personæ, non autem de eo quod ordinatur ad pellendam ignorantiam á plebe, quale est hoc sacramentum.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis dona gratiæ gratum facientis communia sint omnibus membris Ecclesiæ; tamen actus illorum donorum, secundum quæ attenditur distinctio in membris Ecclesiæ, idoneus susceptor aliquis esse non potest, nisi charitas adsit; quæ quidem sine gratia gratum faciente non est.

Ad 3. Negatur conseq. Ad idoneam enim executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis ita superiores sint merito sanctitatis; et ideo ad susceptionem ordinis præexigitur gratia quæ sufficiat ad hoc quod connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ordinati ad maiora reddantur idonei. Et sic patet quod causa non præsupponit effectum suum, quia gratia quam ordo præsupponit, est qua homo connumeratur in plebe Christi: quæ autem in ordine confertur, est qua redditur idoneus ad altiora munera, scilicet dispensandi sacramenta.

ARTICULUS. II.

Utrum in sacramento ordinis imprimatur character, quantum ad omnes ordines.

Pro negativa. = Videtur quod in sacramento ordinis non imprimatur character, quantum ad omnes ordines.

1. Quidam ordines non ordinantur nisi ad quosdam actus corporales, ut Ostiarii et Acolyti. Ergo in eis non imprimitur character.

Conseq. prob., quia ordinis character est quædam spiritualis potestas.

2. Illi qui habent tantum aliquos ordines, scilicet minores, possunt licite redire ad laicatum. Ergo non imprimitur character in omnibus ordinibus.

Conseq. prob., quia omnis character est indelebilis. Ergo per characterem

homo ponitur in tali statu, á quo non possit recedere. Ordines igitur á quibus quis potest redire ad laicatum, characterem non imprimunt.

3. Ad susceptionem sacramentorum homo sufficienter ordinatur per characterem baptismalem; dispensator autem sacramentorum non constituitur homo, nisi per ordinem sacerdotalem. Ergo in aliis ordinibus non imprimitur character.

Conseq. prob., quia per characterem homo ascribitur ad aliquid sacrum dandum vel suscipiendum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omne sacramentum in quo non imprimitur character, est iterabile. Sed nullus ordo es iterabilis. Ergo in quolibet ordine imprimitur character.

1. In quolibet ordine est aliquæ distinctio. Ergo quilibet ordo imprimit characterem.

Conseq. prob., quia character est signum distinctivum.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod in solo ordine sacerdotali character imprimitur: et eorum ratio poterat esse tertium argumentum inductum pro negativa.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, quia actum diaconi nullus potest licite exercere, nisi habeat ordinem diaconatus. Et ita patet quod diaconus habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam non habent alii.

Quorundam aliorum positio.

Et propter hoc alii dixerunt quod in sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus.

Reprobatio.

Sed hoc iterum nihil est, quia per quemlibet ordinem constituitur aliquis supra plebem, in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem: et sic in quolibet ordine imprimitur character.

Vera sententia.

Conclusio. In sacramento ordinis imprimitur character, quantum ad omnes ordines.

Probatur tripliciter: primo, per quemlibet ordinem ille qui est ordinatus distinguitur ab aliis qui non sunt ordinati. Ergo in quolibet ordine imprimitur character.

Conseq. prob., quia character est signum distinctivum ab aliis.

Secundo, probatur á signo, quia etiam minores ordines perpetuo manent, et numquam iterantur.

Tertio, quia hæc est communior opinio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etsi actus quorumdam ordinum sint corporales, sunt tamen omnes ordinati ad sacramentorum dispensationem, quæ est spiritualis actus. Unde quilibet ordo, vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinatum ad sacramenti dispensationem. Sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem, et sic de aliis: et ideo in ominibus requiritur spiritualis potestas. Est igitur antecedens falsum in proposito: nam etsi quorumdam ordinum actus corporales sint; quia tamen ad sacramentorum dispensationem ordinantur, potestas spiritualis in quolibet ordine, ac per hoc character suscipitur.

Ad 2. Negatur consequentia: quantumcumque enim homo minoribus ordinibus initiatus ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character: quod patet ex hoc quod si á laicatu ad clericatum revertatur, non suscipit iterum ordinem quem habuerat. Ad probationem dicitur, quod non quilibet character ponit hominem in statu á quo non potest recedere, et ad laicatum redire; sed hoc convenit tantum

characteri, per quem accipitur potestas circa materiam sacram quæ laicis convenire non potest.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod per sacerdotalem ordinem constituitur quis dispensator sacramentorum; sed tamen quia hæc potestas præsupponit alios actus ordinatus ad hanc dispensationem, ideo sunt necessarii alii ordines quorum actus ordinantur ad sacramenti dispensationem. Unde negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod per characteres ordinum minorum deputatur ad aliquid agendum ordinatum ad dispensationem sacramentorum

ARTICULUS III.

Utrum character ordinis præsupponat characterem baptismalem.

Pro affirmativa.=Videtur quod character ordinis non præsupponat characterem baptismalem.

1. Potestas activa non præsupponit necessario potestatem pasivam. Sed per characterem ordinis confertur potestas activa: per characterem vero baptismalem, potestas passiva. Ergo character ordinis non præsupponit necessario characterem baptismalem.

Maior prob., quia potestas activa potest esse sine passiva, ut patet in Deo, in quo est potentia activa, sine passiva.

Minor prob. quia per characterem ordinis homo efficitur dispensator sacramentorum, per characterem vero baptismalem efficitur susceptivus eorumdem.

2. Potest contingere quod aliquis non sit baptizatus qui probabiliter se existimet baptizatum. Si ergo talis ad ordines accedat, non consequetur characterem ordinis, si character ordinis præsupponat characterem baptismalem. Et sic ea quæ faciet in consecratione vel in absolutione, nihil erunt et in hoc Ecclesia decipietur; quod est inconveniens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Characterem sacramenti, quod est aliorum sacramentorum janua, omnia alia sacramenta præsupponunt. Sed character baptismalis est character sacramenti, quod est omnium aliorum sacramentorum janua; ordo vero est unum sacramentum. Ergo character ordinis necessario præsupponit characterem baptismalem.

Determinatio.

Conclusio. Character ordinis præsupponit characterem baptismalem.

Prob. Character, per quem homo efficitur receptivus omnium sacramentorum præsupponitur á charactere ordinis. Sed per characterem baptismalem homo efficitur receptivus omnium aliorum sacramentorum. Ergo character baptismalis præsupponitur á charactere sacramenti ordinis.

Maior prob., quia nihil potest recipere illud, cujus potentiam receptivam non habet. Unde character, per quem homo fit susceptivus omnium sacramentorum, præsupponitur ab omnibus sacramentis, et per consequens á charactere ordinis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod est vera de eo, qui habet potentiam activam á se, qualis est Deus; talis enim nullam præsupponit passivam potentiam. In eo autem qui habet activam potentiam ab alio secus est: In tali enim præexigitur potentia passiva, qua activam recipere possit: et quia homo habet activam potentiam ab alio ideo in eo activa potentia semper præsupponit potentiam passivam.

Ad 2. Conceditur consequentia. Talis enim, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali. Unde secundum canones, extra de Presb. non baptizato lib. 3. tit. 43. cap. 1. et 3. debet talis iterato baptizari, et ordinari. Et si etiam in Episcopum promoveatur, illi quos ordinavit, non sunt ordinati. Pie tamen credi potest quod quantum ad ultimos effectus sacramen-

torum, summus sacerdos, qui est Christus, suppleret defectum, et quod non permitteret hoc ita latere quod Ecclesiæ posset imminere periculum.

ARTICULUS IV.

Utrum character ordinis præsupponat de necessitate characterem confirmationis.

Pro affirmativa. = Videtur, quod character ordinis præsupponat de necessitate characterem confirmationis.

1. Character confirmationis præsupponit baptismalem quasi primum. Ergo character ordinis præsupponit characterem confirmationis quasi medium.

Conseq. prob., quia in his quæ ordinata sunt adinvicem, sicut medium præsupponit primum; ita ultimum præsupponit medium.

2. Illi qui ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent esse firmi. Sed illi qui sacramentum ordinis suscipiunt, sunt aliorum confirmatores. Ergo ipsi maxime debent confirmationis sacramentum habere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostoli receperunt potestatem ordinis ante ascensionem, Jo. 20. Ubi dictum est eis: *accipite Spiritum Sanctum. etc.* Et confirmati sunt post ascensionem per adventum Spiritus Sancti. Ergo ordo non præsupponit ex necessitate confirmationem.

Determinaio.

1.ª Conclusio. Character ordinis non præsupponit characterem confirmationis de necessitate.

Prob. Homo est susceptivus sacramenti ordinis, sine sacramento confirmationis. Ergo potest suscipere sacramentum ordinis, etiam si non sit confirmatus.

Anteced. prob., quia homo efficitur susceptivus omnium sacramentorum per baptismum, unde sine baptismo nullum suscipitur sacramentum, et per baptismum fit homo omnium sacramentorum susceptivus, et per hoc character baptismi de necessitate præexigitur ad susceptionem omnium aliorum sacramentorum, non autem confirmationis.

2.ª Conclusio. Character ordinis de congruitate præsupponit characterem confirmationis.

Manifestatur: quia de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad exequutionem ordinis, et unum de istis est, quod ordinatus sit confirmatus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod est vera in his in quibus est similis habitudo medii ad ultimum, et primi ad medium, non autem in quibus non est similis habitudo. In proposito autem non est similis habitudo medii, idest confirmationis, ad ultimum, idest ad ordinem, et primi, idest baptismi ad medium, idest ad confirmationem; quia per characterem baptismalem fit homo susceptivus sacramenti confirmationis non autem per characterem confirmationis fit homo susceptivus sacramenti ordinis. Et ideo non sequitur quod sacramentum ordinis debeat ex necessitate præsupponere sacramentum confirmationis, sicut præsupponit baptismum.

Ad 2. Dicitur quod concludit secundam conclusionem; congruum est enim quod qui ad alios confirmandos instituitur, sit prius confirmatus, non tamen hoc est de necesitate.

ARTICULUS V.

Utrum character unius ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius ordinis.

Pro affirmativa.=Videtur quod character unius ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius ordinis.

1. Character ordinis præsupponit de necessitate characterem alterius sacramenti scilicet baptismi, ut artic. præced. dictum est. Ergo multo fortius cha-

racter unius ordinis præsupponit characterem alterius.

Conseq. prob. quia maior est convenientia ordinis ad ordinem, quam ordinis ad aliud sacramentum.

2. Nullus potest pervenire ad posteriorem gradum, nisi prius conscenderit priorem. Ergo nullus potest accipere characterem ordinis sequentis, nisi prius acceperit ordinem præcedentem.

¶ Consequentia probatur, quia ordines sunt quidam gradus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si omittatur aliquid in sacramento, quod sit de necessitate sacramenti, oportet quod sacramentum iteretur. Sed si aliquis accipiat sequentem ordinem, prætermisso primo, non reordinabitur, sed confertur sibi, quod deerat, ut dicitur in decret. extra lib. 5. tit. 29. c. tuæ literæ. Ergo præcedens ordo non est de necessitate sequentis.

Determinatio,

1.ª Conclusio. Non est de necessitate superiorum ordinum, quod aliquis minores ordines prius habeat.

Manifestatur, quia potestates istæ sunt distinctæ; et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto.

Et confirmatur, quia propter hoc in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia quæ inferiores ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtualiter, sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno.

Et confirmatur secundo, quia qui ordinantur per saltum, non reordinantur secundum canones, sed eis confertur quod prætermissum est.

2.ª Conclusio. Non licet suscipere superiores ordines, minoribus non susceptis.

Manifestatur, quia et si ordines maiores, quantum est de se, non præsupponant minores in eodem subjecto; per constitutionem tamen Ecclesiæ determinatum est quod ad maiores ordines se non ingerant qui prius in minoribus officiis se non humiliaverunt. Ut dicitur dist. 52.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ordines ad invicem magis conveniunt secundum similitudinem speciei, quam conveniat ordo cum baptismo; sed secundum proportionem potentiæ ad actum, magis convenit baptismus cum ordine, quam ordo cum ordine. Quia per baptismum acquirit homo potentiam passivam recipiendi ordines, non autem per ordinem inferiorem datur potentia passiva recipiendi ordines maiores, sed tantum congruitas.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod ordines non sunt gradus, qui concurrant in una actione, vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum pervenire, sed sunt sicut gradus in diversis rebus constituti, sicut est gradus inter hominem et Angelum, in quibus non oportet quod ille qui est Angelus, prius fuerit homo. Similiter etiam sunt gradus inter caput et omnia membra corporis; non enim oportet quod illud quod est caput, prius fuerit pes. Et similiter est in proposito. Ordines enim ordinantur ad diversos actus, quorum unus potest esse, non præsupposito altero.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 125.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod ordo non confert gratiam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim merito condemnari á scripturis 1. Timoth. 4. " Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. » Hanc Apostoli auctoritatem Concilium Tridentinum sessione 14. de Extrema-unctio, allegat ad propositum eorum, qui suscipiunt ordinem. Ex quo maxime confirmatur, quod Apostolus ibi intelligat, quod gratia confertur per sacramentum ordinis. Item 2. Timoth. 1. " Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. » Item á Concilio Tridentino sessione 7. de sacramen. canon. 6. " Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, etc. anathema sit.» Et canone 7. " Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus: anathema sit. » Et canone 8. " Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, etc. anathema sit. » Modo ab eodem ibi canone 1. inter alia sacramenta novæ legis enumerabatur ordo. Item ab eodem sess. 23. cap. 3. " Cum scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem esse vere, et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. » Ecce, quod et scripturae testimonium, et Apostolica traditio, et Patrum unanimis consensus stant pro veritate ista; quod sc. sacra ordinatio confert gratiam: et consequenter omnia tria haec damnant Lutheranam haeresim illam. Item sessione ead. canon. 4. " Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, etc. anathema sit. » Item ab Eugenio IV. sacro approbante Concilio Florentino in Decreto Armenis dato. «Sextum est sacramentum ordinis, etc. Effectus hujus est augmentum gratiae: ut quis sit idoneus Christi minister. » Item á Concilio Senonensi in Decretis fidei, Decreto decimo, capitulo de sacramento ordinis. "Quosdam itaque Christus sacerdotes instituit, quibus sui corporis potestatem commissit veri quidem, cum, instituto sui corporis, et sanguinis sacramento, hoc facite, inquit, in meam commemorationem; mystici vero, cum, posteaquam in discipulos insufflasset. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et, quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus palam evadit: in susceptione ordinis conferri gratiam. Recte igitur Timotheum Paulus admonet: ut non negligat gratiam, quæ dat est ei, cum impositione manuum presbyterii, sed eam resuscitet potius. » Item ab eodem Eugenio in decreto eodem. «Novæ legis septem sunt sacramenta, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, et Matrimonium. Quæ multum á sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem dicunt conferre gratiam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ex abundanti interimas hæresim *Lutheri* dicentis: characterem in nullo imprimi sacramento. Item cum injuria Doctorum addentis characterem sacramentalem esse meram novorum Theologistarum fictionem. Ut enim patet, articulus iste á sancto Doctore motus militat plusquam sufficienter contra prædictos errores, et prævalet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos merito damnatos á Conc. Florentino in illo decr. Armen. in principio de sacramentis. " Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum á cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur.» Item á Concil.

Trident. sess. 7. de sacramentis, can. 9. «Si quis dixerit; in tribus sacramentis, baptismo sc. confirmatione, et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelibile, unde ea iterari non possunt: anathema sit.» Item ab eodem sess. 23. cap. 4. Quoniam vero in sacramento ordinis sicut in baptismo, et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Et can. 4. Si quis dixerit: per sacram unctionem non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit. » Hæc ibi, ubi et can. 3. præmiserat; "Si quis dixerit; ordinem, sive sacram ordinationem esse figmentum quoddam humanum, excogitatum á viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: anathema sit. » Ecce, quod ordo imprimit characterem, et, quod dicere sic, non est figmentum humanum, ut ex connexione canonum duorum postremorum patet. Item á Papa Gregorio IX. ad Archiepiscopum Baran. scribente. " Eos qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse, quos pro transgressione hujusmodi, primo eis pœnitentia imposita competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare. » Hæc ibi, et recitantur de temp. ord. Consultation. Vide, quod character non imprimitur ex firmento novorum, sed neque veterum Theologistarum, ut verbis Lutheri ipsummet confodiamus, immo, quod neque ex statuto Ecclesiæ. Alioquin iste transgrediens Ecclesiæ statuta tempora quoad ordinationem, non recepisset characterem, quod est contra Gregorium ibi. Et, si character esset figmentum: quomodo virtute ejus, etiam contra statutum Ecclesiæ recepti, veraciter executio ordinum administraretur? Hoc tamen dicit Gregorius. Ex vi ergo sacramenti procedit character ipse: et consequenter ex instituto divino: et consequenter aliquod verum est, ipsumque dicere figmentum, est summa blasphemia. Item ab Apost. Ephes. 4. " Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis, » hoc est. In die, quo baptizati estis. Ecce, quod secundum Apostolum, qui novus utique non est, character res aliqua est, et in sacramento aliquo datur. Nam ly signati characterem Latine dicit: quoniam secundum Concilia superius adducta character est signum per aliquod sacramentum datum; Græce namque dicitur character, quod Latine sonat signum. De re igitur, cum habeamus ex Apostolo testimonium, non est, quod circa quæstiones, et pugnas verborum, contra doctrinam ejusdem 1. Timoth. 6. langueamus. Quinimmo et verbum characteris habemus ex Apostolo, sed Latine. Quod si de Doctoribus præter Apostolos loquatur Lutherus: ecce Augustinus, qui plus mille annis præcesserat Lutherum scribens Donatistæ præsbytero epist. 204. utitur nomine characteris sic. " Et vos oves Christi estis, characterem dominicum portatis in sacramento, quod accepistis. » Hæc ibi, et recitantur 23. q. 4. Displicet. Item ille ipse de baptis. li. 5. c. 20. Habere, et dare, et accipere baptismi sacramentum satis Ecclesiæ catholice pastoribus eluxit, et ovem, quæ foris errabat, et dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad Christianæ unitatis salutem corrigi ab errore, characterem tamen dominicum in ea cognosci potius, quam improbari, quandoquidem ipsum characterem multi lupi, et lupis infigunt, verumtamen ad illam ovem, quæ ex multis una est, non pertinent.» Hæc ibi: et recitantur de consecr. d. 4. Quomodo. Ecce, quot vicibus in tam brevi spatio B. Aug. plusquam millenarius characterem verbis expressissimis nominat. Item damnari, á quibuscumque iteratio sacramentorum non admittitur. Ob hoc enim non iteranda sunt, quia characterem imprimunt ita, ut se invicem consequantur ista duo, sc. non iterari posse sacramentum, et imprimere characterem. A Concil. igitur Carthaginensi 3. can. 38. damnatur Lutherus, dum ait: " Placuit, quod etiam in Capuen. plenaria Synodo videtur statutum, quod non liceat fieri rebaptizationes, neque reordinationes.» Hæc ibi: et recitantur partim. d. consecr. de 4. non licet. Item á Concil. «Tarraconensi. Dictum est nobis, quod quidam de plebe, bis, vel ter, vel eo am-

plius (Episcopis ignorantibus tamen) confirmentur ab eisdem: unde visum est nobis eamdem confirmationem, sicut nec baptisma iterari minime debere.» Hæc illud, et recitantur de consecr. d. 4. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Florentino in decreto Armenis dato, quod singuli ordines characteres singulos imprimunt. Insinuatum autem hoc est tunc, quando de sacramentis in principio ait: quod ordo characterem imprimit. Et sexto loco subdit. "Sextum sacramentum est ordinis, cujus materiæ est illud, per cujus traditionem confertur ordo. Sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane, porrectionem: diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium.» Ubi prudens lector, connectendo principium illud sexto loco, ad litteram conspiciet, quod de mente Concilii innuitur, quod quilibet ordo singillatim characterem causat. Si enim ordo characterem imprimit (ut dicitur in principio) et presbyteratus ordo traditur per, etc. ergo ordo presbyteratus imprimit characterem. Item, si diaconatus ordo per libri, etc. ergo diaconatus alium characterem numero, cum sit alius ordo numero, imprimit. Alioquin vel ordo non imprimeret characterem: vel presbyteratus ordo esse idem cum ordine diaconatus: aut concilium diminute, et quasi frustra locutum fuisset dicendo ly ordo characterem imprimit. Nesciremus enim tunc, de quo ordine loqueretur, cum sint plures numeraliter, et non singuli (secundum contrarias opiniones) imprimant. Debuisset ergo non dicere ly ordo imprimit: sed ly ordo talis imprimit. Quo quid absurdius in Ecclesia sancta Dei, quam privatos homines velle corrigere plenarium Concilium, aut illud diminutionis, vel quasi frustatoriæ locutionis arguere præsertim, quando de pertinentibus ad fidem decreta statuit, atque promulgat? Standum igitur ad litteram in Synodo. Quod vero dixi de presbyteratus, et diaconatus ordine: de reliquis etiam omnib. idem sentiendum est: quoniam Synodus ipsa simili modo locutionis utitur (ut patet ibi. supra.) *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto characterem ordinis imprimi á singulis ordinibus proprium innunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, ut in radice, interimas hæresim Albigensium (Alphons. Castr. adv. hær.) dicentium: baptismum omnino respuendum esse. Si enim respuendum esset, et ordo in Ecclesia esse non posset contra superius dicta qu. 34. art. 1. in text. et append. Unde et iste, et articulus ille pugnat contra hæresim prædictam, eamque viriliter explodunt tum ratione, tum canonica sanctione, si jungas apendicem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito hæresim illam damnari á Scripturis, Joan. 3. "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.» Albigenses ergo, dum baptismum respuendum esse docent, homines ab introitu regni cœlestis abigunt. Item á Concilio Trident. sess. 7. de baptis. cap. 5. "Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.» Item can. 2. "Si quis dixerit: aquam veram, et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri: nisi quis renatus fuerit, ex aqua, et Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.» Vide 3. par. qu. 68. art. 1. et 2. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á summis Pontificibus, et á Conciliis, quod character ordinis de necessitate præsupponit characterem baptismalem; et consequenter, quod prædictam hæresim Albigentium, quasi ex altiori loco tela projiciendo, condemnant. A summis Pontificibus insinuatum fuit illud; quando ab Eugenio IV. sacro approbante Concil. Florentino in decreto Armenis dato, fuit dictum; "Primum omnium sacramentorum locum tenet baptismus, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, et de corpore efficimur Ecclesiæ.» Quomodo ergo characterem ordinis Christi recipere poterant, si membra Christi adhuc non sunt? Et, quomodo ministri Ecclesiæ esse possunt non baptizati, si adhuc non sunt de corpore Ecclesiæ? Item, quando á Siricio Papa in

epist. 1. ad Himerium Terraconen. Episcopum. cap. 9. ait: " Quicumque itaque se Ecclesiæ vovit absequiis á sua infantia ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari, etc. et cap. 10. qui vero jam grandævus melioris propositi conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit: nisi eo, quo baptizatur tempore, statim lectorum: aut exorcistarum numero societur. Haec ibi: et recitantur dist. 77. cap. quicumque itaque. Vide, quod de baptismo præmittendo ante sacram militam, idest ordinationem semper meminit Siricius. Simile statutum habes ab Inocentio 1. in epist. 24. ad Synodum Toletanam, cap. 4. Item, quando á concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. dictum fuit, quod pœnitentia apte nuncupata est secunda tabula post naufragium. Cujus rationem assignans subdit: " Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur Christus sacramentum instituit pœnitentiæ. » Ubi patet ex ratione reddita, quod baptismus apte dicitur prima tabula. Quod clarius juncta glossa habetur de pœnitent. dist. 1. 2. post naufragium. Item, quando á Concilio Nicæno statutum est sic: " Si quis confugerit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis, et Cataphrygis; statutum est rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero clerici erant apud eos, si quidem inculpati fuerint, et irreprehensibiles, rebaptizandi sunt, et rursus ab Episcopo Ecclesiæ catholicæ ordinentur. » Hæc illud; et recitantur 1. qu. 1. Unde patent duo; et quod ordinati ante baptismum rite collatum non recipiunt ordinis characterem, et quod Episcopi non baptizati ordinantes alios non tradunt eis ordinem, per quod Sancti Thomæ tale dictum in responsione ad secundum confirmatur. Item, quando á Concilio apud Compendium celebrato sic sancitum est: " Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur. » Hæc illud; et recitantur de presbyter. non baptizat ca. 1. Item, quando ab Innocentio III. ad Episcopum Ferrar. dictum est. "Veniens ad Apostolicam Sedem, 1. lator præsentium nobis exposuit: quod cum ad gradum sacerdotii ascendisset, comperit tamdem, quod non fuerit secundum formam Evangelii baptizatus. Unde nos eum rite fecimus baptizari, etc. Mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures. » Et recitantur de presbyter. non baptiz. ca. 3. Ex hoc nota, quod non sufficit esse baptizatum (nam iste lator fuit, ut innuitur, baptizatus aliquo modo) sed oportet esse baptizatum secundum formam Evangelii, ad hoc, ut ordo teneat. *Quarto* habes: quomodo per rationem antedicta Patrum, pro quanto characterem baptismi statuunt characteri ordinis præsupponendum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Concilio Florentino, et á Scripturis, quod character confirmationis non requiritur de necessitate pro susceptione ordinum; et insinuatum á Concilio Tridentino, quod character confirmationis de congruitate præexigitur characteri ordininis. Insinuatum autem est illud primum, tanquam ab oppositis, quando baptismum dixit esse januam sacramentorum; non confirmationem. Ex eo enim, quod confirmatio non est janua, sequitur aperte, quod sine illa potest quis ingredi ad susceptionem sacramentorum, et consequenter ordinis. Vide Consilium prædictum circa hoc, art. præcedenti Append. Quod autem dixi de Concilio Florentino, quod sc. per tale dictum suum insinuavit, characterem confirmationis non necessario præexigi ad characterem ordinis, dicas tu etiam consimiliter de aliis tum Conciliis, tum pontificibus maximis in appendic. illa adductis, quando in eadem sententiam de baptismo, licet non iisdem verbis cum Synodo Florentina conveniunt. Item á serie Evangeliorum. Nam ordinantur Apostoli, non tantum super corpus Christi verum, sed etiam super corpus Christi mysticum, priusquam confirmentur. Ordinem enim quoad primum receperunt á Christo tempore ultimæ cœnæ, Lucæ. 22. per ly hoc facite in meam commemorationem: quoad secundum vero, post resurrectionem, Joan. 20. per ly quorum remiseritis peccata, remittuntur, etc. Et confirmationem receperunt post Ascensionem Christi, in die Pentecostes, quando scil. iuduti suut virtute ex alto, Lu-

cæ 24. Monstratur ergo ex ipsa textura Evangelii, quod ordo conferri potest etiam non confirmatis. Insinuatum vero est id secundum, videlicet, quod character de congruitate, etc. á Concilio Tridentino, session. 23. cap. 4. de reformat. *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Prima autem tonsura datur ante collationem ordinum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, ac Evangeliorum, pro quanto characterem confirmationis non necessario, sed de congruo præexigi insinuant susceptioni ordinis, et intelligas, et probes, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á summis Pontificibus, et Conciliis insinuatum esse, et quod quis non ordinetur per saltum, et quod hoc non sit de necessitate sacramenti. Insinuatum autem est id á Concilio Sardicensi canon 10. " Osius Episcopus dixit. Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura, et diligentia examinetur: ut, si quis dives, vel ex foro scholasticus Episcopis fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris, et diaconi, et presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere, etc. Omnia dixerunt ipsis placere, et omnino non oportere ea subvertere.» Ubi osius per ly lectoris omnes minores ordines, sicut et per ly diaconi subdiaconum etiam cointelligit. In cujus signum universaliter subdit ly in unoquoque gradu, ordinum, at gradus est septiformis, etiam á tempore Apostolorum. Item á Zosimo Papa in epist. 1. ad Hesychum Salonitanum Episcopum. " Hoc autem specialiter, et sub prædecessoribus nostris, et nuper á nobis interductum constat, etc. Ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret: et non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum, etiam in ordinatores ejus: ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum. » Item á Beato Gregorio Magno in epi. 110. Ætherio Lugdunensi Episcopo Can. 2. " Ordinate ergo ad ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. » Item á Synodo apud D. Medardum. " Ostensum est in eodem ex Concilio Sardicensi, cap. 9. et ex allis Conciliis, ac decretis, damnationis scripto, secundum canonicam formam eumdem Episcopum nihil de illius ordinatione attigisse; sed, qui saltu, sine gradu diaconi, ad sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam resilire debere. » Quæ intelligas de rigore juris. Nam de dispensatione ex clementia dic, ut in sequentibus. Item ab Alexandro II. ad Grimaldum Constantiensem Episcopum. " Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, utrum portator istarum litterarum diaconatus, et presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cum ad id præpostero cursu, subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius, quam superbia, cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati tuæ mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quarto temporum jejunio subdiaconatus ministerium rite imponas: et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. » Hæc ibi, et recitantur distinct. 52. Item ab Innocentio III. ad Bononiens. Episcopum. Tuæ litteræ, etc. P. presbyter, diaconatus ordinae praetermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto, confessus est, se pro certo nescire, si res taliter se haberet. Sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat, conversatus, credebat assertioni eorum, eo, quod tempore, quo ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis fuerat constitutus, etc. Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem: qua peracta, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinari procures: et sic ex misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis. » Hæc ibi; et recitantur de cler. per salt. prom. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem superiorem non de necessitate sacramenti, sed præcepti, præsupponere inferiorem indicant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SEXTA,

DE QUALITATE SUSCIPIENTIUM HOC SACRAMENTUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate suscipientibus hoc sacramentum.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum in suscipientibus hoc sacramentum requiratur bonitas vitæ.

Secundo, utrum requiratur scientia totius sacræ scripturæ.

Tertio, utrum ex ipso merito vitæ aliquis ordinis gradus consequatur.

Quarto, utrum promovens indignos ad ordines peccet.

Quinto, utrum aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti.

ARTICULUS I.

Utrum in suscipientibus ordines, requiratur bonitas vitæ.

Pro negativa. = Videtur quod in suscipientibus ordines, non requiratur bonitas vitæ.

1. In suscipientibus id per quod aliquis ordinatur ad dispensationem sacramentorum, non est necessaria bonitas vitæ: sed per ordinem aliquis ordinatur ad dispensationem sacramentorum. Ergo in suscipientibus ordinem, non requiritur bonitas vitæ.

Maior prob., quia sacramenta possunt dispensari á bonis et á malis.

2. In ministerio corporali ipsi Christo exhibito non repulit Dominus mulierem peccatricem et infamem, ut patet Lucæ 7. Ergo nec á ministerio ejus in sacramentis tales sunt amovendi.

Conseq. prob., quia non est maius ministerium quod Deo in sacramentis exhibetur, quam quod ipsi corporaliter adhibetur.

3. Sacramentum, in quo confertur gratia, debet dari etiam peccatoribus. Sed in sacramento ordinis confertur gratia. Ergo sacramentum ordinis debet conferri etiam peccatoribus.

Maior prob., quia peccatoribus nullum debet denegari remedium. Cum ergo per omnem gratiam detur aliquod remedium contra peccatum, nullum sacramentum conferens gratiam est peccatoribus denegandum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur Levit. 21. *Homo de semine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes coram Domino.* Ergo ille qui est aliquo vitio irretitus, non debet ad ministerium ordinis admitti.

Conseq. prob., quia per maculam omne vitium intelligitur, ut dicit glos. ordin. ibidem.

2. Hier. dicit, et refertur in decret. causa 8. 1. c. 31. qualis enim, quod « non solum Episcopi, Presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut « cunctum populum cui præsident, sermone et conversatione præcedant, verum etiam inferiores gradus et omnes « qui divino oraculo deserviunt, quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quam clericos. » Ergo in omnibus ordinibus requiritur sanctitas vitæ.

Determinatio.

CONCLUSIO. In suscipientibus ordines requiritur sanctitas vitæ, de necessitate præcepti, non de necessitate sacramenti.

Prob. prima pars. In suscipientibus id per quod aliquis constituitur dux aliorum in rebus divinis, requiritur sanctitas vitæ. Sed in quolibet ordine constituitur aliquis dux aliorum in rebus divinis. Ergo in suscipientibus ordines, requiritur bonitas vitæ.

Maior prob., quia Dion. dicit in 3. cap. Eccles. hier. « ut subtiliores et clariores « essentiæ repletæ influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens ad « similitudinem solis ad alia corpora invehunt; sic in divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit « deiformissimus et Deo simillimus. » Unde qui cum conscientia peccati mortalis

ad ordines, per quos dux aliis in rebus divinis efficitur, accedit, quasi præsumptuosus mortaliter peccat.

Altera conclusionis pars probatur, quia si malus ordinetur, ordinem quidem habet, ut Aug. lib. contra petill. ca. 48. et lib. 2. contr. Epist. parmen, cap. 11. dicit, sed cum peccato. Et hoc, quia sanctitas non est de necessitate sacramenti, sed tantum de necessitate præcepti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sacramenta possunt dispensari quidem á bonis et á malis, tamen indigne á malis. Sic etiam possunt á malis suscipi, indigne tamen suscipiuntur ab eis, sicut indigne ab eisdem dispensantur.

Ad 2. Negatur consequentia. Illud enim ministerium á muliere peccatrice exhibitum erat tantum in executione corporalis obsequii, quod etiam peccatores licite facere possunt. Secus autem est de ministerio spirituali ad quod applicantur ordinati, quia per ipsum efficiuntur medii inter Deum et plebem, et ideo debent bona conscientia nitere quo ad Deum, et bona fama, quoad homines. Ad probationem igitur dicitur, quod maius est obsequium quod Deo spiritualiter exhibetur in sacramentis, quam obsequium quod in executione tantum corporalis obsequii consistit.

Ad 3. Neg. maior: Ad prob. dicitur, quod non quælibet medicina spiritualis infirmis spiritualiter est exhibenda: sicut nec quælibet medicina corporalis est corporaliter infirmis danda. Sunt enim aliquæ medicinæ corporales quæ exigunt robur naturæ, alias cum periculo vitæ assumuntur. Et aliæ sunt, quæ debilibus dari possunt. Ita etiam in spiritualibus, quædam sacramenta sunt ad remedium peccati ordinata, et talia sunt peccatoribus exhibenda, sicut sunt baptismus et pœnitentia. Alia vero, quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.

ARTICULUS II.

Utrum in suscipientibus ordines, requiratur scientia totius sacræ scripturæ.

Pro affirmativa. = Videtur quod in suscipientibus ordines, requiratur scientia totius sacræ scripturæ.

1. Ille, ex cujus ore alii requirunt scientiam et legem, debet habere legis scientiam. Sed ex ore sacerdotis laici legem requirunt, ut dicitur Malach. 2. Ergo sacerdos debet scientiam totius legis habere.

2. Illi, qui debent esse parati ad satisfaciendum omni poscenti rationem de fide et spe, debent habere scientiam totius scripturæ. Sed qui ponuntur in ordinibus debent esse parati ad satisfaciendum poscenti rationem de fide et spe. Ergo in suscipientibus ordines requiritur scientia totius sacræ scripturæ.

Maior prob., quia reddere rationem de his quæ sunt fidei et spei, est illorum qui scientiam sacrarum scripturarum habent.

Minor prob., quia in ordinibus constitutis dicitur 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ est in vobis fide et spe.*

3. In suscipiente ordinem lectoratus (qui est quasi infimus ordo) requiritur scientia totius veteris testamenti. Ergo multo fortius hoc requiritur in suscipientibus superiores ordines.

Antecedens prob. Ille ad quem pertinet legere vetus testamentum, debet veteris testamenti scientiam habere. Sed ad lectorem pertinet legere vetus testamentum. Ergo lector debet veteris testamenti scientiam habere.

Maior prob., quia nullus congrue legit quod non intelligit. Legere enim et non intelligere, negligere est, ut Cato dicit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Multi promoventur ad sacerdotium, etiam in religionibus multis, qui de talibus nihil pœnitus sciunt. Ergo videtur quod talis, scientia non requiratur in suscipientibus ordines.

2. In vitis patrum legitur aliquos simplices Monachos ad sacerdotium promotos, qui erant sanctissimæ vitæ. Ergo non requiritur prædicta scientia totius sacræ scripturæ in suscipientibus ordines.

Determinatio.

Conclusio. In eo qui ad ordines promoveri debet, non requiritur quod universaliter sit in tota sacra scriptura instructus, sed plus vel minus, secundum quod ad plura vel pauciora ejus officium se extendit.

Manifestatur. Non requiritur scientia totius sacræ scripturæ ad hoc ut ordinatus dirigatur in actu ordinis quem suscepit. Ergo in suscipientibus ordines non requiritur scientia totius sacræ scripturæ; sed plus vel minus, secundum quod ad plura vel pauciora eorum officium extenditur, ut scilicet illi qui aliis præponuntur curam animarum suscipientes, sciant ea quæ ad doctrinam fidei et morum pertinent. Et alii sciant quæ pertinent ad executionem suorum ordinum.

Antecedens ostenditur. Cum enim in quolibet actu hominis (si debeat esse ordinatus) oporteat quod adsit directio rationis: ad hoc quod homo ordinis officium exequatur, oportet quod habeat solum tantum de scientia quod sufficiat ad hoc quod dirigatur in actu ordinis illius. Igitur ad dirigendos actus ordinum non requiritur notitia totius sacræ scripturæ, sed tantum notitia quæ sufficiens sit ad directionem illorum actuum.

Conseq. patet, quia ad dirigendos actus ordinum, non requiritur ex necessitate notitia totius sacræ scripturæ, ut de se patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod sacerdos habet duos actus. Unum principalem supra corpus Christi verum. Alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Qui duo actus sic ordinantur quod secundus dependet á primo, sed non é converso. Omnis enim qui habet actum super corpus Christi mysticum, debet habere actum super corpus Christi verum. Sed qui habet actum super corpus Christi verum, non est necesse quod habeat actum super corpus Christi mysticum. Et ideo aliquid ad sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum, sicut sunt religiosi, quibus animarum cura non committitur. Et á talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant: et ideo talibus sufficit si tantum de scientia habeant quod ea quæ ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum, et á talium ore populus legem requirit; unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes difficiles quæstiones legis; quia in his debet ad superiores recursus haberi; sed ut sciant ea quæ populus debet credere et observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet ad Episcopos, pertinet etiam ut ea quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant, et tanto magis quanto in maiori gradu collocantur. Minor igitur non est vera de ominibus, qui ordines suscipiunt.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod ratio reddenda de fide et spe, non est intelligenda talis, quæ sufficiat ad probandum ea quæ sunt fidei vel spei, cum utraque de invisibilibus sit: sed ut sciant in communi probabilitatem utriusque ostendere, ad

quod non requiritur multum magna scientia.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad maiorem probationis dicitur, quod est vera de eo, ad quem pertinet tradere populo intellectum sacræ scripturæ, non autem de eo, ad quem pertinet tantum sacram scripturam pronuntiare. Tunc ad minorem ejusdem probationis dicitur, quod ad lectorem non pertinet tradere intellectum sacræ scripturæ populo, quia hoc est superiorum ordinum, sed solum pronunciare; et ideo ab eo non exigitur quod tantum habeat de scientia, qua sacram scripturam intelligat, sed solum quod recte pronunciare sciat. Et quia talis scientia de facili addiscitur á multis, ideo probabiliter æstimar potest quod ordinatus talem scientiam acquiret, si etiam quando ordinatur, eam non habeat, maxime si ad hoc in via esse videatur.

ARTICULUS III.

Utrum ex merito vitæ aliquis gradus ordinis consequatur.

Pro affirmativa. = Videtur quod ex merito vitæ aliquis gradus ordinis consequatur.

1. Chrysost. dicit hom. 43. oper. imperf. in Matt. *Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est.* Sed ex merito vitæ aliquis efficitur sanctus. Ergo ex merito vitæ efficitur aliquis sacerdos, et multo fortius alios ordines habens.

2. Ex merito sanctitatis, et scientiæ aliquis efficitur Deo propinquior, et plus de ejus bonitatibus recipiens. Ergo etiam ex hoc ipso in gradu ordinis collocatur.

Conseq. prob., quia in rebus naturalibus ex hoc ipso aliqua in gradu superiori collocantur quod Deo appropinquant, et magis de ejus bonitatibus participant, ut dicit Dion. 4. c. Eccles. Hierarchiæ, parte 3.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sanctitas semel habita potest amitti. Sed ordo semel habitus numquam amittitur. Ergo ordo non non consistit in ipso merito sanctitatis.

Determinatio.

Conclusio. Nullus, ex solo merito vitæ, consequitur gradus ordinis.

Prob. Ministrorum Ecclesiæ non est dare gratiam, sed gratiæ sacramentum. Ergo ministri Ecclesiæ non constituuntur in gradu ordinis ex hoc quod habent gratiam, sed per hoc quod participant sacramentum aliquod gratiæ.

Conseq. ostenditur, quia causa debet esse proportionata suo effectui; unde sicut Christus, á quo descendit gratia in omnes homines, est fons gratiæ, per gratiæ plenitudinem; ita ministri sacramentorum constituuntur in gradu ministerii, per partitipationem sacramenti gratiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod nomen (sacerdos) potest sumi dupliciter. Uno modo, ut significat id, á quo nomen imponitur. Alio modo, ut significat id, ad quod nomen imponitur. Id á quo nomen sacerdotis imponitur, est sacra dare: et sic sacerdos dicitur quasi sacra dans. Id vero, ad quod nomen imponitur, est ut significetur ille qui sacramenta dispensat. Si accipiatur nomen (sacerdos) primo modo, omnis sanctus sacerdos dicitur, quatenus merita sua in auxilium alterius dat, quasi sacra dans dicitur, et sic non omnis sacerdos est sanctus, quia mali sacerdotes non possunt aliqua sua merita in aliorum auxilium dare. Quo vero ad id, ad quod nomen imponitur, non omnis sanctus est sacerdos, sed solum illi sunt sacerdotes qui ordinem sacerdotii susceperunt, sive sint boni, sive mali. Chrysost. locutus est de sacerdote secundum interpretationem nominis, et secundum id, á quo nomen sacerdotis imponitur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod res naturales efficiuntur in gradu super alia, secundum quod

in ea agere possunt ex sua forma, et ideo ex hoc ipso quod nobiliorem naturalem formam habent, in altiori gradu constituuntur; sed ministri Ecclesiæ non præponuntur aliis, ut eis ex virtute propriæ sanctitatis aliquid tribuant, quia hoc solius Dei est: sed sicut ministri, et quodammodo instrumenta illius effluxus qui fit á capite in membra; et ideo non est similis dignitas naturalis, dignitati ordinis, quantum ad necessitatem, sed solum quantum ad congruitatem; idest, non est necesse quod sacerdos sit sanctior, sicut necesse est in naturalibus quod id quod est superius, sit perfectius secundum formam: est tamen congruum quod sacerdos habeat maiorem sanctitatem quam alii, sicut superiora in natura sunt perfectiora secundum formam quam sint inferiora.

ARTICULUS IV.

Utrum promovens indignos ad ordines peccet.

Pro negativa. = Videtur quod promovens indignos ad ordines, non peccet.

1. Episcopus indiget coadjutoribus in minoribus officiis constitutis, quos non posset invenire in sufficienti numero, si talem idoneitatem in eis requireret, qualis á sanctis describitur. Ergo si Episcopus aliquos non idoneos promovet, videtur quod sit excusabilis.

2. Quandoque illi, qui non habent scientiam, vel sanctitatem vitæ, possunt esse utiles ad gubernationem temporalium, vel propter secularem potentiam, vel propter industriam naturalem. Ergo videtur quod tales sine peccato possint promoveri.

Conseq. prob., quia Ecclesia indiget ministris, non solum in dispensationem sacramentorum, sed etiam ad gubernationem temporalium.

3. Si Episcopus peccat indignos promovens, debet adhibere maximam diligentiam ad sciendum, an illi qui accedunt ad ordines, sint digni, faciens inquisitionem diligentem de moribus et scientia eorum: quod non videtur alicubi observari.

Conseq. prob., quia quilibet tenetur vitare peccatum, quantum potest.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Heli mortaliter peccavit, non corrigens filios suos de malitia eorum. Unde « cadens retrorsum, mortuus est, » ut dicitur 1. Reg. 4. Ergo non est sine peccato qui promovet indignos.

Conseq. prob., quia pejus est: promovere malos ad sacra mysteria, quam jam promotos non corrigere.

2. Ille qui res spirituales sub periculo ponit, peccat. Sed promovens indignos ponit res spirituales sub periculo. Ergo promovens ad ordines indignos mortaliter peccat.

Maior. Prob. Ille qui res Ecclesiæ temporales scienter sub periculo poneret, mortaliter peccaret. Ergo multo fortius peccaret, qui sub periculo res spirituales poneret.

Conseq. proq., quia spiritualia sunt præponenda temporalibus in Ecclesia.

Minor prob., quia Greg. dicit homil. 12. in Evang. et Bernard. serm. 2. de resurrect. *Cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio* (et eadem ratione omnia alia spiritualia ab eo exhibita) *contemnatur.*

Determinatio.

Conclusio. Promovens indignos ad ordines mortale crimen incurrit.

Prob. Servus qui est Deo infidelis, præcipue in his quæ divini honoris et Ecclesiæ detrimentum concernunt, mortale crimen incurrit. Sed promovens indignos ad ordines, est servus Deo infidelis, in his quæ detrimentum Ecclesiæ et divini honoris concernunt. Ergo promovens ad ordines indignos mortale crimen incurrit.

Maior patet, quia infidelitas in his quæ concernunt Ecclesiæ et honoris divini detrimentum, est mortale crimen.

Minor manifest. Nam Luc. 12. á

Domino describitur fidelis servus, qui est constitutus supra familiam suam, ut det illis tritici mensuram: et ideo infidelitatis reus est qui alicui supra mensuram ejus divina tradit, hoc autem facit quicumque indignum promovet. Et hoc vergit in detrimentum Ecclesiæ et honoris divini, qui per bonos ministros maxime promovetur. Esset enim infidelis terreno domino, qui in ejus officio aliquos inutiles poneret. Igitur promovens indignos ad ordines, Deo infidelis est, quia supra mensuram confert divina; quod in maximum Ecclesiæ detrimentum et divini honoris vergit, ac per hoc mortale crimen incurrit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens, quoad illam partem (quos non posset invenire in sufficienti numero) Deus enim nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni repellerentur: et si non possent tot ministri inveniri, quod modo sunt; melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut dicitur ex Beato Clemente epist. 2. ad Jacob. fratrem domini et refertur in decret. dist. 23. c. Tales.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod temporalia non sunt quærenda, nisi propter spiritualia. Unde omne incommodum temporale deberet eligi, et omne lucrum sperni, propter spirituale bonum promovendum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ordinans, ut absque peccato aliquem promoveat, debet saltem non scire aliquid contrarium sanctitati esse in eo qui ordinandus est; et ulterius diligentiorem curam adhibere, ut habeatur certitudo ordinandorum quales sint, saltem ex aliorum testimonio, secundum mensuram ordinis vel officii injungendi, et hoc est ad quod Apostolus Episcopos monet, dicens 1. Tim. 5. *Manus cita nemini imposueris.*

ARTICULUS V.

Utrum aliquis in peccato existens, possit, sine peccato, ordine suscepto, uti.

Pro affirmativa.=Videtur quod in peccato existens, possit sine peccato, ordine suscepto uti.

1. Si ille, qui in peccato existit, peccaret utendo suscepto ordine, sequeretur quod nullo modo posset peccatum vitare; quod est inconveniens.

Conseq. prob. quia ille, qui ordinem suscepit, tenetur eo uti ex officio. Si igitur eo non utatur, peccat. Et si verum est quod non possit eo uti sine peccato, sequitur quod non possit peccatum vitare.

2. Dato quod esset ei illicitum de jure uti ordine, tamen posset ei hoc esse licitum per dispensationem, quæ est juris relaxatio.

3. Si peccator in usu ordinis peccat mortaliter; sequitur quod peccet mortaliter quicumque ab eo aliquid divinorum accipit, vel ab eo exigit: quod videtur absurdum.

Conseq. prob., quia quicumque communicat alteri in peccato mortali, mortaliter peccat.

4. Si ille, qui utitur ordine suscepto in peccato, peccat; sequitur quod quilibet actus ordinis quem facit, sit peccatum mortale: et ita, cum in una executione ordinis multi actus concurrant, sequitur quod multa peccata mortalia committat: quod valde durum videtur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dion. dicit in Epistola ad Demophilum. *Talis*, scilicet, qui non est illuminatus, «audax videtur sacerdotalibus «manum apponens, et non timet neque «verecundatur, divina præter dignitatem «exequens, et putans Deum ignorare «quæ ipse in seipso cognovit, et decipere «æstimans falso nomine patrem ab ipso «appellatum: et audet ipsius muneris «immundas infamias (non enim dicam «orationes) super divina signa Christi

« formiter enunciare. » Ergo sacerdos est quasi blasphemus et deceptor, qui indigne suum ordinem exequitur, et sic mortaliter peccat, et eadem ratione quilibet alius ordinatus.

2. Mortaliter peccat, qui cum peccato mortali ad ordines accedit. Ergo multo fortius peccat mortaliter in qualibet executione sui ordinis.

Conseq. prob. quia sanctitas vitæ requiritur in suscipiente ordidem, ut sit idoneus ad exequendum.

Determinatio.

Conclusio. Quicumque in peccato mortali existens aliquod sacrum officium pertractat, peccat mortaliter.

Prob. Qui facit contra divinæ legis præceptum, peccat mortaliter. Sed quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, facit contra legis divinæ præceptum. Ergo quicumque aliquod sacrum officium pertractat, in peccato mortali existens, peccat mortaliter.

Minor manifest, quia divina lex præcipit. Deut. 16. quod homo juste ea quæ juxta sunt, exequatur. Et ideo quicumque hoc quod sibi competit ex ordine, facit indigne (quod facit, quando est in peccato mortali) quod justum est injuste exequitur, et contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia: non enim qui talis est, perplexus, ut necessitatem peccandi habeat, quia potest peccatum dimittere, vel resignare officium, ex quo obligatur ad ordinis executionem.

Ad 2. Negatur antecedens: nam est de jure naturali, ut homo sancte pertractet sancta, et quia jus naturale est indispensabile, contra hoc nullus potest dispensare.

Ad 3. Dicitur ad consequentia: quod quandiu minister Ecclesiæ, qui est in peccato mortali, ab Ecclesia sustinetur, ab eo sacramenta ejus subditus recipere debet, quia ad hoc est ei obligatus: sed tamen præter necessitatis articulum non esset tutum, quod eum induceret ad exequendum aliquid sui ordinis, durante tali consciencia quod ille in peccato mortali esset, quam tamen subditus deponere posset, quia homo in instanti á divina gratia emendatur.

Ad 4. Conceditur consequentia. Quandocumque enim homo exhibet se in aliquo actu, ut ministrum Ecclesiæ, in peccato mortali existens, mortaliter peccat, et toties quoties hujusmodi actum facit; quia ut Dion. dicit 1. c. Eccles. Hier, *Immundis, nec symbola* (idest sacramentalia signa) *tangere fas est.* Unde quando tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingerent vel exequerentur in illo casu, in quo etiam laicis liceret. Sicut si baptizarent in aliquo articulo necessitatis, vel si corpus domini in terram projectum colligerent.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 126.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum, quod requiritur bonitas vitæ in accedente ad ordinem, tum á scripturis, tum á Pontificibus summis. A Scripturis quidem ad Tit. 1. *Constituas per civitates presbyteros, sicut disposui tibi, si quis sine crimine est*, etc. Ecce, quod Apostolus inter alias conditiones ordinandorum hanc vult esse primam, quod sc. sint sine crimine, idest sine mortali peccato. Item Jo. 13. ubi lavantur pedes Apostolorum, antequam sacer-

dotium conferatur eis. Item Levit. 21. " Homo, qui habuerit maculam, non offeret. panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus. Si cæcus, si claudus, si vel parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem in oculo, si jugem scabiem habuerit, si impetiginem in corpore, vel herniosus. » Ex Levitico igitur die, ut supra. Nam *in figura omnia contingebant illis*. 1. Corinth. 10. et consequenter habens maculam intelligebatur ille, qui alicui peccato mortali subjacebat. Prohibebantur ergo á ministerio, idest ab ordine (loquendo in proposito) cæcus, idest ignorans, de quo art. sequenti; claudus, idest instalabilis in proposito non peccandi; naso parvo, grandi, vel torto, idest indiscretus plus, vel minus, aut prava contra legem exercens; fracto pede, vel manu, idest nolens bene operari, vel procedere in virtute: gibbus ante, vel retro, idest amator superfluus terrenorum; lippus, idest ingenium obscuratum habens per carnalem affectionem; nam lippitudo contingit ex fluxu humoris habens albuginem in oculo, idest praesumptionem candoris justitiae in sua cogitatione; vel jugem scabiem, idest petulantiam carnis; vel impetiginem (haec sine dolore corpus occupat et membrorum decorem fœdat) idest avaritiam; herniosus, vel ponderosus, idest gestans pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere. Haec ex 1. 2. q. 102. a. 5. ad 10. Item á Concilio Carthagin. 3. can. 22. *ut nulus ordinetur clericus, nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio*. Haec ibi; et recitantur dist. 24. cap. Nullus clericorum. De ista vero probatione loquens simul, et declarans Conc. Trid. sess. 23. cap. 5. de reform. sic ait. " Ad minores ordines promovendi bonum á parrocho, et á magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant: qui parrocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat: ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promovere, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, et vita, á fide dignis diligenter inquirat: et litteras testimoniales, ipsamque inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittat. Haec ibi; et cap. 7. Episcopus autem sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem institutionem, mores, doctrinam et fidem, diligenter investiget, et examinet. " Quæ etiam pro art. 2. et 4. aliqualiter faciunt: et cap. 8. " Unusquisque á proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat: nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu etiam statutis temporibus, permittatur; nisi ejus probitas ac mores, ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat: ordinans á collatione ordinum per annum, et ordinatus á susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. » Item á Stephano I. Papa epist. 1. ad Hilarium Episcopum. " Quod vero consuluistis Sedem Apostolicam, qui ad gradus Ecclesiasticos non sunt admittendi; pro auctoritate Sedis Apostolice te informare non denegamus. Infames, et fures, sacrilegos, omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum violatores, Apostolorum, atque succesorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes· omnes, qui adversus patres suos armantur, qui in omni mundo infamia notantur: incestuosos, homicidas perjuros, raptores, maleficos, beneficos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna petunt sibi loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur, aut accusant, et non probant: vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos: et omnes, quos Ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant: hos omnes ad sacros ordines non licet promovere nec servos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamus, nec eos, qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore: aut sanam non habent mentem, vel intellectum aut inobedientes Sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. » Quæ etiam pro qu. 32. 33. 24. et 36. Aliqualiter faciunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum et Scripturarum, pro quanto

bonitatem vitæ prærequiri ad ordines de necessitate præcepti decernunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice excludas errorem *Licinii* dicentis: litteræ appellandæ sunt virus, ac pestis. Nec mirum, cum illorum esset tam inscius omnino, ut ne decretis quidem subscribere posset. Item errorem *Quintini* dicentis, litteras esse abjiciendas, et spiritum vivificantem sequendum. Sub prætextu enim hujus secundi boni (si tamen per hoc ipse bonum intendebat) illum errorem primum de litteris abjiciendis amplectebatur. Item errorem *Juliani* Imperatoris apostatæ (ut habetur ex Nicephor. historiæ Ecclesiasticæ lib. 10. cap. 32. et Ruffin. ibidem, ca. 38. et 39.) dicentis: studia liberalia juventuti Christianæ interdicenda. Hoc instituit Julianus ipse apostata (quem quidam, proh dolor! utinam, non sequerentur) ne Christiani sacra sua ratione fulti amplificando vanam ejus religionem refellerent. Sic et Pharao mares interfici jussit: ne quando oppugnaretur, et expugnaretur, ab illis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos merito damnari á Concil. Toletano, ut recitatur dist. 38. cap. 1. dicente:» Ingnorantia mater cunctorum errorum, maxime sacerdotibus Dei evitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonentur scripturas Paulo Apostolo dicente ac Timotheum. Attende lectioni, et exhortationi doctrinæ, et semper permane in his. Sciant ergo sacerdotes sanctas scripturas, et canones, et omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat: atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.» Item Leo Papa Episcopis Constantinopolitanis. «Si in laicis videtur intolerabilis inscitia, quanto magis in iis, qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia?" Hæc ille; et recitantur dist. 38. Item á Scripturis 1. Corinth. 14. Ignorans ignorabitur. Hoc est, exponente B. Gregorio Papa in moralibus «Qui ea, quæ Dei sunt sapiunt, á Domino sapiuntur; et, qui ea, quæ Dei sunt nesciunt, á Domino nesciuntur, Apostolo testante, qui ait. 2. Si quis ignorat, ignorabitur.» Hæc ille; et recitantur dist. 38. Item 1. Corinth. 1. Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Hoc est, exponente Beato Hieronymo in Esaiam, ut recitatur dist. 38. «Si justa Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, et Dei sapientia, et, qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam: Scripturarum ignorantia Christi est ignorantia. Item á Dan. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et, qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Ergo, ut Zefirinus Papa; et recitatur dist. 38. sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium, et inhærentes firmamento sanctæ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.» Item á, etc. ut, 1. par. qu. 117. art. 1. append. et qu. 1. art. 5. append. et qu. 32. art. 2. et qu. 40. art. 1. append. vide, et bene applica. Item á Concil. Lateran. «Quoniam Ecclesia Dei, sicut pia mater, providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi, et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem Ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem, et scolares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur.» Hæc illud; et recitantur de magistris, etc. Item ab Alexandro III. ad Viton. Episcopum scribente " Sane, si quis distulerit magistros in locis congruis instituere; tibi liceat, ibi alios instructionis præficere viros providos, honestos, et discretos. » Hæc ille de magistris, etc. cap. Prohibeas. Item ab eodem ibid. cap. Quanto Gallicana, etc. Districte præcipimus; ut, quicumque viri idonei, et litterati voluerint regere studia litterarum, sine molestia, et exactione qualibet scholas regere permittantur. " Item á diversis, ut videre est in dist. 37. et 86. per totum, et dist. 92. cap. Statuimus, et cap. Misserum, et 3. qu. 1. cap. Oportet, et dist. 92. cap. Quis dubitet, et extr. delect. magistr. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á Concil. Trident. sess.§23. cap. 4. de reform. "Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint: et fidei rudimenta edocti non fuerint: quique legere, et scribere nesciant." Faciunt etiam hæc ad quæst. 35. art. 4. Item ibidem ca. 11. " Minores ordines, iis qui saltem latinam linguam intelligant,

conferantur. Haec ibi: et ca. 13. Subdiaconi, et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris, et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi." Vide supra art. 2. append. et in Conc. Trident. ibi ca. 14. et 18. Item ab eodem sess. 5. ca. 1. de reform. ubi de eligendo magistro etiam grammaticæ, ut deinceps ad theologiam transiri possit, decernit. Item ab Innocentio III. in Concilio generali. "Si de caetero Episcopi ordinare praesumpserint rudes, ignaros (quod quidem facile poterit deprehendi) et ordinatores, et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. Satius enim est, maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros." Haec ibi: et recitatur de aetat. qualit. et ord. praef. cap. Cum sit ars artium. Item ab Honorio III. tit. eodem, facto suo damnantur errores illi, dum ex defectu scientiae dejicit jam promotum: et sic: Quamvis, etc. "Quia Episcopus, confessus est coram nobis, se numquam de grammatica didicisse, nec etiam legisse donatum: per evidentiam facti de illiteratura, et insufficientia sua constat: quod contra Deum esset, et canonicas sanctiones, tantum in Episcopo tolerare defectum: ipsum á Pontificalis officii executione, et ab administratione Calinen. Ecclesiae penitus duximus amovendum." Item á Papa Leone X. sacro approbante Concil. Lateranen. sess. 8. de studiis generalibus pro clericis, et sess. 9. de liberalibus artibus pro pueris. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, et Scripturarum, pro quanto scientiam debitam requiri dicunt in suscipientibus ordinem, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Hussitarum*, ut refertur supra quaest. 20. art. 1. et qu. 31. art. 1. dicentium quod sacerdotem potiorem efficit non dignitas, sed vitae meritum. Item Pauperum de Lugduno, seu Waldensium, ut recitatur q. 8. art. 1. 2. et 3. dicentium, quod quilibet laicus bonus, et sciens absolvere potest, et pœnitentiam imponere. Idem dicentium: laicos tam viros, quam mulieres, quae sunt de secta ipsorum, posse consecrare, et confessiones audire. Hos enim omnes, pro quanto sacerdotem effici aliquem per meritum vitae statuunt, oppugnat, et expugnat praesens articulus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos merito esse damnatos á, etc. ut locis allegatis in appen. 2. loco. *Tertio* habes: : quomodo, per rationem ostendas, praedicta Patrum in illis, pro quanto gradum ordinis per meritum vitae solum non acquiri dicunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab omnibus Summis Pontificibus, et Conciliis de hac materia tractantibus, quod promovens ad ordines indignos peccat. Hoc autem insinuatum ab illis est, quando de examine praemittendo circa ordinandos distinctae mandaverunt. De quo vide tu de aetat. et qualitat. et ordin. praefic. item de temporibus ordinan. et qualit. ordin. tum extravag. tum in 6. Item speciatim ab Innocentio I. in epistola 4. ad Felicem Nucerianum Episcopum: "Nec cito quilibet lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito sacerdos fiat, etc. ut emensis stipendiorum meritis veniant. Quoniam ergo certa definitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprovari: ex his omnibus, quos videt dignatio tua non posse reprobari eligere debebit, quos clericos facies. Si enim nullam gratiam hominibus, aut beneficium præstare velimus, tales invenire possumus de quorum assumptione, nec incurrere scandalum, nec erubescere valeamus." Nota ly emensis meritis, et ly si enim nullam gratiam hominibus, aut, etc. Per primum siquidem designatur dignitas, quod scilicet non ordinentur, nisi secundum mensuram meritorum: per secundum vero notatur origo, unde venit, quod digni non promoveantur, et indigni non repellantur; et aliquo modo confirmatur dictum Sancti Thomæ in prima responsione ad primum, ut consideranti patet. Item á Concilio Bracharensi secundo, canone tertio: "Non aliquo pretio, etc. De Ecclesiasticis ordinationibus antiqua definitio Patrum ita statuit, dicens: anathema sit danti, et accipienti, propterea quia aliquanti multis sceleribus obnoxii sancto indigne ministrantes al-

tari non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonia clericos ordinare. » Item á Concil. Triden. sess. 7. cap. 11. de reformat. *Non ordinentur, nisi ab Episcopo id sua diœcesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti prævio examine.* Ecce quod non contentatur de examine, sed addit, quod sit diligens: ex quo, quanti momenti res ista existat, innuit. Item ab eodem sess. 33. cap. 3. de reformat. *Episcopi impediti subditos suos non aliter, quam jam probatos, et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* Faciunt etiam hæc pro confirmatione supra dictorum in corollar. post conclus. Item ab eodem, sess. eadem, cap. 12. de reformat. " Sciant Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi: sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. » Item ab eodem ibi, cap. 16. *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis. Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta Patrum, pro quanto ordinantes indignos peccare insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice á fortiori interimas hæresim *Lutheri* pestifere dicentis: " magnus error est eorum, qui accedunt ad hoc sacramentum Eucharistiæ huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis quod præmiserint orationes suas, ac præparatoria, omnes hi judicium sibi manducant, et bibunt: sed confidant, et credant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, et dignos. » Nam, cum præsens articulus demonstret illud, quod est minus, puta exequi officium diaconi, vel subdiaconi, non posse fieri absque peccato mortali novo, (quod sacrilegium vocatur) ab eo, qui sibi conscius est de peccato mortali, appertissimum est, quod multo magis per hoc demonstrat, quod non licet accedere ad Eucharistiam sumendam ei, qui sibi conscius est de peccato mortali, absque incursu sacrilegii majoris. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam hæresim merito damnari á Leone X. in bulla contra errores Lutheri: cujus damnationem legas quæst. 1. ar. 1. append. addendo quæst. 24. art. 1. append. Item á Concilio Triden. sess. 13. ca. 7. quod vide supra quæst. 5. ar. 1. Item á, etc. de consec. dist. 2. ca. Quid ergo, ca. Sancta, ca. Sicut Judas, et ca. Timorem. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á sacris litteris, quod existens in peccato mortali illicite exequitur officium ordinis sui. Insinuatum autem est hoc 1. Timoth. 3. Diaconos, etc. et sic ministrent nullum crimen habentes. Item Esa. 56. Lavamini, et mundi estote, qui fertis vasa Domini. Vide supra quæst. 32. art. 3. append. de vindicta contra Balthasar, et quæst. 33. art. 1. not. post ad primum de vindicta contra Julianum. Item Hebr. 12. " Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Item Exod. 30. In aqua lavabunt Aaron, et filii ejus manus, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accesuri sunt ad altare, ut offerant thymiama Domino: ne forte moriantur. » Nota tu, quod ly forte hic sumitur, ut dicit assertionem, non dubitationem: et ex his infer á fortiori intentum tuum. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto vel directe, vel in radice á fortiori insinuant, indigne ministrantes peccare, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA.

DE DISTINCTIONE ORDINUM, ET EORUM ACTIBUS, ET CHARACTERIS IMPRESSIONE; IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Consequenter agendum est de distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum ordo debeat in plures distingui.

Secundo, quot sint.

Tertio, utrum debeant distingui per sacros, et non sacros.

Quarto, utrum actus ordinum convenienter in littera assignentur.

Quinto, quando ordinum characteres imprimantur.

ARTICULUS I.

Utrum debeant plures ordines distingui.

Pro negativa. = Videtur quod non debeant plures ordines distingui.

1. Sacramentum quod est aliis sacramentis dignius, non debet distingui in plura, quæ prædicationem totius recipiant. Sed sacramentum ordinis est dignius aliis sacramentis. Ergo sacramentum ordinis non debet distingui in plures ordines.

Maior prob., quia quanto aliqua virtus est maior et dignior, tanto minus est multiplicata. Igitur sacramentum, quod est dignius, minus debet multiplicari.

Minor prob., quia sacramentum ordinis constituit eos qui ipsum suscipiunt, in aliquo gradu super alios.

2. Si sacramentum ordinis dividitur in plures ordines, aut hæc divisio est totius in partes integrales, aut in partes subjectivas. Sed non potest esse divisio in partes integrales, nec in partes subjectivas. Ergo sacramentum ordinis non dividitur in plures ordines.

Minor prob. Non in partes integrales; quia sic non reciperent prædicationem totius: paries enim qui est pars integralis domus, non recipit prædicationem totius, ut possit dici: paries est domus. Et tamen potest dici, diaconatus est ordo, et sic de aliis ordinibus.

Non in partes subjectivas, quia sequeretur quod sacerdotium et diaconatus et subdiaconatus et alii ordines, sicut sunt ordines, essent etiam tot sacramenta. Et sic posset dici quod septem ordines sunt septem sacramenta quod est inconveniens.

Conseq. hæc prob., quia partes subjectivæ recipiunt etiam in plurali prædicationem generis, non solum proximi, sed etiam remoti: sicut leo et bos sunt plura animalia et plura corpora animata. Unde si presbyteratus et diaconatus sunt partes subjectivæ, posset dici quod essent plures ordines et etiam plura sacramenta.

3. In nobilissimo regno, non debet esse pluralitas ordinum. Sed regnum Ecclesia est nobilissimum. Ergo in Ecclesia non debet esse pluralitas ordinum, sed tota potestas debet esse apud unum.

Maior prob., quia regnum in quo unus tantum principatur, est nobilius inter omnes modos regendi, ut patet 8. Ethic. c. 10. Unde in nobilissimo regnandi modo, non sunt ponendi diversi gradus, sed tota potestas apud primum esse debet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In corpore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo in Ecclesia debent esse diversi ordines.

Conseq. prob., quia Ecclesia est corpus Christi mysticum, simile corpori naturali, secundum Apostolum.

2. In veteri testamento, non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum levitæ sanctificabantur. Ergo in novo testamento, debent consecrari per sacramentum ordinis non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum: et ita oportet quod sint plures ordines.

Conseq. prob., quia ministerium novi testamenti est dignius, quam veteris, ut patet 2. Cor. 3.

Determinatio.

Conclusio. In Ecclesia debent esse plures ordines.

Prob. tripliciter. Primo propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet, tam in naturalibus, quam in spiritualibus quod significatur in hoc quod «Regina saba videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra «spiritum, deficiens in admiratione sa«pientiæ illius,» ut dicitur 3. Reg. 10. et 2. Paral. c. 9.

Secundo, ad subveniendum humanæ infirmitati: quia enim per unum non poterant omnia, quæ ad divina mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine, ideo distinguuntur ordines diversi, ad diversa officia. Et hoc patet per hoc quod Dominus num. 11. dedit Moysi septuaginta senes populi in adjutorium.

Tertio, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis constituuntur, ut omnes sint Dei cooperatores; quo nihil est divinius, ut Dion. dicit 3. cap. cœlest. Hierarch.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non est enim eadem ratio de sacramento ordinis, et de aliis sacramentis. Alia enim sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos. Sacramentum autem ordinis principaliter datur ad actus aliquos agendos, et ideo secundum diversitatem actuum oportet quod ordinis sacramentum distinguatur, sicut potentiæ distinguuntur per actus. Ad prob. dicitur, quod virtus ordinata ad actus, quanto ad plura se extendit, est dignior et nobilior.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod divisio ordinis, non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potentialis, cujus hæc est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo hujus sacramenti est in uno ordine, scilicet in sacerdotio; in aliis autem est quædam ordinis participatio. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit Num. 11. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Et ideo omnes ordine sunt unum sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem et ad ejus prob. quod in regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam potestatis regiæ. In aliis autem regendi modis, ut in Aristocratica apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes.

ARTICULUS II.

Utrum sint septem ordines.

Pro negativa=Videtur quod non sint septem ordines.

1. Tres tantum sunt actus hierarchici, scilicet *purgare, illuminare, et perficere*, secundum quos Dion. distinguit tres ordines. 5. c. Eccles. Hierar. parte 1. Ergo tres tantum et non septem sunt ordines.

Conseq. prob., quia ordines Ecclesiæ ordinantur ad actus hierarchicos.

2. In doctrina Christi et apostolorum non fit mentio nisi de presbyteris et diaconis. Ergo videtur quod non sint alii ordines.

Conseq. prob., quia omnia sacramenta habent efficaciam et auctoritatem ex institutione Christi, vel saltem apostolorum.

3. Alia sacramenta, á sacramento ordinis, non sunt nisi sex. Ergo sex tantum debent esse ordines.

Conseq. prob., quia per sacramentum ordinis constituitur aliquis dispensator aliorum sacramentorum.

Quod sint plures.

1. In hierarchia angelica sunt novem ordines. Ergo totidem, vel plures debent ordines esse in Ecclesia.

Conseq. prob., quia quanto aliqua virtus est altior, tanto minus est multiplicabilis. Cum ergo potestas hierarchica in Angelis sit altior quam Ecclesiastica, in ea debent esse pauciores ordines,

quam sint in hierarchia Ecclesiastica.

3. Ad pronunciandum in Ecclesia prophetias est unus ordo, scilicet lectorum. Ergo debet esse alius ordo ad pronuntiandum Psalmos.

Conseq. prob., quia prophetia Psalmorum est nobilior inter omnes alias prophetias.

Et confirmatur, quia dist. 25. c. Perlectis. Psalmista secundus ab ostiario inter ordines ponitur.

Determinatio.

Prima quorumdam assignatio.

Quidam assignant sufficientiam ordinum, per quandam adaptationem ad gratias gratis datas. Sunt enim gratiæ gratis datæ novem, ut dicitur 1. Cor. 12. et ut dictum est 1. 2. quæst. 111. art. 4. Dicunt igitur quod *sermo sapientiæ* competit Episcopo: quia ipse aliorum ordinator est quod ad sapientiam pertinet. Sermo scientiæ sacerdoti: quia sacerdos debet habere clavem scientiæ. Fides diacono: qui prædicat Evangelium. Opera virtutum subdiacono; qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentiæ. Interpretatio sermonum acolyto quod significatur in lumine quod defert. Gratia sanitatum Exorcistæ. Genera linguarum Psalmistæ. Prophetia lectori. Discretio spirituum ostiario; qui repellit quosdam, quosdam admittit. Unde secundum istos novem sunt ordines, juxta numerum gratiarum gratis datarum, qui sic disponuntur.

Gratiæ gratis datæ.		*Ordin. correspondentes.*
1. Sermo sapientiæ.	Qui competit.	1. Episcopo,
2. Sermo scientiæ.		2. Sacerdoti.
3. Fides.		3. Diacono.
5. Opera virtutum.		4. Subdiacono.
8. Interpretatio sermonum.		5. Acolyto.
4. Gratia sanitatum.		6. Exorcistæ.
9. Genera linguarum		7. Psalmistæ.
6. Prophetia.		8. Lectori.
7. Discretio spirituum.		9. Ostiario.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est propter duo. Primo, qui gratiæ gratis datæ, non dantur omnes eidem, ordines autem omnes eidem dantur. Secundo, quia in hac enumeratione ponuntur quædam, quæ non sunt ordines, scilicet Episcopatus, et Psalmistatus.

Secunda quorumdam aliorum positio.

Et ideo alii assignant numerum, secundum quandam assimilationem ad cœlestem Hierarchiam. In cœlesti enim Hierarchia distinguuntur ordines, secundum purgationem, illuminationem, et perfectionem. Dicunt enim quod.

Ostiarius purgat exterius, segregando bonos á malis, etiam corporaliter.

Acolytus purgat interius, quia per lumen quod portat, significat se interiores tenebras pellere.

Exorcista purgat interius, et exterius quia diabolus, quem expellit, utroque modo perturbat.

Illuminatio autem fit per doctrinam, quæ est vel. Prophetica vel Apostolica, vel Evangelica.

Lectores illuminant per doctrinam Propheticam.

Subdiaconi illuminant per doctrinam Apostolicam.

Diaconi per doctrinam Evangelicam.

Perfectio etiam triplex est, scilicet communis, excellens, et excellentissima. Perfectio communis est, quæ fit per pœnitentiam, baptismum, et hujusmodi. Excelens est, quæ fit per consecrationem sacerdotum, et virginum. Excellentissima est, quæ omnia hæc comprehendit.

Perfectio communis pertinet ad sacerdotes.

Perfectio exellens pertinet ad Episcopos.

Perfectio excellentissima pertinet ad summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis. Unde juxta sententiam sic opinantium, sunt novem ordines, quorum tres ordinantur ad purgandum, qui sunt.

Ostiariatus, qui purgat exterius.

Acolytatus, qui purgat interius.

Exorcistatus, qui purgat utroque modo.

Ad illuminandum, ordinantur.

Lectoratus, per doctrinam Prophetarum.

Subdiaconatus, per doctrinam Apostolorum.

Diaconatus, per doctrinam Evangelistarum.

Ad perficiendum ordinantur.

Sacerdotium quod perficit perfectione communi.

Episcopatus, qui perficit perfectione excellenti.

Summus Pontificatus, qui perficit perfectione excellentissima.

Reprobatio.

Sed hoc iterum nihil est, tum quia ordines cœlestis Hierarchiæ non distinguuntur per predictas actiones Hierarchicas, cum quælibet hujusmodi actio, cuilibet ordini conveniat. Tum quia secundum Dion. Solis Episcopis convenit perficere, illuminare sacerdotibus, purgare autem ministris omnibus. Unde inconvenienter attribuitur perficere sacerdotibus, et illuminare lectori, diacono et subdiacono.

Tertia aliorum positio.

Et ideo alii appropriant ordines septem donis Spiritus Sancti. Dicunt enim quod sacerdotio respondet donum sapientiæ quæ nos pane vitæ et intellectus cibat, sicut sacerdos nos pane cœlesti reficit. Timor respondet ostiario, quia nos separat á malis: et sic intermedii ordines respondent mediis donis hoc ordine.

Dona Spiritus Sancti.		*Ordines eis correspondentes.*
1. Sapientiæ.	Correspondet.	1. Sacerdotium.
2. Intellectui.		2. Diaconatus.
3. Scientiæ.		3. Subdiaconatus.
4. Consilio.		4. Acolytatus.
5. Pietati.		5. Lectoratus.
6. Fortitudini.		6. Exorcistatus.
7. Timoori.		7. Ostiariatus.

Reprobatio.

Sed hoc etiam nihil est. Quia septiformis gratia Spiritus Sancti datur in quolibet dictorum ordinum, et ideo aliter est dicendum.

Vera sententia.

Conclusio. Ordines Ecclesiæ sunt septem, scilicet sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, acolytatus, lectoratus, exorcistatus, et ostiariatus.

Manifestatur, præmittendo quod distinctio ordinum accipienda est secundum relationem ad Eucharistiam, ad quam sacramentum ordinis ordinatur. Potestas igitur ordinis ordinatur, aut ad consecrandam Eucharistiam, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad Eucharistiæ sacramentum. Si ordinetur ad consecrationem Eucharistiæ, sic est ordo sacerdotum, qui propterea dum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, accipientes potestatem conficiendi corpus et sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum, vel est in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, triplex ministerium occurrit. Primum est, quo minister cooperatur sacerdoti in dispensatione sacramenti, et hoc pertinet ad diaconum. Unde ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi. Secundum ministerium est, quo materia consecranda ordinatur et preparatur in sacris vasis, et hoc pertinet ad subdiaconum, de quo dicitur quod vasa dominici corporis et sanguinis portat, et oblationes in altari ponit. Et ideo accipit calicem de manu Episcopi cum ordinatur, sed vacuum. Tertium ministerium est ordinatum ad præsentandum materiam sacramenti, et hoc competit Acolyto; ipse enim urceolum cum vino et aqua præparat. Unde accipit urceolum vacuum.

Ministerium autem ordinatum ad præparationem eorum qui recipere debent Eucharistiæ sacramentum, non po-

test esse nisi super immundos; nam qui mundi sunt, jam idonei sunt ad sacramenta percipienda. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dion. 3. cap. Eccles. Hierar. Quidam enim sunt omnino infideles credere nollentes; et hi totaliter, etiam, á visione divinorum et á cætu fidelium sunt arcendi, et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam sunt volentes credere, sed nondum sunt instructi, scilicet Cathecumeni; et ad horum instructionem ordinatur ordo lectoratus. Et ideo lectoribus prima rudimenta doctrinæ fidei, scilicet vetus testamentum, committitur legendum. Quidam vero sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex dœmonis potestate, scilicet energumeni, et ad hoc ministerium ordinatur ordo exorcistarum.

Igitur sacerdos consecrat Eucharistiam.

Diaconus cooperatur sacerdoti ad dispensationem Eucharistiæ.

Subdiaconus præparat in vasis sacris materiam consecrandam.

Acolytus præsentat materiam consecrandam.

Exorcista disponit fideles instructos impeditos tamen á dæmone.

Lector instruit infideles volentes credere.

Ostiarius repellit infideles nolentes credere.

Et sic patet ratio numeri, et gradus ordinum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Dion. loquitur de ordinibus, non secundum quod sunt sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas operationes ordinantur: et ideo secundum illas tres operationes tres ordines distinguit, quorum ordinum primus, scilicet Episcopatus, habet omnes illas tres operationes. Pertinet enim ad Episcopum purgare, illuminare, et perficere. Sacerdotium habet duas, scilicet purgare et illuminare. Diaconus habet unam, scilicet purgare. Et sub hoc omnes alii ordines comprehendantur. Sed ordines habent quod sint sacramenta non ex hierarchicis actionibus, sed ex relatione ad maximum sacramentorum: et ideo ex hac relatione debet numerus ordinum sumi, ut in corpore factum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur, ut patet per Dion. in 3. c. Eccles. Hier. Ubi dicit: « ministrorum, alii stant ad portas tem- « pli clausas, alii aliud proprii ordinis « operantur, alii autem sacerdotibus pro- « ponunt super altare sacrum panem et « benedictionis calicem. » Nihilominus erant omnes prædictæ potestates implicitæ in una diaconi potestate: sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Unde magister dicit in 24. dist. 4. lib. Sent. quod Ecclesia alios ordines sibi instituit, idest id quod implicite erat in uno, in diversos distribuit.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ordines principaliter ordinantur ad sacramentum Eucharistiæ; ad alia autem sacramenta distribuenda ordinantur consequenter: quia etiam alia sacramenta ab eo quod in hoc sacramento continetur, scilicet á Christo derivantur; et ideo non oportet quod distinguantur ordines secundum sacramenta.

Ad argumenta pro altera parte inducta.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod verum assumit in his quæ sunt ejusdem ordinis, non autem in his quæ sunt diversi ordinis: quia enim sensus communis est altior virtus, quam sensus exterior; ideo sensus communis minus multiplicatur, quam exterior sensus. Angeli autem, et homines in proposito sunt diversorum ordinum: nam Angeli specie differunt, et propter hoc

in eis potest esse diversus modus accipiendi divina, ut 1. p. quæst. 111. dictum est: secundum quem diversum modum est distinctio hierarchiarum, et ordinum in eis. In hominibus autem est tantum una hierarchia, propter unum modum accipiendi divina, qui consequitur humanam speciem, scilicet per similitudines rerum sensibilium. Et ideo distinctio ordinum in Angelis non potest esse per comparationem ad aliquod sacramentum, sicut est apud nos, sed solum per comparationem ad hierarchicas actiones.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quia Psalmi cum cantu pronunciantur; Psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum. Psalmista enim dicitur cantor quod non est nomen ordinis specialis: tum quia cantare pertinet ad totum chorum: tum quia non habet aliquam specialem relationem ad ad Eucharistiam. Quia tamen officium quoddam est, inter ordines largo modo acceptos, quandoque computatur, ut fit in cit. Can.

ARTICULUS III.

Utrum ordines debeant distingui per sacros et non sacros.

Pro negativa=Videtur quod ordines non debeant distingui per sacros et non sacros.

1. Omnia sacramenta sunt sacra. Omnes ordines sunt sacramenta. Ergo omnes ordines sunt sacri.

2. Ea per quæ homo deputatur ad divina officia, sunt sacra. Sed per omnes ordines deputatur homo ad divina officia. Ergo omnes ordines sunt sacri.

Maior prob., quia omnia divina officia sunt sacra.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ordines maiores, scilicet presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus, impediunt matrimonium contrahendum et dirimunt contractum; quatuor vero minores non impediunt; nec dirimunt. Ergo ordines maiores sunt sacri, et minores non sunt sacri.

Conseq. patet, quia proprium est sacrorum ordinum impedire matrimonium contrahendum, et dirimere jam contractum.

Determinatio.

Distinctio. Ordo dicitur sacer dupliciter. Uno modo, secundum se. Alio modo, ratione materiæ circa quam habet aliquem actum.

1.ª Conclusio. Secundum se, omnes ordines sunt sacri.

Hanc probant argumenta inducta pro negativa. Omnes enim ordines pertinent ad sacramentum ordinis, et per omnes ordines homo deputatur ad sacra officia.

2.ª Conclusio. Ratione materiæ non omnes ordines sunt sacri, sed tres maiores, scilicet sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus sunt sacri; reliqui vero quatuor non sunt sacri.

Manifestatur, quia sacerdotium et diaconatus habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum. Subdiaconatus habet actum circa vasa consecrata; et propter hoc eis contientia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod omne sacramentum est sacrum secundum se, et similiter omnia quæ sub sacramentis continetur, sunt sacra: tamen non omnes sacramenti partes necesse est ut sint sacræ ratione materiæ.

Ad 2. Similiter dicitur quod ea per quæ homo ordinatur ad sacra ministeria sunt sacra secundum se, non ratione materiæ.

ARTICULUS IV.

Utrum actus ordinum convenienter assignentur.

Pro negativa. = Videtur quod actus ordinum inconvenienter assignentur.

1. Illud, per quod aliquis præparatur ad corpus Christi suscipiendum, incon-

venienter ponitur actus proprius sacerdotis. Sed per confessionem et absolutionem præparatur aliquis ad Eucharistiam suscipiendam. Ergo absolvere á peccatis inconvenienter assignatur proprius actus sacerdotis.

Maior prob., quia præparatio suscipientium sacramentum pertinet ad inferiores ordines.

2. Actus, qui immediate sunt ad Deum ordinati, non convenienter assignantur proprii sacerdotum. Sed orare et offerre oblationes, sunt actus immediate ad Deum ordinati. Ergo orare et oblationes offerre, non sunt proprii actus sacerdotum.

Maior prob., quia homo per baptismum est immediate Deo configuratus, characterem configurantem suscipiens, et ideo quilibet baptizatus potest facere actus, qui sunt immediate ordinati ad Deum.

Actus, qui conveniunt subdiacono, inconvenienter assignantur tamquam proprii diacono. Sed oblationes in altari ponere et epistolam legere et crucem ferre, etiam coram Papa, ab subdiaconum pertinent. Ergo inconvenienter hi ponuntur actus diaconi.

Maior prob., quia diversorum ordinum diversi sunt actus.

4. Legere vetus testamentum pertinet ad lectorem. Ergo etiam legere novum testamentum pertinet ad lectorem, et non ad diaconum.

Conseq. prob., quia eadem veritas continetur in veteri et in novo testamento.

5. Enunciare doctrinam apostolorum est actus subdiaconi. Ergo enunciare doctrinam Evangelii pertinet etiam ad subdiaconos.

Conseq. prob., quia Apostoli nihil aliud prædicaverunt, quam Evangelium Christi, ut patet Rom. 1.

6. Illud quod est actus subdiaconi, non debet acolytis tribui. Sed ministrare cum urceolo, est actus subdiaconorum. Ergo ministrare cum urceolo non debet acolytis attribui.

Maior prob., quia secundum Dion. cap. 3. Eccles. Hierarch. Quod est superioris ordinis, non debet inferiori convenire.

7. Acolytus non habet nisi actum corporalem. Ergo exorcista, qui est inferior acolyto, non habet actum spiritualem pellendi dæmones.

Conseq. prob. quia actus spirituales debent corporalibus præeminere.

8. Actus maxime conveniens cum actu qui convenit superioribus ministris, non est attribuendus lectori, sed acolyto. Sed legere vetus testamentum, maxime convenit cum lectione novi testamenti, qui actus convenit superioribus ministris, scilicet subdiacono, et diacono. Ergo actus legendi vetus testamentum, non est attribuendus lectori qui est secundus ordo, sed acolyto qui proximus est subdiacono.

Maior prob., quia ea, quæ magis conveniunt, sunt juxta se ponenda.

9. In quolibet actu ordinis spiritualis debet esse aliqua vis spiritualis, quam ordinati per aliis habeant. Sed in apertione et clausione ostiorum non habent aliam potestatem ostiarii, quam alii homines. Ergo apertio et clausio ostiorum non debet poni actus ostiariorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est auctoritas magistri in dist. 24. lib. 4. Sentent. Ubi prædictos actus ordinibus assignat.

Determinatio.

Conclusio. Actus ordinum convenienter assignantur, et sunt qui sequuntur.

Actus ostiariatus est fideles in Ecclesia recipere, et infideles et excomunicatos repellere.

Lectoratus est, prophetias cantare, et vetus testamentum populo pronunciare.

Exorcistatus est, exorcismos legere super energumenos et cathecumenos.

Acolytatus est, præparare aquam et vinum ad Eucharistiæ sacrificium.

Subdiaconatus est, præparare et portare ad altare materiam ad sacrificium necessariam in vasis sacris.

Actus diaconatus est, ministrare sacerdoti celebranti.

Actus sacerdotis est Eucharistiam consecrare.

Manifestatur: quia per hujusmodi actus magis proxime se habent ad sacramentum Eucharistiæ, ad quod fit consecratio in sacramento ordinis: et secundum hos actus unus ordo est altero eminentior, secundam scilicet quod magis, vel minus proxime Eucharistiæ deserviunt.

Quia tamen ad Eucharistiæ sacramentum, quasi dignissimum, multa ordinantur; propterea non est inconveniens quod unus ordo præter principalem actum, etiam alios actus habeat, et tanto plures quanto est eminentior: quia virtus quanto est superior, tanto ad plura se extendit. Unde ad diaconum, præter actum ministrandi sacerdoti, convenit legere Evangelium, dispensare sanginem Domini, etc. Et subdiacono convenit præter actum præparandi et portandi ad altere materiam consecrandam, legere Epistolam et portare crucem, et sic de aliis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod duplex est præparatio suscipientium sacramentum. Quædam remota, et hæc per inferiores ministros efficitur. Quædam proxima, per quam statim efficiuntur idonei ad sacramentorum susceptionem. Et hæc pertinet ad sacerdotes. Quia etiam in naturalibus, ab eodem agente fit materia in ultima dispositione ad formam, et recipit formam. Et quia in proxima dispositione ad Eucharistiam fit aliquis, per hoc quod á peccatis purgatur, ideo omnium sacramentorum quæ sunt instituta principaliter ad purgationem peccatorum, est proprius minister sacerdos, scilicet baptismi, pœnitentiæ et Extremæ-unctionis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod actus aliqui ordinantur ad Deum immediate dupliciter. Uno modo ex parte unius personæ tantum, ut sunt facere orationes singulares, vovere, et hujusmodi: et tales actus competunt cuilibet baptizato. Alio modo ex parte totius Ecclesiæ, et sic solus sacerdos habet actus immediate ad Deum ordinatos, quia ipse solus potest gerere personam totius Ecclesiæ qui consecrat Eucharistiam quæ est sacramentum universalis Ecclesiæ.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod oblationes oblatæ á populo, per sacerdotem offeruntur, et ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium. Unum ex parte populi, et hoc est subdiaconi qui accipit oblationes á populo, et altari imponit, vel offert diacono. Aliud ex parte sacerdotis, et hoc Diaconi est qui oblationes ministrat ipsi sacerdoti; et in hoc est actus principalis utriusque ordinis, propter quod etiam ordo diaconi est superior. Legere autem Epitsolam, non est actus diaconi, nisi secundum quod actus inferiorum ordinum superioribus attribuuntur. Similiter etiam crucem ferre, et hoc secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum, in actibus secundariis, non est inconveniens diversas consuetudines esse.

Ad 4. Negatur consequentia: Ad probationem dicitur, quod eadem est veritas utriusque testamenti, non tamen eodem modo tradita. Doctrina enim utriusque testamenti in hoc convenit quod utraque est remota præparatio ad suscipiendum sacramentum, et propterea prænunciatio doctrinæ, tam veteris, quam novi testamenti ministris committitur. Differunt autem ad invicem, quia doctrina veteris testamenti magis remota est, quam doctrina novi, et ideo novum testamentum superioribus ministris pronunciandum, committitur; vetus autem

inferioribus. Doctrina etiam novi testamenti perfectior est, quam Dominus per seipsum tradidit, quam ipsius manifestatio per Apostolos; Et ideo Evangelium diaconis, Epistola subdiaconis committitur.

Ad 5. Negatur conseq. Ad probationem jam dictum est quod doctrina Evangelii, quam Dominus per seipsum tradidit, perfectior est quam doctrina, qua Apostoli doctrinam Christi manifestaverunt.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod acolyti habent actum super urceolum tantum, non super ea quæ in urceolo continentur. Sed subdiaconus habet actum super contentis in urceolo, quia utitur aqua et vino ad ponendum in calice, et aquam iterum manibus sacerdotis præbet: et diaconus, sicut et subdiaconus, solum habet actum super calicem, non super contenta, sed sacerdos super contenta. Et ideo sicut subdiaconus in sui ordinatione accipit calicem vacuum, et sacerdos plenum; ita acolytus accipit urceolum vacuum, et subdiaconus plenum. Et sic est quædam connexio in ordinibus. Ministrare enim cum urceolo est actus acolyti et subdiaconi, diverso tamen modo.

Ad 7. Neg. conseq. Ad prob. quod actus spirituales præeminent corporalibus, cæteris paribus. In proposito autem cætera non inveniuntur paria; quia nobilitas actuum in ordinibus desumitur ex maiori propinquitate ad Eucharistiam. Et quia actus acolyti, quamvis sint corporales, magis tamen de proximo ordinantur ad actus sacrorum ordinum, quam actus exorcistæ quamvis etiam sit aliquo modo spiritualis, eo quod acolyti habeant ministerium super vasa, in quibus materia sacramenti continetur, quantum ad vinum quod vase continente indiget propter sui humiditatem, ideo inter omnes minores ordines, acolytorum ordo est superior.

Ad 8. Negatur minor. Nam actus acolytorum se habet propinquius ad actus principales superiorum ministrorum, quam actus aliorum minorum ordinum, ut per se patet: quia scilicet acolytus ministrat subdiacono vinum in urceolo: et similiter etiam quantum ad actus secundarios, quibus populum per doctrinam disponunt quia acolytus doctrinam novi testamenti visibiliter figurat lumen portans. Sed lector recitando figuras tantum populum disponit: et propterea acolytus est superior. Similiter etiam exorcista: quia sicut se habet actus lectoris, ad actum secundarium subdiaconi et diaconi; ita se habet actus exorcistæ ad secundarium actum sacerdotis, scilicet ligare et absolvere, per quem homo spiritualiter á servitute diaboli liberatur, sicut per actum exorcistæ corporaliter. Et in hoc patet ordinatissimus ordinum progressus, quia sacerdoti, quantum ad actum ejus principalem, scilicet consecrare corpus Christi, cooperantur tantum tres superiores ordines: sed quantum ad actum ejus secundarium qui est absolvere et ligare, cooperantur superiores et inferiores, ut dictum est.

Ad 9. Quidam negant minorem, dicentes quod in susceptione ordinis datur ostiario, quædam vis divina, ut arcere possit alios ab introitu templi, sicut et in Christo fuit, quando ejecit de templo ementes et vendentes.

Reprobatio.

Sed hoc in proposito nihil est, quia hujusmodi vis, si daretur, magis pertineret ad gratiam gratis datam, quam ad gratiam sacramenti, de qua nunc est sermo.

Vera responsio.

Ad argumentum igitur dicitur etiam negando minorem. Suscipit enim ostiarius in sua ordinatione potestatem, ut ex officio possit templi januas claudere et aperire, quamvis hoc etiam ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est etiam in omnibus actibus minorum ordinum, qui possunt per alios licite fie-

ri; quamvis illi ad hoc non habeant aliquod officium. Sicut etiam in domo non consecrata potest dici missa, quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, ut in ea missa dicatur. Habent igitur ostiari, in apertione ostiorum, aliquid quod alii non habent, scilicet ut ex officio januas Ecclesiæ possint claudere et aperire.

ARTICULUS V.

Utrum sacerdoti imprimatur character in calicis porrectione.

Pro negativa.=Videtur quod sacerdoti non imprimatur character in calicis porrectione.

1. Ei, cujus consecratio fit cum quadam unctione, imprimitur character in ipsa unctione. Sed sacerdotis consecratio fit cum quadam unctione. Ergo sacerdoti imprimitur character in ipsa unctione, et non in calicis porrectione.

Maior prob., quia in confirmatione, quæ fit cum quadam unctione, imprimitur character in ipsa unctione.

2. Dominus dedit Apostolis sacerdotalem potestatem, quando dixit: accipite *Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* etc. Jo. 20. Sed Spiritus Sanctus datur sacerdotibus per manuum impositionem. Ergo et in ipsa manuum impositione imprimitur character ordinis.

3. Sicut consecrantur ministri, ita et vestes ministrorum. Sed veste sola benedictione consecrantur. Ergo sacerdotis consecratio sola benedictione Episcopi efficitur.

4. Si in datione calicis imprimitur character, eadem ratione imprimetur character in datione casulæ, et sic sacerdos haberet duos characteres; quod est falsum.

Conseq. prob., quia sicut sacerdoti datur calix, ita et vestis sacerdotalis.

5. Si character imprimeretur sacerdoti in ipsa calicis porrectione, sequeretur quod subdiaconus esset conformior sacerdoti, quam diaconus: quod est falsum. Ergo sacerdoti non imprimitur character in calicis porrectione.

Conseq. prob., quia subdiaconus characterem recipit in porrectione calicis, non autem diaconus.

Falsitas patet. Nam diaconus conformior et propinquior est sacerdoti, quam subdiaconus.

6. Acolytorum ordo magis appropinquat ad actum sacerdotis, per hoc quod habet actum super urceolum quam per hoc quod habet actum super candelabrum. Sed magis accipitur character in acolytis quando accipiunt candelabrum, quam quando accipiunt urceolum. Ergo in sacerdote non imprimitur character quando calicem accipit, sed potius quando accipit vestem, vel quando ei manus imponuntur.

Minor prob., quia acolyti nomen portationem cerei significat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quando datur sacerdoti potestas consecrandi corpus Christi, tunc ei imprimitur character. Sed in porrectione calicis datur sacerdoti potestas consecrandi corpus Christi. Ergo in porrectione calicis imprimitur ei character.

Maior prob., quia consecrare corpus Christi est principalis actus sacerdotis. Ergo quando datur sacerdoti hujusmodi potestas, imprimitur etiam ei character.

Determinatio.

Conclusio. Character sacerdotalis imprimitur in ipsa datione calicis, sub forma verborum determinata.

Prob. In porrectione ejus quod pertinet ad proprium sacerdotis actum, imprimitur sacerdotalis character. Sed calix pertinet ad proprium sacerdotis actum. Ergo in porrecctione calicis, cum determinata forma verborum ab Episcopo prolatorum, imprimitur sacerdotalis character.

Maior manifestatur. Cum enim ejusdem sit, formam inducere et materiam de proximo præparare, ut art. præced.

dictum est; Episcopus ad quem pertinet ordinis sacramentum conferre, in collatione ordinum duo facit. Primo præparat ordinandos ad susceptionem ordinis. Secundo eis ordinis potestatem tradit. Præparat quidem et instruendo eos de propio officio, et aliquid circa eos operando, ut idonei sint ad potestatem suscipiendam. Quæ quidem præparatio in tribus consistit, scilicet in benedictione, manuum impositione, et unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipatur; et ideo benedictio omnibus datur. Per manuum impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sint idonei, et ideo solis diaconis et sacerdotibus fit manuum impositio: quia eis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni sicut principali, scilicet sacerdoti, alteri sicut ministro, scilicet diacono. Unctione autem consecrantur ad aliquod sacramentum tractandum, et ideo unctio solis sacerdotibus fit, qui soli corpus Christi propriis manibus tangunt, sicut calix inungitur, qui continet sanguinem, et patena quæ continet corpus Christi; et in nullo horum imprimitur character sacerdotalis, quia per nullum horum confertur sacerdotalis potestas, sed solum præparatur, qui sacerdotalem potestatem est susceptorus. Datur autem sacerdotalis potestas per hoc quod eis datur aliquid pertinens ad proprium actum, et tunc character imprimitur, et sic patet maior.

Minor prob. quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Domini, ad quem actum pertinent calix et patena, quæ continent ipsum sanguinem et corpus Christi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Ad prob. dicitur, quod non est in proposito eadem ratio de confirmatione, et de ordine. In confirmatione enim non datur officium operandi super aliquam materiam exteriorem, et ideo character ibi non imprimitur in aliqua exhibitione alicujus rei, sed in sola manus impositione et unctione. In ordine autem sacerdotali datur officium operandi super exteriorem materiam, et ideo character debet imprimi in receptione potestatis, quam sacerdos accipit in acceptione calicis, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Dominus dedit discipulis sacerdotalem potestatem, quantum ad principalem actum, ante passionem in cœna quando dixit, *Accipite et manducate*: unde subjunxit: *hoc facite in meam commemorationem*. Sed post resurrectionem dedit eis potestatem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere. Character ipsis fuit impressus in receptione potestatis ad principalem actum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod in vestibus non requiritur alia consecratio, nisi quod divino cultui mancipentur, et ideo sufficit eis pro consecratione benedictio: ordinati autem præter hoc, ordinantur ad aliquid agendum. Unde in eis imprimitur character, cum recipiunt potestatem proprii actus.

Ad 4. Negatur conseq. Vestis enim sacerdotalis non significat potestatem sacerdoti datam, sed idoneitatem quæ in eo requiritur, ad actum potestatis exequendum: et ideo nec sacerdoti nec alicui alteri imprimitur character in datione alicujus vestis.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod potestas diaconi est media inter potestatem subdiaconi, et sacerdotis; sacerdos enim directe habet potestatem super corpus Christi, subdiaconus autem super vasa tantum. Sed diaconus super corpus Christi in vase contentum. Unde ejus non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, et dispensare sanguinem cum calice: et ideo ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiæ: sed exprimitur potestas ejus

ad actum secundarium tantum in hoc quod datur in liber Evangeliorum, in hac potestate intelligitur alia: et propterea in ipsa libri datione imprimitur character, per quod tamen non sequitur quod ordo subdiaconatus sit ordini sacerdotali conformior.

Ad 6. Negatur minor. Acolyto enim imprimitur character in datione urceoli, virtute verborum ab Episcopo prolatorum, quia est principalior acolyti actus ministrare in urceolo, quam ministrare cum candelabro, quamvis hoc officium denominetur ab actu secundo, qui est cereos deferre: fit enim hoc, quia est magis notus et magis ei proprius nam ministrare in urceolo convenit etiam subdiacono, ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 127.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et á summis Pontificibus, quod ordines debent distingui in plures. Insinuatum vero est hoc 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, etc. *diaconos similiter pudicos*, etc. et ad Tit. 1. *Constituas per civitates presbyteros*, etc. Ecce, quod plures ordines statuit, videlicet, diaconatum, et presbyteratum, seu Episcopatum. Nam utitur nomine Episcopi, prout etiam significat presbyterum, distint. 63. cap. legimus: licet á temporibus quoque Apostolorum essent distinctæ dignitates. Item á Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. "Cum ante divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent." Item ab Innocent. III. A multis multoties, etc. erubescant impii, et intelligant judicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus præsbyteratu, diaconatu, subdiaconatu, sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate." Hæc ille; de æta. et qual. et ord. præfic. Faciunt etiam hæc ad q. 36. art. 1. et 4. Item á, etc. ut videbis in appen. seq. 2. art. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto plures dicunt ordines distingui, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis: quod ordo non est alter altero maior dignitate, et potestate. Item Waldensium (ut refert Guido) dicentium: ordines tres tantum in Ecclesia esse, Diaconum, Presbyterum, et Episcopum. Item Græcorum (teste Guidone) dicentium: ordinem lectoratus tantum ex minoribus esse: ostiarium vero, exorcistam, et acolytum non debere inter ordines computari. Contra omnes enim hos movetur articulus: et de singulis, ut patet studiose legenti, invictissimis rationibus triumphat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Scripturis, Exod. 29. ubi Aaron super alios Sacerdotes, et Levitas late describitur esse, etiam quantum ad ornamenta. Vide tu, et conjunge hoc auctoritati Heb. 10. dicenti, quod lex habet umbram futurorum bonorum, et 1. Corint. 11. quod omnia figura contingebant Patribus antiquis. Hinc igitur ab umbra, et figura Aaronis sacerdotum, levitarumque antiquorum argumentare ad veritatem, et figuratum Episcoporum, sacerdotum simplicium, aliorumque ministrorum altaris, quoad dignitatem, et potestatem, quoniam argumentum á figura ad figuratum demonstrandi habet magnam vim, ut ostendit Apostolus quandoque in illationibus suis. Item á Concil. Carthaginensi IV. Nam de Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolyti, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, ordinationibus, ca. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. et 9. mentionem facit. Item á Concil. Trident. sess. 33. cap. 2. "Non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ li-

teræ apertam mentionem faciunt: et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolyti, exorcistæ, lectoris, et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines á Patribus, et sacris Concil., refertur; in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus. Et can. 2. Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholilica alios ordines et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit. » Item á dist. 77. cap. In sigulis, cum seq. Vide tu. Item á Concil. Aquisgranensi, quod facit mentionem, longamque declarationem, de singulis ordinibus. Nam inquit cap. 2. " ostiarii sunt, qui in veteri testamento janitores templi vacabantur, etc. et cap. 3. lectorum ordo formam, et initium á prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei prædicant, etc. lectorem scire oportet accentuum vim: ut noverit, in qua syllaba vox protendatur pronunciantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, et solent nos irridere imperitiæ hi, qui videntur habere notitiam, detrahentes, et jurantes, penitus nos nescire, quod dicimus, etc. et cap. 4. In ordine, et ministerio Ecclesiæ decet esse exorcistas secundum officia, quæ in Templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispertita, etc. et cap. 5. Acolyti Græce, Latine ceroferarii dicuntur á deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, aut sacrificium offerendum, etc. et cap. 6. Subdiaconi, hi apud Græcos Hippodiaconi vocantur, in Esdr. inveniuntur, appellanturque ibi Nathinnæi, idest in humilitate domino servientes; ex eorum ordine fuit Nathanael, qui in Evang. Jo. etc. et cap 7. Diaconorum ordo á tribu Levi accepit exordium, et cæt. In Evangelio autem primordia eorum, et in Act. Aposostolorum, etc. et cap. 8. Presbyterorum ordo exordium sumpsit á filiis Aaron. Qui enim sacerdotes vocabantur in veteri testamento, hi sunt, qui nunc appellantur presbyteri, etc. » Ubi nota, quod Concil. hoc Aquisgranense præcessit Lutherum multis temporibus; cum celebratum fuerit circa annum Domini 816. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto septem ordines, in Ecclesia statuunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab *Honorio III.* quod non omnes, sed tres ordines sunt sacri, et sic. " Ecclesia suo viduata pastore canonici ipsum Gu. unanimiter elegerunt. Qui cum esset citra sacros ordines constitutus, Archiepiscopus Episcopo mandavit, ut cum uno, et eodem die ad tres sacros ordines promoveret. Hæc ille, de temp. ordin. dilectus. Ecce, quod tres sunt sacri: et iste jam ordinatus erat citra sacros, idest ordinibus non sacris; et hi sunt quatuor ordines minores. Ergo sacri illi tres vocantur, et sunt idem, quod majores. Unde de æta. et qual. " Quæris á nobis, quid agendum sit de clericis tuæ jurisdictioni commissis, qui cum beneficiis Ecclesiasticis multum, abundent, á te commoniti nolunt ad majores ordines promoveri, se tale quid secreto commisisse dicentes, quod eos (salva conscientia) ordinare non sinit, etc. Presenti pagina statuentes: ut, si prædicti clerici perceptione majorum ordinum propter occulta sua peccata se indignos esse fatentur, inferiores in Ecclesia, quorum sit vita probabilis præferantur eisdem. » Hæc ibi Alexand. III. Item ibi. cap. 3. Præterea, licet ad regimen parochialis Ecclesiæ non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, admitti: dispensative tamen in minoribus ordinibus constituti consueverunt admitti, dum tamen tales sint, quod infra breve tempus possint in presbyteros ordinari. » Hæc ibi Alexand. III. item ab Innoc. III. Insinuatum idem. " A multis multoties, etc. Urban. Papa I. decrevit ut nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur: sacros: inquit, ordines diaconatum dicimus, et presbyteratum: hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, etc. in quibus verbis innuitur, quod Urban. ad statum primitivæ Ecclesiæ se referebat, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur. Verum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computatur: sicut

Urban. Papa 11. expressit. » Hæc. ibi, de æta. et qual. item ab Urba. II. Grandensi Patriarchæ Dominio scribente. " Erubescant impii, et aperte intelligant judicio sancti spiritus eos, qui modo in sacris tribus gradibus, sc. presbyteratu, diaconatu, et subdiaconatu positi mulierculas non abjecerint, et caste non vixerint: excludendos ab eorumdem graduum dignitate. Hæc ille: et recitantur dist. 32. item á Conc. Carthag. Placuit, Episcopos, diaconos, subdiaconos, secundum priora constituta etiam, abstinere ab uxoribus. Quod, nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros vero clericos ad hoc non cogi. » Hæc illud: et recitantur dist. 32. item á Papa Leone contra Epist. Nicetæ Abbatis S. Rom. Ecclesia " de gradibus clericorum ait, ostiarios, lectores, exorcistas, acolitos (si extra votum, vel habitum monachi inveniantur, et continentiam profiteri noluerint) uxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur, etc. Si quis ex præfatis ordinibus desiderat ad subdiaconatum ascendere, non potest sine consensu uxoris suæ, neque permittitur postea uxor jungi eidem meritò suo carnaliter. » Hæc ille: et recitantur dist. 32. feriatim. *Secundo*: igitur patet, per supradictos Rom. Pont. et Concilia damnari errorem Lutheri (Prat. Lutherani) irridentis cœlibatum, atque dicentis: sacerdotes non debere esse cœlibes. Qui error et á Conc. Neocæsariensi á 6. synod. in Trull. celebrata confirmato damnatus fuerat c. 1. Sic. " Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, et ad pœnitentiam inter laicos redigi. » Hæc ibi; et recitantur dist. 28. *Tertio* habes: quomodo per D. Tho. rationem et prædictum Lutheri errorem excludas, et merito á prædictis patribus damnatum esse ostendas. *Quarto* habes: quomodo per rationem ejusdem D. Tho. prædicta patrum de sacris, vel non sacris ordinibus, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod unus ordo non est altero major dignitate, et postestate. Ex his enim in articulo præsenti dictis totum oppositum directe monstratur. Et licet hæresis hæc supra art. 2. recitata etiam, et confutata sit: tamen hoc in loco, non superflue, iterum adducitur. Nam multis in locis pro diversitate, vel articulorum vel modi directe magis, aut indirecte tractandi eamdem materiam, vel propter aliquod aliud circumstans, utile valde est recensere eosdem errores, ut multiplicius confundantur, et consequenter non est id vitio dandum, tamquam sit replicatio vana, et hoc per se videbit, qui studiose leget occurentes materias. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas prædictum hæresim merito damnari á, etc. ut art. 2. append. Item ab Anacleto Papa in epist. 2. ad Episcopos universos in Italia constitutos. " Ut á Beato Petro Principe Apostolorum sumus instructi, scribere vobis non denegavimus. Non minus, quam á tribus Episcopis ordinetur Episcopus, reliqui vero sacerdotes á proprio ordinentur Episcopo, similiter et diaconi, et cæterorum graduum distributio. » Item ab eod. in Epist. 3. " Sacerdotum ordo bipartitus est: et, sicut Dominus illum constituit, á nullo debet perturbari. Scitis á Domino Apostolos esse electos; ad eos vero adjunctos septuaginta duos discipulos. Episcopi Apostolorum, presbyteri septuaginta duorum discipulorum locum tenent. » Item á Concilio Tridentino sess. 23. can. 6. " Si quis dixerit: in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris: anathema sit. » Quid autem intelligat per hierarchiam majorem, et minorem, dignitatem, ac potestatem ordinatorum declaraverat supra can. 4. sic: " Si quis omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam quæ est, ut castrorum acies ordinata, confundere, etc. Item can. 2. Si quis dixerit, non esse præter sacerdotium in Ecclesia catholica ordines et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur: anathema sit. » Ecce quod hi ordines sunt dispares: et quia sunt tum majores, tum minores: et quia sunt gradus ad sacerdotium. Quanto ergo appropinquant magis, vel minus ad sacerdotium, tanto magis, vel minus sunt digni. *Tertio* habes: quomodo prædicta Pa-

trum, pro quanto actus ordinum convenienter graduari, assignari que insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem cujusdam *Petri Canonistæ* (ut refet Magister Jo. de Tabia in Tabiena sua, tit. ordo 2. nu. 7.) dicentis quod character sacerdotalis imprimitur in impositione manuum: quod et dicit de charactere diaconi. Item cujusdam Petri et Abbatis (ut refert idem ibi num. 10.) dicentium; quod character imprimitur acolyto in porrectione candelabri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos merito damnari ab Eugenio IV. sacro approbante Concil. Florent. in decret. Armen. dat. de sacramentis. " Sextum est sacramentum ordinis, etc. et presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. » Ubi per res pertinentes ad ministeria intelligit á simili de pertinentibus ad ministeria, non quæcumque, sed principalia. A simili, inquam: quoniam et de presbytero non quodcumque, sed principale ministerium assignat, ut nunc visum est; similiter et de subdiacono subdens, quod " per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem subdiaconatus ordo traditur. » Et, licet dicat, quod per libri Evangeliorum dationem ordo diaconatus conferatur (sicut verum est) tamen per hoc non intendit ministerium illud sacramentum esse præcise: sed in ipso secundario subintelligit ministerium principale inclusum (ut in responsione ad quintum, declaratum est.) Item á Pontificali Romano, in quo characterem presbyteratus in porrectione calicis prædicti, et characterem acolyti in porrectione urceoli imprimi annotatur. Pontificale autem Romanum tantæ auctoritatis est, ut ad illud nos remittat Concil. Floren. in tractatu de ordine dicens: *et sic de aliorum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Hæc illud concilium in decreto prædicto. Memento diligenter hic, et alibi (ubicumque opus fuerit) illius regulæ universalissimæ de conformando, seu aptando verba aliquorum doctorum dictis conciliorum sequentium: ut ibi explicatur in regula posita qu. 29. art. 3. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto in calicis porrectione, et rerum actus principales importantium, insinuant characterem imprimi, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA OCTAVA,

DE CONFERENTIBUS HOC SACRAMENTUM, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de confentibus hoc sacramentum.

Circa quod quæruntur duo.

Primo, urum solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre.

Secundo, utrum hæreticus, vel quicumque alius ab Ecclesia precisus possit hoc sacramentum conferre.

ARTICULUS I.

Utrum tantum Episcopus conferat sacramentum ordinis.

Pro negativa.=Videtur quod non tantum Episcopus ordinis sacramentum conferat.

1. Illi qui sacerdotibus, dum ordinantur, imponunt manus, possunt conferre ordines. Sed non soli Episcopi, sed etiam sacerdotes astantes imponunt manus sacerdotibus, dum ordinantur. Ergo non soli Episcopi, sed etiam alii sacerdotes ordines conferre possunt.

Maior prob., quia manus impositio ad consecrationem aliquid facit.

2. Qui potest tradere his qui ordinantur instrumentum, quod ad actum sui ordinis pertinet, potest ordinare. Sed subdiaconis datur urceolus cum aqua et manutergio ab archidiacono, similiter

acolytis candelabrum cum cereo et urceolus vacuus. Ergo non solus Episcopus confert ordinis sacramentum.

Maior prob., quia tunc unicuique datur potestas ordinis, quando ei exhibetur illud quod ad actum sui ordinis pertinet.

3. Illa, quæ sunt ordinis, non possunt committi ei qui non habet ordinem. Sed conferre ordines minores committitur aliquibus, qui non sunt Episcopi, sicut presbyteris Cardinalibus. Ergo conferre ordines non est Episcopalis ordinis proprium munus.

4. Qui potest id quod est principale, potest etiam accessorium ad principale. Sed sacerdos, etiam non Episcopus, potest id quod est principale, scilicet consecrare Eucharistiam, ad quam ordinatur sacramentum, ordinis ut accessorium ad principale. Ergo sacerdos non Episcopus potest conferre sacramentum ordinis.

5. Episcopus potest consecrare Episcopum. Ergo et sacerdos potest promovere diaconum.

Conseq. prob., quia plus distat sacerdos á diacono, quam Episcopus ab Episcopo; est enim diaconus inferior sacerdote, non autem Episcopus Episcopo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Consecratio vasorum pertinet ad solum Episcopum. Ergo multo fortius consecratio ministrorum, quæ fit per ordines.

Conseq. prob., quia nobiliori modo applicantur ad divinum cultum ministri per ordines, quam vasa sacra.

2. Solus Episcopus confirmat. Ergo multo magis solus Episcopus confert ordinis sacramentum.

Conseq. prob. quia sacramentum ordinis est excellentius, quam sacramentum confirmationis.

3. Virgines benedicere est solius Episcopi. Ergo multo magis Episcopus solus potest ordines conferre.

Conseq. prob., quia virgines per benedictionem non constituuntur in aliquo gradu spiritualis potestatis, sicut ordinati.

Determinatio.

CONCLUSIO. Solus Episcopus conferre potest ordinis sacramentum.

Prob. Illud, per quod aliquis collocatur in aliquo divino ministerio, solus Episcopus potest conferre. Sed per sacramentum ordinis ille qui ordinatur, collocatur in divino ministerio. Ergo solus Episcopus potest conferre sacramentum ordinis.

Minor manifestatur, quia potestas Episcopalis se habet ad potestatem ordinum inferiorum, sicut politica quæ conjectat bonum commune, ad inferiores artes et virtutes quæ conjectant aliquod speciale bonum. *Politica autem*, ut dicitur 1. Ethich. c. 2. *ponit inferioribus legem, quam quis debet exercere, et quantum, et qualiter*; et ideo ad Episcopum pertinet in hominibus divinis ministeriis aliquos collocare.

Et confirmatur eadem maior, quia propter hoc ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur. Propter hoc etiam ipse solus virgines benedicit, quia virgines figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cujus cura ipsi Episcopo principaliter committitur. Et hac ratione etiam ipse solus ordines confert, consecrando in ministeriis ordinum qui ordinantur: et vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione.

Et confirmatur conclusio, quia sicut officia secularia in civitatibus distribuuntur ab eo qui excellentiorem habet potestatem, scilicet á rege; ita spiritualia officia in Ecclesia debent distribui ab eo qui excellentiorem habet spiritualem potestatem, scilicet ab Episcopo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob dicitur, quod in impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, ut

ex dictis patet, sed gratia, secundum quam ad exequendum ordinem sunt idonei. Et quia sacerdotes indigent amplissima gratia, ideo sacerdotes astantes, manus cum Episcopo imponunt eis qui in sacerdotes promoventur, sed diaconis solus Episcopus.

Ad 2. Negatur maior: Ad hoc enim quod conferatur ordo, debet dari instrumentum, quo exerceri debet principalis actus ordinis, in cujus traditione character imprimitur, non autem confertur ordo in traditione instrumenti secundarii actus. Tunc ad minorem dicitur, quod archidiaconus est quasi princeps ministerii, ideo omnia quæ ad ministerium pertinent, ipse tradit, sicut cereus quo acolytus servit diacono, ante evangelium ipsum portando: et urceum quo servit subdiacono. Et similiter dat subdiacono ea quibus superioribus ordinibus servit; sed tamen in illis non consistit principalis actus subdiaconi, sed in hoc quod cooperatur circa materiam sacramenti, et ideo characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo. Sed acolytus accipit characterem ex verbis Episcopi in hoc quod accipit prædicta ab archidiacono, et magis in acceptione urceoli, quam candelabri, et propter hoc non sequitur quod archidiaconus ordinet.

Ad 3. Negatur maior: si universaliter de omnibus intelligatur. Papa enim, qui habet potestatis pontificalis plenitudinem, potest committere non Episcopo ea quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi; et ideo ex ejus commissione aliquis simplex sacerdos potest conferre minores ordines et confirmare, non autem aliquis non sacerdos; nec sacerdos potest conferre maiores ordines, quia habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum, Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex sacerdos.

Ad 4. Dicitur, quod maior est vera de his quæ sunt ejusdem rationis, sive generis. Tunc ad minorem dicitur, quod sacramentum Eucharistiæ, quamvis sit maximum sacramentum in se; quia tamen non est in genere sive in ordine sacramentorum per quæ quis in aliquo officio collatur, ut est sacramentum ordinis: ideo non sequitur, quod omnis qui potest consecrare, possit ordinare.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ad communicandum alteri, quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis; et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconus facere, quamvis ille ordo sit sibi proprinquus.

ARTICULUS II.

Utrum hæretici, et ab Ecclesia præcisi possint ordines conferre.

Pro negativa. = Videtur quod hæretici et ab Ecclesia præcisi non possint ordines conferre.

1. Hæreticus non potest absolvere vel ligare. Ergo nec ordines conferre.

Conseq. prob., quia majus est conferre ordines, quam absolvere vel ligare.

2. Potestas, quæ recipitur sine charactere, non est necesse quod remaneat in eo qui ab Ecclesia separatur. Sed Episcopus non recipit aliquem characterem cum Episcopali dignitate in sui promotione. Ergo non est necesse quod Episcopalis potestas remaneat in eo, post ejus separationem ab Ecclesia.

Maior prob. Nam sacerdos ab Ecclesia separatus, ideo potest conficere, quia in eo manet indelebiliter character, per quem consecrare potest.

3. Ille qui est ab Ecclesia separatus, non potest officia Ecclesia disponere. Sed hæretici sunt ab Ecclesia separati, et ordines sunt quædam Ecclesiæ officia. Ergo hæretici non possunt ordines conferre.

Maior prob., quia in nulla commu-

nitate, ille qui á communitate expellitur, potest officia communitatis disponere.

4. Qui potest sacramenta conferre, debet continuari passioni Christi. Sed hæreticus non continuantur passioni Christi. Ergo hæreticus non potest ordines conferre.

Maior prob., quia sacramenta habent efficaciam ex passione Christi.

Minor prob. Hæreticus enim non continuatur passioni Christi per propriam fidem, quia est infidelis, nec per fidem Ecclesiæ, quia est ab Ecclesia separatus.

5. Qui potest ordines conferre, potest etiam benedicere. Sed hæreticus non potest benedicere: quinimo benedictio sua in maledictionem convertitur, ut patet ex decret. causa 1. quæst. 1. per multa cap. Ergo hæreticus non potest ordines conferre.

Maior prob., quia in collatione ordinis exigitur benedictio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Episcopus in hæresim lapsus, quando reconciliatur, non consecratur iterum. Ergo non amisit potestatem conferendi ordines, quam habebat.

2. Potestas ordinum non amittitur propter hæresim, vel per aliquid hujusmodi. Ergo nec amittitur potestas conferendi ordines.

Conseq. prob. quia maior est potestas conferendi ordines, quam ordinis potestas.

3. Nulla ratione ille, qui ab Ecclesia est præcisus, amittit baptizandi potestatem. Ergo nec amittit potestatem conferendi ordines.

Conseq. prob., quia sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, Deo interius operante, ita et conferens ordines.

Determinatio.

Diversæ opiniones.

Quidam dixerunt quod hæretici quamdiu ab Ecclesia tollerantur, habent potestatem conferendi ordines, non autem eam habent, postquam sunt ab Ecclesia præcisi: similiter nec degradati, nec alii hujusmodi.

Reprobatio.

Quæ opinio quantum ad secundum ejus dictum non potest stare, quia potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu tolli potest, re ipsa durante; sicut nec ipsa consecratio annullari, quia etiam altare, vel chrisma semel consecrata, perpetuo consecrata manent. Sed Episcopalis potestas cum quadam consecratione datur. Ergo oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet Ecclesia præcidatur.

Secunda opinio.

Et ideo alii dixerunt quod præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi et promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non potest esse, quia si illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt, et ideo vere tribuunt omnem potestatem quæ cum consecratione datur, et sic ordinati ab eis vel promoti habent eamdem potestatem, quam et ipsi.

Tertia opinio.

Et ideo alii dixerunt quod etiam præcisi ab Ecclesia possunt ordines conferre et alia sacramenta, dummodo formam debitam et intentionem servent; et quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, et quantum ad ultimum, qui est collatio gratiæ.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non potest stare, quantum ad id quod dicit quod præcisi ab Ecclesia, conferunt cum sacramento etiam effectum, qui est gratia; quia ex hoc ipso quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in sacramentis communicat,

peccat, et ita fictus accedit et gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo, in articulo necessitatis.

Vera sententia.

Conclusio. Episcopi hæretici, et ab Ecclesia præcisi, possunt ordines conferre, sed cum eis gratiam non dant.

Prob. Et quod verum ordinis sacramentum conferre possint, patet ex ratione, qua reprobata est prima positio. Quia scilicet eorum potestas, cum per consecrationem detur, semper manet.

Quod autem cum vero sacramento non conferant gratiam, patet ex reprobatione tertiæ opinionis, quia scilicet accipientes ab eis sacramenta, peccant contra Ecclesiæ prohibitionem facientes, ac per hoc gratiam cum vero sacramento non recipiunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis sit magis conferre ordines quam absolvere, tamen ex hoc non sequitur quod qui potest conferre ordines, possit absolvere, propter duo. Primo, quia collatio ordinis habet alium effectum á gratia, et ideo confert primum effectum, non secundum. Absolutionis autem effectus est peccatorum remissio, quæ non potest fieri sine gratia. Et cum recipientes sacramenta ab hæreticis peccent, non consequuntur gratiam, ac per hoc nec peccatorum remissionem. Secundo, quia ad absolutionem requiritur jurisdictio, quam qui ab Ecclesia est præcisus, non potest habere.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non solum manet perpetuo potestas quæ datur cum charactere; sed etiam quæ datur per consecrationem. Tunc ad minorem dicitur quod in promotione Episcopi datur sibi potestas, quæ perpetuo manet in eo, quamvis dici non possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum; et tamen indelebiliter manet sicut character, quia per consecrationem datur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod qui ab Ecclesia est præcisus, non potest quidem dare ordinum executionem, quod est officia Ecclesiæ disponere; potest tamen ad officia deputare, conferendo ordines. Illi igitur qui ordinantur ab his qui sunt ab Ecclesia præcisi, ordines quidem recipiunt; sed non possunt in illis ministrare.

Ad 4. Negatur minor. Continuantur enim hæretici passioni Christi, non per fidem propriam, sed per fidem Ecclesiæ, quia etsi in ea non sint secundum se, sunt tamen in ea secundum formam Ecclesiæ, quam servant.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod hæreticus non potest benedicere, conferendo gratiam: potest tamen benedicere, conferendo verum sacramentum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 128.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in radice, interimas hæresim *Joan Westphali* dicentis: Episcopos omnes, et presbyteros dignitate, et auctoritate æquales esse. Item Joan Wicleff errorem, ut ex Concilio Constantiensi infra citando refertur, dicentis, ordinationem clericorum reservari Papæ, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris. Patet siquidem ex ratione fundatissima articuli præsentis, secundum ordinatissimam dispositionem ordini naturali, quem superat, conformem, reservari Episcopis ordinum collationem hanc si vero aliqui forsan, quod nescio, propter cupiditatem lucri, vel honoris ordinum talium

collationes exerceant: hoc est omnino extra propositum nostrum. Unde nec propter hujusmodi particularia, si qua sint, debuit moveri Wicleff ad sic perniciose detrahendum dignitati Episcopali, et Papali. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem Wicleff prædictum merito damnari á Concil. Constantiensi sess. 8. cujus damnationis verba vide q. 20. art. 3. append. Vide aliquid etiam q. 20. art. 6. in textu, et eluc. Item á Concil. Trident. sess. 2. c. 4. " Proinde sacrosancta synodus, declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, á Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteri superiores esse, ac Sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. » Ecce, quod secundum concilium á Spiritu Sancto positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei in his officiis peragendis, in esse superiori ad presbyteros dignitate, et auctoritate: et consequenter non á cupitate lucri temporalis, vel honoris. Item ab eod. can. 7. " Si quis dixerit: Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem: anathema sit. » Et universaliter de cunctis ordinibus canon 6. " Si quis dixerit: in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris. Anathema sit. » Per hierarchiam vero intelligere se declaravit cap. 4. non omnes pari inter se potestate spirituali præditos esse. Item ab Anacleto Papa. *Sacerdotes á proprio ordinentur Episcopo.* Hæc ille: dist. 67. reliqui. Item á Concil. Hispalensi. Episcopus sacerdotibus, ac ministris solus honorem dare potest. Hæc illud dis. 67. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum q. 37. et patrum, pro quanto Episcopum solum ordinis sacramentum conferre dicunt, et intelligas,et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á summis Pontificibus, excommunicatos, etc. posse ordines conferre, sed non executionem. Hæc autem á Gregor. IX. insinuatum est sic, ut recitatur de ordin. ab Episc. qui renunc. "Cum clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari. » Item ab Urbano, ut recitatur 9. quæst. 1. " Ordinatione, quæ ab hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, irritas esse judicamus, nisi probare valuerint se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos. » Nota ly irritas, scilicet quoad executionem. Nota ly nisi probare valuerint. Hoc est, si probaverint, etc. illæ ordinationes habebunt executionem. Ex quo monstrat utique Papa, quod ordinationes illæ characterem impresserunt: alioquin per probationem ignorantiæ suscipientium illas non possent validæ fieri: cum tamen fiant, ut in textu. Item ab eodem Urbano ibidem: " Ab excommunicatis quondam ordinatos, si quidem, non simoniace, et si eorum religiosorum vita, et doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, in ipsis, quos acceperunt ordinibus permanere permittas. » Item ab eodem ibid. ca. eod. ordinationes. " Qui ab Episcopis quondam catholice ordinatis, sed in schismate á Romana Ecclesia separatis consecrati sunt, eos cum ad Ecclesiæ unitatem redierint, servatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi jubemus, si vita, et scientia eos commendant. Amodo vero quicumque ó prædictis schismaticis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ adversariis, se ordinari permiserit, nullatenus ac venia dignus habeatur. » Ubi de executione facit semper vim, et differentiam prædictam: sed numquam de charactere, quem á talibus Episcopis ordinatos recipisse declarat. *Secundo* habes: quomodo per rationem supradicta Pontificum, pro quanto hæreticos, etc. insinuant conferre posse ordines, et intelligas; et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA NONA.

DE IMPEDIMENTIS HUJUS SACRAMÉNTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimentis hujus sacramenti.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum sexus fœmineus impediat hujus sacramenti susceptionem.
Secundo, utrum carentia usus rationis.
Tertio, utrum servitus.
Quarto, utrum homicidium.
Quinto, utrum illegitima nativitas.
Sexto, utrum defectus membrorum.

ARTICULUS I.

Utrum sexus fœmineus impediat ordinis susceptionem.

Pro negativa.=Videtur quod sexus fœmineus non impediat ordinis susceptionem.

1. Quibus competit officium prophetæ, potest et officium sacerdotis convenire. Sed officium prophetæ aliquando mulieribus est concessum: ut patet 4. Reg. cap. 22. Ergo multo magis mulieri potest competere officium sacerdotii.

Maior probatur, quia officium prophetæ est majus quam officium sacerdotis: propheta enim est medius inter Deum et sacerdotes, sicut sacerdos inter Deum et populum.

2. Quibus competit prælatio, et ordines competere possunt. Sed mulieribus committitur prælatio in veteri testamento, ut patet de Delbora quæ judicavit Israel Judic. 4. Et in novo, ut patet de Abbatissis. Competit etiam eis martyrium et religionis status. Ergo eisdem competit etiam ordo Ecclesiæ.

Maior prob., quia sicut ordo ad quandam eminentiam pertinet, ita et prælatio et martyrium et religionis status.

3. Potestas ordinum fundatur in anima. Sed sexus non est in anima. Ergo diversitas sexus non facit distinctionem in receptione ordinum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumenta sed contra

1. Illud quod impedit posse docere et dominari, impedit etiam ordinis susceptionem. Sed sexus fœmineus impedit posse docere et dominari. Ergo sexus fœmineus impedit etiam ordinis susceptionem.

Maior prob., quia posse docere et dominari, sunt necessaria ad susceptionem ordinis.

Minor prob., quia 1. Tim. 2. Dicitur: *mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum.*

2. In ordinandis præexigitur corona, quamvis non de necessitate. Sed mulieribus non competit corona vel tonsura, ut patet 1. Cor. 11. Ergo mulieribus non competit susceptio ordinum.

Determinatio.

Distinctio. Ea quæ requiruntur in eo qui recipit aliquod sacramentum, sunt in duplici differentia. Quædam requiruntur quasi de necessitate, sacramenti, quæ si desint non potest recipi sacramentum, neque res sacramenti. Quædam vero requiruntur, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, propter congruitatem ad sacramentum; et sine talibus recipitur quidem sacramentum, sed non res sacramenti.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod sexus virilis est de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti. Et motivum eorum erat quia in decretis dist. 32. c. 19. Mulieres, et causa 27. quæst. 1. c. 23. ex Concil. Cartagin. cap. 15. fit mentio de diaconissa et presbytera.

Reprobatio.

Falsitas hujus positionis apparebit in probatione veræ sententiæ. Ad motivum eorum dicitur quod diaconissa ibi dicitur, quæ in aliquo actum diaconi participat, scilicet quæ legit homiliam in Ecclesia. Presbytera autem dicitur vidua, quia presbyter idem est quod senior.

Vera sententia.

Conclusio. Sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti; ita quod si mulieri exhibeantur omnia quæ in ordinibus fiunt, ordinem non suscipit.

Et sub aliis verbis. Sexus fœmineus impedit susceptionem ordinis.

Prob. Sexus in quo non potest significari aliqua eminentia gradus, impedit ordinis susceptionem. Sed in sexu fœmineo non potest significari aliqua eminentia gradus. Ergo sexus fœmineus impedit ordinis susceptionem.

Maior prob., quia cum sacramentum sit signum, in his quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed etiam significatio rei. Sicut in Extremaunctione requiritur quod suscipiens sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Illud autem quod in sacramento ordinis signatur, est aliqua eminentia, in qua per susceptionem ordinis constituitur, unde ubi non potest hæc eminentia inveniri, nec ordinum capacitas invenitur.

Minor prob., quia mulier habet statum subjectionis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi prophetia secundum aliquid sit quid maius ordine, ex hoc tamen non sequitur quod mulier possit recipere ordinem, sicut prophetiam habere potest. Et ratio est quia prophetia non est sacramentum, sed Dei donum, unde ibi non exigitur significatio, sed solum res. Et quia secundum rem, in his quæ sunt animæ, mulier non differt á viro, cum quandoque mulier inveniatur melior, quantum ad animam, multis viris; ideo donum prophetiæ et alia hujusmodi potest mulier recipere, sed non ordinis sacramentum.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. eodem modo dicitur, quod prælatio; martyrium, et status religionis non sunt sacramenta, sed tantum res; et ideo mulier potest illa suscipere, non autem sacramentum ordinis. De Abbatissis tamen dicitur, quod non habent prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Delbora autem in temporalibus præfuit, non in sacerdotalibus; sicut et nunc possunt mulieres temporaliter dominari.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod etsi sexus non sit in anima, pertinet tamen ad subjectionis statum, qui impedit susceptionem ordinum.

ARTICULUS. II.

Utrum pueri et carentes usu rationis possint ordines suscipere.

Pro negativa. = Videtur quod pueri et carentes usu rationis non possint ordinis suscipere.

1. Magister dicit in 25. dist. 4. lib. sent. quod *sacri canones in suscipientibus ordines, certum et determinatum ætatis tempus statuerunt.* Sed hoc non fuisset necessarium, si pueri possent suscipere ordines. Ergo pueri non possunt ordinari.

2. Pueri et alii carentes usu rationis, non possunt contrahere matrimonium. Ergo nec ordines suscipere.

Conseq. proq., quia sacramentum ordinis dignius est, quam matrimonium.

3. Actus ordinis requirit usum rationis. Ergo etiam ordinis potestas rationis usum requirit.

Conseq. prob., quia *cujus est potentia, ejus est actus*, ut Phil. dicit lib. de Som. et Vigil. cap. 1.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *Ei qui ante annos discretionis est promotus ad ordines, conceditur in illis ministrare, absque reiteratione ipsorum:* ut patet extra de Cler. per saltum prom. lib. 5. tit. 29. Quod non fieret, nisi ordinem suscepisset. Ergo puer potest ordines suscipere.

2. Pueri possunt suscipere alia sacra-

menta, in quibus imprimitur character: videlicet baptismum et confirmationem. Ergo etiam ordines suscipere possunt.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate sacramenti, ac per hoc quod pueri et carentes usu rationis ordines non possunt suscipere.

Reprobatio.

Sed hoc dictum non confirmatur auctoritate, nec ratione.

Vera sententia.

Conclusio. Pueri et carentes usu rationis possunt ordines suscipere.

Prob. et declaratur. Sacramentum in quo non requiritur actus suscipientis, de necessitate sacramenti, possunt pueri suscipere. Sed ad sacramentum ordinis non requiritur actus suscipientis, de necessitate sacramenti. Ergo sacramentum ordinis possunt etiam pueri suscipere.

Maior prob. Nam per pueritiam et alios defectus quibus tollitur usus rationis, præstatur impedimentum actui, et ideo sacramenta quæ requirunt actum suscipientis sacramentum, non competunt his qui carent rationis usu: ut sunt pœnitentia et matrimonium. Sacramentum igitur, ad quod non requiritur actus suscipientis ex necessitate sacramenti, possunt pueri suscipere quæ erat maior.

Minor prob. Potestates infusæ præcedunt suos actus et possunt esse sine eis, sicut et potestates naturales quamvis potestates acquisitæ sint posteriores suis actibus cum per actus acquirantur. Sed sacramentum ordinis est quædam potestas spiritualis divinitus data. Ergo sacramentum ordinis potest esse absque actibus suscipientis qui sunt posteriores: remoto enim posteriore, non removetur de necessitate id quod est prius.

Declaratur autem conclusio, per sequentes propositiones.

1. Propositio. In minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus, de honestate, propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate sacramenti, neque de necessitate præcepti. Unde si necessitas adsit et adsit spes profectus possunt aliqui ad minores ordines ante annos discretionis promoveri sine peccato, et suscipient ordines quia quamvis tunc non sint idonei ad officia, quæ eis committuntur; tamen per assuefactionem idonei reddentur. Tamen post concilium tridentinum requiritur, de necessitate præcepti, certa ætas etiam in minoribus ordinibus, ut patet sess. 23. de reform. cap. 12. Ibi enim disponitur, et præcipitur quod prima tonsura et tres primi minores non dentur ante septennium completum. Acolytatus vero ante duodecimum annum completum.

2. Propositio: ad maiores ordines requiritur usus rationis et de honestate et de necessitate præcepti et propter votum continentiæ quod habent annexum, et quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. Et nunc non solum usus rationis, de necessitate præcepti requiritur, sed certa ætas; nam ut concilium ibidem statuit. Ad subdiaconatum non potest quis ordinari, nisi vigesimum secundum annum attingat. Ad diaconatum, nisi vigesimum tertium inchoaverit.

3. Propositio: ad Episcopatum suscipiendum requiritur de necessitate consecrationis Episcopalis usus rationis, quia Episcopus accipit potestatem in corpus Christi mysticum, unde requiritur actus suscipientis pastoralem curam, et de necessitate præcepti est ætas annorum triginta, ut ibidem concilium tridentinum statuit. Post cujus statutum ad omnes ordines suscipiendos est de necessitate præcepti, non solum usus rationis, sed certa ætas, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod propter canonum statuta est necessarium in susceptione ordinum determinatum ætatis tempus, de necessitate præcepti,

cum quo tamen stat quod ante illud determinatum tempus quis suscipiat ordinis sacramentum, si ordinetur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi ordinis sacramentum sit dignius matrimonio, non tamen sequitur quod sicut pueri non contrahunt matrimonium nisi habeant usum rationis, quod idem sit de ordine. Ad matrimonium enim requiritur consensus contrahentium, qui sine usu rationis esse non potest. In receptione autem ordinis non requiritur aliquis actus ex parte recipientium, quod patet ex hoc quod nullus actus ex parte eorum exprimitur in eorum consecratione.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ejusdem est actus et potentia, sed tamen aliquando potentia præcedit actum, sicut liberum arbitrium precedit usum suum, et sic potestas ordinis præcedit suum actum.

ARTICULUS III.

Utrum servitus impediat aliquem ab ordinis susceptione.

Pro negativa.=Videtur quod servitus non impediat aliquem ab ordinis susceptione.

1. Subjectio corporalis non repugnat prælationi spirituali. Sed in servo est subjectio corporalis. Ergo servus non impeditur, quin possit suscipere spiritualem prælationem, quæ in ordine datur.

2. Illud quod est occassio humilitatis, non debet impedire susceptionem alicujus sacramenti. *Sed servitus est occasio humilitatis*: propter quod Apost. consulit 1. Cor. 7. *quod si aliquis possit, magis utatur servitute.* Ergo servitus non debet á promotione ordinis impedire.

3. Licite clericus in servum vendi potest. Ergo multo fortius potest servus in clericum promoveri.

Anteced. prob., quia *Paulinus Episcopus Nolanus se ipsum in servum vendidit*, ut Greg. refert. lib. 3. Dial. c. 1.

Conseq. prob., quia turpius est, clericum in servum vendi, quam servum in clericum promoveri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Mulier non potest suscipere ordinis sacramentum ratione subjectionis, ut artic. primo dictum est. Ergo nec servus potest ordinis sacramentum suscipere.

Conseq. prob. quia mulier non datur viro in ancillam, propter quod non est de pedibus viri sumpta, sed de latere. Unde maior est subjectio servi, quam mulieris.

2. Qui suscipit ordinem, tenetur in ordine ministrare. Sed servus non potest in ordine ministrare. Ergo servus non potest ordinem suscipere.

Minor prob., quia servus non potest simul servire domino suo carnali qui servari debet indemnis, et spirituali ministerio.

Determinatio.

Conclusio. Servus non potest ad ordines promoveri, si tamen promoveatur, ordines suscipit.

Prob. Prima pars: qui ad ordines promovetur, debet habere sui potestatem. Sed servus non habet sui potestatem. Ergo servus non potest ad ordines promoveri.

Maior prob., quia in susceptione ordinis mancipatur homo divinis officiis, et ideo debet habere potestatem sui qui promovetur: cum nullus possit alteri dare quod suum non est.

Secunda conclusionis pars prob. Quia libertas est quidem de necessitate præcepti, non est autem de necessitate sacramenti: cum non impediat potestatem, sed actum tantum.

Quod autem de servis dicitur, de omnibus qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti et hujusmodi est dicendum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod subjectio corporalis non repugnat subjectioni spirituali, si habens spiritualem potestatem, ex ea non obligetur etiam

ad aliquos corporales actus. Secus est autem, si etiam ad corporales actus obligetur. Tunc ad minorem dicitur, quod in susceptione spiritualis potestatis est aliquis obligatus ad aliqua etiam corporaliter agenda, et ideo per corporalem subjectionem impeditur.

Ad 2. Negatur maior. Sunt enim aliqua quæ occasionem humilitatis præstant, quæ ordinis executionem impediunt, ut est servitus; sunt tamen multa alia quæ occasionem humilitatis præbent, sine hoc quod ordinis executionem impediant.

Ad 3. Negatur anteced. Ad prob. dicitur, quod « B. Paulinus ex abundantia « charitatis, spiritu Dei ductus hoc fe- « cit, quod rei eventus probavit, quia « per ejus servitutem multi de grege suo « sunt á servitate liberati, et ideo non « est ad consequentiam trahendum, quia « ubi spiritus Domini, » ibi libertas, ut dicitur 2. Cor. 3.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Neg. conseq. Signa enim sacramentalia ex naturali similitudine repræsentant: et quia mulier ex natura sexus habet subjectionem, non autem servus; ideo mulier non potest promoveri, servus vero si promoveatur, sacramentum suscipit.

Ad 2. Dicitur præcipue ad minorem, et ad ejus prob. quod si servus est promotus, sciente domino et non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus. Si autem eo nesciente, Episcopus et ille qui præsentavit, tenentur domino in duplum, quam sit pretium servi, si sciverunt ipsum esse servum. Alias si servus habeat peculium, debet se ipsum redimere, alioquin reduceretur in servitutem domini sui, non obstante quod ordinem suum exequi non posset.

ARTICULUS IV.

Utrum propter homicidium debeat aliquis ab ordinibus prohiberi.

Pro negativa.=Videtur quod propter homicidium non debeat aliquis á sacris ordinibus prohiberi.

1. Levitæ antiquæ legis, á quorum officio, ordines nostri sumpserunt initium, ut dictum est, consecraverunt manus suas in effusione sanguinis fratum suorum, ut patet Exod. 22. Ergo et in novo testamento non debent aliqui á susceptione ordinum prohiberi propter sanguinis effusionem.

2. Propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo sacramento. Sed effusio sanguinis quandoque est actus justitiæ, quando scilicet effunditur á judice, qui peccaret aliquando non effundendo. Ergo non impeditur propter hoc ab ordinis susceptione.

3. Pœna non debetur nisi culpæ. Sed aliquis quandoque committit homicidium sine culpa, sicut se defendendo, vel etiam casualiter occidéndo. Ergo tunc non debet incurrere irregularitatis pœnam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sunt plura statuta canonum Ecclesiæ, ut patet extra de Homicidio voluntario. lib. 5. tit. 12. cap. 1. 8. 11. v. 12.

Determinatio.

Conclusio. De necessitate præcepti est, quod non sit homicida qui ad ordines promovetur, quamvis non sit de necessitate sacramenti.

Prob. Illud quod maxime contrariatur paci, impedit á susceptione sacramenti ordinis. Sed homicidium maxime contrariatur paci. Ergo impedit susceptionem ordinum.

Maior prob., quia omnes ordines referuntur ad sacramentum Eucharistiæ, quod est sacramentum pacis nobis factæ per effusionem sanguinis Christi. Unde illud quod maxime paci adversatur, ordinum susceptionem impedit.

Secundo prob. conclusio. Illi qui magis conformantur occidentibus Christum, quam Christo occiso, convenienter á

susceptione ordinum per Ecclesiæ præceptum arcentur. Sed homicidæ magis conformantur his qui Christum occiderunt, quam ipsi Christo occiso. Ergo homicidæ convenienter per Ecclesiæ præceptum á susceptione ordinum arcentur.

Maior prob., quia omnes ministri sacramenti ordinis debent conformari Christo occiso.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Vetus enim lex inferebat pœnam sanguinis, non autem lex nova, et ideo non est simile de de ministris veteris et novæ legis, quæ est jugum suave et onus leve.

Ad 2. Negatur maior. Propter actum enim virtutis justitiæ, qui est sanguinis effusio, effundens ipsum irregularitatem incurrit. Irregularitatem enim non incurrit quis propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad sacramentum Eucharistiæ ministrandum, et ideo judex et omnes qui in causa sanguinis participant, sunt irregulares, propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod ille qui ignorans occidit hominem homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi operam dederit rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam. Quia si dedisset operam rei illicitæ, vel omisisset debitam diligentiam, efficeretur voluntarium quodammodo, quod prius voluntarium non erat. Hoc autem quod sic hominem casualiter occidens, non incurrit irregularitatem, non est propter hoc quod caret culpa, quia etiam sine culpa incurritur; sed quia non fuit actio voluntaria. Et ideo ille qui se defendendo moderate aliquem occiderit, non peccat homicidium committens; irregularitatem tamen incurrit, quia ejus occisio voluntaria fuit: propter quod non potest esse sacramenti Eucharistiæ idoneus minister.

ARTICULUS V.

Utrum illegitime nati debeant á susceptione ordinum impediri.

Pro negativa. = Videtur quod illegitime nati non debeant á susceptione ordinum impediri.

1. Filius non debet portare iniquitatem patris. Sed si illegitime natus impediretur ad ordinibus suscipiendis, portaret iniquitatem patris. Ergo illegitime nati non impediuntur ad ordinum susceptione.

2. Non semper impeditur aliquis á susceptione ordinum propter proprium illicitum concubitum. Ergo multo minus debet impediri propter illicitum concubitum patris.

Conseq. prob., quia magis impeditur aliquis propter defectum proprium, quam propter defectum alienum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Deut. 23. Dicitur *non ingredietur, Mamzer*, hoc est de scorto natus, *in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* Ergo multo minus debet promoveri ad ordines.

Determinatio.

Conclusio. Nati ex illegitimo toro á susceptione ordinum expelluntur, nisi cum eis dispensetur; et tanto est difficilior eorum dispensatio, quanto est turpior eorum origo.

Prob. Illud per quod obscuratur hominis claritas, impedit á susceptione ordinum. Sed origo ex illegitimo et illicito toto obscurat hominis claritatem. Ergo illi qui sunt nati ex illegitimo toro, debent á susceptione ordinum repelli.

Maior prob., quia illi qui ordinantur, in quadam dignitate præ aliis constituuntur, et ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, nec publice pœnitentes: quæ claritas obscuratur ex

vitiosa origine. Illud igitur quod hanc claritatem obscurat, rationabiliter impedit susceptionem ordinum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Irregularitas enim non est pœna iniquitati debita, et ideo illegitime nati non portant iniquitatem patris ex hoc quod sunt irregulares.

Ad 2. Negatur conseq., et ad probationem, negatur assumptum. Ea enim quæ per actum proprium committuntur, possunt per pœnitentiam. et per actum contrarium aboleri, non autem ea quæ ex natura sunt. Et ideo non est simile de vitioso actu, et de vitiosa origine. Quia actus vitiosus committitur propria voluntate, turpis autem origo est ex ipsa natura.

ARTICULUS VI.

Utrum propter defectum membrorum debeat aliquis á susceptione ordinum impediri.

Pro negativa=Videtur quod propter defectum membrorum non debeat aliquis á susceptione ordinum impediri.

1. Non oportet addere afflictionem afflicto. Ergo non oportet privare aliquem ordinis gradu, propter corporalem defectum.

2. Aliqui possunt promoveri ante annos discretionis. Ergo et cum corporis defectu.

Prob. conseq., quia magis exigitur ad actum ordinis integritas mentis, quam integritas corporis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Tales prohibebantur á ministerio veteris legis, ut patet Levit. 20. Ergo multo fortius debent in nova lege prohiberi.

Determinatio.

Conclusio. Patientes defectum in membris, impediuntur á susceptione ordinis, si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas, vel periculum in actu ordinis facere possit, alias non impediuntur.

Manifestatur: quia ut ex dictis patet, aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinum, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ. Et ideo patientes defectum in membris, qui claritatem personæ obscuret, ut est nasi abscissio, vel impediat actum, ut cæcitas, vel abscissio manus, rationabiliter ab ordinum susceptione repelluntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod prohibere aliquem ab eo ad quod est ineptus, non est addere afflictionem afflicto, sed est juste negare ei, illud quod non sibi convenit.

Ad 2. Dicitur quod integritas corporis non est de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate præcepti; et ideo, sicut si ordinetur quis ante annos discretionis, suscipit quidem sacramentum, non tamen habet executionem; ita dicendum est de eo qui patitur defectum membrorum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 129.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Cataphrygarum* dicentium, ordinibus sacris mulierem posse innitiari. Hi Cataphrygæ etiam Pepuziani, seu Pepuzitæ dicuntur (teste August. de hæresib. c. 27.) Et quia iidem comminiscuntur, Christum specie fœminæ fuisse revelatum, tantam mulieribus tribuunt dignitatem, auctoritatem, et principatum, ut inter cæteros errores mulieres ipsæ sa-

cerdotio quoque apud eos honorentur. Nota de hac, aliisque similibus apud illos revelationibus id, quod ait Apostolus, quod Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis: et maxime, cum tales revelationes mendacium exprimant, videl quod Christus in specie fœminæ appareat. Cæterum error unus (ut solet, nisi cito provideatur) alterum parturit, quod sc. mulier ordinis capax existat, et quod ad sacerdotium juste promoveri possit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam, et á fortiori, et directe, damnatam esse ab Innocentio III. sic. " Nova quædam nostris sunt auribus intimata, quod Abbatissæ moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt, et legentes Evangelium præsumunt publice prædicare. Cum igitur id absonum sit, pariter et absurdum: mandamus, quatenus, ne id de cetero fiat curetis firmiter inhibere. Quod, licet beatissima virgo Maria dignior, et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi sed istis, dominus claves regni cœlorum commissit. » Hæc ille, de pœnit. et remiss. Item á Papa Sotero scribente omnibus Italiæ Episcopis. " Sacras Deo fœminas, vel monachas, sacra vasa, vel sacratas pallas, penes vos contingere, et incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam sedem. Quæ omni reprehensione plena esse et vituperatione, nulli recte sapientum dubium est. Quapropter hujus sanctæ sedis auctoritate, haec omnia vobis resecare funditus, quam citius poteritis, censemus. Et, ne pestis haec latius divulgetur, per omnes provincias abstergi citissime mandamus.» Haec ibi; et recitantur dist. 23. Ubi nota, quod, juxta praedictum Papam judicio omnium sapientum, omni reprehensione, et vituperio plena est haeresis recitata Peputianorum et tanto magis, quanto pejus est, ordinem sacrum attribuere fœminis, quam eas vasa Deo dicata contingere, vel incensum deferre. Insipientiae igitur maxime taxavit illos haeresis hujus patronos ipse Soter. Item á Concil. Carthaginensi, ut recitatur di. ead. " Mulier, quamvis docta, et sancta, viros in conventu docere non praesumat. » Ecce, quod etiam prohibetur mulieribus docere in Ecclesia id, quod officium est sacerdotale, secundum Leonem Papam, ut recitatur 16. q. 1. Adjicimus, etc. Hoc specialiter, statuentes, ut praeter domini sacerdotes nullus audeat praedicare: sive monachus, sive laicus ille sit, qui cujuscumque scientiae nomine glorietur.» Item á, etc. ut q. 19. art. 3. et q. 20. art. 1. et q. 17. art. 3. append. Vide contra hanc pestem et q. 8. art. 1. 2. 4. et q. 31. art. 1. appen. et q. 37. art. 3. et bene applica. Item á Concilio Laodiceno, canon. 44. quod " non oporteat mulieres ingredi ad altare, nec ea contingere, quae virorum officiis deputata sunt. » Maxime autem virorum officiis deputatum est esse constitutum in ordine; ut patet Luc. 22. Ibi enim dicitur, quod Christus dixit discipulis suis ly *hoc facite in meam commemorationem*. Per quae verba instituit eós sacerdotes, ut inquit Concilium Triden. sess. 22. c. 1. et can. 2. Patet autem, quod ad nullas mulieres talia dixit: ex consequenti, quod sacerdotium illis attribuere est contra Evangelium. A nullo namque institutum est sacramentum ordinis, nisi á Christo: et Christus (ut dictum est) solis viris hoc injunxit. Unde per concilium Triden. veritas haec maxime declaratur, quando sess. 23. cap. 1. ait. " In Ecclesia catholica fateri oportet, novum esse visibile, et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem domino salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi offerendi, et ministrandi corpus, et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi, et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et catholice Ecclesiae traditio semper docuit. » Ecce, quod loquens de hujusmodi potestate concilium, et quidem sufficienter, numquam (immo nec in toto tractatu de ordine, ut videre est) facit vel minimam mentionem de aliqua muliere; quod tamen fecisset, si et illi potestas talis á Christo fuisse collata. Item á 33. quaest. 5. " Mulierem constat subjectam dominio viri, et nullam auctoritatem habere: nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec judicare. Item á Concilio Nannethensi. Sed et hoc, secundum auctoritatem canonum, modis omnibus probibendum, ut nulla fœmina ad altare praesumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere. Item

á 1. Cor. 14. Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Cum igitur ea, quae sunt sacerdotum, scilicet consecrare eucharistiam, absolvere á peccatis, praedicare in Ecclesiis, prohibeantur mulieribus immo etiam et aliquod plus, ut visum est, patentissime constat, quod vanitate plenum est, aç impietate, sacerdotium eis, vel aliquem ordinem ad sacerdotium relatum attribuere. *Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, ac scripturarum, pro quanto ordinem Ecclesiasticum dicunt mulieribus non convenire, et intelligas, et probes, et declaros. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á summis Pontificibus, quod annus discretionis non est de necessitate sacramenti ordinis. Insinuatum autem est hoc ab Innocentio III. ad Episcopum Bononiensem sic. " Presbyter P. diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri, etc. Credebat assertioni eorum, eo quod tempore, quo ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis fuerat constitutus, etc. Mandamus: quatenus post condignam pœnitentiam ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis. » Haec ille, de clericis per saltum promot. tuae litterae continebant, vide quaest. 35. art. 5. append. Ecce quod Innocentius ordinem receptum ante annos discretionis, dum non facit reiterare, manifestat per hoc, quod annus discretionis non est de necessitate sacramenti ordinis. Item ab Innocentio, ut recitatur de baptis. et ejus eff. Majores; ubi in fine dicitur sic: " tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenerit obsistentem. » Ex quibus, cum pueri, et alii carentes usu rationis obicem talem habere non possint, sequitur, quod Innocentii mens in illis verbis fuerit virtualiter, quod, si ordines dentur carentibus usu rationis, imprimant characterem. Virtualiter dixit: quia ad litteram de aliis similibus (puta baptismo) loquitur. Item ab Alexand. III. et ab aliis in de aetat. et qual. et ord. praeficien. Per hoc enim, quod reprehendunt illos, qui dabant Ecclesias pueris regendas, nulla facta reprehensione de hoc, quod ad clericatum promoti sint, insinuare videntur, quod ordines, praesertim minores, pueris dari possunt. Vide ibi. c. Indecorum est. Et alia ad hoc facientia. Item á Conciliis, quandocumque tractant de aetate ordinandorum. Ex hoc enim, quod non praefigunt terminum aetatis ad minores ordines promovendis, videntur insinuare idem. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á *Stephano I.* Papa quod servi non debent ordinari, ut refertur supra q. 36. art. 1. append. Item á can. Apostolorum 81. " Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus, ad eorum, qui possident, molestiam. Horum enim eversionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur (qualis noster quoque Onesimus visus est) et domini concesserint, ac liberaverint, et aedibus emiserint, fiat. Haec ibi secundum unam translationem. Secundum vero aliam nonnihil addendo, sic. Servi, si in clerum promoveantur citra dominorum voluntatem, hoc ipsum operatur redhibitionem. Si quando vero servus quoque gradus ordinatione dignus videtur (qualis et noster Onesimus apparuit) et domini consenserint, manuque emiserint, et domo sua ablegaverint, efficiatur. Item á Gelasio I. Papa in Epist. ad universos Episcop. per Lucaniam, et Brutios, et Siciliam constitutos scribente c. 16. Generalis quaerelae vitanda praesumptio est, qua propemodum causantur universi, passim servos, et originarios dominorum jura fugientes, vel ad monasteria sese conferre, vel ad Ecclesiasticum famulatum admitti: quae modis omnibus est amovenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti, praecipue cum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem, etc. Quibus solicita interdictione prohibitis: quisquis Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel eorum, qui monasteriis praesse noscuntur, hujusmodi personas deinceps vel Ecclesiasticae servituti, vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan do-

minorum sub scripturae testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas: periculum se honoris proprii non ambigant, communisque subituros, si super hac re cujusque verax illos querela pulsaverit. Magnis quippe studiis secundum B. Apost. praecavendum est, ne fides, et disciplina Domini blasphemetur. » Haec ibi: et recitantur d. 54. Ecce, quod adeo inardescit Gelas. contra hoc absurdum de servis ordinandis: quod non solum Episc. eorum ordinatores: sed etiam coadjutores, sive ad hoc consulentes, puta presbyteros, atque diaconos, privare et gradu, et communione, minatur. Item á Conc. Tol. 4. " Quicumque libertatem á dominis suis ita recipiunt, ut sibi in eis nullum obsequium patronus retentet, si isti sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur, quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt pro eo, quod adhuc patroni servituti tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad clericatus ordinem promovendi: ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis servi. » Haec illud: et recitantur dist. 54. Nota ly directa manumissione: ut hinc discas, quinam servi manumissi ordinari possint. Non enim possunt omnes secundum Concil. hoc. Item ab eod. d. 54. capitulis multis: quae per te videre potes. Item ab Alex. III. ad Archiep. Turonens. scribente. Consuluit, etc. Respondemus, quod neque spurios, neque servos, ordinare debes. Et, si memor es, in consecratione tibi dictum fuit: vide, ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere praesumas. Haec ibi: et recitantur de ser. non ordin. et eorum manumiss. Item á Conc. Tolet. De famulis Ecclesiae constituere presbyteros, et diaconos per parochias liceat; ita tamen, ut antea manumissi statum recipiant libertatis. » Haec illud ibid. Ecce, quod etiam de servis Ecclesiae intelligitur denegata promotio ad ordines nisi cum conditione, ut ibi. Item á Greg. IX. ad Archiep. Neapolit. " Dilectus filius G. diaconus proposuit, quod I. miles, ea occasione, quod patrem ipsius hominem servum esse proponit (licet mater sua, cujus debet imitari conditionem, libera esse noscatur) ne promoveatur in presbyterum, impedire praesumit. Quocirca mandamus: quatenus, si tibi constiterit de praemissis, eumdem militem ab hujusmodi impedimento cessare compescas. » Haec ille: et recitantur ibidem. Ubi nota, quod filius patris servi tantum, et matris liberae, non judicatur servus respectu ordinum suscipiendorum. Vide ibidem per multa capitula de materia hac. *Secundo* habes: quomodo praedicta Patrum, pro quanto servos non posse ad clericatum promoveri insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et summis Pontificibus, quod homicidium ab ordine impedit, et effusio sanguinis, insinuatum autem est hoc ab Exod. 21. " Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum: ut moriatur. » Unde argue, á fortiori, pro clericatu novi testamenti: quoniam in moralibus sic licet inferre á veteri ad novum. Item ab Alexandro III. ad Episcopum Exoniensem, sic. " Presbyterum, qui puerum intituitu disciplinae percussit in capite, cum post paucos dies expirasset, tam ab omni altaris ministerio debes perpetuo removere, quam ab officio sacerdotali deponere; si ex ipsa percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse. » Hæc ille de homicid. volunt. vel causa. Ecce, quod homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ: si non adhibuit diligentiam, quam debuit. Item ab Innocentio III. ad Episcopum Lugdunensem. " Dilectus filius A. capellanus proposuit; quod, cum quadam corporis molestia gravaretur, ut comedendi appetitum aliquantulum excitaret, equum ascendit, qui cum bene non pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium saltibus lasciviret, ipse, ut ejus refrænaret impetum, fræno vim intulit, equumque calcaribus stimulavit: cumque, fracto fræno, equus proprio arbitrio relictus curreret, festinanter quædam mulier veniens ex obliquo infantulum bajulans obviavit, in quam equus irruens (procul abjecto sessore) puerum prædictum oppressit. Mandamus, quatenus, si est ita, cum idem capellanus, nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit

operam illicitæ rei; non impedias, quo minus divina possit officia celebrare. Hæc ille ibidem: Ecce, quod dans operam rei licitæ, nec existens in culpa, non fit irregularis si homicidium sequatur. Quod clarius ab eodem habes ibidem cap. *Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod quidem monachus*, etc. Ubi de quodam in campanili existente pro campana deponenda, et casu ligni fortuito interficiente puerum, dicitur: quod, si ipse rem necessariam agebat, et utilem, et in loco, per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illuc de consuetudine venire, quando lignum movit, poterit ad altiores ordines promoveri. Vide ibidem per multa capitula de materia hac: et quod etiam homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, ut dicitur in hoc responso ad 3. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictæ scripturarum, et Patrum, pro quanto homicidium impedire á clericatu insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum á Stephano Papa I. quod illegitime nati á clericatu prohibentur, ut habes supra qu. 36. artic. 1. append. Item á, etc. quæst. 37. art. 2. append. Item á Concilio Pictaviensi sic: " Ut filii presbyterorum, et ceteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes, prælationem vero nullatenus habeant. Hæc illud, de filiis presbyt. ordin. vel non. Item á Gregorio IX. ad Archiep. Turonen. Nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo, quod filii sacerdotum, et alii non legitime nati promoventur ad dignitates, et personatus, et alia beneficia curam animarum habentia. » Haec ille ibid. Ecce, quod contra honestatem est, illegitime natos admittere ad clericatum, ut habet conclusio; ex quo nimis deformatur illa honestas, si ad dignitates in Ecclesia assumantur. Item, quod possint admitti cum dispensatione, insinuatum esse merito ab Alexandro II. potes ostendere per D. Thomam, et consequenter illegitimos ordinari non posse, non esse de necessitate sacramenti. Dicit ergo Alexander sic, ut recitantur dist. 56. " Apostolica auctoritate præcipimus vobis, ut, si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque ejus electionem probaveritis fulti nostra auctoritate consecretis. Nam pro eo, quod filius sacerdotis dicitur: si ceteræ virtutes in eum conveniant, non rejicimus, sed suffragantibus meritis conveniendo recipimus. » Hoc idem scribit Urbanus Papa Bartholomaeo Turronensi Archiepisc. ibidem cap. Caenomanensem. Vide tu ibi, et in ead. dist. per capitula multa. Item de pœnitentibus publicis á Concil. Aurelianensi. *Ut pœnitentes ad sacerdotium non ascendant.* Haec illud; ut recitatur de bigam. non ordin. cap. 1. Item quoad dispensationem illegitimorum, inquit, " Bonifacius VIII. Is, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione potest licite (si ei aliud canonicum non obstat) ad ordines promoveri minores, et obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum, dummodo sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari. Ad ordines autem maiores, vel beneficia super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicae promoveri non potest. » Haec ille, de fil. presb. in 6. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto illegitimos, et publicae pœnitentes ad ordinem promovendos non esse insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab *Innocentio III.* Ad Episcopum Militen. " Exposuisti nobis, quod prædecessor tuus N. in Abbatem promovit nesciens, quod ipse esset manu altera mutilatus, etc. Respondemus, quod, cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoveri: et in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatiae officio est non immerito amovendus. Haec ille, de corp. vitiat. non ordin. Item ab Honorio III. ad Episc. Engolism. Thomas monachus proposuit: quod, cum in annis puerilibus esset constitutus, quaedam barra ferrea super dexterae suae policem fortuito casu cadens ungulam avulsit ab eo: quocirca mandamus, quatenus, si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens, et aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem

hujusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem sacerdotis promoveas. Haec ille ibid. Vide etiam eod. tit. per tot. Item ab Innocentio ad Felicem Macerianum Episcopum. Qui partem cujuslibet digiti sibiipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquid contigerit, dum operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hos canones praecipiunt, et clericos fieri, et si in clero reperti fuerint, non abjici. Haec ille, dist. 55. Item á Concil. Martini Papae: Si quis pro aegritude naturalia á medicis secta habuerit, similiter et qui á Barbaris, aut qui á Dominis suis castrati fuerint, et moribus digni inveniuntur, hos canon admitit ad clerum promoveri. Si quis autem sanus, non per disciplinam religionis, et abstinentiae, sed per abscissionem á Deo plasmati corporis existimat posse á se carnales concupiscentias amputari: et ideo se castraverit, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si jam fuerit ante promotus ad clerum, prohibitus á suo ministerio deponatur. Haec illud dist. 55. Item ab Hilario Papa. Pœnitentes, vel inscii litteratum, aut aliqua damna membrorum perpessi, ad sacros ordines aspirare non audeant. Quisquis autem talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvet. » Haec ille, dist. 55. Faciunt haec etiam pro qu. 36. art. 2. et quaest. hujus art. 5. Vide dist. 55. per tot. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto patientes defectum membrorum á clericatu prohibent. et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA

DE HIS QUÆ SUNT ANNEXA SACRAMENTO ORDINIS, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ sunt annexa sacramento ordinis.

Et circa hoc quæruntur septem.

Primo, utrum ordinati debeant habere coronæ rasuram, et tonsuram.

Secundo, utrum corona sit ordo.

Tertio, utrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis.

Quarto, utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis.

Quinto, utrum Episcopatus sit ordo.

Sexto, utrum supra Episcopos possit esse aliqua potestas superior in Ecclesia.

Septimo, utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutæ.

ARTICULUS I.

Utrum ordinati debeant tonsuram deferre.

Pro negativa.=Videtur, quod ordinati non debeant coronam rasuræ habere.

1. *His qui tondentur, minatur Dominus captivitatem*, ut patet Deuter. 32. ubi dicitur: *de captivitate nudati inimicorum capitis*, et Hierem. 49. dicitur: *dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam.* Sed ministris Christi non debetur captivitas, sed libertas. Ergo ministris Christi non debetur rasura coronæ et tonsura.

2. *Nazarei in quorum tonsura præcessit figura coronæ*, ut dicit Mag. in dist. 24. lib. 4. *non erant ordinati ad ministerium divinum.* Ergo videtur quod ministris Ecclesiæ non debeatur tonsura, vel rasura coronæ. Quod etiam confirmatur, quia conversi, qui non sunt ministri Ecclesiæ, in religionibus tondentur.

Conseq. prob., quia veritas debet respondere figuræ.

3. Ministri altaris debent á se omnem superfluitatem repellere. Ergo totaliter debent caput radere, et non in modum coronæ.

Conseq. prob., quia capillos superflua significantur: quia capilli ex superfluis generantur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Signum regni debetur ordinatis. Sed corona est signum regni. Ergo corona debetur ordinatis.

Maior prob., quia *servire Deo regnare est* ut Greg. dicit et Chrysost. in illud Joan. «vos qui amici mei estis, etc. Cum « ergo ordinati, in Dei servitium manci- « pentur, eis signum regni deferre com- « petit. »

2. His qui debent habere mentem relevatam, competit tonsura vel rasura. Sed ministri altaris debent habere mentem relevatam. Ergo eis competit rasura vel tonsura.

Maior prob., quia *capilli in velamen dati sunt*, ut patet 1. Cor. 11..

Determinatio.

Conclusio. Eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura et tonsura in modum coronæ.

Prob. Competit enim eis hujusmodi rasura, vel tonsura duplici ratione. Primo ratione, figuræ: corona enim est signum regni et perfectionis, cum sit circularis. Illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et prefecti in virtute esse debent.

Secundo competit eis ratione subtractionis capillorum. Et ex parte superiori per rasuram: ne mens eorum temporalibus occupationibus á contemplatione divinorum retardetur. Et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus rebus obvolvantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod Dominus comminatur captivitatem illis qui ad cultum dæmonum tondebantur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ea quæ fiebant in veteri testamento, imperfecte repræsentabant ea quæ sunt in novo: et ideo ea quæ pertinent ad ministros novi testamenti, non solum significabantur per officia levitarum, sed etiam per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazarei autem profitebantur perfectionem quamdam in depositionem comæ, significantes temporalium contemptum, quamvis non in modum coronæ deponerent, sed omnino totam, quia nondum erat tempus Regalis et perfecti sacerdotii. Conversi autem similiter tondentur propter renunciationem temporalium; sed non raduntur superius, quia non occupantur divinis ministeriis in quibus oporteat eos divina contemplari.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod in tonsura ministrorum debet significari non solum temporalium abjectio in abjectione capillorum, sed etiam Regalis dignitas in forma coronæ, et ideo non debet totaliter coma tolli: quod etiam fit ne indecens videatur.

ARTICULUS II.

Utrum corona sit ordo.

Pro affirmativa.=Videtur quod corona sit ordo.

1. Illud quod pertinet ad sacramentum ordinis, et imprimit characterem, est ordo. Sed corona est pertinens ad sacramentum ordinis, et imprimit characterem. Ergo corona est ordo.

Maior prob., quia ordines imprimunt characterem, et ideo omne pertinens ad sacramentum ordinis imprimens characterem, est ordo.

Minor prob. Corona est quoddam spirituale signum quod Ecclesia adhibet. Ergo videtur quod ei signatum interius respondeat; quod erit spiritualis potestas, quæ est character.

Conseq. prob., quia in actibus Ecclesiæ spiritualia corporalibus respondent.

2. Corona datur á solo Episcopo, sicut confirmatio et alii ordines, in quibus imprimitur character. Ergo in corona imprimitur character, ac per hoc est ordo.

3. Illud per quod aliquis in aliquo gradu supra populum constituitur, est ordo. Sed per coronam aliquis constituitur in aliquo gradu supra populum. Ergo corona est ordo.

Maior prob., quia ordo importat quemdam dignitatis gradum.

Minor prob., quia ex hoc ipso quod aliquis clericus fit per acceptionem coronæ, constituitur in gradu supra populum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Nullus ordo datur nisi in missæ celebratione. Sed corona datur etiam absque missæ officio. Ergo corona non est ordo.

2. In collatione cujuslibet ordinis fit mentio de aliqua potestate data. Sed in collatione coronæ non fit mentio de aliqua potestate data. Ergo corona non est ordo.

Determinatio.

Conclusio. Corona non est ordo, sed præambulum ad ordinem.

Prob. Illud per quod aliquis deputatur solum ad id quod communiter á toto ministrorum collegio fit, non est ordo, sed præambulum ad ordinem. Sed per coronam deputatur aliquis solum ad id quod communiter á toto ministrorum collegio fit. Ergo corona non est ordo sed præambulum quoddam ad ordinem.

Maior manifestatur : nam ministri Ecclesiæ á populo separantur, ad vacandum divino cultui. In cultu autem divino quædam sunt quæ per potestates determinatas sunt exercenda, ut sunt consecrare et consecranti ministrare: et ad hoc datur spiritualis potestas ordinis. Quædam autem sunt quæ communiter á toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes: et ad hoc non præexigitur aliqua potestas ordinis, sed solum deputatio ad tale officium. Illud igitur per quod quis deputatur solum ad id quod ad omnes Ecclesiæ ministros pertinet, scilicet ad laudes divinas recitandas, non est ordo; quia scilicet per ordinem deputatur aliquis non tantum ad laudes divinas recitandas, sed ad aliquod ministerium ad divinum cultum pertinens.

Minor ut ex se manifesta relinquitur: efficitur enim per coronam quis clericus, qui per hoc á populo separatur, ad vacandum divino cultui, nec ad aliquod aliud speciale ministerium deputatur, ut de se patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod corona habet interius aliquid spirituale, quod ei respondet, sicut signatum signo: sed hoc non est aliqua spiritualis potestas, sed illud quod ad omnes ministros Ecclesiæ pertinet, et ideo in corona non imprimitur character.

Ad 2. Negatur consequentia: Ex hoc enim quod corona datur á solo Episcopo, non sequitur quod characterem imprimat: nam ad Episcopum pertinet etiam dare id per quod aliquis ad divinum cultum deputatur; unde ipse vasa et vestes ad divinum cultum pertinentes benedicit. Et quia per coronam deputatur aliquis ad cultum divinum, ideo per summum ministrorm: qui est Episcopus confertur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod per coronam constituitur aliquis in altiori statu supra laicos, non tamen habet ampliorem potestatis gradum: quod ad ordinem requiritur.

ARTICULUS III.

Utrum per acceptionem coronæ aliquis renunciet temporalibus bonis.

Pro affirmativa. = Videtur quod per acceptionem coronæ aliquis renunciet temporalibus bonis.

1. « Ipsi qui coronantur, dum coronam accipiunt, dicunt, Dominus pars « hæreditatis meæ. » Sed sicut Hieron. dicit in epistola ad Nepotianum, *Dominus in his temporalibus pars fieri dedignatur.* Ergo qui coronam accipiunt, abrenunciant temporalibus bonis.

Alter: Illi quorum hæreditatis pars

est Dominus, abrenunciant temporalibus bonis. Sed eorum qui coronantur, Dominus est pars hæreditatis, ut patet ex verbis quæ dicunt in acceptione coronæ. Ergo abrenunciant temporalibus bonis.

Maior probatur, ex inducta Hieronymi sententia.

2. Ministri veteris Testamenti, scilicet levitæ, non acceperunt partem hæreditatis cum fratribus suis. Ergo nec ministri novi testamenti temporalia habere debent.

Conseq. prob., quia *justitia ministrorum novi testamenti debet abundare super ministros veteris*, ut patet Matth. 5.

3. Hugo dicit in libro. 2. de Sacram. part. 3. cap. 1. quod « postquam aliquis est factus clericus, debet deinceps de stipendiis Ecclesiæ sustentari:» quod non esset, si patrimonium suum retineret. Ergo videtur quod ex hoc quod fit clericus, abrenunciet temporalibus bonis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Jeremias qui fuit de ordine sacerdotali, ut patet Jer. 1. habuit possessionem hæreditatis, ut patet Jer. 32. Ergo clerici possunt habere patrimonialia bona.

2. Si clerici abrenunciarent temporalibus bonis, nulla esset differentia inter religiosos et clericos seculares.

Determinatio.

Conclusio. Clerici, in hoc quod coronam accipiunt, non renunciant patrimonio nec aliis rebus temporalibus.

Prob. Quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed solum eorum nimia sollicitudo: affectus enim est in crimine, ut Gregorius dicit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: Ad probationem dicitur, quod Dominus dedignatur pars fieri eorum qui res mundi ita possident, ut ex æquo ipse cum temporalibus diligatur; ita scilicet quod aliquis finem suum ponat in rebus mundi. Non tamen dedignatur pars fieri eorum qui res mundi ita possident, ut per eas á divino cultu non retrahantur.

Ad 2. Dicitur ad anteced. quod Levitæ in veteri testamento habebant jus in hæreditate paterna, sed ideo non acceperunt partem in illis tribubus, quia erant per omnes tribus dispergendi; quod fieri non potuisset, si unam determinatam partem terræ accepissent.

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod verbum Hugonis intelligendum est de clericis, qui indigentes ad ordines sunt promoti: his enim tenetur providere Episcopus qui eos promovit: et ipsi tenentur ex ordine suscepto Ecclesiæ ministrare. Quod si non sint indigentes, non est necessarium eos de Ecclesiæ stipendiis sustentari.

ARTICULUS IV.

Utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas Episcopalis.

Pro negativa. = Videtur quod supra sacerdotalem ordinem non debeat esse aliqua potestas Episcopalis.

1. In veteri lege nullus erat supra Aaron. Ergo nec in nova lege debet aliqua potestas esse supra sacerdotalem.

Conseq. prob., quia ordo sacerdotalis ab Aaron sumpsit exordium.

2. Nullus actus sacerdotalis potest esse maior, quam consecrare corpus Christi, ad quem actum ordinatur sacerdotalis potestas. Ergo supra sacerdotalem potestatem nulla est alia potestas.

Conseq. prob., quia potestates ordinantur secundum actus.

3. Eo qui gerit figuram Christi in Eccl. nullus est maior. Sed sacerdos in offerendo sacrificium, gerit figuram Christi. Ergo in Ecclesia nullus est sacerdote maior.

Maior prob., quia in Ecclesia nullus est maior Christo, qui est caput Ecclesiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Potestas quæ ad plura se extendit, est supra potestatem quæ ad pauciora se extendit. Sed potestas Episcopalis ad plura se extendit, quam sacerdotalis. Ergo potestas Episcopalis est supra potestatem sacerdotalem.

Maior prob., quia potestas tanto est altior, quanto ad plura se extendit.

Minor prob., quia potestas sacerdotalis, ut Dion. dicit in 5. c. Eccl. Hierarch. part. 1. *extendit se ad purgandum et ad illuminandum tantum.* Episcopalis autem ulterius se extendit ad perficiendum.

2. Humanorum officiorum ordo exigit ut in quolibet officio præponatur unus qui sit princeps illius officii, sicut præponitur militibus dux. Ergo et in sacerdotibus debet aliquis præponi qui sit sacerdotum princeps, et hic est Episcopus, et sic Episcopalis potestas est supra sacerdotalem.

Conseq. prob., quia divina ministeria debent esse magis ordinata, quam humana.

Determinatio.

Distinctio. Sacerdos habet duos actus. Unum principalem qui est consecrare corpus Christi. Alterum secundarium, qui est præparare populum Dei ad susceptionem hujus sacramenti, ut supra etiam dictum est.

1.ª CONCLUSIO. Sacerdotalis potestas, quantum ad principalem actum non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina.

Prob. Quia sacerdos potest consecrare quamlibet materiam á Christo determinatam, nec aliud requiritur quantum ad necessitatem sacramenti, quamvis ex quadam congruitate præsupponatur actus Episcopalis, in consecratione altaris et vestium et hujusmodi.

2.ª CONCLUSIO. Potestas sacerdotalis, quantum ad suum actum secundarium dependet á superiori potestate humana.

Prob. Potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis aliquibus ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit. Sed potestas sacerdotalis non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus. Ergo potestas sacerdotalis, quantum ad illum actum, dependet á superiori potestate, quæ facit illas ordinationes.

Minor prob., quia sacerdos non potest absolvere et ligare, nisi præsuppposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit; quæ potestas sacerdoti ab Episcopo confertur. Et sic sacerdotalis potestas, quoad secundarium actum, dependet ab Episcopali.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem, dicitur quod Aaron fuit sacerdos et pontifex, idest sacerdotum princeps. Sacerdotalis potestas sumpsit ex ipso exordium, in quantum fuit sacerdos sacrificia offerens, quod etiam minoribus sacerdotibus licebat, sed non ab eo, in quantum fuit pontifex, per quam potestatem poterat aliqua facere quæ aliis non licebat, ut ingredi semel in anno in sancta sanctorum.

Ad 2. Dicitur quod verum concludit, et probat primam conclusionem, scilicet quod sacerdotium non habeat aliquam aliam maiorem potestatem supra se, nisi divinam.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiæ, quantum ad aliquid, gerit typum Christi, et tamen ille est superior qui secundum maiorem perfectionem Christum repræsentat; et quia sacerdos repræsentat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit, Episcopus autem, in hoc quod ministros instituit et Ecclesiam fundavit, propter quod ad Episcopum perti-

net aliquos divinis officiis mancipare, quasi cultum divinum in similitudinem Christi statuens, propter quod etiam Episcopus sponsus Ecclesiæ dicitur sicut Christus. Et ideo Episcopus, magis quam sacerdos, typum Christi gerit.

ARTICULUS V.

Utrum Episcopatus sit ordo.

Pro affirmativa.=Videtur quod Episcopatus sit ordo.

1. Dion. 5. cap. Eccl. Hierarch. part. 1. assignat hos tres ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *Episcopum, sacerdotem, et ministrum*, et Magist. dicit in dist. 24. lib. 4. sent. quod *ordo Episcoporum est quadripartitus*. Ergo Episcopatus est ordo.

2. Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta, quæ non possunt sacerdotes, scilicet confirmationem et ordinem. Ergo Episcopatus est ordo.

Consequentia probatur, quia ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis.

3. Ea quæ pertinent ad Episcopalem potestatem, non sunt jurisdictionis, alias possent committi non Episcopo Ergo sunt potestatis ordinis. Ergo Episcopus habet aliquem ordinem, quem non habet simplex sacerdos, et sic Episcopatus est ordo.

Prima consequentia prob. Quia in Ecclesia non est aliqua spiritualis potestas, nisi ordinis vel jurisdictionis. Spiritualis ergo potestas, quæ non est jurisdictionis, est potestas ordinis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Unus ordo non dependet á præcedenti, quantum ad necessitatem sacramenti. Sed Episcopalis potestas dependet á sacerdotali, quantum ad necessitatem sacramenti. Ergo Episcopatus non est ordo.

Minor prob., quia nullus potest recipere Episcopalem potestatem, nisi prius habeat sacerdotalem.

2. Minores ordines non conferuntur nisi in sabbatis. Sed Episcopalis potestas traditur in dominicis. Ergo Episcopatus non est ordo.

Determinatio.

Distinctio. Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum. Alio modo, secundum quod est officium quoddam, respectu quarumdam actionum sacrarum.

1.ª Conclusio. Episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum.

Manifestatur; quia omnis ordo qui est sacramentum, ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ, supra quod Episcopus non habet maiorem potestatem, quam simplex sacerdos.

2.ª Conclusio Episcopatus est ordo, secundum quod ordo est officium, respectu quarumdam actionum sacrarum.

Manifestatur: quia Episcopus habet potestatem in actionibus Hierarchicis, respectu corporis mystici, supra sacerdotem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod illæ auctoritates ostendunt Episcopatum esse ordinem, secundum quod est officium circa actiones sacras.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharistiæ, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur: et ideo, licet Episcopo detur aliqua potestas spiritualis in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris, et propter hoc Episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum.

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod potestas Episcopalis non est tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis, secundum quod ordo communiter accipitur, ut in corpore dictum est.

Utrum supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia.

Pro negativa.==Videtur quod supra Episcopos non possit esse aliquis superior in Ecclesia.

1. Supra successores apostolorum non potest esse aliquis superior in Ecclesia. Sed Episcopi sunt successores Apostolorum. Ergo supra Episcopos non potest esse aliquis superior in Ecclesia.

Maior prob., quia *potestas quæ est data uni Apostolorum*, scilicet Petro Matth. 16. *data est omnibus Apostolis Joan.* 20. Et per hoc omnes succesores Apostolorum sunt pares.

2. Ritus Ecclesiæ magis debet esse conformis ritui judæorum, quam ritui gentilium. Sed distinctio Episcopalis dignitatis, et ordinationis unius super alium est á gentilibus introducta, ut Mag. dicit dist. 24. lib. 4. sent. in veteri autem lege non erat. Ergo nec in Ecclesia Episcopus unus super alium esse debet.

3. Superior potestas non potest conferri per inferiorem, nec æqualis per æqualem. Sed Episcopus potest quemlibet Episcopum promovere: quia etiam Hostiensis Episcopus consecrat Papam. Ergo Episcopalis dignitas in omnibus est æqualis, et sic unus Episcopus non debet alteri præesse.

Maior prob., quia *sine ulla contradictione, quod minus est, á meliore benedicitur*, Heb. 7. Unde sacerdos non promovet Episcopum, neque sacerdotem, sed Episcopus sacerdotem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur in Conc. 8. Constantinop. can. 21. et refertur dist. 22. cap. de pœn. «Veneramur secundum scripturas, «et secundum canonum statuta, et deffi«nitiones, sanctissimum antiquæ Romæ «Episcopum, primum esse et maximum «Episcoporum, et post ipsum Constanti«nopolitanum Episcopum.» Ergo unus Episcopus est supra alium.

2. Beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus dicit: «Ut membra maneamus in «capite nostro apostolico throno roma«norum Pontificum, á quo nostrum est «quærere, quid credere et quid tenere «debeamus, ipsum venerantes, ipsum «rogantes pro omnibus; quoniam ipsius «solius est reprehendere, corripere, sta«tuere, disponere, solvere et ligare, lo«co illius qui ipsum ædificavit; et nulli «alii quod suum est plenum; sed ipsi so«li dedit, cui omnes, jure divino, caput «inclinant, et primates mundi, tamquam «ipsi domino Jesu Christo obediunt.» Ergo Episcopi etiam de jure divino, alicui subsunt.

Determinatio.

Conclusio. Supra Episcopos est in Ecclesia alia potestas, quæ est potestas Papæ, cui omnes Ecclesiæ Episcopi subsunt.

Prob. Ubicumque multa sunt regimina ordinata ad unum, oportet esse aliquod universale supra particularia regimina. Sed Ecclesia est unum corpus, in qua sunt multa regimina ordinata ad unum. Ergo ad conservandam Ecclesiæ unitatem, supra potestatem, Episcopalem, qua unaquæque specialis Ecclesia regitur, debet esse potestas regitiva totius Ecclesiæ, quæ residet in summo Pontifice.

Maior prob., quia in omnibus virtutibus et artibus est ordo secundum ordinem finium, ut dicitur 1. Ethic. cap. 1. Bonum autem commune est divinius quam bonum speciale, et ideo supra potestatem regitivam quæ conjectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis, alias non posset esse colligatio ad unum.

Et confirmatur conclusio: quia illi qui negant hanc supremam potestatem, dicuntur schismatici quasi divisores unitatis Ecclesiæ.

2.ª Conclusio. Inter simplicem Episcopum, et Papam sunt alii gradus dig-

nitatum, correspondentes gradibus unionis, secundum quod una congregatio, vel communitas includit aliam.

Manifestatur: nam communitati civitatis præest Episcopus, communitati provinciæ præest Archiepiscopus, communitati Regni Patriarcha, et communitati totius mundi summus Romanus Pontifex. Et sicut communitas provinciæ includit communitatem civitatis, et communitatem provinciæ includit communitas regni, et hanc communitas totius mundi: ita potestas Episcopi est sub Archiepiscopali, et hæc sub Patriarchali, et hæc sub potestate Summi Pontificis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi; tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur; primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere, propter quod etiam ei singulariter dixit: confirma fratres tuos. Et pasce oves meas, idest loco mei, ut Chrysost. dicit præpositus et caput esto fratrum, ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent et confirment.

Ad 2. Neg. maior. Non enim est universaliter vera, et maxime in proposito; nam ritus Judæorum non erat diffusus in diversis regnis et provinciis, sed tantum in una gente. Et ideo non oportebat quod sub eo qui habebat potestatem principalem, alii pontifices distinguerentur. Sed ritus Ecclesiæ per diversas nationes diffunditur, sicut ritus gentilium erat diffusus, et ideo oportet quod quantum ad hoc, magis gentilium ritui quam Judæorum Ecclesiæ status conformetur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod superior potestas non potest conferri per inferiorem alterius generis, sed per inferiorem ejusdem generis non inconveniter conferri posse. Et quia potestas sacerdotis excedit á potestate Episcopi, quasi á potestate alterius generis, propterea sacerdos non potest Episcopum promovere. Potestas autem Episcopi excedit á potestate Papæ, quasi á potestate ejusdem generis, et ideo omnem actum Hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum potest facere Episcopus: non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere sacerdos in collatione sacramentorum. Et ideo quantum ad ea quæ sunt Episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales, et propter hoc quilibet Episcopus potest alium consecrare.

ARTICULUS VII.

Utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutæ.

Pro negativa.=Videtur quod vestes ministrorum non sint in Ecclesia convenienter institutæ.

1. *Inter alias vestes ministrorum veteris testamenti erant fœmoralia in signum castitatis*, Exod. 28. et Levit. 6. et 16. Ergo multo magis debent esse inter vestes ministrorum Ecclesiæ.

Conseq. prob. quia ministri novi testamenti magis tenentur ad castitatem, quam ministri veteris testamenti.

2. Veteres sacerdotes habebant mitras, quod erat signum dignitatis. Ergo sacerdotes novæ legis debent mitras habere.

Conseq. prob., quia sacerdotium novi testamenti est dignius, quam sacerdotium veteris testamenti.

3. *Episcopi utuntur vestibus ministrorum, dalmatica scilicet quæ est vestis diaconi, et tunica quæ est vestis subdiaconi.* Ut divus Gregor. lib. 7. Epist. 111. Ergo multo fortius debent uti his vestibus simplices sacerdotes.

Conseq. prob., quia sacerdos est propinquior ordinibus ministrorum, quam ordo Episcopalis.

4. *In veteri lege Pontifex deferebat superhumerale quod significabat onus*

Evangelii, ut Beda tract. de tabern. et vestib. Sacerd. dicit: ergo etiam Pontifices novæ legis debent superhumerale deferre.

Conseq. prob. quia onus Evangelii incumbit maxime pontificibus nostris.

5. In rationali quo utebantur pontifices veteris legis, scribebantur Doctrina et veritas. Ergo et Pontificibus novæ legis hoc competit.

Conseq. proq., quia veritas maxime in nova lege declarata est.

6. Lamina aurea, in qua scriptum erat dignissimum nomen Dei, erat dignissimum ornamentorum veteris legis, Ergo illud maxime debuit transferri in nova lege.

7. *Archiepiscopus non habet alterius generis potestatem, quam Episcopus*, ut dictum est artic. præced. ad ult. Ergo non debet habere pallium, quod non habent Episcopi.

Conseq. prob., quia ea quæ exterius geruntur in ministris Ecclesiæ, sunt signa interioris potestatis.

8. Summus romanus Pontifex, in quo residet plenitudo potestatis, non habet baculum. Ergo nec alii Episcopi debent baculum habere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est Ecclesiæ institutio, et usus.

Determinatio.

Conclusio. Vestes ministrorum convenienter sunt in Ecclesia institutæ.

Manifestatur: præmittendo quod vestes ministrorum designant ea per quæ ministri redduntur idonei ad tractandum divina. Et quia in superioribus ministris plura, quam in inferioribus requiruntur; ideo vestes ministrorum et eorum ornamenta sunt in triplici differentia. Quædam sunt omnibus ministris communia. Quædam sunt aliquibus ministris propria. Et quædam conveniunt solis Episcopis.

Vestimenta omnibus ministris communia.

Omnibus communia sunt.

Amictus, alba, et cingulum.

Est enim omnibus ministris primo necessaria fortitudo ad exercenda divina, quibus mancipantur, et hæc significatur per amictum humeros tegens.

Secundo est necessaria puritas vitæ, quæ significatur per albam.

Tertio repressio carnis, quam significat cingulum.

Vestes subdiaconi.

Subdiaconus, præter prædicta indumenta, habet manipulum in sinistra, quo significatur extersio minimarum macularum. Quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum. Ipsi enim primo ad sacra tractanda admittuntur. Habet etiam tunicam strictam, per quam doctrina Christi significatur. Unde et in veteri lege in ipsa tintinnabula pendebant. Subdiaconi enim primo admittuntur ad annunciandam doctrinam novæ legis.

Vestes et ornamenta diaconi.

Diaconus autem habet amplius stolam in sinistro humero, in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis. Et dalmaticam, quæ est vestis, larga; sic dicta quia in dalmaticis partibus primo usus ejus fuit. Ad designandum quod ipse primo dispensator sacramentorum ponitur. Ipse enim sanguinem dispensat. In dispensatione autem largitas requiritur.

Sacerdotum vestes et ornamenta.

Sacerdos habet stolam in utroque humero, ut ostendatur quod ei plena potestas dispensandi sacramenta datur, non ut ministro alterius; et ideo stola ad inferiora usque descendit. Habet etiam casulam, quæ significat charitatem, quia ipse charitatis conficit sacramentum, scilicet Eucharistiam.

Ornamenta Pontificum.

Episcopis adduntur novem ornamenta supra sacerdotes, quæ sunt. Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dal-

matica, Mitra, Chirothecæ, Annullus, et Baculus. Quia novem sunt, quæ ipsi supra sacerdotes possunt.

Scilicet clericos ordinare,
Virgines benedicere.
Basilicas dedicare.
Clericos deponere.
Synodos celebrare.
Chrisma conficere.
Vestes, et vasa consecrare.

Et sacramentum confirmationis conferre.

Vel per caligas significatur rectitudo gressuum.

Per scandalia, quæ tegunt pedes, contemptus terrenorum.

Per succinctorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis.

Per tunicam perseverantia, quia Joseph tunicam talarem habuisse legitur, quasi descendentem usque ab talos, per quos extremitas vitæ significatur.

Per Dalmaticam, largitas in operibus misericordiæ.

Per Chirothecas. cautela in opere.

Per Mitram, scientia utriusque testamenti, unde et duo cornua habet.

Per Baculum, cura pastoralis qua debent colligere vagos, quod significat curvitas in capite baculi. Sustentare infirmos, quod ipse stipes baculi signat. Et pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi. Unde versus.

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Hoc est collige vaga, sustenta morbida, stimula lenta.

Per annulum, significantur sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi.

Archiepiscoporum ornamenta.

Ulterius archiepiscopi pallium habent, in signum privilegiatæ potestatis. Significat enim torquem auream, quam solebant legitime certantes accipere.

Sunt igitur in universum vestes, et ornamenta ministrorum et Pontificum, decem et novem, scilicet.

Amictus.	Quæ conveniunt omnibus.
Alba.	
Cingulum.	
Manipulus.	Subdiaconis.
Tunica.	
Stola in humero sinistro.	Diaconis.
Dalmatica.	
Stola in utroque humero.	Sacerdotibus.
Casula.	
Caligæ.	Episcopis.
Sandalia.	
Succinctorium.	
Tunica.	
Dalmatica.	
Mitra.	
Chirothecæ.	
Annulus.	
Baculus.	

Pallium Archiepiscopis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quia ministri veteris testamenti minus tenebantur ad castitatem, quam ministri novi testamenti, utebantur femoralibus tantum illo tempore, quo accedebant ad ministerium, in quo tantum ad castitatem tenebantur. Ministris autem novæ legis indicitur perpetua continentia, et ideo non datur eis in actu ministerii aliquod castitatis speciale signum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod mitra non erat signum alicujus dignitatis; fuit enim quoddam galerum, ut Hieron. dicit in Epist. ad Fabiolam. Sed Cydaris quæ erat signum dignitatis, solis Pontificibus dabatur, sicut et nunc mitra.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod potestas ministrorum est in Episcopo sicut in origine, non autem in sacerdote, quia ipse non confert illos ordines, et ideo magis Episcopus, quam sacerdos vestibus ministrorum utitur.

Ad 4. Dicitur ad anteced. quod loco

superhumeralis, utuntur pontifices novi testamenti stola, quæ est ad significandum idem quod superhumerale.

Ad 5. Dicitur ad conseq. quod pallium succedit loco rationalis.

Ad 6. Dicitur ad conseq. quod *pro illa lamina habet Pontifex noster crucem*, ut Innoc. dicit sicut pro femoralibus habet sandalia; pro linea, albam: pro baltheo, singulum; pro podere, tunicam; pro Ephod, amictum; pro rationali, pallium; pro cydari, mitram.

Ad 7. Dicitur ad anteced. quod quamvis Archiepiscopus non habeat aliam genere potestatem, habet tamen eamdem ampliorem: et ideo ad hanc perfectionem designandam, datur ei pallium, quo undique circumdatur.

Ad 8. Dicitur ad anteced. quod Romanus Pontifex non utitur baculo, in signum quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat.

Et hæc de sacramento ordinis dicta sint.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 130.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Concilio Agatensi, quod clerici tonsuram ferre debent. Hoc autem insinuatum est cap. 20. *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiam si noluerint, inviti detondeantur.* Hæc illud: et recitantur distin. 23. Item á Greg. IX. *Si quis ex clericis comam relaxaverit; anathema sit.* Hæc ille, dist. 23. Item ab Innocentio III. in Concilio generali. Clerici officia, etc. *Coronam, et tonsuram habeant congruentem.* Hæc ille: de vita, et honest. cler. Item ab Aniceto Papa, et martyre in Epist. ad Episcopos Galliæ, c. 4. ubi de tonsura, et rasura in modum coronæ, inquit: " Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum Ecclesias, ut clerici, qui laicis, et simplicibus virtutis, honestatis, pudicitiæ, et gravitatis exemplar esse debent, ac seipsos, tamquam signum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant quia, sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura, et omni habitu discreti debent apparere. » Ubi nota ly juxta Apostolum. Nam ex eo, quod 1. Cor. 11. dicit; quod nutrire comam viro est ignominia, insinuat Anicetus, se inferre á fortiori, quod clericis multo plus est ignominia nutrire comam. Item a. 12. q. 1. " Duo sunt genera Christianorum, etc. Genus quod mancipatur divino officio, et deditum est contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit: ut sunt clerici, idest forte electi, cleros enim Græce, Latine sors. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, i. se, et alios in virtutibus regentes: et ita in Deo regnum habent: et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio. » Quæ maxime conveniunt cum dicto B. Petri Apo. ipsumque exponunt. 1. Pet. 2. Ubi sacerdotium novæ legis ipse vocat regale sacerdotium. Per quod vocabulum et ipse insinuat de clericis quoad rasuram in modum sphæræ id ipsum, quod supra dictum est ab aliis summis Pontificibus. Ex his prædictis, maxime á 12. quæst. 1. Duo sunt, patet, merito damnari pestiferum illum errorem Pauperum de Lugduno dicentium, clericos omnes, et eis obedientes, á Tempore Beati Sylvestri Papæ, esse damnatos. Ex ipsa enim interpretatione nominis clericorum patet reprobari temerarium hunc errorem et per consequens etiam ostendi, quod isti Pauperes de Lugduno sunt maxime depauperati in intelligentia propriæ vocis: quoniam ipsam

non intelligunt. Et nota, quod talis corona per rasuram facta á B. Petro incepisse monstratur in edicto Constantini Magni Imperatoris, ubi legitur: " Decrevimus itaque et hoc, ut idem venerabilis pater noster Sylvester Summus Pontifex, et omnes ejus successores Pontifices, diademate (videlicet corona: quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo, et gemmis pretiosis uti debeant, et in capite ad laudem Dei, et pro honore beati Petri gestare. Ipse vero Beatissimus Papa super coronam clericatus, quam gerit, ad gloriam B. Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Hæc ibi, tom. 10 Conciliorum. Ecce, quod reputavit Beatus Sylvester majoris dignitatis coronam clericalem, quam coronam imperatoris auro, et margaritis intextam, et per hoc ipsos Pauperes de Lugduno in errore suo clericos persequentes valde condemnavit, dictaque á Sancto Thoma in articulo præsenti maxime confirmavit. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum, et Scripturarum, pro quanto ordinatos, statuunt tonsuram, atque rasuram debere portare; et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Concil. Florent. et Tridentin. immo et ab omnibus hujusmodi tractantibus de ordine, quod corona non est ordo. Hoc autem insinuatur á Florent. in decr. Armenis dato de sacram. quando nos remittit ad Pontificale Romanum de formis ordinum late continens. Nam, ut patet qu. 34. art. 4. vel etiam qu. 37. art. 5. app. per singulas formas ordinum, numquam mentio fit de corona: immo, quando de corona agitur, numquam forma similis formis ordinum exprimitur quoniam de nulla potestate data memoratur. Non enim Episcopus coronando dicit: accipe hanc, vel illam potestatem, sicut dicit ordinando. Cum ergo in singulis ordinibus imprimatur character, qu. 25. art. 2. qui est potestas aliqua, cujus meminit Episcopus per formam, patet secundum Concilium illud Florent. quod corona non est ordo. A Concilio etiam Trident. sess. 23. cap. 2. " Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi: ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Mox vero facit de singulis ordinibus mentionem expressam, nominans sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolithos, exorcistas lectores, ostiarios: et nihil prorsus de tonsura clericali dicens. Unde colligitur aperte, quod clericalis tonsura non est ordo, neque major, neque minor: sed est illa res, per quam insigniti ascendunt per ordines minores ad majores. Hoc autem est esse præambulum, et dispositionem ad ordinem. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto coronam insinuant non esse ordinem, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas errorem pessimum *Joann. Wicleff*, ut refert Conc. Constan. sess. 8. dicentis; Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessionem habent. Item addentis, quod contra scripturam sacram est, quod Ecclesiastici habeant possessiones. Item dicentis, quod ditare clerum est contra regulam Christi. Item dicentis, quod Sylvester Papa, et Constantinus Imperator Ecclesiam dotando erraverunt: et, quod, ut refert Prateolus, titu. Joannes Wicleff, ipse Constantinus, cæterique domini temporales seducti sunt á diabolo, ut Ecclesiam bonis temporalibus dotarent. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito damnatos esse á Concil. Constantien. sess. 8. ut narratur supra q. 20. art. 3. appen. de Wicleff, Item ab Urbano I. qui fuit 16. Papa post Petrum, Tiburtii cognati, et Valeriani sponsi Beatæ Ceciliæ baptizator, et Sanctus anno Domini 222. Hic in ep. 1. Decre. ad universos Episcopos, inquit: " Scimus, vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes bonos Christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget, et maxime inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, idest, clericos, sicut in act. legitur Apostolorum. Quotquod enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat, etc. Videntes ergo sacerdotes sum-

mi, et alii, atque levitæ, et reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si hæreditates, et agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo, quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus, plurima, et elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex pretio eorum: cœperunt prædia, et agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent essse temporibus, etc. Unde attendendum est omnibus, et fideliter custodiendum: ne prædia usibus sacrorum cœlestium dedicata á quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, et carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis utatur. Quoniam, juxta Apostolum, tradere oportet hujusmodi hominem satanæ: ut spiritus salvus sit in die Domini.» Hæc ibi, et sparsim leguntur per decretum 11. quæst. 1. Scimus vos, et 12. quæst. 1. Videntes autem sacerd. et 17. quæst. 4. Attendendum est. Ecce, quod Urbanus docuit et hujusmodi possessiones Ecclesiæ á fidelibus esse datas instinctu Spiritus Sancti, et ipsum Wicleff, cum similibus, tamquam sacrilegum perpetua infamia et dominatu Satanico, quia jam impœnitens mortuus est, jure esse damnandum. Item á Concilio Aquensi, lib. 3. cap. 4. 5. et 6. "Qualiter Ecclesia Christi ab exordio nativitatis suæ cœperit crescere, dilatari, ac propagari, et fidelium oblationibus munerari, in ipso capite nostro Christo intueamur, qui oblationes fidelium suscipere non ambigitur, unde erant nummi, quos miser Judas, et non miserabilis, furabatur, et idcirco, qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur, etc. Item c. 7. Quare loculos habuit, cui Angeli ministraverunt: nisi quod Ecclesia ejus loculos suos habitura erat? Esto. Erat futurum, ut Ecclesia Christi nummos haberet, etiam nummos utique et prædia, et mancipia, et diversarum specierum innumera ornamenta. Porro Christum, et Ecclesiam, unam personam esse, non nescimus: et ideo, quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt, et, quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur; et, quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, proculdubio Christo tolluntur, etc. Item c. 9. Multi sunt hodie, qui Christiano censentur nomine: qui ad instar Judae dicere solent super his, quae Domino, aut consecrata sunt, aut consecrantur, aut consecrari decernuntur. Ut quid perditio haec? putantes, perditionem esse, quae Ecclesiae, ministrisque ejus ob amorem Dei, sunt commodata, et caet. et capit. 11. Dominum nostrum Christum vota efferentium respexisse, et viduam duo minuta, idest omnia, quae habebat in Gazophylacium mittentem laudasse, et quo animo quis quid mitteret ineffabili discretione: significabat, Ecclesiam suam á fidelibus multiplices oblationes accepturam: et si tunc respiciendo vota offerentium certo examine discrevit, atque approvabit, dubitandum non est, quin factum volentium ea de Ecclesia sua auferre vituperet. Item cap. 23. Gesta singulorum Imperatorum, et, ut de multis unum ponamus, Constantini, ac Regum, Pricipumque erga cultum divinum amplificandum, et caeterorum Christianorum frequentissimam devotionem manifestant: qualiter memoratam Ecclesiam usque in praesens tempus honorando exaltaverint et exaltando honoraverint, atque multifariis denariis divitem effecerint.» Item á Concil. Trid. sess. 21. c. 2. de reform. "Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, statuit sancta Synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem, vere ab eis obtineri: taliaque esse quae eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint: donec beneficium Ecclesiasticum

sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum pœnas super his innovando. » Item á, etc. extra, de præben. et dignit. c. Episcopus: immo per totum, eod. tit. in 6. c. cum secundum, et c. si Episcopus: et 70. distin. c. Neminem, cum sequen. Item á tota sancta catholica Ecclesia facto suo solemni quotannis damnari merito Wicleffistas, et similes, ostendere potes: dum S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, eo, quod pro defensandis juribus, et redditibus, Ecclesiae suae *gladiis impiorum occubuit*, tamquam vere gloriosum martyrem colit: cujus gloriam manifestarunt et Angeli, dum canonicis pro defuncto ipso ad canendam Missam, de *Requiem æternam* paratis, ipsi de coelo venientes more cantorum praecinuerunt, *Lætabitur justus in Domino*: quod est Missa de martyre: quam et canonici illi prosecuti sunt ut narrat S. Antoninus Archiepisc. Flo. 2. par. hist. tit. 17. c. 3. Item, damnari ab eadem tota Ecclesia, dum celebriter B. Dominici ordinis praedicatorum fundatoris, ordinem tertiarium confirmavit, multisque privilegiis communivit: qui ordo tertii habitus usque hodie perseverat. Hic enim contra haereticos quosdam diripientes, bona, et jura Ecclesiarum ab eodem Patre, instinctu Spiritus Sancti olim institutus fuerat: quapropter et eos *fratres de militia Jesu Christi* appellavit. Ministerio autem completo, cum armis ipsorum militum, orationibusque uxorum suarum haeretici praedicti fuissent quam plurimum debellati, et destructi: visum est tam Patribus ordinis, quam ipsis confratribus mutare nomen militiae in nomen poenitentiae, et ad honorem institutoris sui appellari voluerunt, fratres, et sorores de poenitentia B. Dominici. De qua re 5. tom. Conciliorum in gestis Innocentii Papæ III. sic, quasi digitis summis monstrando factum, dicitur: " Hujus temporibus oborta apud Tholosam hæresis est, quam eodem procurante, B. Dominicus, qui postea in Sanctos relatus est, mira celeritate compescuit, adjuvante etiam Simone Monforti. Non enim disceptationibus verborum tantum, verum etiam armis opus fuit adeo inoleverat tanta hæresis. » *Tertio* habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto per receptionem coronæ clericalis insinuant non renunciari patrimonio, ac bonis temporalibus, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Aerii* dicentis: inter quosvis sacerdotes nullum discrimen esse, etiam Episcopos, idest, Episcopum non esse simplici sacerdote superiorem. Huic concordat in malum Joannes Westphal. dicens: Episcopos omnes, et presbyteros dignitate, et auctoritate æquales esse; potentia divitiarum, vel humilitate paupertatis inferiorem, vel sublimiorem Episcopum fieri. Item Tandemi dicentis; Episcopalem gradum, ac sacerdotalem ordinem, cæterosque sacri ordinis ministros nihil esse. Item errorem Joan de Polliaco (ut refert Card. Turrecrem. de Eccles. lib. 2. cap. 65. fin.) dicentis, quod Episcopus non potest audire confessiones parochianorum, neque dare generalem potestatem audiendi illas. Item Pauperum de Lugduno (ut refert Summa Fratris Yconeti 5. par. cap. 2. in Bibliotheca Vaticana manuscripta) dicentium: Episcopos esse Scribas, et Pharisæos, Apostolorum persecutores. Contra hos omnes, ut patere potest recte applicanti, præsens articulus victoriose pugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito errores prædictos damnari á, etc. ut qu. 20. art. 1. et 2. append. et qu. 24. ar. 1. append. et qu. 38. ar. 1. append. et qu. 8. ar. 5. append. et qu. 37. ar. 4. append. Item á Damaso Papa I. in epist. Prospero, Leoni Reparato, Alexandro, et omnibus Episcopis orthodoxis; ut narratur infra art. 7. append. Item ab Anacleto in Epist. 3. omnibus Episcopis, et sacerdotibus. " Sacerdotum ordo bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, á nullo debet perturbari: Scitis autem á Domino Apostolos esse electos, et postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios; ad eorum adjumentum septuagintaduos elegi præcepit discipulos. Episcopi vero Domini Apostolorum, presbyteri septuagintaduorum discipulorum locum tenent. Episcopi autem, non in castellis, aut modicis civitatibus debent constitui: sed presbyteri per

castella, et modicas civitates, atque villas, debent ab Episcopis ordinari, et poni: singuli tamen per singulos titulos. Episcopus non ab uno, sed á pluribus debet Episcopis ordinari; et, ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen Episcopi: sed ad honorabilem urbem titulandus, et denominandus est. Presbyter vero ad quemcumque locum, vel Ecclesiam in eo constitutam est præficiendus.» Hæc ibi Anacletus, qui et Apostolis fuit contemporaneus, et á S. Petro eorum principe presbyter ordinatus. Cum igitur Episcopi in Apostolorum, et presbyteri in septuagintaduorum discipulorum locum succedant, consequens est proportionaliter, quod æquiparare presbyteros Episcopis, sit æquiparare septuagintaduos discipulos Apostolis, quod indubitanter absurdissimum est. Quamobrem prædictis obstare nullo modo credendum est illa, quæ B. Hieron. (ut recitatur Dist. 93. legimus) ad Evandrum Episcopum dicit. Licet enim Episcopum, et presbyterum videatur modo pari existimare, non tamen verum est: quoniam de nominibus loquitur, non de rebus. Nam ad loquendum de re ipsa se transferens, monstrat aperte et Episcopum á presbytero differre: et hanc eorum differentiam á tempore B. Petri Apostoli factam fuisse. "Nam, inquit, et Alexandriæ Marco Evangelista usque ad Heraclam, et Dio. Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. Hæc ille ibi Cum igitur Marcus Petri fuerit tempore, sicut Heracla, et Dionysius tempore Hieronymi, patet, quod hæc prælatio etiam tunc erat, et á B. Hieronymo cognita. Unde verba ejus diligenter examinata prælationem istam non negant revera, sed ponunt; et dato, sed non concesso, quod B. Hieronymus aliter sentiret de hoc, quam sentiant Concilia generalia Trident. etc. adhuc non Ecclesia ad Hieronymum, sed Hieronymus ad Ecclesiam, velut ad regulam fidei infallibilem inflecti deberet; vide qu. 29. art. 3. append. quomodo in talibus circa doctrinam procedendum nobis sit. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto episcopalem potestatem dicunt præesse sacerdotali, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á summis Pontificibus, et Conciliis, episcopatum esse, et non esse ordinem pro vario sensu. A summis quidem Pontificibus, ut á Papa Leone sic. "Subdiaconibus carnale connubium non conceditur. Quod si in hoc ordine, qui quartus extat á capite, dignum est continentiam custodiri: quanto magis in primo, secundo, et tertio sic servandum est? Ne aut levitico, aut presbyteriali honore, aut Episcopali excellentia, quisquam idoneus existimetur: qui se á voluptate luxuriæ necdum refrænasse detegitur.» Hæc ille, et recitantur dist. 32. omnium. Ecce, quod episcopatus insinuatur esse ordo. Item á Papa Pelagio, qui loquens de diaconis dicit. Absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant nisi, prædictis ordinibus fortassis longius constitutis, necessitas extrema compellat.» Hæc ille: et recitantur dist. 23. Diaconus propriam. Item á Nicolao Papa ad Mediolanenses scribente. "Omnes, sive Patriarchæ cujuslibet apicem, sive Metropolas primatus, aut episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum, sive cujuscumque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia.» Hæc ille: et recitantur dist. 22. Item á dist. 22. Cleros. "Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Metropolitis, Archiepiscopis, atque Episcopis.» A Concilio vero Trident. sess. 23. cap. 2. insinuatur, quod non sit ordo, et sit. «Cum divina res sit tanti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius exerceri posset, ut plures essent ministrorum ordines, qui sacerdotibus ex officio deservirent. Nam de sacerdotibus, et diaconis sacræ litteræ appertam mentionem faciunt, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, subdiaconatus, acolythi, exorcistæ, lectores, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur.» Ubi vides, quod ordines tam majores, quam minores, volens exprimere, nullam de episcopatu facit mentionem. Nec mirum, quoniam de ordine, in quantum est sacramentum, seu ad sacerdotium deserviens, tractabat; ut in tex. evidentissime patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto episcopatum ordinem, et non ordinem esse sine alte-

rutrius sententiæ prejudicio dicunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Græcorum* (ut refert Archiepisc. Florent. p. 3. hist. tit. 22. cap. 1. §. 1.) dicentium, Patriarcham Constantinopolitanum non esse inferiorem Romano Pontifice, vel non ei subjectum. Item dicentium (ut refert Melchior Cano, de locis theolog. lib. 4. cap. ult. ad arg. 12.) quod pastor unus totius Ecclesiæ non est á Christo in B. Petro institutus. Item dicentium (ut habetur ex D. Thoma contra errores Græcorum cap. 63.) Pontificem Romanum non habere universalis Ecclesiæ primatum. Item á Marsil. cujusdam (ut refert. card. Turrecr. de Eccles. lib. 4. cap. 37.) dicentis, quod Papa Archiepiscopus, Episcopus, ac simplex sacerdos, sunt omnes æqualis auctoritatis, et jurisdictionis, ex institutione Christi. Item (ut refert Card. Turrecr. de Eccles. lib. 2. cap. 48.) errorem Basileensium dicentium, quod Pontifici Romano parere non tenentur prælati, et clerici, in Synodo congregati. Item quorumdam (ut refert idem Cardin. de Eccles. lib. 2. cap. 52.) dicentium: quod Pontifex Romanus non habet plenitudinem potestatis in Ecclesia. Item Joann. Hus (ut refertur in Concilio Constantien. sess. 15.) dicentis, non oportere credere, quod iste, quicumque est, particularis Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis Ecclesia, nisi Deus eum prædestinaverit. Item addentis, quod Papa, vel prælatus malus, et præscitus, est æquivoce pastor, et vere fur, et latro. Item addentis, quod non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum illa militante Ecclesia conversetur. Item, quod nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esse caput Ecclesiæ particularis, vel quod Romanus Pontifex esset caput Romanæ Ecclesiæ. Item Joan Wicleff (ut in eodem Concil. sess. 8.) dicentis, quod post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis. Contra enim hos, et alios similes, militat articulus præsens, eosque rationibus invictissimis (ut patet consideranti) expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito damnari á Concilio Constantien. ubi supra. Eorum damnationem ad literam vide supra qu. 20. art. 3. append. de Wicleff, et qu. 19. art. 5. append. de Huss. Item merito damnari, quam exactissime á Concil. Florent. supra qu. 17. art. 1. append. Ubi videre est á Spiritu Sancto actos Græcos (et quidem laudabiliter) damnare proprios errores. Item á, etc. ut 1. par. qu. 32. art. 4. Item á, etc. supra qu. 24. art. 1. append. et qu. 6. art. 6. append. et qu. 20. art. 1. append. Vide et hos damnari á, etc. ut qu. 26. art. 3. append. et qu. 8. art. 6. append. De primatu Petri instituti á Christo abunde leges qu. 17. art. 1. append. et qu. 20 art. 1. ad 1. in corol. Vide contra Basileensium errorem specialiter Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 11. in Bulla incipiente, pastor æternus; ubi et ob hoc Basileense Concilium merito vocatur non Concilium, sed conciliabulum, et conventiculum. Et nota, quod Basileenses de indubitato Papa loquebantur: quoniam contra Eugen. IV. qui profecto re vera indubitatus erat, talia schismatice (factis pejoribus ea comprobantes) evomuerunt. Item de Romana Ecclesia contra prædictos, et similes, vide qu. 19. art. 3. append. Item á Damaso I. Papa. In Epist. 3. ad Stephanum Archiepiscopum, et Concilia Africæ: "Scitis, fratres charissimi, firmamentum á Deo fixum, et immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, idest omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, et verticem Ecclesiarum. Tu es enim (sicut divinum pronunciat Verbum veraciter) Petrus, et super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui et Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt: et tibi claves regni cœlorum commissæ, atque ligare, et solvere potestatem, quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, promulgavi. Tu prophanorum hominum et membrorum meorum, maxime, que discipulorum meorum, existis, ut Princeps, et Doctor orthodoxæ, et immaculatæ fidei: cujus vice hodie (gratia Dei) legatione pro Christo fungimur: et omnes hujus sanctæ Sedis Præsules ejus vicem gerserunt, gerunt, et gerent." Item á, etc.

ut in argumentis in contrarium factis in tex. maxime in primo. Item á Nicolao Papa; ut recitatur disi. 22. cap. Omne, etc. " Non quælibet terrena sententia, sed illud Verbum, quo constructum est cœlum, et terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam, et supra Petram fidei mox nascentis erexit solus ipse, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni, simul, et cœlestis imperii, jura commissit. Unde non dubium est, quia qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur; hic proculdubio in hæresim labitur, et est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ est mater fidei: et illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur, etc. unde ipse sanctus Ambrosius, se in omnibus sequi magistram S. R. E. profitetur. » Ubi et in seq. c. de hac relegitur. Vide veritates aureas super legem veterem, Exod; 32. conclus. 1. et Levit. 8. concl. 8. et Numer. 17. concl. 3. et Deuter. 7. concl. 7. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, atque Scripturarum, pro quanto unum superiorem dicunt esse in Ecclesia super omnes alios Episcopos, ac universaliter quoscumque, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem confodias errorem impiissimum *Fausti Manichæi* dicentis: vestes sacras spernendas esse. Ex hoc enim, quod illa inconvenienter fuisse institutas, á diabolo deceptus, vel ex propria malitia, credebat processit error prædictus. Si ergo eas recte institutas probaveris ex D. Thom. errorem ejus utrumque rationabiliter explodes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem ipsum, tamquam in radice, merito damnatum fuisse á Damaso I. Papa in epist. 4. Episcopis orthodoxis omnibus scripta. " Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare nec diaconos, aut subdiaconos; nec virgines; nec altare erigegere; nec ungere: aut sacrare: nec Ecclesias dedicare: nec chrisma conficere nec chrismate baptizatorum frontes signare: nec publice quidem quemquam poenitentem reconciliare: nec populum benedicere: nec ante Episcopum in baptisterio, aut in sacrario, introire: nec praesente Episcopo infantem tingere, aut signare: poenitentem sine praeceptione Episcopi sui reconciliare: nec eo praesente (nisi illo jubente) sacramentum corporis, et sanguinis Christi conficere: nec eo coram posito populum docere, aut salutare: nec plebem exhortari: quae omnia solis Pontificibus deberi, tam ex superioribus, quam ex aliis Patrum constitutis, aut sacris canonibus, edocti estis: ut per hoc discretio graduum, et dignitatis fastigium Pontificum demonstretur: Similiter et de presbyteris haec habeantur: quia, si nomen vilescit Pontificum, omnis status perturbatur Ecclesiae. » Ubi, cum dicat presbyteris non licere ea, quae supra memoravit de Chorepiscopis, patet, quod haec auctoritas facit directe pro art. 4. damnans errores contrarios positos ibi in app. item, cum consecrare diaconos, etc. quae Pontificibus convenire dicit, sint vestium harum in corp. a. narratarum significata ut plurimum: patet quod Damasus ille per eamdem auctoritatem, tamquam in radice demonstrat, vestes Episcoporum convenienter esse institutas. Item á Conc. Trident. sess. 22. cap. 5. Pia mater Ecclesia ceremonias in missa adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditione; quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Et can. 7. Si quis dixerit: ceremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis, quam officia pietatis; anathema; sit.» Et sess. 7. de sacra. can. 13. quem per te videas. Item á Clemente I. Papa, et mar. in Epi. 2. ad Jabobum fratrem Domini. Postquam enim de sacratis vestibus, vel vasis tractavit, circa finem subjungit. " Haec igitur, frater Jacobe, de ore S. Petri jubentis audivi. Si quis praecepta haec non integra custodierit, sit anathema usque ad adventum Domini nostri. Haec praecepta á S. Petro Apostolo accepi, et tibi, frater charissime, insinuare curavi, ut servari omnia praecipias sine macula. Si quis vero

audierit te, utilis erit minister Christi: qui autem non audierit te, immo Dominum loquentem per te, ipse sibi damnationem accipiet. » Vide qu. 2. art. 3. append. de Balthasar, et qu. 33. art. 1. de Juliano Imperatoris Juliani avunculo: quorum poenas justissimas contra Faustum applica bene in proposito. *Tertio* habes : quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto vestes ministrorum dicunt convenienter institutas esse, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Tractatus de matrimonio.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA PRIMA,

DE SACRAMENTO MATRIMONII, IN QUANTUM EST IN OFFICIO NATURÆ, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Post hæc considerandum est de matrimonio: et primo agendum est de eo, in quantum est in officium naturæ; secundo, in quantum est sacramentum; tertio, in quantum absolute et secundum se consideratur.

Circa primum quæruntur quatuor.
Primo, utrum sit de jure naturali.
Secundo, utrum cadat sub præcepto.
Tertio, utrum ejus actus sit licitus.
Quarto, utrum possit esse meritorius.

ARTICULUS 1.

Utrum matrimonium sit de jure naturali.

Pro negativa. = Videtur quod matrimonium non sit de jure naturali.

1. Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Sed matrimonium non docuit natura omnia animalia. Ergo matrimonium non est de jure naturæ.

Minor prob., quia in aliis animalibus ab homine est conjunctio sexuum, absque matrimonio.

2. Id quod est de jure naturæ, invenitur in omnibus hominibus, secundum quemlibet statum. Sed matrimonium non fuit in quolibet statu hominum. Ergo matrimonium non est de jure naturæ.

Minor prob. quia dicitur 1. Rhetor. de invent. sub initio, quod « homines á « principio silvestres erant, et tunc nemo « scivit proprios liberos, nec certas nup« tias, » in quibus est matrimonium.

3. Naturalia sunt eadem apud omnes. Sed matrimonium non est idem apud omnes. Ergo matrimonium non est naturale.

Minor prob., quia matrimonium pro diversis legibus diversimode celebratur.

4. Illa sine quibus potest salvari naturæ intentio, non videntur naturalia. Sed sine matrimonio potest salvari naturæ intentio. Ergo matrimonium non est naturale.

Minor prob., quia natura intendit conservationem speciei per generationem, quæ potest esse sine matrimonio, ut patet in fornicariis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur princ. digest. vet. lib. 1. tit. 1. lege 1. « Jus naturale est maris « et fœminæ conjunctio, quam nos ma« trimonium appellamus. »

2. *Homo est animal naturaliter politicum et gregale*, ut dicitur 8. Ethic. cap. 12. Ergo est etiam naturaliter conjugale, et sic conjugium sive matrimonium est naturale.

Conseq. prob., quia ibidem dicitur quod homo magis est naturaliter conjugale animal, quam politicum.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid dicitur esse naturale dupliciter. Uno modo, sicut ex principiis naturæ, ex necessitate causatum sicut moveri sursum est naturale igni. Alio modo dicitur naturale id ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur, quo modo actus virtutum dicuntur naturales.

1.ª Conclusio. Matrimonium non est naturale, quasi ex principiis naturæ ex necessitate causatum.

Prob. Ea quæ libero arbitrio complentur, non sunt naturalia quasi ex naturæ principiis ex necessitate causata. Sed matrimonium ex libero arbitrio completur. Ergo matrimonium non est sic naturale.

2.ª Conclusio. Matrimonium est naturale, ut id ad quod natura medio libero arbitrio inclinat.

Manifest. Inclinat enim naturalis ratio ad matrimonium dupliciter. Primo quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum prolis. Non enim natura intendit solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectm statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum Phil. 8. Ethic. cap. 12. Tria á parentibus habemus, scilicet esse, nutrimentum, et disciplinam. Filius autem educari et instrui non posset nisi determinatos et certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ obligatio matrimonium facit.

Secundo naturalis ratio inclinat ad matrimonium, quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi á conjugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cujus cohabitationis homo dicitur naturaliter politicus; ita etiam eorum quibus indigemus ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, et quædam mulieribus. Unde natura movet ut sit quædam viri ad mulierem associatio, in qua est matrimonium. Quas duas causas ponit Phil. 8. Ethic. cap. 12.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod natura hominis inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo quia est non conveniens naturæ generis, et hoc est commune omnibus animalibus. Alio modo quia est ei conveniens ratione differentiæ, qua species humana abundat á genere, in quantum est rationalis; sicut est actus prudentiæ, vel temperantiæ. Et sicut natura generis, quamvis sit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo est in omnibus; ita etiam non inclinat eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Inclinat igitur naturalis ratio ad matrimonium, et ex parte differentiæ, et ex parte generis. Inclinat ex parte differentiæ, quantum ad rationem secundam assignatam in corpore. Unde Phil. loc. cit. et lib. 1. Polit. cap. 1. hanc rationem assignat in hominibus supra alia animalia. Inclinat etiam ex parte generis, quantum ad primam rationem in corpore assignatam. Unde dicit quod filiorum procreatio communis est omnibus animalibus. Tamen ad hoc non inclinat natura eodem modo in omnibus animalibus, quia quædam animalia sunt, quorum filii nati, statim possunt sibi sufficienter victum quærere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit, et in his non est aliqua maris ad fœminam determinatio. In illis autem quorum filii indigent utriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, sicut patet in quibusdam avibus. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio, masculi ad fœminam, ad quam etiam natura generis inclinat.

Ad formam igitur negatur minor. Natura enim docuit omnia animalia matrimonium quantum ad primam vel secundam rationem prædictam, diversimode tamen: sed in natura humana matrimonium secundum perfectam rationem invenitur, etiam ratione dicta.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod verbum Tullii potest esse verum, quantum ad aliquam gentem, si tamen accipiatur principium proximum illius gentis, per quod ab aliis gentibus est distincta. Et hoc esse potest, quia non in omnibus perducitur ad effectum id ad quod naturalis ratio inclinat. Non autem est ejus dictum verum universaliter, quia á principio humani generis sacra scriptura refert fuisse conjugia.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod quia natura humana non est immobilis sicut divina, diversificantur ea quæ sunt de jure naturali humano, secundum diversos status et conditiones hominum, ad differentiam eorum quæ sunt in rebus divinis, quæ naturaliter nullo modo variantur: et propter hoc matrimonium pro diversis legibus, diversimode celebratur.

Ad 4. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod natura non solum intendit esse in prole, sed perfectum esse, ad quod exigitur matrimonium, ut in corp. dictum est.

ARTICULUS. II.

Utrum matrimonium cadat sub præcepto.

Pro affirmativa. = Videtur, quod matrimonium adhuc cadat sub præcepto.

1. Illud cujus constitutio fuit sub præcepto, quod numquam fuit revocatum, adhuc cadit sub præcepto. Sed prima institutio matrimonii fuit sub præcepto, quod nunquam legitur revocatum, immo confirmatum, Matth. 19. Quod *Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo matrimonium adhuc est sub præcepto.

Maior prob., quia præceptum obligat, quandiu non revocatur.

2. Præcepta juris naturalis obligant secundum omne tempus. Sed matrimonium est de jure naturali, ut art. præc. dictum est. Ergo matrimonium adhuc cadit sub præcepto.

3. Præceptum primo homini datum ad conservationem individui per actum nutritivæ virtutis, adhuc obligat. Ergo multo magis obligat præceptum de matrimonio datum, quod pertinet ad conservationem speciei.

Conseq. prob., quia bonum speciei est melius, quam bonum individui; sicut *bonum gentis est divinius, quam bonum unius hominis*, ut dicitur 1. Ethic. c. 2.

4. Ubi manet eadem ratio obligans, eadem obligatio manere debet. Sed nunc manet eadem ratio obligans ad matrimonium. Ergo et ipsa obligatio manere debet.

Minor prob., quia propter hoc obligabantur homines ad matrimonium antiquo tempore, ne multiplicatio humani generis cessaret quod tamen sequeretur, si quilibet libere potest á matrimonio abstinere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 7. «Qui non jungit matrimonio virginem suam, melius facit quam qui jungit.» Ergo contractus matrimonii non est nunc sub præcepto.

2. Nulli debetur præmium pro transgressione præcepti: Sed virginibus debetur speciale præmium, scilicet aureola. Ergo matrimonium non est sub præcepto.

Determinatio.

Conclusio. Matrimonium non cadit sub præcepto.

Prob. Ea quæ sunt necessaria tantum ad perfectionem multitudinis, non cadunt sub præcepto, ita ut ad omnia illa obligetur quilibet de multitudine. Sed matrimonium est necessarium ad perfectionem humanæ multitudinis. Ergo

ad matrimonium non obligatur quilibet homo sub præcepto.

Maior manifestatur: nam natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem unius, et talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes: alio modo natura inclinat ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis, et ad hoc non inclinat natura per modum præcepti, quia multa sunt hujusmodi, quorum unum impedit aliud: alias enim quilibet homo obligaretur ad agriculturam, ædificativam et ad alia hujusmodi officia quæ sunt necessaria communitati humanæ. Sed huic inclinationi naturæ satisfit, cum per diversos diversa de prædictis complentur. Cum ergo matrimonium sit necessarium ad perfectionem humanæ multitudinis, in qua necessarium est aliquos vácare vitæ contemplativæ, quæ maxime per matrimonium impeditur, sequitur quod inclinatio naturæ ad matrimonium non sit sub præcepto.

Et confirmatur, quia etiam Philosophi hoc senserunt. Unde Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere, ut refert Hieron. in lib. 1. contra Jovinianum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod etsi institutio matrimonii fuerit sub præcepto, quod etiam non est revocatum, non tamen obligat unumquemque ratione dicta in corpore, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera de naturali præcepto, quod est de his quæ sunt necessariá ad perfectionem uniuscujusque in singulari, ut fuit præceptum comestionis, non autem de his quæ sunt necessaria ad perfectionem communitatis, quale est matrimonium.

Ad 3. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de precepto dato ad conservationem individui, et de præcepto dato ad conservationem multitudinis. Ad illud enim unusquisque tenetur, ad istud autem sufficit, si per aliquos impleatur.

Ad 4. Negatur minor: Ad prob. dicitur, quod natura humana communiter ad diversa officia et actus inclinat; sed quia hæc naturalis inclinatio est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc, vel in illo, inclinat unum magis ad unum illorum officiorum et alium magis in aliud ex diversitate complexionum diversorum individuorum. Et ex hac diversitate simul cum divina providentia quæ omnia moderatur, convenit quod unus eligat unum officium, puta agriculturam, et alius aliud. Et ex hoc etiam contingit quod unus eligat matrimonialem vitam, et quidam contemplativam, et sic nullum imminet periculum.

ARTICULUS III.

Utrum actus matrimonii sit licitus.

Pro negativa. ==Videtur quod actus matrimonii semper sit peccatum.

1. Non nubentibus est illicitus actus matrimonialis. Ergo etiam nubentibus est illicitus.

Conseq. prob., quia *qui nubunt, debent esse tamquam non nubentes*, ut dicitur 1. ad Cor. 7.

2. Illud quod dividit hominem á Deo, est illicitum. Sed actus matrimonialis dividit hominem á Deo. Ergo actus matrimonialis est illicitus.

Maior prob., quia Isaiæ 59. dicitur: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.*

Minor prob., quia Exod. 19. præcipitur populo qui debebat Deum videre, quod non accederent ad uxores suas. Et Hieronymus dicit in Epist. de monogamia, quod in actu matrimoniali Spiritus sanctus prophetarum corda non tangit.

3. Illud quod secundum se est turpe, nullo modo potest bene fieri. Sed actus

matrimonialis secundum se est turpis. Ergo actus matrimonialis nullo modo est licitus.

Minor prob., quia actus matrimonialis semper habet concupiscentiam adjunctam.

4. Illud quod indiget excusari, est peccatum. Sed actus matrimonialis indiget excusari, per bona matrimonii, ut dicitur in dist. 31. libro 4. Sent. Ergo est peccatum.

Maior prob., quia nihil excusatur nisi peccatum.

5. Illud quod est simile ei quod est illicitum, est etiam ipsum illicitum. Sed actus matrimonii est similis actui adulterii, qui est illicitus. Ergo actus matrimonii est illicitus.

Maior prob., quia de similibus semper est idem judicium.

Minor prob., quia actus matrimonii est ejusdem speciei cum actu adulterii; quia uterque ad speciem humanam terminatur.

6. Actus habens superfluitatem delectationis, est illicitus. Sed actus matrimonialis semper habet superfluitatem delectationis, adeo quod absorbeat rationem, quæ est principale bonum hominis. Unde dicitur 7. Ethicorum cap. 11. *quod in ipsa carnali delectatione impossibile est hominem aliqua intelligere.* Ergo actus matrimonii est illicitus.

Maior prob., quia superfluitas in passionibus corrumpit virtutem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. ad Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit.* Et 1. ad Tim. 3. *Volo juniores nubere, filios procreare.* Quod fieri non potest sine carnali conjunctione. Ergo actus matrimonii non est peccatum.

2. Nullum peccatum est in præcepto. Sed actus matrimonialis est in præcepto. Ergo non est peccatum.

Minor prob., quia 1. ad Cor. 7. dicitur; *uxori vir debitum reddat.*

Determinatio.

Conclusio. Actus matrimonii non est illicitus.

Prob. Ea quæ pertinent ad conservationem naturæ corporalis, et ad quæ natura inclinat, non possunt esse universaliter mala et illicita. Sed ad procreationem prolis, quæ est per actum matrimonii et per quam natura speciei conservatur, est inclinatio naturæ. Ergo actus quo procreatur proles, qui est actus matrimonii, non potest esse illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit; nisi ponatur, secundum quorumdam insaniam, quod res corruptibiles sint á malo Deo: ex quo forte derivata est opinio, quod actus matrimonii sit illicitus, quæ est pessima hæresis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Apostolus in verbis illis non prohibuit actum matrimonii, sicut nec rerum possessionem, cum dixit; *qui utuntur hoc modo, sint quasi non utentes*, sed in utroque fruitionem prohibuit: quod patet ex ipso modo loquendi; non enim dixit, sint non utentes vel non habentes, sed quasi non utentes et quasi non habentes.

Ad 2. Dicitur quod Deo conjungimur dupliciter. Uno modo, secundum habitum gratiæ: Alio modo, secundum actum contemplationis et amoris. Ad maiorem igitur dicitur quod illud quod dividit hominem á Deo secundum primam conjunctionem, semper est peccatum et illicitum, non autem omne illud quod separat hominem á Deo secundum conjunctionem, quæ est secundum actum amoris et contemplationis, est semper pecatum, quia aliqua licita occupatio circa res inferiores animum distrahit, ut non sit idoneus actu Deo conjungi. Tunc ad minorem dicitur quod actus matrimonii dividit hominem á Deo juxta secundam conjunctionem, quia in carnali conjunctione hoc præcipue accidit; in ipsa enim detinetur mens propter inten-

sam delectationem. Et propter hoc illis quibus competit divina contemplari, aut sacra tractare, indicitur saltem pro tempore illo abstinentia ab uxoribus. Et secundum hoc etiam dicitur quod Spiritus sanctus, quantum ad actum revelationis secretorum, non tangebat mentes prophetarum in usu matrimonii.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod turpitudo illa concupiscentiæ quæ actum matrimonialem semper comitatur, non est turpitudo culpæ, sed pœnæ, ex peccato primo proveniens, ut scilicet inferiores vires et membra corporis rationi non obediant.

Ad 4. Negatur maior: Illud enim proprie excusari dicitur, quod aliquam similitudinem mali habet; et tamen non est malum, vel non tantum quantum apparet; quia quædam excusantur á toto, quædam á tanto. Et quia actus matrimonialis propter corruptionem concupiscentiæ, habet similitudinem actus inordinati: ideo per bona matrimonii excusatur á toto, ut non sit peccatum.

Ad 5. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod quamvis actus matrimonii et adulterii sint idem specie naturæ, tamen differunt specie moris, quam una circumstantia variat, scilicet accedere ad suam, et hic est actus licitus; et accedere ad non suam, et hic est illicitus. Sicut etiam occidere hominem per violentiam et per justitiam, facit diversam speciem mortis, quamvis sit una species naturæ; et tamen unum est licitum, alterum illicitum.

Ad 6. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod superfluitas passionis quæ virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed etiam tollit rationis ordinem; quod non facit delectationis intensio in actu matrimonii; quia etsi tunc non ordinetur, tamen est á ratione præordinatus.

ARTICULUS IV.

Utrum actus matrimonii sit meritorius.

Pro negativa ⟹ Videtur quod actus matrimonii non sit meritorius.

1. Actus meritorius prestat mercedem. Sed actus matrimonii non præstat mercedem. Ergo actus matrimonii non est meritorius.

Maior prob., quia meritum respecta mercedis dicitur.

Minor prob., quia Chrysostomus dicit Homil. 1. op. imperf. in Matth. *Matrimonium, etsi utentibus se pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat.*

2. Illud quod laudabile est omittere, non est laudabile, nec meritorium. Sed matrimonium laudabile est omittere. Ergo actus matrimonii non est meritorius.

Minor prob., quia laudabilis est virginitas, per quam actus matrimonii dimittitur.

3. Qui utitur indulgentia sibi facta, utitur beneficio recepto, et non meretur. Sed qui utitur matrimonio, utitur indulgentia sibi facta. Ergo non meretur.

Maior patet, quia nullus meretur ex hoc quod sibi beneficium præstatur et beneficio utitur.

Minor prob., quia 1. ad Cor. 7. dicitur: ego *autem vobis parco etc.*

4. Actus meritorius habet difficultatem. Sed actus matrimonii non habet difficultatem. Ergo non est meritorius.

Maior prob., quia meritum in difficultate consistit, sicut virtus.

Minor prob., quia actus matrimonii habet delectationem.

5. Illud quod non potest fieri sine peccato veniali, non est meritorium. Sed in actu matrimoniali semper est peccatum veniale. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

Maior prob., quia non potest homo simul mereri et demereri.

Minor prob., quia primus etiam motus in hujusmodi delectatione est peccatum veniale.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omnis actus quo impletur præcep-

tum, est meritorius si ex charitate fiat. Sed per actum matrimonialem impletur præceptum quod datur 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat.* Ergo actus matrimonialis est meritorius.

2. Omnis actus virtutis est meritorius. Sed actus matrimonialis est actus virtutis justitiæ, quo redditur debitum. Ergo actus matrimonialis est meritorius.

Determinatio.

Conclusio. Actus matrimonialis potest esse meritorius, et quandoque potest esse peccatum veniale, aliquando vero peccatum mortale.

Manifestatur: nam aut inducitur aliquis ad actum matrimonialem á virtute vel justitiæ, ut quando movetur ad hoc ut debitum reddat; aut religionis, ut quando quis movetur ad actum illum ut proles ad cultum Dei procreetur; et tunc est actus meritorius in eo qui habet gratiam: aut movetur ex libidine, et tunc vel sistit intra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, et tunc est peccatum veniale. Si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque alia muliere idem facere vellet et facere proponeret est peccatum mortale.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod præmium est duplex, scilicet substantiale et accidentale. Radix præmii substantialis est charitas: unde actus charitate informatus, est meritorius essentialis mercedis. Radix meriti accidentalis est difficultas actus. Matrimonii ergo actus, si in charitate fiat, est meritorius vitæ æternæ: quia tamen non habet difficultatem, mercedem aliquam accidentalem non prestat. Et sic intelligenda sunt Chrysostomi verba.

Ad 2. Negatur maior: Homo enim potest mereri in maioribus et in minoribus bonis: unde quando aliquis minora bona dimittit ut maiora faciat, laudandus est discedens á minus meritorio actu. Potest igitur esse aliquid laudabile et meritorium, et tamen poterit laudabiliter omitti propter aliquod majus bonum. Et sic in proposito actus matrimonii est laudabilis: tamen quia virginitas est majus bonum, laudabiliter quis matrimonii actum recusat, ut virginitatem servet.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod indulgentia quandoque est de minoribus malis, et sic indulgetur actus matrimonii, prout ad ipsum movet libido intra terminos matrimonii consistens: sic enim est veniale peccatum, et sic est vera maior, et verum concluditur, scilicet quod qui utitur indulgentia minoris mali, non meretur. Quandoque autem indulgentia est de minoribus bonis, et tunc indulgentia idem est quod concessio: nec est inconveniens quod qui tali utitur concessione, mereatur; quia bonus usus beneficiorum Dei est meritorius. Et in hoc sensu falsa est maior. Et ad probationem jam dictum est.

Ad 4. Dicitur quod difficultas est duplex, scilicet laboris, et quæ consistit in inventione medii. Et similiter meritum est duplex, scilicet præmii accidentalis et essentialis. Tunc ad maiorem dicitur quod actus meritorius alicujus accidentalis præmii debet esse laboriosus: si autem habeat solum difficultatem quæ in inventione medii consistit, erit meritorius essentialis præmii. Et quia actus matrimonialis non habet difficultatem laboris, sed tantum quæ in inventione medii consistit, propterea potest esse meritorius præmii essentialis, non autem accidentalis, ut etiam dictum est ad primum argumentum.

Ad 5. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod primus motus, secundum quod dicitur, peccatum veniale, est motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile tendens, quod non est in actu matrimoniali, quando á virtute quis ad illum movetur, ut dictum est: tendit enim vel ad redditionem debiti vel ad procreationem prolis, ad Dei honorem et gloriam.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice conteras haeresim Albanensium dicentium, matrimonium nullum esse. Item Sectariorum dicentium; matrimonium esse inventum quoddam humanum. Item Adamianorum dicentium, matrimonium, quasi per se malum, esse damnandum. Per hoc enim, quod matrimonium est de jure naturali, patet, quod est aliquid, et, quod non est inventum humanum, neque per se malum. *Secundo* habes: quomodo per rationem tamquam in radice ostendas, praedictos errores merito damnari á Conc. Trid. sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit matrimonium, etc. sed ab hominibus in Ecclesia inventum: anathema sit.* Haec ibi item á Concil. Gangr. c. 1. *Si quis nuptias in accusatione duxerit, aut abominandas, anathema sit.* Item á Concil. Tolet. 1. c. 21. *Si quis crediderit, conjugia hominum, quæ secundum Dei legem fiunt. esse execrabilia anathema sit.* Nota ly secundum legem Dei. Nam jus naturale est quodammodo lex Dei, in quantum de jure naturali existentia sunt á Deo, cum natura ipsa á Deo sit. Quo et modo dicitur Rom. 2. " Gentes, quae legem non habent (sc. exterius scriptam) naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus Dei scriptum in cordibus suis. Item á Conc. Bracha. c. 1. Si quis vituperat nuptias: anathema sit.» Haec ibi: et recitantur dist. 31. Item á scripturis 1. Timoth. 4. Discedent quidem á fide, attendentes doctrinis dæmoniorum sequentium mendacium, et prohibentium nubere.» Ecce, quod Apost. hujusmodi errores praedictos vocat doctrinas daemoniorum. Ille enim prohibet nubere (teste Aug. cont. Faust. lib. 30. c. 6.) qui, hoc malum esse, dicit; non qui huic bono, scil. matrimonio, aliud melius anteponit (sc. virginitatem, ut facit Ecclesia.) Item Haeb. 13. *Honorabile connubium, et thorus immaculatus.* Per hoc ergo damnat dicentes, connubium per se damnabile esse, tamquam nihil, vel tamquam malum. *Tertio* habes: quomodo, per rationem ostendas, merito institutum fuisse matrimonium in lege naturali. Gen. 2. et Philosophum merito dicere 8. Eth. quod homo est naturaliter conjugale animal, et merito in principio Dig. dici, quod *jus naturale est maris, et fœminæ conjunctio*, quam nos matrimonium appellamus. *Quarto* vides: quomodo per rationem praedicta Patrum, et scripturarum, ac Philosophorum, pro quanto matrimonium de jure naturali implicite, vel explicite insinuant esse, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem extermines haeresim *Calvini* dicentis: quod ad nuptias contrahendas omnes obligantur, et est praeceptum universale. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito eam damnari á scripturis, 1. Cor. 7. "Bonum est homini mulierem non tangere. Item ibi. Volo omnes homines esse, sicut meipsum.» Hoc est (secundum Doct. praecipuos) vivere caelibatu. Item. " Dico autem non nuptis, bonum est illis, si sic permanserint. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.» Ecce, quod Apost. matrimonium concedit quasi coactus, ab incontinentia scilicet hominum. Unde cum limitatione dicit, *si non se continent, nubant.* Et rationem assignat hujus dicti, statim subdens: *melius est enim nubere quam, uri.* Ubi apertissime intelligenti patet, quod ly uri sumitur pro non se continere. Ac si dixerit, melius est enim nubere, quam non se continere. Ex quo tam manifesto contextuali sensu evidentissime damnatur error simul, et crassa nimis ignorantia, Pauperum de Lugduno, (Prat. Basilian. Pauper de Lugd.) qui, ut creditur, hac auctoritate partim, perperam tamen intellecta, innixi evomebant, quod libidini satisfacere in quolibet actu turpi melius est, quam intus in corde tentari. Non enim ly uri sumitur pro tentari, ut littera docet. His incidenter explosis, redeamus ad rem. Quod si matrimonium esse in præcepto, dixisset absolute, dico, ut nubant: non autem cum ista conditione, *si non se continent.* Ratio in promptu est, quia præceptum adimplere, melius est, quam non adimplere. Per hoc igitur, quod absolute præfert cœlibatum nuptiis, manifeste demonstrat

quod nuptiæ non sunt de præcepto contrahendæ huic, vel illi. Item ibi. " Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem, item: qui matrimonio non jungit virginem suam, melius facit. Item: cui vult nubat in domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. » Hoc est, beatior erit, si non nupserit (ut patet per tot cap. de consilio Apost.) Totum igitur capitulum illud condemnat hæresim prædictam. Item á Concil. Trid. session. 24. canon. 10. " Si quis dixerit: non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit. » Quod utique numquam dixisset Concil. si nuptiæ, seu matrimonium esset cuilibet de præcepto. Item á Matth. 19. ubi discipulis, audita obligatione conjugum, dicentibus Christo, quod *non expedit nubere*, respondit ipse, quod *non omnes capiunt verbum istud* (notans per hoc utique Calvin.) mox addens: *sed quibus datum est.* Et quibus datum sit capere verbum istud discipulorum, quod scilicet non expedit nubere, declaravit subinferens: *sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Per eunuchos autem hujusmodi sancti patres semper intellexerunt virgines, aut cœlibes castos. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, ac Philos. pro quanto matrimonium dicunt non esse quoad omnes de præcepto, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem extermines haeresim Catharorum (ut refert Card. Turrecre. de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium: matrimonium carnale est peccatum mortale. Item Pauperum de Lugduno (ut refert summ. fratris Yconeti 5. p. c. 2. *in bibliotheca Vaticana manuscripta*) dicentium; matrimonium esse fornicationem juratam, nisi continenter conjugati vivant. Item eorum ibid dicentium: quaslibet alias immunditias esse licitas magis, quam copulam carnalem. Item Tatiani (Prat. Tatiani Durand. de Uvandach.) dicentis: matrimonium nihil differre á scortatione, sed idem esse: hoc est, matrimonium nil aliud esse, nisi occultum meretricium. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illas damnari á Genes. 2. " Hoc nunc os de ossibus meis, etc. homo adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. » Haec autem verba, quae Spiritui Sancto, tamquam principali, Concil. Trid. sess. 24. in doctr. de sacr. matr. attribuit, humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: hoc nunc os, etc. immo et ad idem significandum Matth. 19. et Marc. 10. dicitur: " qui fecit hominem ab initio Deus, dixit: dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. » Cum ergo non sint duo in carne una, nisi quia prolem generant mediante actu matrimoniali, constat, quod Deus, in quo nulla est iniquitas, et cui sunt odio impius, et impietas ejus, mandat de actu matrimoniali consummando. Per hoc igitur, actum hunc secundum se non esse culpam definivit Deus: et consequenter per hoc idem damnavit praedictas haereses. Item á, etc. ut art. 1. append. si recte applicatio fiat, item a. 1. Cor. 7. " Si autem uxorem acceperis, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit. » Quid clarius? Applica etiam ad art. 1. append. contra errores ibi dictos. Item a. 1. Timot. 5. « volo autem juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. » Ecce: quod non tantum potest esse sine culpa actus conjugalis (alioquin Apostol. ad procreationem filiorum conjuges non hortaretur) sed etiam nullam praebet occasionem maledicti. Quamvis praedicti errantes ex propria malitia actui tali maledicant. Item 1. Corinth. 7. " Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. » Ecce, quod ad litteram loquitur de actu carnali conjugum, et non tantum dicit, eum secundum se esse sine culpa, sed etiam esse in praecepto per ly *vir uxori debitum reddat, et uxor viro. Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, et scripturarum, pro quanto manifestant actum matrimonialem secundum se non esse peccatum, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in radice explodas

hæresim *Paternianorum et Venustinianorum* dicentium, corporis humani inferiores partes non á Deo, sed á Diabolo esse factas. Qua enim ratione in usu debito illarum ostendis esse meritum, eadem, et á fortiori, ostendis illas non esse factas á Diabolo. *Secundo* habes: quomodo per rationem tamquam radicaliter, ostendas merito illam damnari á scripturis, Genes. 1. *Creavit Deus hominem, masculum, et fœminam creavit eos.* Item á Christo aprobante factum hoc, qui tamen utique non approbasset, si fuisset factum Diaboli; cui semper contrarius justissime fuit, Matth. 19. " Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, et faeminam fecit eos, et Mar. 10. Ab initio autem creaturae masculum, et foeminam fecit eos Deus. » Ecce, quod partes inferiores hominum sunt opus Dei quae explicantur ibi per sexuum differentiam masculini, et foeminini. Item á, etc. ut 1. p. q 44. a. 1. app. et q. 65. a. 1. app. et q. 32. a. 4. ap. Ibi enim videbis concilia, et alia canonice dicta. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á ven. Beda quod actus matrimonialis est quandoque meritorius, et sic. " Secundum verba Apostol. etiamsi vir continere voluisset, et tu noluisses: tibi debitum reddere cogeretur, et illi Deus imputaret ad continentiam, si non suae, sed tuae cederet infirmitati: ne in adulterium caderes. » Ecce, quod manifeste ostenditur á Decreto illo, quod actus matrimonialis est quandoque meritorius: immo, quod et ad continentiam imputatur ei, qui debitum, quasi nolens, reddit. Item á Concil. Arelat. " Si dicat vir, continere volo, nolo autem uxor, non potest. Quod enim tu vis, non vult illa. Numquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria ? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult Deus, tale damnum tali lucro compensari. Redde debitum, et si non exigis, redde. Pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit: si non, quod tibi debetur, exigis, sed reddis, quod debetur uxori. » Haec illud: ut recitatur 33. q. 5. Nota ly Deus tibi computabit: per quod ostendit manifeste, reddere debitum esse meritorium. Item á Scripturis Ose. 1. " Sume tibi uxorem fornicariam, et fac tibi filios fornicationum. » Vide, quam expresse innuitur, actum matrimonialem esse meritorium. Non enim facere filios ex seipso potuisset propheta, ut dicitur in sequenti contex. per ly, *quæ concepit, et peperit ei filium*, nisi actu matrimoniali superveniente: neque negandum est, quod obedire Deo, sicut fecit Propheta in facto illo, sit meritorium. Laudandus est ergo Propheta ex obedientia, et quoad primum, idest, quoad ducendum meretricem in uxorem, et quoad secundum, idest, quoad cognoscendum illam matrimonialiter. Item á Gen. 1. et 9. *Crescite, et multiplicamini.* Hoc enim non fit, nisi per copulam carnalem. Et nota, ad propositum art. loquentis de matrimoniali actu, quod verba illa non dixit Deus, nisi ad conjuges. Nam primo ea dixit ad illos: postquam Eva ex costa Adæ fuit educta. Alioquin, quomodo ad Evam loqueretur? Mox autem ut educta est, decreta fuit uxor ipsius Adæ per ly *adhærebit uxore suæ.* Unde intelligimus; illis jam conjugibus factis, Deum dixiste ly *crescite et multiplicamini.* Quod vero in 1. c. legantur ista verba, hoc est per anticipationem factum (ut testatur Sanct. Doctor) summarie scilicet, recitando, quod postea in 2. c. diffusius, distinctiusque narratur. De ultimo autem dictis verbis ly crescite, etc. non est dubium aliquod, quin dixerit ad conjuges solum jam manifeste factos: quoniam hujusmodi verba dixit ad Noe, et filios cum uxoribus eorumdem. Hinc hæresim illam Condormientium (Prat. Condormientes) optime exclusam vides, eosque pessime abuti auctoritate prædicta, scilicet, *crescite, et multiplicamini.* Dicunt enim hi Condormientes, in communi debere viros, ac fœminas, juvenes, et virgines, in uno loco, et conclavi vivere: et in eodem cubiculo dormire, ubi, extinctis luminaribus, ad omnes promiscue dicendum, *crescite, et multiplicamini.* Contra hos vide etiam 1. p. q. 117. art. 3. *Quarto* vides: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, pro quanto actum matrimonialem dicunt esse meritorium, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SEGUNDA,

DE MATRIMONIO, IN QUANTUM EST SACRAMENTUM.

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de matrimonio, in quantum est sacramentum.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum sit sacramentum.

Secundo, utrum debuerit institui ante peccatum.

Tertio, utrum, conferat gratiam.

Quarto, utrum carnalis conmixtio sit de integritate matrimonii.

ARTICULUS I.

Utrum matrimonium sit sacramentum.

Pro negativa. — Videtur quod matrimonium non sit sacramentum

1. Omne sacramentum novæ legis habet aliquam formam quæ est de essentia sacramenti. Sed matrimonium non habet aliquam formam quæ sit de essentia ejus. Ergo matrimonium non est sacramentum.

Minor prob., quia benedictio quæ fit per sacerdotes in nuptiis, non est de essentia matrimonii.

2. Sacramentum, secundum hugonem libro 1. de Sacr. part. 7. cap. 1. est materiale elementum. Sed matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo matrimonium non est sacramentum.

3. Per sacramentum homo conformatur passioni Christi. Sed per matrimonium homo non conformatur passioni Christi. Ergo matrimonium non est sacramentum.

Maior prob., quia sacramenta habent efficaciam ex passione Christi.

Minor prob., quia passio Christi fuit pœnalis, matrimonium autem habet delectationem adjunctam.

4. Sacramentum novæ legis efficit quod figurat. Sed matrimonium non efficit quod figurat. Ergo matrimonium non est sacramentum.

Minor prob., quia matrimonium non efficit conjunctionem Christi et Ecclesiæ, quam significat.

5. In aliis sacramentis est aliquid quod est res et sacramentum. Sed in matrimonio hoc non invenitur, cum non imprimat characterem: unde et reiteratur. Ergo matrimonium non est sacramentum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est, etc.*

2. Rei sacræ signum est sacramentum. Matrimonium est rei sacræ signum. Ergo matrimonium est sacramentum.

Determinatio.

Conclusio. Matrimonium est unum novæ legis sacramentum.

Prob. Illud quod importat remedium exhibitum homini contra peccatum per sensibilia signa, est sacramentum. Sed matrimonium est hujusmodi. Ergo matrimonium est sacramentum.

Et confirmatur, quia Concilium Tridentinum sess. 24. de sacramento matrimonii, can. 1. hoc diffinivit his verbis: si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, á Christo Domino institutum, etc. anathema sit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti: benedictio autem sacerdotis non est forma sacramenti, sed quoddam sacramentale.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut pœnitentia: et ideo sicut pœnitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos actus pœnitentis sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi; ita est in sacramento matrimonii.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis matrimonium non conformetur passioni Christi quantum ad pœnam;

conformatur tamen ei quantum ad charitatem, per quam pro Ecclesia sibi in sponsam conjungendam, passus est.

Ad 4. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc sacramento; sed est res significata et non contenta, et talem rem nullum sacramentum facit. Habet autem hoc sacramentum aliam rem significatam et contentam, et hanc hoc sacramentum efficit. Quid sit ista res, dicetur in sequenti responsione.

Ad 5. Negatur minor: sunt enim etiam in hoc sacramento illa tria; quia sacramentum tantum, sunt actus exterius apparentes. Res et sacramentum est obligatio quæ innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus: res vero ultima contenta, est effectus hujus sacramenti, qui est gratia. Non contenta autem est unio Christi cum Ecclesia.

ARTICULUS II.

Utrum matrimonium debuerit institui ante peccatum.

Pro negativa. — Videtur quod matrimonium non debuerit institui ante peccatum.

1. Illud quod est de jure naturali, non indiget institutione. Sed matrimonium est de jure naturali, ut dictum est quæstione præcedenti articulo 1. Ergo matrimonium non debet institui.

2. Medicina peccati non debuit institui ante peccatum. Sed matrimonium est quædam medicina contra peccatum, sicut sunt etiam alia sacramenta. Ergo matrimonium non debuit institui ante peccatum.

Maior prob., quia medicina non præparatur nisi morbo.

3. Matrimonium fuit institutum post peccatum, ut Magister dicit dist. 26. 4. Sent. Ergo non fuit institutum ante peccatum.

Conseq. prob., quia ad idem sufficit una institutio.

4. Institutio sacramenti debet esse á Deo. Sed ante peccatum verba quæ ad matrimonium pertinent, non sunt determinate dicta á Deo, sed ab Adam, scilicet, nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, etc. Illa autem verba quæ Deus dixit: *crescite et multiplicamini*, dicta sunt etiam brutis, in quibus non est matrimonium. Ergo matrimonium non fuit institutum ante peccatum.

5. Sacramenta novæ legis non fuerunt instituta ante peccatum. Sed matrimonium est unum ex sacramentis novæ legis. Ergo non fuit institutum ante peccatum.

Maior prob., quia sacramenta novæ legis á Christo initium sumpserunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matth. 19. dicitur: «non legistis «quia qui fecit homines ab initio, mas«culum et fœminam fecit eos.»

2. Quod ordinatur ad procreationem prolis, fuit ante peccatum institutum. Sed matrimonium ordinatur ad procreationem prolis. Ergo fuit ante peccatum institutum.

Maior prob., quia procreatio prolis erat homini necessaria etiam ante peccatum.

Determinatio.

Distinctio. Matrimonium potest considerari quintupliciter. Uno modo secundum quod ordinatur ad procreationem prolis: et sic competit ei, quod sit officium naturæ: secundo, ut remedium prebet contra vulnus peccati: tertio secundum determinationem personarum: quarto, secundum quod representat mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiæ: quinto, quantum ad utilitates quæ ex matrimonio consequuntur, sicut sunt amicitia et mutuum obsequium sibi á conjugibus impensum: et sic est civilitatis officium.

1.ª Conclusio. Matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, institutum fuit ante peccatum.

Hanc probant duo argumenta inducta pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Matrimonium, secundum quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum, tempore legis naturæ.

3.° Conclusio. Matrimonium, secundum determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi.

4.ª Conclusio. Matrimonium, secundum quod repræsentat mysterium conjuntionis Christi et Ecclesiæ, institutionem habuit in nova lege á Christo.

5.ª Conclusio. Matrimonium quantum ad utilitates alias quæ ex eo consequuntur, ut sunt amicitia et mutuum obsequium conjugum, habet institutionem in lege civili.

Omnes simul conclusiones manifestantur, quia bonum ad quod natura per matrimonium inclinat, variatur secundum hominum status: et ideo oportet quod secundum illud bonum, diversimode in diversis hominum statibus instituatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: illa enim quæ in communi sunt de jure naturali, indigent institutione quantum ad eorum determinationem, quæ diversimode competit, secundum diversos status: sicut de jure naturali est, quod maleficia puniantur: sed quod tali pœna talis culpa puniatur, per juris positivi determinationem statuitur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod matrimonium non est tantum in remedium contra peccatum, sed principaliter est in officium naturæ: et sic institutum fuit ante peccatum, et non prout est peccati remedium.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod secundum diversa quæ oportet in matrimonio determinari, non est inconveniens quod diversas habuerit institutiones: et sic diversa illa institutio est ejusdem, sed non secundum idem.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod matrimonium ante peccatum institutum fuit á Deo, quando homini mulierem de costa formavit in adjutorium, et dixit eis: *crescite et multiplicamini*. Quod quamvis etiam aliis animalibus dixerit, non tamen per ea, eodem modo implendum fuit, sicut per homines. Adam vero illa verba protulit, á Deo inspiratus, ut intelligeret matrimonii institutionem á Deo factam.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod quantum ad hoc quod matrimonium est sacramentum novæ legis, non fuit ante Christum institutum, ut in corpore dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium conferat gratiam.

Pro negativa.= Videtur quod matrimonium non conferat gratiam.

1. *Sacramenta conferunt gratiam* ex eorum sanctificatione, ut dicit Hugo. in lib. de Sacr. parte 9. cap. 1. Sed matrimonium non habet aliquam sanctificationem. quæ sit de ejus essentia. Ergo in sacramento matrimonii non confertur gratia.

2. Omne sacramentum conferens gratiam, eam confert ex materia et forma sua: Sed matrimonium non potest conferre gratiam ex materia et forma sua. Ergo nullo modo in ipso confertur gratia.

Minor prob., quia actus, qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiæ: quia hoc esset Pelagiana hæresis, scilicet quod actus nostri sint causa gratiæ. Verba etiam exprimentia consensum non sunt causa gratiæ: quia ex eis non fit aliqua sanctificatio.

3. Si in matrimonio daretur gratia contra vulnus concupiscentiæ; omnes homines deberent matrimonium contrahere, essetque valde stultum á matrimonio abstinere.

Conseq. prob., quia gratia ordinata contra vulnus peccati, est necessaria

omnibus hominibus: quia vulnus concupiscentiæ habent omnes homines.

4. In eo per quod concupiscentia carnis accipit intentionem, non confertur gratia in remedium concupiscentiæ. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intentionem et augmentum. Ergo in matrimonio non confertur remedium gratiæ contra concupicentiam.

Maior prob., quia infirmitas non accipit medicamentum ab eo, á quo accipit intensionem.

Minor prob., quia Phil. dicit 3. Ethic. quod «insatiabilis est concupiscentiæ appetitus, et per operationem «congruam augetur.»

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omne sacramentum est causa gratiæ. Matrimonium est sacramentum. Ergo matrimonium confert gratiam.

Maior prob., quia causalitas gratiæ ponitur in definitione sacramenti.

2. In eo per quod reprimitur concupiscentia, confertur gratia. Sed per matrimonium reprimitur concupiscentia. Ergo in matrimonio confertur gratia.

Maior prob., quia concupiscentia non reprimitur, nisi per gratiam.

Minor prob., quia Aug. dicit in lib. de bono viduitatis cap. 8. et de Genesi ad litt. lib. 9. cap. 7. quod matrimonium est ægrotis in remedium. Non potest autem esse in remedium, nisi efficatiam haberet ad reprimendam concupiscentiam.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiæ; sed tantum signum.

Reprobatio.

Sed hoc non potest stare, quia secundum hoc in nullo abundaret matrimonium á sacramentis veteris legis. Unde non esset aliqua ratio, quare sacramentis novæ legis annumeraretur. Quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentiæ, dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus.

Quorumdam aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt, quod confertur ibi gratia in ordine ad recessum á malo. Quia excusatur actus á peccato, qui sine matrimonio peccatum esset.

Reprobatio.

Sed hoc nimis parum esset. Quia etiam in veteri lege hoc habuit.

Aliorum positio.

Et ideo alii dicunt, quod matrimonium facit recedere á malo, inquantum constringit concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur, non autem per gratiam illam fit aliquod auxilium ad bene operandum.

Reprobatio.

Sed hoc non potest stare, quia eadem gratia est, quæ impedit peccatum et quæ ad bonum inclinat: sicut idem est calor qui aufert frigus et qui calefacit.

Vera sententia.

Conclusio. Matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem, ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur.

Prob. Ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate divinitus data: sicut patet in omnibus potentiis animæ, quibus respondent aliqua membra corporis, per quæ in actum exire possint. Sed in matrimonio datur homini, ex divina institutione, facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis. Ergo datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset. Sicut etiam de potestate ordinis in quæst. 127. dictum est, art. 1. Et hæc gratia est ultima res contenta in hoc sacramento.

Et confirmatur quia hoc idem definitur credendum per Trid. Concil. sess. 24. de matrim. Can. 1. Ubi anathemate ferit oppositum sentientes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod sacramenta conferunt gratiam ex sanctificatione facta, vel á Christo, vel á sacerdote. Tunc ad minorem dicitur, quod sicut aqua baptismi habet quod corpus tangat et cor abluat, non principaliter ex aliqua sanctificatione facta á sacerdote; sed ex tactu carnis Christi: ita matrimonium hoc habet ex eo quod Christus sua Passione illud repræsentavit.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod sicut aqua baptismi cum forma verborum operatur immediate non quidem ad gratiam; sed ad characterem; ita actus exteriores in matrimonio et verba exprimentia consensum directe non causant gratiam; sed faciunt nexum quendam, qui est sacramentum matrimonii; et hujusmodi connexus, ex virtute divinæ institutionis, dispositive operatur ad gratiam.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod contra vulnus concupiscentiæ, non solum est remedium, quod in matrimonio datur; sed est aliud efficacius remedium, quod per opera spiritualia et carnis mortificationem adhibetur, ab his qui matrimonio non utuntur. Quod docet Concil. Trid. sess. 24. de Matrim. Can. 9.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod contra concupiscentiam potest præstari remedium dupliciter. Uno modo ex parte ipsius concupiscentiæ, ut reprimatur in sua radice: et sic remedium præstat matrimonium per gratiam, quæ in eo datur. Alio modo, ex parte actus ejus: et hoc dupliciter. Uno modo, ut actus ad quem concupiscentia inclinat, exterius turpitudine careat; et hoc fit per bona matrimonii quæ honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo, ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentiæ satisfacit in actu conjugali, non ita inclinat ad alias corruptelas. Propter quod dicit Apost. 1. Cor. *Melius est nubere, quam uri.* Non accipit igitur concupiscentia intensionem ex matrimonio; sed remedium omnibus dictis modis. Ad prob. autem dicitur, quod quamvis actus concupiscentiæ frequentati, secundum se nati sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt. Quia ex similibus actibus ordinatis, similes relinquuntur dispositiones et habitus.

ARTICULUS IV.

Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

Pro affirmativa. — Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

1. In ipsa institutione matrimonii, Gen. 2. dictum est: *Erunt duo in carne una.* Quod non fit nisi per carnalem commixtionem. Ergo carnalis commixtio est de integritate matrimonii.

2. Illud quod pertinet ad significationem sacramenti, est de necessitate sacramenti, ut dictum est quæst. 131. Sed carnalis commixto pertinet ad significationem sacramenti: ut Magister dicit in dist. 26. lib. 4. Sent. Ergo carnalis commixtio est de integritate sacramenti.

3. Sacramentum matrimonii ordinatur ad conservationem speciei. Ergo de integritate ejus est carnalis commixtio.

Conseq. prob. quia conservatio speciei non potest fieri, sine carnali commixtione.

4. Matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiam præstat. De quo dicit Apost. 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri.* Ergo carnalis commixtio est de integritate hujus sacramenti.

Conseq. prob., quia hoc remedium non præstat matrimonium, nisi his qui carnaliter commiscentur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In paradiso non fuit carnalis copula. Sed in paradiso fuit verum matrimo-

nium. Ergo de integritate matrimonii non est carnalis copula.

2. Sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione matrimonium est sanctius: ut dicitur in sentent. 26. dist. 4. Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

Determinatio.

Distinctio. duplex est alicujus rei integritas. Una, quæ attenditur secundum perfectionem primam: et hæc consistit in ipso esse rei. Alia, quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione. Sicut perfectio prima intellectus est, quando habet speciem. Altera est, quando actu speculatur.

Conclusio. Carnalis commixtio est de integritate secunda matrimonii, non autem de prima.

Manifestatur, quia carnalis commixtio est quædam operatio, sive usus matrimonii, per quod datur facultas utendi carnali copula.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Adam exposuit integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem, quæ perfectio ex actu, qui est carnalis copula, innotescit.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non omne id, quod pertinet ad significationem sacramenti, pertinet ad sacramenti perfectionem; sed solum id quod pertinet ad significationem rei contentæ in sacramento. Tunc ad minorem dicitur, quod carnalis commixtio non pertinet ad sacramentum, ut res contenta in sacramento; sed ut res significata per sacramentum: significat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ non est res contenta in hoc sacramento, ut supra dictum est art. 1. ad 5. Et ideo ejus significatio non pertinet ad sacramentum, ut de ejus essentia.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod res non pertinet ad suum finem, nisi per proprium actum; unde ex hoc quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, sequitur quod sit de integritate secunda matrimonii, et non de prima.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum, nam ante carnalem commixtionem, matrimonium est remedium ex gratia quæ in eo datur: quamvis non sit remedium ex actu, qui pertinet ad integritatem secundam.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 132.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem confodias hæresim *Calvini* sentientis, quod matrimonium non est sacramentum in Ecclesia Dei, per hoc, quod tamquam erroneum imponit Papistis art. hunc, videlicet matrimonium est sacramentum in Ecclesia Dei (ut videre est in tabula articulorum, quos Calvinistæ abjurant et Papistis imponunt; ex Calvini libello contra acta Concil. Trid.) item hæresim Lutheri (Alfonsus Nuptiæ) aperte dicentis; Matrimonium non esse sacramentum. Item Manichæorum dicentium: conjugium esse legem, et constitutionem Diaboli. Ex articuli enim præsentis probatione patet, quod sanctitatis remedium confert: quod est contra Diabolum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses prædictas merito damnari ab Apostolo Ephes. 5. "Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adherebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est." Item á Concil. Florent. sive ab Eugenio IV. eod. Concil. approbante in decret. Armen. dato. "Septimum est sacramentum matrimonii: quod est

signum conjunctionis Christi, et Ecclesiæ, secundum Apostol. dicentem: sacramentum hoc magnum est, ergo autem dico in Christo, et in Ecclesia. Item á Concil. Trident. sess. 24. c. de sacr. matrim. Cum matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet: merito inter novæ legis sacramenta annumerandum Santi Patres nostri, concilia, et universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt: sed (de more suo) prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto, et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura. Et can. 1. Si quis dixerit: matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis: anathema sit. Item á Papa Lucio III. extra de hæretic. ad abolendam: Universos, qui de sacramento corporis, et sanguinis Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, et observat, vinculo perpetui anathematis innodamus.» Item nota, Manicheos prædictos damnari á Christo, dum matrimonium approbat, atque confirmat. Matth. 19. et Marc. 10. Vide etiam artic. præc. quæst. et appen. quoniam ad hoc propositum juvabunt, specialiter vero ad Calvini fallacias vigilantius pro damnatis atque damnandis agnoscendas, ac firmissime habendas: vide vitam ejus ob hunc finem fusius descriptam, qu. 9. ar. 4. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, pro quanto matrimonium dicunt esse sacramentum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Manicheorum* (sup. art. 1. app.) dicentium: conjugium esse constitutionem Diaboli. Item Eraclitarum (Prat. Eraclitæ) dicentium conjungia, sive matrimonium, esse respuenda. Per hoc enim, quod á Deo institutum est, radicitus destruitur quod matrimonium secundum se sit vel respuendum, vel constitutio diaboli. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari prædictas hæreses á, etc. ut art. 1. app Item á, etc. ut q. 41. art. 1. app. cui et addere potes art. 2. et 4. Item á, etc. ut 1. part. qu. 72. Item á decre. 24. qu. 3. quidam. Vide ibi de Eraclitis. Item á Concil. Trid. sess. 24. in princ. "Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, etc. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, et conjungi, Christus dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam á Deo probata, referens dixit; itaque jam non sunt duo sed una caro: statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Hæc ibi, et can. 1. Si quis dixerit: matrimonium non esse á Christo Domino institutum: anathema sit.» Item á, etc. ut ut supra not. post. prob. concl. 1. *Tertio* habes: quomodo dicta patrum, et scripturarum, pro quanto matrimonium dicunt institutum fuisse ante peccatum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* (Alphons Castr. Nuptiæ) dicentis, quod matrimonium non est signum, neque confert gratiam. Ad hoc reducitur et hæresis Catharorum dicentium: matrimonium carnale esse peccatum mortale. Et Tatianorum dicentium matrimonium nihil differre á scortatione, sed idem esse. De quibus duabus ultimus vide qu. 41. art. 3. app. Si enim carnale matrimonium, vel peccatum mortale esset, vel á scortatione non differens, proculdubio non conferret gratiam: quoniam neque peccatum mortale, neque scortatio, confert gratiam. Contra has igitur etiam ratio articuli militat. Item hæresim Libertinorum, qui matrimonium carnale sacramentum Ecclesiæ dissolvunt, et consequenter per hoc ab ipso gratiam dari negant. Ne autem matrimonium totaliter é mundo tollere videatur, fingunt quoddam matrimonium spirituale: asserentes esse

illud, in quo promiscui fiunt concubitus: modo alter altero sit contentus. Ex quo etiam revera patet, quod conferri gratia per matrimonium illud non potest, cum fictitium, et diabolicum inventum tale sit. Hæresis hæc postrema recenseri potest etiam art. 1. app. et damnari ibid. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito hæreses prædictas damnari á Papa Leone X. in bulla contra errores Lutheri: cujus damnationem vide qu. 1 art. 1. app. jungendo qu. 24. art. 1. app. Item á Conc. Flor. in Decr. Armen. dat. ab Eugenio IV. de sacramentis. « Novæ legis sunt septem sacramenta, etc. Matrimonium. Hæc continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Item á Conc. Trident. session. 7. de sacrament. canon. 1. " Si quis dixerit: sacramenta novæ legis esse pauciora, quam septem, etc. matrimonium jungendo canon. 6. Si quis dixerit: sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre. Et can. 7. Si quis dixerit: non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiunt, sed aliquando, et aliquibus: anathema sit. Et can. 8. Si quis dixerit: per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam: anathema sit. Item ab eod. sess. 24. in princ. gratiam vero, quæ naturalem illum amorem, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque santificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; et seipsum tradidit pro ea, mox subjunges, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. Et canon. 1. Si quis dixerit: matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, etc. neque gratiam conferre. Anathema sit. » Item á, etc. ut prima part. qu. 72. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto matrimonium dicunt conferre gratiam, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem scelestum hæreticum Evangelicorum asserentium, matrimonium Evangelicum esse illud, cum Christo devotas nefario polluunt adulterio, error enim est hic, in quantum de ratione matrimonii volunt esse carnalem copulam, scelus autem, in quantum sic spurcissime commiscentur: hæresis vero, in quantum hanc spurcissimam commixtionem dicunt esse matrimonium. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illos merito damnari per Apostolum, qui Hebr. ult. quasi definiens matrimonium legis Evangelicæ etiam quoad secundam perfectionem prædictam dicit, " honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Item á Thessal. 4. ut sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in honore, et sanctificatione: non in passione desiderii. Item Tob 6 Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum á sua mente excutiant: et suæ libidini ita vacent, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem dæmonium super eos. » Vidisti prædictos Evangelicos? Hi sunt, qui á Raphaele Angelo his verbis actu tanguntur, et ad vivum describuntur. Cæterum de matrimonio vere sancto subjungit ibi. " Tu autem, etc. Transacta tertia nocte accipies Virginem cum timore domini, amore filiorum magis, quam libidinis, ductus, ut benedictionem in filiis consequaris. » *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum fuisse á Nicolao Papa, quod carnalis commixtio non est de integritate essentiali matrimonii. " Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum, quarumque consensu, et conjunctionibus agitur: qui solus si defuerit cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit; patet, hos conjuges fuisse. Nam si consensus copulæ carnalis facit matrimonium, inter Mariam, et Joseph non fuit conjugium. Consensus ergo cohabitandi, et individuam vitæ consuetudinem retinendi interveniens, eos conjuges fecit. » Haec ille 27. qu. 2. Beata Maria Item á c. conjuges, tit. eod. " Conjuges verius appellantur á prima desponsationis fide quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus. » Item á tit. eod. " Cum initiatur

conjugium, conjugii nomen nanciscitur. Nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio conjugalis. Denique, cum mulier conjungitur viro, conjugium est: non cum viri admixtione cognoscitur. » Item á tit. eod. *matrimonium non facit coitus sed voluntas.* Ecce, quod per omnia haec, verum fuit conjugium inter B. Virginem, et Joseph, et consequenter, quod copula carnalis non est de essentia matrimonii veri. *Quarto* habes: quomodo pradicta patrum, pro quanto dicunt, copulam carnalem non esse de essentiali integritate matrimonii, et intelligas, et probes et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA TERTIA,

DE MATRIMONIO QUANTUM AD SPONSALIA, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato: ubi primo agendum est de sponsalibus; secundo de matrimonii ratione; tertio de ejus causa efficiente, scilicet de consensu; quarto de ejus bonis; quinto de impedimentis ipsius; sexto de secundis nuptiis; septimo de quibusdam matrimonio annexis.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, quid sint sponsalia.

Secundo, qui possint contrahere sponsalia.

Tertio, utrum sponsalia dirimi possint.

ARTICULUS I.

Utrum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio.

Pro negativa.=Videtur quod sponsalia non convenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio.

1. Ea, per quæ quis sponsus dicitur, male dicuntur promissio. Sed per sponsalia aliquis sponsus dicitur. Ergo sponsalia male dicuntur promissio.

Maior prob., quia Isid. dicit in lib. 9. Etymol, c. ult. quod *aliquis est sponsus, non quia promittit, set quia spondet et sponsores dat.*

2. Quicumque promittit aliquid, debet compelli ad implendum. Sed illi qui sponsalia contraxerunt, non compelluntur per Ecclesiam ad matrimonium complendum. Ergo sponsalia non sunt promissio.

3. In sponsalibus quandoque non est sola promissio, sed additur juramentum et aliquæ Arrhæ. Ergo videtur, quod non debuerint solum per promissionem definiri.

4. Matrimonia debent esse libera. Sed sponsalia quandoque non sunt libera; sed fiunt sub aliqua conditione, etiam pecuniæ accipiendæ. Ergo sponsalia non convenienter dicuntur promissio nuptiarum.

5. Circa sacramenta nihil vituperabile esse debet. Sed promissio, quæ est de rebus futuris, vituperatur. Jacob. 4. Ergo non debet fieri futurarum promissio nuptiarum.

6. Nullus dicitur sponsus nisi á sponsalibus. Sed aliquis ex præsentibus nuptiis sponsus dicitur. Ergo sponsalia non semper sunt futurarum nuptiarum promissio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra

Sunt verba Nicolai Papæ in Decret. 30. quæst. 5. c. nostrates.

Determinatio.

Conclusio. Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio.

Prob. Nam consensus in conjugalem copulam explicatus per verba de futuro, non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem, et hæc promissio dicitur *sponsalia á spondendo*, ut Isid. dicit lib. 9. Etym. cap. ult.

Declaratur autem conclusio: nam ista promissio futuri conjugii fit dupliciter, scilicet absolute et sub conditione. Absolute fit quatuor modis. Primo, nuda promissione, ut cum dicitur: *Accipiam te in meam*, et accipiam te in meum. Secundo, datis Arrhis sponsalitiis, ut pecunia, vel aliquid hujusmodi. Tertio, annuli subarrhatione. Quarto, interveniente juramento.

Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est quia aut conditio est honesta, ut cum dicitur: *Accipiam te, si parentibus placeat.* Et tunc, stante conditione, stat promissio et non stante conditione non stat promissio. Aut conditio est inhonesta, et hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis matrimonii, ut si dicat, *accipiam te, si venena sterilitatis procures*: et tunc non contrahuntur sponsalia. Aut non est contraria bonis matrimonii, ut si sponsus dicat: *accipiam te, si furtis meis consentias.* Et tunc stat promissio; sed tollenda est conditio. Ex quibus patet quod absoluta promissio facit sponsalia semper, si aliud non obstet. Conditionata vero facit sponsalia, quando conditio est honesta, et etiam quando est inhonesta, dummodo non sit contra bona matrimonii. Et sic remanet manifestata conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod sponsalia et datio sponsorum est promissionis confirmatio, et ideo ipsa promissio denominatur tamquam á perfectiori á sponsalibus, et dicitur hæc promissio sponsalia.

Vel potest dici negando minorem. Nam sponsus proprie non dicitur á sponsalibus, sed ab actuali promissione per verba de præsenti, quando spondet futuram conjunctionem sive copulam, per quam conjuges appellantur, ut dicetur ad ultimum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ex sponsalibus obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, et peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum superveniat impedimentum, et secundum hoc Ecclesiæ cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato; tamen in foro contentioso non compellitur, quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habère. Nisi forte juramentum intervenerit, quia tunc cogendus est qui promisit, ut quidam dicunt. Quamvis aliis non videatur, propter causam prædictam, præcipue si de uxoricidio timeretur.

Ad 3. Dicitur, quod illa addita, scilicet juramentum et Arrhæ, non sunt nisi ad confirmandam promissionem, unde non sunt aliud quam promissio.

Ad 4. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod conditio illa quæ apponitur non tollit matrimonii libertatem, quia si est inhonesta, debet abjici; si autem est honesta, aut est de bonis simpliciter, ut si dicatur: *accipiam te, si placet parentibus*, et hæc conditio non tollit libertatem sponsalium; sed auget ei honestatem. Aut est de utilibus, ut si dicatur, *contraham, tecum, si dabis mihi centum*, et tunc non ponitur hoc quasi ad vendendum consensum matrimonii, sed intelligitur ut promissio dotis, unde ex hoc matrimonium non perdit libertatem. Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, et tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo qui non vult matrimonium contrahere.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod D. Jacobus non intendit prohibere quod omnino aliquis nullam promissionem faciat de futuris; sed quod non promittat, quasi fiduciam habens de vita sua. Unde docet, quod debet apponi conditio: si Deus voluerit, quæ etiam si verbis non exprimatur, debet tamen corde intelligi.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod in matrimonio duo possunt considerari, scilicet ipsa conjunctio matrimonialis et actus ejus. A sponsione prima, scilicet qua

promittitur in futurum matrimonialis conjunctio, dicitur quis sponsus, á sponsalibus contractis per verba de futuro. A sponsione vero secunda dicitur quis sponsus, quando contractum est matrimonium per verba de præsenti quia ex hoc ipso spondet matrimonii actum: sponsalia tamen proprie dicuntur, quæ in prima sponsione fiunt, quæ non sunt ipsum sacramentum matrimonii, sed quædam sacramentalia, quæ se habent ad matrimonium, sicut exorcismi ad baptismum.

ARTICULUS II.

Utrum tempus septennii sit convenienter assignatum sponsalibus contrahendis.

Pro negativa.=Videtur quod tempus septennii non sit convenienter assignatum sponsalibus contrahendis.

1. Contractus, qui per alios fieri potest, non requirit discretionem in illis, ad quos pertinet. Sed sponsalia fieri possunt per parentes, utroque contrahentium ignorante. Ergo possunt sponsalia fieri etiam ante septennium.

2. Aliquis potest consentire in peccatum mortale ante septennium. Ergo etiam ante septennium potest sponsalia contrahere.

Antecedens prob., quia Greg. narrat lib. 4. Dial c. 18. quod quidam puer quinque annorum, propter peccatum blasphemiæ, á diabolo fuit extinctus, ac per hoc peccato consenserat.

Conseq. prob., quia sicut ad contractum sponsalium requiritur aliquis rationis usus, ita ad consentiendum in peccatum morale rationis usus requiritur.

3. In matrimonio non assignatur idem tempus puellæ et puero. Sed sponsalia ad matrimonium ordinantur. Ergo in sponsalibus non debet utrique idem tempus assignari.

4. In tempore, ex quo possunt alicui futuræ nuptiæ placere, possunt sponsalia contrahi. Sed ante septennium frequenter apparent in pueris signa talis placentiæ. Ergo ante septennium possunt sponsalia contrahi.

5. Si aliqui ante septimum annum contrahant sponsalia, et postea post septennium ante tempus pubertatis contrahant per verba de præsenti, reputatur inter eos esse sponsalia. Sed hoc non ex secundo contractu, quia tunc non intenduot sponsalia, sed matrimonium contrahere. Ergo ex primo, et sic ante septennium possunt contrahi sponsalia.

6. In his, quæ communiter fiunt á pluribus, quod deest uni, suppletur ex altero: sicut patet in trahentibus navem. Sed contractus sponsalium est quædam actio communis inter contrahentes. Ergo si unus contrahentium sit pubes, potest contrahere cum puella, que non habet septem annos, sponsalia. Quia quod uni defuit de tempore, alteri superabundat.

7. Si aliqui prope ætatem pubertatis, quamvis ante eam, contrahunt per verba de præsenti, reputatur inter eos matrimonium esse. Ergo pari ratione, si ante septennium, dummodo sint prope, contrahant per verba de futuro, reputabitur esse inter eos sponsalia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Decretal. lib. 4. de despons. impub. tit. 2. c. 5. Accessit. Determinatur septennii tempus ad sponsalia contrahenda. Et in Decret. 20. q. 2. in exordio. Incipiens, sponsalia.

Determinatio.

Conclusio. Septennium est tempus a jure determinatum rationabiliter, ad sponsalia contrahenda.

Prob. Illi, qui sponsalibus sunt apti, possunt aliquo modo aliquid futurum promittere. Sed ante septennium, non potest aliquis aliquid futurum promittere. Ergo ante septennium non potest aliquis sponsalia contrahere.

Maior prob., quia sponsalia sunt quædam promissiones futurorum, unde illo-

rum esse oportet, qui aliquo modo promittere possunt.

Minor manifest. quia promissio futurorum non potest esse nisi illorum, qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ usum rationis requirit, qui ante septennium non viget. In usu enim rationis triplex gradus notatur secundum Phil. 1. Ethic. c. 4. Primus est, cum quis neque per se intelligit, neque ab alio capere potest. Secundus est, quo homo ab alio capere potest; sed ipse per se non sufficit ad considerandum et intelligendum. Tertius est, cum homo et ab alio jam capere potest, et per se ipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundum quod quietantur motus et fluxibilitas humorum, ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium, et propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, et ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennii, unde etiam tunc temporis ad scholas mittitur. Sed ad tertium statum incipit pervenire in fine secundi septennii, quantum ad ea quæ ad personam ipsius pertinent, in quo ejus naturalis ratio convalescit. Sed quantum ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertii septennii, et propterea ante primum septennium homo nulli contractui est aptus. In fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipue de his ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem, et ideo tali tempore possunt contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennii jam potest obligare se, de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad conjugium. Sed post tertium septennium, etiam potest se de aliis obligare. Et secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi post annum vigesimum secundum: ex quibus patet minor, quæ erat probanda, et simul quando et ad quæ homo possit se obligare, secundum diversum ætatis incrementum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, ad minorem, quod si ante annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alios, ambo vel alter nomine quorum fit contractus, reclamare possunt, unde nihil tunc actum est, adeo quod nec aliqua affinitas ex hoc contractu contrahitur; et ideo sponsalia quæ inter aliquos per alias personas contrahuntur, robur habent, in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his quæ per alios facta sunt.

Ad 2. Dicitur primo negando antecedens. Ad probationem quidem dicunt quod ille puer, de quo Greg. narrat, non fuit damnatus, nec mortaliter peccavit, sed visio illa fuit ad patrem contristandum, qui in puero illo peccaverat, eum non corrigens.

Reprobatio.

Sed hoc est expresse contra intentionem Gregorii dicentis quod « Pater « pueri, animam parvuli filii negligens, « non parvum peccatorem gehennæ ig- « nibus nutrivit. »

Vera responsio.

Aliter igitur respondetur ad argumentum, negando consequentiam. Ad prob. dicitur, quod ad peccatum mormortale sufficit consensus præsens, in sponsalibus autem est consensus in futurum. Maior autem discretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in actum unum præsentem, et ideo prius potest homo peccare mortaliter, quam possit se obligare ad aliquid futurum.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de sponsalibus et matrimonio in proposito. Nam in tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis; sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus

aptum generationi. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, ut possit esse apta actui generationis, puer autem in fine secundi septennii, ut Phil. ait in lib. 7. de Histor. Animalium. Usum autem rationis simul puer et puella accipiunt, qui in sponsalibus requiritur, ideo assignatur utrique unum tempus in sponsalibus, diversum autem in matrimonio.

Ad 4. Dicitur ad minorem quod illa placentia, quæ est in pueris ante septennium, non procedit ex perfecto usu rationis, cum nondum sint susceptibiles plenæ disciplinæ; sed magis contingit ex motu naturæ, quam ex aliquo rationis discursu, et ideo non sufficit talis placentia ad sponsalia contrahenda.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod in casu illo, quamvis per secundum contractum non faciant matrimonium, tamen ostendunt se ratam habere primam promissionem, et ideo primus contractus accipit firmitatem ex secundo.

Ad 6. Dicitur quod Vera est maior, quando plures agunt per modum unius causæ, non autem quando plures concurrunt ad unum agendum, ut plures causæ. Et quia trahentes navium, agunt per modum unius, ideo quod deest uni potest suppleri ex altero. Contrahentes autem sponsalia agunt ut distinctæ personæ, quia sponsalia non nisi inter duos esse possunt, unde in utroque requiritur quod sit sufficiens ad contrahendum, et ideo defectus unius impedit sponsalia, nec talis defectus unius potest suppleri ex altero.

Ad 7. Dicitur ad consequentiam, quod etiam in sponsalibus, si contrahentes appropinquant ad tempus septennii, contractus sponsalium robur habet; quia secundum Phil. 2. Physic. text. 56. Quod *parum deest, quasi nihil deesse videtur*. Hæc autem propinquitas á quibusdam determinatur tempus sex mensium; sed melius est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in aliquibus magis accelleratur usus rationis, quam in allis.

ARTICULUS III.

Utrum sponsalia dirimi possint.

Pro negativa.=Videtur quod sponsalia dirimi non possint.

1. Videtur, quod non possint sponsalia dirimi, per hoc, quod alter religionem ingreditur. Quia de pecunia, quam alicui promissi, non possum licite alteri promissionem facere. Sed ille qui sponsalia contrahit, corpus suum promittit mulieri. Ergo non potest se Deo in religione offerre.

2. Videtur, quod non debeant sponsalia dirimi, quando alter conjugum in longinquam regionem se transfert. Quia in dubiis tutior pars est eligenda. Sed tutius esset, quod expectaret. Ergo tenetur eum expectare.

3. Videtur quod sponsalia non dirimantur per ægritudinem quam aliquis incurit, post contracta sponsalia, quia pro pœna nullus debet puniri. Sed vir, qui infirmitatem incurrit, punitur in hoc, quod ei suum aufertur jus quod habet in illam quæ sibi fuerat desponsata. Ergo propter corporalem infirmitatem non debent sponsalia dirimi.

4. Videtur quod nec dirimantur propter affinitatem intervenientem, utpote si sponsus consanguineam sponsæ fornicario concubitu cognoscat. Quia tunc sponsa puniretur pro peccato sponsi, quod non convenit.

5. Videtur quod sponsi non possint se invicema promissione absolvere. Quia hoc est maximæ levitatis, ut primo contrahant et postmodum se absolvant. Sed talia non debent in Ecclesia sustineri. Ergo sponsalia non solvuntur per hoc, quod sponsi invicem se absolvunt.

6. Videtur quod sponsalia non solvantur propter fornicationem alterius sponsi. Quia per sponsalia unus non accipit potestatem corporis alterius. Et ita videtur quod in nullo contra invicem peccent, si interim fornicantur. Ergo

sponsalia per hoc dirimi non debent.

7. Videtur quod sponsalia non dirimantur per contractum cum alia per verba de præsenti. Quia secunda venditio non derogat venditioni primæ. Ergo nec secundus contractus potest derogare primo.

8. Videtur quod sponsalia non possint dirimi per defectum ætatis. Quia quod non est, non potest dissolvi. Sed ante ætatem determinatam nulla fuerunt sponsalia. Ergo non possunt dirimi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ecclesia propter prædictas causas, quæ etiam in jure habentur, et præcipue de sponsal. et matrim. Et de desponsat. impub. et de conjugio leprosor, sponsalia dirimit.

Determinatio.

Conclusio. Sponsalia dirimuntur per hoc, quod unus sponsorum religionem ingreditur. Per hoc, quod unus ad regionem longinquam se transfert. Per ægritudinem, quam aliquis incurrit post sponsalia contracta. Propter intervenientem affinitatem. Propter hoc, quod sponsi invicem se absolvunt. Propter alterius fornicationem. Propter contractum cum alia per verba de præsenti. Et propter defectum ætatis; sed tamen diversimode.

Quæ conclusio habet duas partes. Prior est, quod sponsalia dirimantur propter dictas causas, et quantum ad hoc remanet probata per Ecclesiæ consuetudinem, et juris auctoritatem. Altera pars est quod diversimode propter has causas sponsalia dirimantur, et hoc declaratur; nam in duobus casibus, scilicet cum quis ad religionem confugit, et cum alter conjugum per verba de præsenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur. Sed in aliis casibus dirimi debent, secundum judicium Ecclesiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod per sponsalia fit tantum spirituale vinculum inter sponsum, et sponsam. Ingressus autem religionis est spiritualis mors. Unde sicut carnale vinculum quod fit per carnalem copulam, solvitur per corporalem mortem: ita hoc spirituale conjugium solvitur per spiritualem mortem. Sicut etiam promissio pecuniæ solvitur, morte interveniente.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod dubium illud determinatur ex hoc quod alter non comparet statuto tempore ad perficiendum matrimonium. Unde si ex parte ejus non defuit, quin compleret matrimonium, potest licite sine aliquo peccato alteri nubere. Si autem per eam stetit quod matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti, si juramentum intervenerit, et contrahere potest cum alio, si vult, judicio Ecclesiæ: ut dicitur in decret. lib. 4. tit. 1. c. 5.

Ad 3. Dicitur quod si post sponsalia, ante conctractum matrimonium, aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, ut Epilepsia, vel Paralypsis, aut eum deformet, ut est abcisio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi, aut quæ sit contra bonum prolis, utpote lepra, quæ solet prolem inficere, possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant, et matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur, ut dicitur in decret. Et ad maiorem dicitur quod sic infirmus non punitur pro pœna sed ex pœna damnum reportat; quod non est inconveniens.

Ad 4. Dicitur quod si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel sponsa cognita fuit á consanguineo sponsi, debent dirimi sponsalia, et ad hoc probandum sola fama sufficit, propter scandalum vitandum. Causæ enim quæ in futurum expectant effectus suos, impediuntur á productione suorum effectuum, non solum ex eo quod est; sed etiam ex eo quod futurum est, ut di-

citur in decret. lib. 4. tit. 1. cap. 12. Unde sicut affinitas, si esset tempore contractus sponsalium, impedivisset contractum illum, ita si interveniat ante matrimonium quod est quidam sponsalium effectus, prior contractus ab effectu suo impeditur. Ad maiorem autem dicitur quod in hoc nihil alteri detrahitur; sed ei confertur, quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem reddidit se Deo odiosum.

Ad 5. Dicitur quod quidam non recipiunt istum casum. Sed contra eos est decretalis, præterea, lib. 4. tit. 1. cap. 2. quæ dicit: « ad instar eorum, qui so-« cietatem interpositione fidei contra-« hunt, et postea eamdem sibi remit-« tunt, potest in patientia tollerari, si « mutuo se absolvunt, qui sponsalia con-« traxerunt. »

Sed ad hoc dicunt quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne peius aliquid eveniat, quam hoc sit de jure.

Sed hoc non videtur convenire exemplo quod decretalis adducit. Et ideo dicendum est ad antecedens, quod non semper est levitatis retractare, quæ prius firmata sunt. Quia *incertæ sunt providentiæ nostræ*, ut dicitur Sap. 9.

Ad 6. Dicitur ad antecedens quod quamvis sponsi per sponsalia non dederint sibi mutuo corporis potestatem, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum, et ideo potest sibi unus præcavere contra alium, sponsalia dirimendo.

Ad 7. Dicitur qud antecedens, verum est, quando uterque contractus est unius rationis; cæterum si non sunt ejusdem rationis, non est verum. Et quia contractus matrimonii non est ejusdem rationis cum contractu sponsalium. sed fortior illo: ideo contractus matrimonii contractum sponsalium solvit.

Ad 8. Dicitur ad minorem, quod quamvis illa non fuerint vera sponsalia, tamen fuit ibi quidam sponsalium modus, et ideo ne videatur approbare, ad annos legitimos veniens, debet petere solutionem sponsalium, judicio Ecclesiæ faciendam, propter bonum exemplum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 133.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per D. Thomam ostendas, recte dictum fuisse á Nicolao Papa, ut recitatur 30. qu. 5. Nostrates, etc. " Post sponsalia fœdera, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio, fœdera quoque eorum, qui hæc contrahunt, et horum, in quorum potestate sunt, celebrantur. Item ab Alexandro III. ad Panormit. Episcopum. De illis autem, qui promittunt, se aliquas mulieres, ducturos præstito juramento: et postea, eis incognitis, dimittunt terram se ad partes alias transferentes. Hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis (si non amplius in facto est processum) ad alia se vota transferre. » Hæc ille de sponsal. et matrim. Ecce, quod sponsalia etiam jurata non faciunt matrimonium, et consequenter; quod (secundum Alexandrum) sunt tantum futurarum nuptiarum promissio. Item á Gregor. IX. tit. eod. Gemma mulier, etc. " Cum sponsalia contracta fuerunt, pœnam solvendam á parte, quæ contraveniret, in stipulatione appositam ab ipsa nittitur extorquere. Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda: mandamus, quatenus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ poenæ desistat, Ecclesiastica censura compellas. » Ecce, quod conditio pecuniæ, tamquam poena, rejicitur.

Item á Lucio III. ad Episcopum Rappalen. tit. eod. " Requisivit á nobis tua fraternitas, qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit. Ad quod breviter respondemus; quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones soleant difficiles exitus frequenter habere. » De hac compulsione prudenti, præ timore mali exitus sponsorum, vide ibi Innocentio III. cap. Præterea hi, qui: et Alexandrum III. cap. Præterea de muliere. *Secundo* habes: quomodo per D. Tho. prædicta statuta Pontificum, pro quanto et sponsalia promissionem, et poenam á sponsalibus rejiciendam, et prudentiam, in compulsione pro servanda fide adhibendam, dicunt, intelligas, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse ab *Alexandro III.* quod sponsalia ante septennium nullius sunt roboris. Intellige ut ex contextu Alexandri colligitur, quod uterque sponsorum prædictum tempus habere debet. Insinuatum autem fuit par. 6. cap. 7. quando Archiepiscopo Eboracensi scripsit dicens. " Si tibi constiterit: quod puella præfata non esset septennis, quando præmemorato Uvilhelmo desponsata fuit, et postea in eum non consenserit; matrimonium inter eumdem Uvilhelmum et matrem puellæ celebratum præcipias immobiler observari, et eorumdem proles denuncies esse legitimas. Quia desponsationes ante septimum annum fieri non possunt: si consensus postea non intervenit. Item ab Innocentio III. Inter juvenem, et puellam sponsalia non fuisse contracta pronunciavimus: cum constet, puellam nondum ad septennium pervenisse. » Hæc ille de desponsation. in puber. Ad dissolvendum. Item ab Alexandro eodem ad Episcopum Erfordiensem. " Quidam perfectæ ætatis quamdam puellam in cunabulis desponsavit: procedente vero tempore matrem puellæ cognovit, et eam in uxorem accepit. Si præfatus vir matrem puellæ, antequam septimum annum complesset, in uxorem accepit, matrimonium non dissolvas, cum desponsationes hujusmodi nullæ sint, quæ in incunabilis fiunt. Verum, si postquam puella septimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cum sponsalia ex tunc placere consueverint; inter eos sententiam divortii non differas promulgare: nec ipsum filiam, seu matrem habere permittas. Hæc ille tit. eodem. *Secundo* habes: quomodo per D. Thomam ostendas, multa merito esse dicta in multis capitulis, extra de sponsal. et matrim. item de despon. impuber. item in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. tit. de sponsal. *Tertio* habes: quomodo, per Divum Thomam illa jura, pro quanto pertinent ad hunc locum, defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, (non obstante, quod frangere sponsalia absque causa legitima grave crimen adeo sit, ut Concilium Elibertinum cap. 54. dicat. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se á communione. Si vero sponsus, vel sponsa in illo gravi crimine fuerint tantum, parentibus excusatis, superior sententia servetur) » merito dictum fuisse ab Alexandro III. in Concil. Lateranens. part. 50. cap. 30. super eo, quod quædam mulier suo fidem dedit, et ipse illi, quod matrimonium inter se contraherent et viro volente sacramentum servare, mulier castam disposuit ducere vitam, discretioni tuæ respondemus. Si juncti non fuerint, mulier permittatur ad religionem transire, et Domino, relicto saeculo, militare. Beatum enim Joannem et complures é sponsalitiis ad vitam contemplativam legimus evocatos: et ideo eidem mulieri confidenter permittere poteris, ut transeat ad religionem castitatis votum servatura. » Eo, á fortiori denotatum, quod sponsalitia altero ingrediente religionem solvuntur. Item ab Urbano III. ad Florent. Episc. par. 10. capit. 63. post concilio Lateranem. sub Alexandro III. " Utrum postquam sponsalia inter personas legitimas contracta fuerint, et antequam á viro mulier traducatur, si alter eorum leprae morbum incurrat: alter ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, vel se possit ad secunda vota transferre; respondemus, quod ad accipiendum eum cogi non debet, cum inter eos matrimonium nondum sit consummatum. » Unde de similibus in textu adductis simile

inferas. Item ad propositum vide tu, de sponsal. et matrimon. capitula multa; et idem videas in de despo. impub. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum pro quanto sponsalia dicunt posse in casibus his dirimi, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA QUARTA,

DE MATRIMONII DEFINITIONE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ratione matrimonii.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.

Secundo, utrum convenienter nominetur.

Tertio, utrum convenienter definiatur.

ARTICULUS I.

Utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.

Pro negativa = Videtur quod matrimonium non sit in genere conjunctionis.

1. Vinculum, quo aliqui ligantur, non est ipsa conjunctio illorum. Sed matrimonium est viculum quoddam, quo juncti matrimonio, ligantur. Ergo matrimonium non est in genere conjunctionis.

Minor prob., quia vinculum, quo aliqua ligantur, differt á conjunctione ipsa, sicut causa ab effectu.

2. Quod est in genere conjunctionis, est in genere relationis. Sed matrimonium non est in genere relationis, sicut nec aliud sacramentum. Ergo matrimonium non est in genere conjunctionis.

Maior patet, quia conjunctio est relatio quædam inter conjuncta.

Minor prob. Sacramentum est signum sensibile. Sed relatio non est signum sensibile. Ergo nullum sacramentum est in genere relationis.

3. Si matrimonium esset in genere conjunctionis; sequeretur quod non esset unum tantum matrimonium inter duos conjuges.

Conseq. prob., quia conjunctio est relatio æquiparantiæ, sicut et æqualitas. Æqualitatis autem relatio non est una numero in utroque extremorum, ut Avic. dicit. Ergo nec est una conjunctio. Unde si matrimonium sit conjunctio, non est unum in utroque conjuge.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Id secundum quod aliqua referuntur, est in genere relationis. Sed matrimonium est quo aliqua referuntur. Ergo matrimonium est in genere relationis, quæ relatio est conjunctio.

Maior prob., quia relatio est, secundum quam aliqua referuntur.

Minor prob., quia maritus dicitur vir uxoris, et uxor mariti uxor.

2. Unio duorum ad aliquid unum est in genere conjunctionis. Sed matrimonium est unio duorum ad aliquod unum. Ergo matrimonium est in genere conjunctionis.

Maior prob., quia unio duorum ad aliquid unum non fit, nisi secundum conjunctionem.

Minor patet, quia Gen. dicitur: *erunt duo in carne una.*

Determinatio.

Conclusio. Matrimonium est in genere conjunctionis.

Prob. Illud, per quod plures adunantur ad aliquod unum, est in genere conjunctionis. Sed per matrimonium adunantur aliquid ad aliquid unum. Ergo matrimonium est in genere conjunctionis.

Maior prob., quia conjunctio adunationem quamdam importat. Unde ubi est adunatio aliquorum, ibi est conjunctio. Oportet autem quod hæc adunatio plurium sit ad unum aliquid, ad hoc ut dicatur conjunctio: sicut multi homines adunantur ad unam militiam, vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones, vel socii negotiationis. Adunatio igitur plurium ad aliquid unum, dicitur conjunctio.

Minor prob., quia per matrimonium ordinantur aliquæ personæ ad unam generationem et educationem prolis: et iterum ad unam vitam domesticam, et hæc personæ sunt maritus et uxor, qui conjunguntur ad generationem et educationem prolis et ad unam domesticam vitam, quam conjunctionem sequitur conjunctio animorum et corporum. Et sic patet minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera de vinculo, quo aliqui ligantur effective, non de vinculo, quo aliqui formaliter ligantur. Tunc ad minorem dicitur quod matrimonium est vinculum, quo ligantur formaliter vir et uxor, non effective; et ideo hoc vinculum non est aliud á conjunctione.

Ad 2. Neg. minor. Ad minorem probationis dicitur, quod quamvis ipsa relatio non sit sensibile accidens, tamen causæ ejus possunt esse sensibiles, et hoc sufficit. Nam in sacramento non requiritur quod illud, quod est res et sacramentum, sit sensibile; sed sufficit quod sit sensibile; illud quod est tantum sacramentum. In sacramento matrimonii ipsa conjunctio est res et sacramentum, quæ est sensibilis tantum in sua causa, quæ sunt verba exprimentia consensum, quæ dicuntur sacramentum tantum.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod relatio semper fundatur in aliquo tamquam in causa, sicut similitudo fundatur in æqualitate: fundatur etiam relatio in aliquo tamquam in subjecto. Sicut similitudo fundatur in ipsis similibus: et ex utraque parte, scilicet ex parte causæ, et ex parte subjecti, potest attendi unitas et diversitas ipsius. Quia ergo in relatione similitudinis non est eadem æqualitas numero in utroque simili, sed specie tantum: et iterum, quia objecta similitudinis sunt duo numero, et similiter est de æqualitate, ideo æqualitas et similitudo omnibus modis est alia numero in utroque similium et æqualium. Relatio autem, quæ est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eamdem numero generationem ordinatur: ex parte autem subjecti habet diversitatem, secundum numerum, et ideo hæc relatio, quæ est matrimonium, est una et multiplex. Est una ex parte causæ, et multiplex ex parte subjecti. Secundum quod est multiplex, significatur his nominibus, uxor et maritus. Secundum vero quod est una, significatur hoc nomine, matrimonium.

ARTICULUS. II.

Utrum matrimonium convenienter nominetur.

Pro negativa. = Videtur quod matrimonium inconvenienter nominetur.

1. Denominatio debet fieri á nobiliori et digniori. Sed pater dignior est quam mater. Ergo magis debet á patre, quam á matre hæc conjunctio denominari, et dici patrimonium.

2. Res debet denominari ab eo, quod est de sua essentia. Sed nuptiæ non sunt de essentia matrimonii. Ergo non debet matrimonium nuptiæ appellari.

Maior prob., quia ratio, quam significat nomen, est definitio.

3. Species non potest proprio nomine ab eo, quod est generis, nominari. Sed conjunctio est genus ad matrimonium. Ergo matrimonium non proprie conjunctio nominatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est communis usus loquentium.

Determinatio.

Conclusio. Matrimonium convenienter, conjugium, nuptiæ, et matrimonium nominatur.

Manifest. In matrimonio est tria considerare. Primum, essentiam ipsius, quæ est conjunctio, et secundum hoc nominatur conjugium. Secundum, causam ejus, quæ est desponsatio, et secundum, hoc vocatur nuptiæ, á nubo, quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita conjugum velantur. Tertium, effectum, qui est proles, et sic dicitur matrimonium (ut August. dicit lib. 19. cap. 26. contra faustum) ex hoc, quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut sit mater. Potest etiam matrimonium, quasi matris munium idest officium, dici, quia fœminis maxime incumbit educandæ prolis officium. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem muniens, quia jam habet mulier, quo defendatur et muniatur, scilicet virum. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem monens, ne virum relinquat alteri adhærens. Vel dicitur matrimonium, quasi materia unius, quia in eo fit conjunctio ad unam prolem materialiter inducendam, et dicatur matrimonium á monos et materia. Vel dicitur matrimonium, ut Isidorus dicit, á matre, et nato, quia per matrimonium mulier efficitur mater nati. Igitur ex his tribus, quæ in matrimonio considerantur, quæ sunt essentia, causa et effectus, convenienter tripliciter nominatur, scilicet conjunctio, nuptiæ et matrimonium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis pater sit dignior, quam mater tamen circa prolem magis officiosa mater est, quam pater. Vel dicendum quod matrimonium magis á muliere denominatur, quia mulier ad hoc principaliter facta est, ut sit homini in adjutorium prolis, non autem vir propter hoc factus est: propter quod magis pertinet ad rationem matrimonii mater, quam pater. Et secundum hæc, dicitur ad maiorem, quod non est necesse quod denominatio semper sit á digniori, sed debet esse ab eo quod est magis de ratione denominati.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut aliquando essentialia cognoscuntur per accidentalia; ita per accidentalia quandoque nominari possunt, cum nomen detur causa rei innotescendæ, et sic matrimonium á nuptiis denominatur, quasi á notioribus.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod aliquando speties nominatur ab eo quod est generis, propter imperfectionem speciei, quando scilicet complete non habet generis rationem: nec tamen aliquid addit, quod ad dignitatem pertineat. Sicut proprium accidentale retinet nomen proprii communis. Aliquando autem species retinet nomen generis, propter ipsius speciei perfectionem, et hoc est quando in aliqua specie continetur complete ratio generis, et non in alia: sicut animal denominatur ab anima, quæ competit animato corpori, quod est genus animalis; sed animatio non invenitur perfecte in animatis, quæ non sunt animalia, puta in plantis. Et hoc accidit in proposito. Dicitur enim matrimonium conjunctio, quia conjunctio viri ad mulierem per matrimonium est maxima, cum sit animarum et corporum.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium convenienter definiatur.

Pro negativa.=Videtur, quod matrimonium inconvenienter definiatur per hoc, quod dicitur, quod matrimonium est viri, mulierisque maritalis conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens.

1. Quia in definitione mariti oportet ponere matrimonium: est enim maritus

qui est mulieri matrimonio junctus. Ergo in definitione matrimonii poni non debet maritalis conjunctio; ne sit circulatio in hujusmodi definitionibus.

2. Per matrimonium, sicut vir efficitur maritus mulieris, ita mulier efficitur uxor viri. Ergo non magis debet dici conjunctio maritalis, quam uxoraria.

3. Consuetudo ad genus moris pertinet. Sed frequenter matrimonio juncti sunt valde moribus diversi. Ergo non debet poni in definitione matrimonii, individuam vitæ consuetudinem retinens.

4. Inveniuntur aliæ definitiones de matrimonio datæ. Quia secundum Aug. lib. 2. de sacram. pars. 11. cap. 4. «Ma« trimonium est duarum idonearum per« sonarum legitimus de conjunctione con« sensus.» Secundum «quosdam» autem, «matrimonium est consortium commu« nis vitæ, et communicatio divini et hu« mani juris.» Ergo prima definitio non est sufficiens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Alex. 3. Papa, scribens Gennensi Archiepiscopo, ut refertur in Decretal. lib. 2. tit. 23. de præsumptionibus cap. Illud quoque, hanc definitionem ponit.

Determinatio.

Conclusio. De matrimonio convenienter dantur tres definitiones. Quarum prima est. Matrimonium est maris et fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens. Altera est. Matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus. Tertia vero. Matrimonium est consortium communis vitæ, et communicatio divini et humani juris.

Manifestatur. quia sicut art. præcedenti in corpore dictum est. In matrimonio tria considerantur, scilicet essentia, causa et effectus. Et secundum hæc, tres de matrimonio definitiones assignantur. Quarum prima tangit essentiam matrimonii, scilicet conjunctionem, et addit determinatum subjectum, in hoc quod dicit, inter legitimas personas. Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem, in hoc quod dicit, maritalis; quia cum matrimonium sit conjunctio ad aliquid unum, talis conjunctio in speciem trahitur per illud, ad quod ordinatur; et hoc est id quod ad maritum pertinet. Ponit etiam vim hujus conjunctionis, quia indissolubilis est, in hoc quod dicit, individuam etc.

Secunda definitio, quam ponit Hug. lib. 2. de Sacram. par. 11. c. 4. Tangit causam, scilicet consensum, et est per se nota.

Tertia tangit effectum, ad quem ordinatur matrimonium, scilicet vitam communem in rebus domesticis. Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur ordinativum istius communicationis, scilicet jus divinum et humanum. Aliæ enim communicationes, ut negotiantium, etc. solo humano jure sunt institutæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquando priora ex quibus debet dari rei definitio, non sunt nota quoad nos, et ideo in aliquorum definitione ponuntur aliqua posteriora, simpliciter, quæ tamen sunt priora quoad nos: sicut in definitione qualitatis ponitur quale. *Qualitas enim est, secundum quam quales dicimur*: ita in definitione matrimonii ponitur maritale tamquam nobis notius. Quando autem in definitione mariti ponitur matrimonium est definitio per priora secundum se.

Ad 2. Dicitur ad consequentiam quod per hanc differentiam, scilicet (maritalis conjunctio) tangitur finis conjunctionis, ut in corp. dictum est. Et quia, ut Apostolus dicit 1. Cor. 11 *Vir non est propter mulierem, sed mulier propter virum;* ideo hæc differentia potius á viro, quam á muliere debet sumi.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod sicut vita civilis non importat actum singularem hujus, vel illius, sed ea quæ ad communicationem civilem pertinent; ita

vita conjugalis nihil aliud est, quam conversatio pertinens ad talem communicationem, et quantum ad hanc vitam semper in conjugibus consuetudo est individua, quamvis possit esse divisa quantum ad actus singulares utriusque.

Ad 4. Jam dictum est quod illæ definitiones omnes sunt sufficientes, etquælibet in suo ordine, naturam matrimonii manifestat.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 134.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, insinuatum merito fuisse á sacris litteris, et Papa, etc. quod in genere conjunctionis est matrimonium. A sacris quidem litteris Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Item prim. Corint. 7. Alligatus es uxori. Item Roman. 6. " Lex in homine dominatur, quanto tempore vivit. Nam, quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. » Ecce; quod nupti dicuntur conjungi, alligari, et matrimonium dicitur lex: ex quo manifeste datur intelligi, quod matrimonium est conjunctio, vinculum, et ligamen. A Papa autem Alexandro III. de praesumpt. Illud, etc. *Cum matrimonium sit maris, et fœminæ conjunctio.* Item Concil. Trident. sess. 24. ubi in prncipio matrimonium vocat nexum, vinculum, copulatio, conjunctio duorum. " Matrimonii inquit, perpetuum, indissolubilemque nexum, etc. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi, etc. » Item a. 27. quaest. 2. in princ. et cap. cum initiatur. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, et scripturarum, pro quanto matrimonium dicunt esse conjunctionem, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, matrimonium merito vocari matrimonium á scripturis 1. Cor. 7. " Igitur, qui matrimonio jungit virginem suam, etc. Item, his qui matrimonio juncti sunt, præcipio, etc. Item Eod. 9. neque matrimonia jungeremus, etc. Item Prov. cum in matrimonio fuerit, etc. Item Eccl. 23. ex alieno matrimonio, etc. Et vocari conjugium Gen. 26. sibi esse sociata conjugio. Item 36. deditque illi in conjugium. Item Deut. 7. nec sociabis cum eis conjugia. Item Tob. 6. conjugium ita suscipiunt. Item, erimus in conjugio nostro. Et vocari nuptias Gen. Optatis potitus nuptiis. Item 5. Tob. 9. nuptiarum convivium exerce. Item Hest. 2. pro conjunctione, et nuptiis. Item Sap. 14. neque nuptias mundas. Item 1. Machab. 9. filii Jambri faciunt nuptias. 2. Machab. 14. nuptias fecit, quiete egit. Marc. 2. non possunt filii nuptiarum. Item Luc. 17. dabantur ad nuptias. Merito etiam vocari conjugium á summis Pontificib. de conver. conjugator. cap. multis. Item vocari matrimonium; de consang. et affinit. de spon. de eo, qui du. in matrimon. qu. poll. de sponsal. et matrim. capitulis multis. » Merito etiam vocari nuptias 35. qu. 8. c. 1. Item á Conciliis passim: quando de hac materia tractant. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta scripturarum, Pontificum, Conciliorum, pro quanto sic nominant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab Alexandro Papa III. ad Genuensem Episcopum: ut recitatur de præsumptionibus. Illud quoque, etc. Verum, quia in hujusmodi dubietate fama viciniæ magis debet attendi, si fama loci habet, quod vir ipsam in lecto, et in mensa, sicut uxorem, tenuerit (cum matrimonium sit maris, et fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens) cogenda est mulier, ut eidem viro affectu serviat conjugali. Ex quo patet et definitio, et quod conjunctio maritalis dicta á Magistro vocatur á Papa conjunctio, et affectus conjugalis. Ex quo etiam videre datur, quod Papa non

omnem conjunctionem approbat pro matrimonio. Hinc damnatas vides, et á definitionibus in articulo possitis damnatas merito ostendere potes hæreses omnes illas enarratas supra qu. 41. art. 3. et qu. 42. art. 3. et 4. et qu. 40. art. 2. append. Vide et in locis ibi allegatis: et maxime contra spurcitias Libertinorum, et falsorum Evangelicorum. *Secundo* habes: quomodo per rationem de ly maritalis, et interimas prædictas hæreses, et dicta Alexandri, pro quanto essentialem definitionem matrimonii asserunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

DE CONSENSU MATRIMONII SECUNDUM SE IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de consensu. Ubi primo agendum est de ipso consensu secundum se considerato. Secundo de consensu juramento, vel carnali copula firmato. Tertio de consensu coacto, et conditionato. Quarto de objecto consensus.

Circa primum quæruntur quinque.

Primo, utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.

Secundo, utrum consensum oporteat per verba exprimi.

Tertio, utrum consensus expressus per verba de futuro faciat matrimonium.

Quarto, utrum consensus per verba de præsenti expressus, si desit interior consensus, exterius faciat verum matrimonium.

Quinto, utrum consensus in occulto factus per verba de præsenti faciat matrimonium.

ARTICULUS I.

Utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.

Pro negativa. = Videtur quod consensus non sit causa efficiens matrimonii.

1. Illud quod est ab humana voluntate, non est causa matrimonii. Sed consensus ad humanam pertinet voluntatem. Ergo consensus non est causa matrimonii.

Minor prob., quia sacramenta non sunt á voluntate humana, sed á divina institutione.

2. Matrimonium nihil aliud esse videtur, quam consensus. Ergo matrimonium non causatur á consensu.

Anteced. prob. quia consensus ipse conjunctionem significat.

Conseq. prob., quia idem non est causa sui ipsius.

3. Unius debet esse una causa. Sed matrimonium inter duos est unum, consensus autem duorum, scilicet viri in mulierem, et mulieris in virum, sunt diversi, scilicet á duobus, in duos. Ergo mutuus consensus non est causa matrimonii.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Chrysost. dicit Hom. 32. oper. imperf. in Mat. et in decret. lib. 27. q. 2. c. 2. et 5. et l. nuptias H. de reg. ju. quod *matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

2. Unus non accepit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per ejus consensum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius: ut patet 1. Cor. 7. cum prius uterque liberam sui corporis potestatem haberet. Ergo consensus facit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Consensus est causa efficiens matrimonii.

Prob. Illud quod est causa matrimonialium contractuum, est etiam causa matrimonialis conjunctionis. Sed mutuus

consensus est causa matrimonialium contractuum. Ergo mutuus consensus est causa etiam matrimonialis conjunctionis.

Maior manifest. præmittendo quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione, quæ spiritualem operationem significat et efficit. Sicut in baptismo est ablutio corporalis et spiritualis, quæ fit et significatur per ablutionem corporalem. Unde in matrimonio, ut est sacramentum, invenitur hæc duplex operatio, scilicet conjunctio materialis, secundum quod est officium naturæ et civilis vitæ: et conjunctio spiritualis, quæ mediante corporali fit divina virtute. Illud igitur quod est causa matrimonialium contractuum, per quos contractus materialis conjunctio fit, est etiam causa matrimonialis conjunctionis, quæ est ipsum matrimonium. Et sic patet maior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod prima causa sacramentorum est divina virtus quæ in eis operatur salutem. Sed causæ secundæ sive instrumentales sunt materiales operationes ex divina institutione efficaciam habentes: et sic consensus est causa matrimonii.

Ad 2. Negatur antecedens: matrimonium enim non est ipse consensus, sed est quædam unio ordinatorum ad unum, ut dictum est qu. præced. art. 1. Ad probationem dicitur, quod nec consensus (proprie loquendo) conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem Christi, qua factum est ut Ecclesiæ conjungeretur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod matrimonium est unum ex parte ejus in quod fit conjunctio, quamvis sit multiplex ex parte conjunctorum. Sic etiam consensus est unus ex parte ejus in quod consentitur, scilicet conjunctionis, et multiplex ex parte consentientium: consensus enim viri non est in mulierem, nec mulieris in virum, sed in ipsam conjunctionem: uterque enim consentit in conjunctionem cum altero: maritus enim consentit in conjunctionem sui cum uxore, et é converso: et sic consensus ex parte ejus in quod consentitur, est unus.

ARTICULUS II.

Utrum oporteat consensum exprimi per verba.

Pro negativa. = Videtur quod non oporteat consensum exprimi per verba.

1. Votum obligat quoad Deum, etiamsi non exprimatur verbis. Ergo et consensus facit obligationem matrimonii, etiam sine expressione verborum.

Conseq. prob., quia sicut per matrimonium redigitur homo in potestatem alterius, ita per votum.

2. Matrimonium potest esse inter aliquos qui suum consensum sibi mutuo exprimere non possunt, quia sunt muti vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensus per verba non requiritur ad matrimonium.

3. Si omittatur illud quod est de necessitate sacramenti, quacumque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo casu est matrimonium sine expressione verborum: sicut quando puella tacet præ verecundia, parentibus eam viro tradentibus. Ergo expressio verborum non est de necessitate sacramenti matrimonii.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In omni sacramento requiritur aliquod sensibile signum. Sed matrimonium est sacramentum quoddam. Ergo in matrimonio oportet esse aliquod sensibile signum, quæ sunt verba exprimentia consensum.

2. In quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se invicem homines obligent. Sed matrimonium est contractus inter virum et mulierem. Ergo in matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.

Determinatio.

Conclusio. Oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimatur.

Prob. Materiales contractus non possunt fieri nisi sibi invicem voluntatem suam, qui contrahunt, verbis promant. Sed conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus, ut articulo præcedenti dictum est. Ergo oportet etiam quod consensus matrimonium faciens, verbis exprimatur, ut expressio verborum se habeat ad matrimonium, sicut ablutio se habet ad baptismum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sicut in matrimonio, sed spiritualis tantum: et ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum, ad hoc quod obliget, sicut fit in matrimonio.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quamvis tales non possint vota sua verbis mutuo exprimere ; possunt tamen exprimere nutibus, et tales nutus pro verbis computantur, ut habetur in Dec. lib. 4. tit. 1. cap. 23.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod sicut dicit Hugo de Sancto Victore in Sent. tract. 7. cap. 6. Eos qui conjunguntur, sic oportet consentire, ut invicem se spontanee recipiant: quod judicatur fieri si in desponsatione non contradicant. Unde verba parentum computantur in casu illo, ac si essent puellæ, sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus ex quo non contradicit.

ARTICULUS III.

Utrum consensus expressus per verba de futuro faciat matimonium.

Pro affirmativa.=Videtur quod consensus expressus per verba de futuro, faciat matrimonium.

1. Sicut se habet præsens ad præsens, ita futurum ad futurum. Sed consensus per verba de præsenti expressus facit matrimonium de præsenti. Ergo consensus expræssus per verba de futuro, facit matrimonium in futuro.

2. In aliis civilibus contractibus non differt, utrum per verba de præsenti vel de futuro obligatio fiat. Ergo nec in matrimonio differt, an fiat obligatio per verba de præsenti vel de futuro.

Conseq. prob., quia sicut in matrimonio fit quædam obligatio per verba exprimentia consensum; ita et in aliis civilibus contractibus.

3. Votum religionis fit per verba de futuro, et obligat. Ergo potest fieri etiam matrimonium per verba de futuro.

Conseq. prob., quia per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ille qui consentit in aliquam per verba de futuro, et postea cum alia per verba de præsenti contrahit, secundum jura debet habere secundam pro uxore: quod non esset, si consensus per verba de futuro faceret matrimonium: ex quo enim verum est matrimonium cum una, ea vivente, non potest contrahi cum alia. Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium.

2. Ille qui promittit aliquid se facturum, nondum facit illud. Sed qui consentit per verba de futuro, promittit se cum aliqua contracturum matrimonium. Ergo adhuc non contrahit cum illa.

Determinatio.

Conclusio. Consensus expressus per verba de futuro non facit matrimonium, sed solum sponsalia.

Prob. Cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum. Ergo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed facit sponsionem ejus quæ sponsalia nominatur.

Conseq. prob., quia causæ sacramentales significando efficiunt: unde hoc efficiunt quod significant. Quia igitur consensus per verba de futuro expressus non significat matrimonium in præsenti, sed solum in futuro faciendum;

ideo non facit, sed solum spondet matrimonium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior in proposito: nam cum consensus exprimitur per verba de præsenti, et verba sunt præsentia, et in præsens consentitur pro eodem tempore. Quando autem consensus fit per verba de futuro, verba sunt præsentia, sed consentitur in futurum, et ideo non pro eodem tempore. Et propterea verum est quod præsens se habet ad præsens, sicut futurum ad futurum: tamen non ita se habent ea quæ fiunt in præsens ad præsens, sicut quæ fiunt in præsens, quæ tamen fiunt in ordine ad futurum.

Ad 2. Dicitur ad antec., quod etiam in aliis contractibus ille qui verbis futuris utitur, non transfert potestatem rei suæ in alterum, ut si dicat: dabo tibi; sed solum hoc facit quando verbis præsentibus utitur, et dicit: do tibi, etc.

Ad 3. Dicitur ad conseq. quod in voto professionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, scilicet obedientia vel observantia regulæ et non ipsum matrimonium spirituale. Si autem spirituale matrimonium in futurum voveatur, non est matrimonium spirituale, quia nondum ex hoc aliquis est monachus, sed se futurum monachum pollicetur. Negatur etiam conseq. quia non est eadem ratio de voto, et de matrimonio, ut dictum est quæst. 35. artic. ult.

ARTICULUS IV.

Utrum consensus per verba de præsenti expressus, si desit interior consensus, faciat matrimonium.

Pro affirmativa.=Videtur quod consensus, etiam per verba de præsenti expressus, si desit interior consensus, faciat matrimonium.

1. Fraus et dolus nemini debet patrocinari, secundum jura. Sed ille, qui verbis exprimit consensum, quem in corde non habet, dolum committit. Ergo non debet sibi patrocinari, ut per hoc ab obligatione matrimonii liber reddatur.

2. Si interior consensus requiritur in utroque conjugum, et non sufficit verborum expressio, tunc neuter poterit scire de altero, an sit ei vere conjux: et ita erit fornicator, quandocumque matrimonio utetur.

Conseq. prob. quia consensus alterius non potest esse alicui notus, nisi quatenus exprimitur per verba.

3. Si probet aliquem consensisse in aliquam per verba de præsenti, cogitur per communicationis sententiam, eam habere in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse, etiam si postea cum alia contraxerit, consensu mentali verbis expresso. Quod non fieret, si consensus mentalis requireretur ad matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Innocentius 3. dicit in quadam Decret. quæ refertur de sponsal. et matrim. c. Tua nos. lib. 4. decret. tit. 1. cap. 26. de sponsal. et matrim. *Sine consensu, nequeunt cætera fœdus perficere conjugale.*

2. In omnibus sacramentis requiritur intentio. Sed ille, qui corde non consentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi. Ergo sine consensu non fit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Expressio verborum, sine interiori consensu, non facit matrimonium.

Prob. Sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad sacramentum matrimonii, ut art. 2. dictum est. Sed si aliquis ablutionem exteriorem baptismi reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus. Ergo expressio verborum, sine interiori consensu, matrimonium non facit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod in eo, qui verbis exprimit consensum quem in corde non habet, duo sunt. Scilicet defectus consensus et dolus verborum. Primum patrocinatur sibi in foro conscientiæ, ut non astringatur vinculo matrimonii, quamvis non patrocinetur sibi in foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundum allegata. Dolus autem non patrocinatur sibi in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ, quia in utroque pro dolo punitur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod si desit consensus mentalis ex parte unius ex neutra parte est matrimonium. Quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, et dictum est in art. 1. quæst. præced. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi evidentia signa doli appareant. Quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Unde ille, ex cujus parte dolus non est, á peccato per ignorantiam excusatur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia Ecclesia judicat secundum ea quæ foris apparent, nec decipitur in justitia, sive jure, quamvis decipiatur in facto. Ille tamen potius debet excommunicationem sustinere, quam ad primam accedere. Vel debet in alias regiones remotas fugere.

ARTICULUS V.

Utrum consensus in occulto factus, per verba de præsenti, faciat matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod consensus in occulto factus, per verba de præsenti, non faciat matrimonium.

1. Res in potestate alicujus existens, non transfertur in potestatem alterius, nisi consentiente illo, in cujus potestate erat. Sed puella erat in potestate patris. Ergo non potest per matrimonium transire in potestatem viri, nisi patre consentiente. Et ita si fiat in occulto, et consensus etiam per verba de præsent sit expressus, non erit matrimonium.

2. Sacramentum pœnitentiæ non perficitur, nisi mediantibus Ecclesiæ ministris, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium perfici potest in occulto, absque sacerdotali benedictione.

Conseq. prob., quia sicut in matrimonio, actus noster est quasi de essentia sacramenti, ita etiam in pœnitentia.

3. Sacramentum quod prohibetur ab Ecclesia fieri in occulto, non potest fieri in occulto. Sed clandestina matrimonia ab Ecclesia fieri prohibentur, extra. lib. 4. c. 3. Ergo matrimonia non possunt fieri in occulto.

Maior prob., quia baptismus, qui potest in occulto et in aperto fieri, non prohibetur ab Ecclesia fieri in occulto.

4. Inter eos, qui in secundo gradu sibi attinent, matrimonium contrahi non potest: quia hoc Ecclesia prohibuit, in decret. extra. lib. 4. tit. 14. de consang. et aff. c. 8. Non debet. Ergo nec matrimonia clandestina vera sunt, quia ea Ecclesia prohibuit, loc. cit. in tertio argumento.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Posita causa, ponitur effectus. Sed causa sufficiens matrimonii est consensus per verba de præsenti expressus. Ergo siva fiat in publico, sive in occulto, erit verum matrimonium.

2. Ubicumque est debita materia et debita forma sacramenti, ibi est sacramentum. Sed in occulto matrimonio servatur debita materia, quia ibi sunt legitimæ personæ ad contrahendum; et debita forma, quia ibi sunt verba de præsenti consensum exprimentia. Ergo ibi est verum matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Consensus in occulto factus, per verba de præsenti, facit matrimonium; tamen in occulto contrahentes peccant.

Prob. Quotiescumque observantur ea quæ sunt de essentia matrimonii, etiam non servatis quæ sunt de solemnitate, fit verum matrimonium. Sed quando adest consensus per verba de præsenti inter contrahentes, observantur ea quæ sunt de essentia matrimonii. Ergo tunc fit verum matrimonium.

Maior manifestatur. Nam in matrimonio, sicut et in aliis sacramentis, quædam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis nullum est sacramentum, ut sunt in baptismo ablutio et forma verborum. Quædam vero ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis nihilominus perficitur sacramentum, quamvis peccet qui sine causa illa omittit, ut chatechismus et exorcismus in baptismo. Verum est igitur quod si serventur ea quæ sunt de essentia matrimonii, fit verum matrimonium.

Minor manifestatur, quia ea quæ sunt de essentia sacramenti matrimonii, sunt consensus expressus per verba de præsenti inter legitimas personas ad contrahendum. Alia autem omnia non sunt de necessitate sacramenti, sed de solemnitate; quia ad hoc solum adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.

Sciendum tamen quod Concil. Trid. sess. 24. de reform. matrimonii cap. 1. decernit irritos et nullos contractus matrimonii cladestini, redditque quoscumque ad sic contrahendum inhabiles, his verbis. Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. Unde ad contrahendum verum matrimonium, post Concil. Trid. non sufficit consensus per verba de præsenti expressus, sed insuper necessaria est parochi et testium præsentia, coram quibus sit consensus expressus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod puella non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad hoc ut educetur, et ideo secundum hoc quod est libera, potest se in potestatem alterius, absque patris consensu dare. Sicut etiam potest aliquis religionem aliquam intrare, absque consensu parentum, cum sit libera persona.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non eodem modo actus noster est de essentia pœnitentiæ, sicut in matrimonio. Quamvis enim actus noster in pœnitentia sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem á peccatis, et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. In matrimonio autem actus nostri sunt sufficiens causa ad inducendum proximum effectum qui est obligatio: quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare. Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti.

Ad 3. Dicitur quod argumentum hoc post concilii decretum, verum concludit. Reddit enim personas inhabiles ad contrahendum, sicut sunt inhabiles personæ in gradu prohibito conjunctæ. Tamen ante hoc decretum poterat negari maior. Ad prob. dicitur, quod etiam baptismus prohibetur accipi ab alio quam á sacerdote, nisi in necessitatis articulo; et tamen si ab alio detur, est verum sacramentum, quia baptismus est sacramentum necessitatis: sed quia matrimonium non est sacramentum necessitatis, in nullo casu potest licite fieri in occulto.

Ad 4. Dicitur quod etiam hoc argumentum verum concludit nunc. Et robo-

ratur, quia sicut nullum est matrimonium inter personas in gradibus prohibitis conjunctas, propter hoc quod Ecclesia prohibuit, nec consensus aliquid facit inter hujusmodi personas; ita inter contrahentes occulte non fit matrimonium, etiam si consensus sit expressus per verba de præsenti, non ex defectu consensus, sed ex defectu contrahentium, qui sunt inhabiles ad sic contrahendum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 135.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Conciliis et summis Pontificibus, quod consensus est causa efficiens matrimonii. Insinuatum autem est hoc á Concil. Floren. in decr. Eugenii IV. Armenis dato, quando ait de sacramentis loquens; " Septimum est sacramentum matrimonii, etc. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Ubi ly regulariter non cadit super consensum, sed super expressionem consensus per verba. Quasi dicat. Consensus est semper causa efficiens matrimonii: sed, quod exprimatur per verba, hoc non semper est; sed regulariter tantum. Potest enim exprimi quandoque per aliquod æquivalens verbis, ut infra art. 2. ad 2. et 3. Item Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. " Dubitandum non est, matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant. Et infra. Parochus, viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicat: ego vos in matrimonium conjungo, etc. » Ubi nota ly mutuo, pro confirmatione qu. 47. art. 4. quod scilicet consensus in matrimonium non debet claudicare, facit etiam ad appen. ibi positam. Item á Papa Alexandro III. ad Papiensem Episcopum. « Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et, ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus: ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire. » Hæc ille de sponsalibus, et matrimonio. Item ab Innocentio III. ab Episcopum Brixiensem titulo eodem. " Tuæ fraternitati, etc. Respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, et mulieris consensum. Hæc ibi per ly in veritate intellige, quod consensus est de substantia matrimonii. Item ab eodem ibidem: " Tua nos duxit, etc. Non debes ex illo facto conjugium judicare, quoniam ex altera parte defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto consensum mutuum dicunt esse causa matrimonii, et intelligas, et probes, et tuearis *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem rejicias errorem Joan. Wicleff, et abbatis Panorm. (ut refert Joseph Angles lib. Flores quæst. Theologic. tit. de essentialib. matrim. dist. 27. art. 2.) dicentium, ad matrimonium, sive nuptias contrahendas sufficere consensum solum internum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc merito reprobari á Concil. Florent. quod ad litteram ponitur art. 1. append. Item á Concil. Trident. sess. ut ibid. Item, et clarius, ab Innocentio III. ad Episcopum Brixiensem scribente sic: " Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti. Hæc ille de spons. et matrimon. cap. Tuæ. Vide in his sensum Innocentii infra art. 5. exam. immediate ante ad 1. Item ab eod. ibid. " Cum apud, etc. Consuluisti nos, utrum mutus, et sur-

dus, alicui possint matrimonialiter copulari. Respondemus, quod, si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari: cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare. » Unde patere potest, quod ultra consensum requiruntur verba, sive aliquid verbis æquivalens. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto verba esse necessaria pro consensu exprimendo ad matrimonium insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum fuisse á summis Pontificibus, quod verba de futuro exprimentia consensum non faciunt matrimonium: sed tantum verba de præsenti. Insinuatum autem de hoc á Gregorio IX. de sponsalibus, et matrimonio. " Si inter virum, et mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita, quod unus alterum mutuo consensu verbis expresso recipiat, sive sit juramentum interpositum, sive non: non licet alteri ad alia vota transire. Quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet, et primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, idest: ego te recipiam in meam, et, ego te in meum, sive similia verba: si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit, etiamsi inter ipsam, et primum intervenerit juramentum de futuro, secundum matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei pœnitentia injungenda. » Ecce, quod consensus expressus per verba de futuro non faciunt matrimonium, sed tantum sponsalia, secundum Papam. Alioquin tales consensum sic exprimentes non separentur per sequens matrimonium. Faciunt etiam antedicta Pontificis verba pro appendice articuli præcedentis. Item ibidem ab eod. " Adolescens, qui desponsatam sibi per verba de futuro (licet sæpe nisus fuerit) carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de præsenti contraxit: non primam, cum qua non fuit verum matrimonium, sed secundam debet habere uxorem. » Item ab Innoc. III. in tit. eodem, cap. Sicut ex litteris. Ibi enim dicit idipsum, quod Gregorius. Item á Papa Urbano ad Eberardum Paduanum. " Si primus vir, et mulier pari consensu de præsenti sese receperint, ipsa debet primo restitui, cum nec potuerit, nec debuerit, post talem consensum alii nubere. Si vero consensus talis inter eos non intercesserit sub illis verbis, quæ diximus, nec carnalis copula: secundo viro, qui eam postea traduxit, atque cognovit, mulier ipsa debet relinqui. » Hæc ille, par. 6. cap. 22. post Concilium Lateran. sub Alexandro III. Faciunt etiam hæc, pro verbis necessario exprimendis, ad art. 2. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto verba de futuro insinuant non facere matrimonium, et intelligas et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab Innocentio III. de sponsalib. et matrimon. cap. Tua nos, etc. " Cum quamdam mulierem quidam aliter inducere nequivisset, ut sibi commisceretur carnaliter, nisi desponsasset eamdem, nulla solemnitate adhibita, vel alicujus præsentia dixit illi: te Joannes desponsat, cum ipse Joannes non vocaretur, sed finxit, se vocari Joannem, non credens esse conjugium, eo, quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem. Utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum, cum mulier consenserit in eumdem, et ille dissenserit, et dissentiat. Dicimus, quod si ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium, valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. » Item á Concil. Florent. etc. ut art. 1. append. de consensu. Item á Concilio Tridentino, etc. ut ibi, et sess. 7. de sacram. can. 11. " Si quis dixerit: in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. » Dic tu etiam, á simili, tale quid circa requisitionem

intentionis recipientium, ut patet per eumdem Innocentium, quando loquitur de adultis in de baptis. et ejus effect. cap. Majores. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto consensum exteriorem sine interiori insinuant non facere matrimonium, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem aliquorum, ut ex Concil. Trid. patebit, dicentium, quod matrimonia in occulto facta non sunt valida. Intellige semper; antequam illegitimentur personæ ab Ecclesia. Putabant siquidem illi errantes, ut credi potest probabiliter, quod consensum fieri in manifesto, esset de necessario requisitis ad matrimonium, quod tamen est falsum, juxta Concil. etiam Florent. et in decr. de sacram. dicens, quod sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, materia, forma, et persona ad sacramentum concurrente, et vestita intentione Ecclesiæ. De hac intentione Ecclesiæ vide qu. 48. art. 2. ad 3. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito damnari ab Alexand. III. de sponsal. et matrimon. cap. Ex parte, etc. " And. juramentum præstitit, quod C. mulierem ab eo tempore pro conjunge teneret, et ei sicut uxori suæ fidem servaret. Ipsa quoque eidem And. juravit, se illum pro marito habituram et fidem ei tamquam proprio viro servaturam. Quo facto prænominatus And. reliquit eamdem. Mandamus: quatenus eumdem And. ut (superinducta dimissa) ad uxorem suam redeat, et eam maritali affectione pertractet, monitione præmissa per Ecclesiasticam censuram cogatis. » Hæc ibi; ubi nota ly superinducta dimissa, quod iste And. aliam in aperto uxorem superinduxerat, quasi quod consensus in occulto cum prima non causasset verum matrimonium, cujus contrarium ostendit Pontifex. Item a. 32. qu. 1. dixit: de divor. cap. Ex litteris. Item á Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. " Tametsi dubitandum non est: clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, quia ea vera, ac rata esse negant: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. » *Et ad plurima tollenda incommoda hujusmodi clandestinorum matrimoniorum subdit*: " Cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent: præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt: præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, etc. Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annulat. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto consensum in occulto factum per verba de præsenti dicunt facere matrimonium, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SEXTA,

DE CONSENSU CUI ADVENIT JURAMENTUM VEL COPULA CARNALIS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de consensu cui advenit juramentum, vel copula carnalis.

Circa quod quæruntur duo.

Primo, utrum juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresso faciat matrimonium.

Secundo, utrum copula carnalis eidem consensui adveniens faciat matrimonium.

ARTICULUS I.

Utrum juramentum adjunctum consensui, per verba de futuro expresso, faciat matrimonium.

Pro affirmativa. = Videtur, quod juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresso, faciat matrimonium.

1. Nullus potest se obligare ut faciat contra jus divinum. Sed implere juramentum est de jure divino. Dicitur enim Matt. 5. *Reddes autem Domino vota tua.* Ergo per nullam obligationem sequentem potest evenire quod homo non debeat implere juramentum prius factum. Si ergo aliquis, post consensum in aliquam, per verba de futuro juramento firmatum, se obliget alteri per verba de præsenti, videtur quod nihilominus debeat primum juramentum servare: quod non esset, nisi per illum consensum matrimonium fuisset perfectum. Ergo juramentum adjunctum consensui, facit matrimonium.

Aliter. Si aliquis, post consensum in aliquam, per verba de futuro expressum, juramento firmatum, cum alia contrahit per verba de præsenti, adhuc tenetur servare juramentum, accipiendo illam priorem in uxorem, sicut se facere velle juravit. Ergo juramentum illud facit matrimonium.

Antecedens prob. quia implere juramentum est de jure divino, ut patet Matt. 5.

2. Verba exprimentia consensum de præsenti, in quibus est sola veritas humana, matrimonium perficiunt. Ergo multo magis id efficiunt verba de futuro, juramento firmata.

Conseq. prob., quia veritas divina, quæ per juramentum exprimitur, fortior est, quam veritas humana.

3. Secundum Apost. ad Heb. 6. *Omnis controversia finis, est juramentum.* Ergo in judicio saltem, plus standum est juramento, quam simplici verbo; et ita si aliquis simplici verbo consentiat in aliquam, per verba de præsenti, postquam consensit in aliam per verba de futuro jurata, videtur quod judicio Ecclesiæ debeat compelli stare cum prima, et non cum secunda.

4. Verba de futuro simpliciter prolata faciunt sponsalia. Ergo addito juramento faciunt matrimonium.

Conseq. prob., quia juramentum aliquid ibi operatur. Ergo facit plus quam sponsalia, sed ultra sponsalia nihil est aliud, quam matrimonium. Unde faciunt matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod est futurum, non est. Sed juramentum additum non facit quin verba de futuro significent consensum de futuro. Ergo adhuc non est matrimonium.

2 Postquam perfectum est matrimonium, non oportet quod alius consensus interveniat ad matrimonium faciendum. Sed post juramentum firmans verba de futuro, advenit alius consensus qui matrimonium facit: alias frustra juraretur illud esse futurum. Ergo consensus per verba de futuro expressus, etiam firmatus juramento, non facit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Juramentum adjunctum consensui expresso per verba de futuro, non facit matrimonium.

Prob. Verba de futuro ex ipsa sua significatione habent quod matrimonium non faciant: quia quod futurum promittitur, nondum fit. Ergo etiam si juramentum adveniat, nondum est matrimonium factum.

Conseq. prob., quia juramentum adhibetur ad confirmationem dictorum. Unde illud tantum confirmat quod in dictis significatur, nec mutat significatum. Juramentum igitur additum verbis significantibus aliquid futurum, non fa-

cit illud esse præsens, sed futurum confirmat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod implere juramentum licitum est de jure divino, non autem est de jure divino implere juramentum illicitum. Unde si aliqua obligatio sequens juramentum, faciat illud illicitum, cum prius esset licitum, non derogat juri divino, qui juramentum prius factum non servat. Et ita in proposito, quia consensus sequens per verba de præsenti, quo quis transfert dominium sui corporis in aliam, facit præcedens juramentum esse illicitum quod prius erat licitum, et ideo non potest amplius licite observari.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod veritas divina efficacissima est ad firmandum illud, cui adhibetur. Unde magis tenetur quis servare consensum de futuro cum juramento, quam sine juramento. Sed tamen magis sunt servanda verba de præsenti sine juramento, quam futura cum juramento.

Ad 3. Eodem modo dicitur.

Ad 4. Dicitur ad conseq. quod juramentum facit aliquid amplius, non quidem novam obligationem, sed factam magis confirmat. Et sic gravius peccat, qui eam violat.

ARTICULUS II.

Utrum carnalis copula post verba de futuro, consensum exprimentia, faciat matrimonium.

Pro affirmativa.=Videtur quod carnalis copula, post verba de futuro exprimentia consensum, faciat matrimonium.

1. Maius est consentire facto, quam verbo. Sed Ille qui post promissionem per verba de futuro carnaliter commiscetur, facto consentit promissioni quam prius fecerat. Ergo videtur, quod multo magis per hoc fiant matrimonium, quam si solis verbis de præsenti consensus fieret.

2. Consensus, non solum expressus, sed etiam interpretativus, facit matrimonium. Sed carnalis copula est magna consensus interpretatio. Ergo per carnalem copulam fit matrimonium.

3. Omnis conjunctio carnalis præter matrimonium facta, est peccatum. Sed mulier admittens sponsum ad carnalem copulam, non videtur peccare. Ergo per hoc fit matrimonium.

4. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablutum*, ut habetur causa 14. q. 6. c. 1. ex D. Aug. epist. 54. et ad Macedonium. Sed aliquis non potest mulieri, quam defloravit sub specie matrimonii, restituere ablatum, nisi eam conjungio ducat. Ergo videtur, quod etiam si post carnalem copulam cum una, contraxerit cum alia per verba de præsenti, teneatur ad primam redire; quod non esset, nisi inter eos per carnalem copulam factum fuisset matrimonium. Ergo carnalis copula post consensum de futuro facit matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra

1. Dicit Nicolaus Papa, et refertur 27. q. 2. c. Sufficiat et in Decretal. lib. 4. tit. 4. De spons. duor. c. 5. « Tuas « dudum. Si consensus in nuptiis defue- « rit, cætera etiam cum ipso coitu cele- « brata, frustrantur. »

2. Quod consequitur ad aliquid, non facit illud. Sed carnalis copula sequitur ipsum matrimonium, sicut effectus causam. Ergo non potest facere matrimonium.

Determinatio.

Distinctio. De matrimonio possumus loqui dupliciter. Uno modo, quantum ad forum conscientiæ. Alio modo, quantum ad judicium Ecclesiæ.

1.ª Conclusio. Carnalis copula non habet quod perficiat matrimonium, quantum ad forum conscientiæ, cujus sponsalia præcesserunt per verba de futuro, si consensus interior desit.

Manifest. quia verba, etiam de præsenti, consensum exprimentia, si consen-

sus mentalis deest, non faciunt matrimonium, ut dictum est art. 4. præced. quæst. Ergo multo minus copula carnalis, deficiente consensu interiori, potest facere matrimonium; cujus sponsalia præcesserunt per verba de futuro.

2.ª Conclusio. Carnalis copula consequens sponsalia quantum ad judicium Ecclesiæ, matrimonium facere judicatur, nisi aliqua signa expressa, doli, vel fraudis appareant.

Manifest. quia in exteriori judicio, secundum ea quæ foris patent, judicatur. Et cum nihil possit expressius significare consensum, quam carnalis copula; ideo secundum judicium Ecclesiæ, talis copula carnalis matrimonium facere judicatur, ut patet extra lib. 4. decret. tit. 1. cap. 30.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit in carnalem copulam secundum rei veritatem, sed in matrimonium non consentit, ex hoc ipso quod consentit in carnalem copulam, nisi secundum interpretationem juris.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod interpretatio illa non mutat rei veritatem, sed est legitima secundum exterius judicium.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod si sponsa admittat sponsum, credens eum velle matrimonium consummare, excusatur á peccato, nisi aliqua expressa signa fraudis appareant; sicut si sint multum distantis conditionis, quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam, vel aliud signum evidens appareat. Peccat tamen sponsus fornicando, et puniendus est de fraude quam fecit.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod in casu, quo aliquis defloravit aliquam sub specie matrimonii, tenetur eam ducere, si postea cum alia per verba de præsenti non contraxerit. Si tamen sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam postea duxit, factus est jam impotens, adsolvendum illud ad quod tenebatur; et ideo sufficit si ei de nuptiis provideat; et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod evidens fraudis signum fuerit, quia probabiliter præsumi potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 136.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas; recte insinuatum fuisse á summis Pontificibus, quod sponsalia de futuro jurata non faciunt matrimonium. Insinuatum autem de hoc á Papa Lucio III. ad Episcopum Rappalensem. Requisivit á nobis tua fraternitas: qua censura debeat compelli mulier, quæ nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit. Ad quod respondemus, quod, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda. Hæc ille, de sponsal. et matrimon. Nota ly potius, quam cogenda: quoniam per hoc ostendit, quod supra diximus. Nam, si juramentum tunc causaret matrimonium, non tantum cogenda esset qualitercumque, sed etiam Ecclesiastica censura, ut patet ibi á simili per Alexand. III. cap. Ad audientiam, et cap. Ex parte. Item ab Innocentio III. ibid. sicut ex litteris, etc. Respondemus, quod, si tibi contiterit, quod idem Laurentius P. per verba de futuro, E. vero desponsaverit per verba de præsenti, imposita ei pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, matrimonium secundo

contractum legitimum judices, et ad illud servandum compellas eumdem. » Ubi præmiserat Innocen. quod in desponsatione prima, scilicet P. mulieris intervenerat juramentum firmans sponsalia. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa Pontificum, pro quanto juramentum dicunt non facere, quod sponsalia de futuro faciant matrimonium, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Pontificibus, et quod carnalis copula subsequens sponsalia facit matrimonium, et quod non facit. A Gregorio enim IX. in de sponsal. et matrim. dicitur: " Is, qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta: etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam, et cognoscat, ad primam redire tenetur; quia nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsequutum. » A Nicolao autem insinuatum, etc. ut in arg. 1. facto in contrarium; vide 27. qu. 2. cap. Sufficiat. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Ponificum, pro quanto sponsalia transire: et non transire in matrimonium sentiunt per carnalem copulam subsequutam, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA,

DE CONSENSU COACTO, ET CONDITIONATO, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de consensu coacto, et conditionato.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum aliquis consensus possit esse coactus.

Secundo, utrum aliqua coactio metus cadat in constantem virum.

Tertio, utrum consensus coactus tollat matrimonium.

Quarto, utrum consensus coactus faciat matrimonium ex parte cogentis.

Quinto, utrum consensus conditionatus matrimonium faciat.

Sexto, utrum aliquis possit cogi á patre ad matrimonium contrahendum.

ARTICULUS 1.

Utrum aliquis consensus possit esse coactus.

Pro negativa.=Videtur quod nullus consensus possit esse coactus.

1. Actus liberi arbitrii non potest esse coactus. Sed consensus est actus liberi arbitrii. Ergo nullus consensus potest esse coactus.

Maior prob., quia coactio in lib. arb. cadere non potest, secundum aliquem statum ejus.

2. Illud, cujus principium est intra, non potest esse coactum. Sed principium consensus est intra. Ergo consensus non potest esse coactus.

Maior prob., quia violentum quod idem est quod coactum, est cujus principium est extra, nihil conferente vim passo.

3. Illud, quo perficitur peccatum, non potest esse coactum. Sed consensus est, quo perficitur peccatum. Ergo consensus non potest esse coactus.

Maior prob., quia secundum Aug. lib 3. de lib. arb. cap. 18. *Nullus peccat in eo quod vitare non potest.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod esse non potest, non potest aliquid impedire. Sed *coactio consensus potest matrimonium impedire*, ut dicit magister in 4. lib. Sent. dist. 29. Ergo consensus potest esse coactus.

2. In contractibus potest esse voluntas coacta. Sed matrimonium est quidam contractus. Ergo etiam in matrimonio potest esse consensus coactus.

Maior prob., quia propter hoc legislator in integrum restitutionem adjudicat, ratum non habens quod vi metusque causa factum est.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est coactio, vel violentia. Una, quæ facit necessitatem absolutam, et tale violentum dicitur á Phil. 3. Ethic. c. 1. violentum simpliciter: ut cum quis aliquem corporaliter impellit ad motum. Alia est, quæ facit necessitatem condicionatam, et hanc vocat Phil. violentum mixtum; sicut cum quis projicit merces in mare, ne periclitetur; et in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se voluntarium, tamen consideratis circumstantiis, hic et nunc voluntarium est. Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium. De quibus abunde dictum est 1. 2. quæst. 6.

1.ª Conclusio. Consensus non potest esse violentus simplicite.

Hanc probant tria argumenta facta pro negativa.

2.ª Conclusio. Consensus potest esse coactus secundum quid.

Hanc probant duo argumenta facta pro affirmativa. Et per hoc patet responsio ad objecta.

ARTICULUS II.

Utrum aliqua coactio cadat in constantem virum.

Pro negativa. =Videtur quod coactio metus non cadat in constantem virum.

1. In eo, de cujus ratione est, quod non trepidet in periculis, non cadit coactio metus. Sed de ratione constantis est, quod non trepidet in periculis. Ergo in constantem virum non cadit coactio metus.

Maior prob., quia metus est trepidatio mentis, ratione periculi imminentis.

2. In his, qui non coguntur morte, non potest cadere coactio metus. Sed constantes non coguntur morte. Ergo nullus metus cadit in constantem virum.

Maior prob., quia *omnium terribilium finis est mors, quasi perfectissimum inter terribilia*, ut dicitur 3. Ethic. cap. 6. Minor prob., quia etiam fortis pericula mortis suscipit.

3. Timor infamiæ non reputatur timor cadens in constantem virum. Ergo nec aliquis alius metus cadit in constantem virum.

Anteced. prob., quia Lex dicit, Dig. vet. lib. 4. tit. 2. leg. 7. *Timor infamiæ non continetur illo edicto, quo metus causa factum est.*

Conseq. prob., quia inter alia pericula, præcipue á bonis, famæ periculum timetur.

4. In eum, cujus est nullum peccatum etiam minimum pro aliquo timore admittere, nullus cadere potest metus. Sed non est constantis, aliquod peccatum, etiam minimum pro aliquo timore admittere. Ergo in constantem virum nullus timor cadere potest.

Maior prob., quia metus in eo qui metu cogitur, peccatum causat: quia facit eum promittere id quod non vult solvere, et sic facit eum mentiri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Abraham et Isaac constantes fuerunt. Sed in eis cecidit metus: quia ratione metus dixerunt uxores suas sibi esse sorores. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

2. Ubicumque est violentum mixtum, est aliquis metus cogens. Sed aliquid quantumcumque constans potest pati tale violentum: ut si sit in mari, merces prijiciet tempore naufragii. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

Determinatio.

Conclusio. Coactio metus potest cadere aliquo modo in constantem virum.

Prob. In eum, qui facit aliquid ad evitandum id quod timet, quod tamen alias non faceret, cadit aliqua coactio metus. Sed vir constans quandoque aliquid facit, ad evitandum id quod timet, quod tamen alias non faceret. Ergo in virum constantem cadit coactio metus.

Maior prob., quia cadere metum in

aliquem, est aliquem metu cogi: cogitur autem aliquis metu, quando aliquis facit metu, quod alias non faceret.

Minor patet, de projiciente merces tempore naufragii.

Declaratur autem conclusio, quantum ad illam partem (aliquo modo) ex differentia, quæ est inter virum constantem et inconstantem respectu coactionis, quæ est per metum. Distinguitur enim vir constans, ab inconstanti in hoc, quantum ad duo. Primo, quantum ad qualitatem periculi quod timetur, quia constans sequitur rationem rectam, per quam scit quid, pro quo dimittendum sit vel faciendum; semper autem minus malum, vel magis bonum est eligendum; et ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, ut vitet minus malum. Inconstans vero cogitur ad maius malum, propter metum minoris mali, scilicet ad peccatum propter metum corporalis pœnæ. Pertinax autem é contra non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum vel faciendum, ut evitet maius malum. Unde constans est medius inter in constantem et pertinacem. Secundo differunt constans et inconstans quantum ad estimationem periculi imminentis, quia constans non nisi ex forti æstimatione, et probabili cogitur. Inconstans autem ex levi. Prover. 28. *Fugit impius, nemine persequente.* Ex quibus patet, quis timor, et quomodo cadat in constantem virum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod constans, sicut et de forti dicitur 3. Ethic. c. 6. est intrepidus, non quod omnino timeat; sed quia non timet quæ, ubi vel quando non oportet.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod constans non semper pericula mortis suscipit, sed solum, quando cogitur ad peccandum. Peccatum enim est maximum malorum, et ideo ad peccatum nullo modo potest homo constans cogi, imo magis debet mori, quam peccatum admittere; ut etiam dicitur 3. Ethic. c. 1. Sed quia quædam damna corporalia sunt maiora quibusdam aliis, inter quæ sunt præcipua, quæ ad personam pertinent; sicut sunt mors, verbera, dehonestatio per stuprum, et servitus; ex istis constans cogitur ad alia damna corporalia sustinenda, quæ continentur in hoc versu.

Stupri, sive status, verberis, atque necis.

Nec differt utrum hæc pertineant ad personam propriam, vel uxoris, vel filiorum, vel aliorum hujusmodi. Unde constans pater potest cogi ad evitandam mortem filii vel uxoris, ad aliqua corporalia mala sustinenda.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis infamia sit maius damnum, tamen quia ei de facili occurri potest, non reputatur cadere in constantem virum, secundum jura, metus infamiæ.

Ad 4. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod constans non cogitur ad mentiendum, quia in illo casu vul dare, sed tamen postea vul repetere restitutionem, vel saltem judici denunciare, si promissit se non petiturum restitutionem. Non enim potest promittere, se non denunciaturum, quia hoc sit contra bonum justitiæ, ad hoc cogi non potest, ut contra justitiam faciat.

ARTICULUS III.

Utrum consensus coactus tollat matrimonium.

Pro negativa.=Videtur quod consensus coactus non tollat matrimonium.

1. Coactus timore ad recipiendum baptismum, recipit sacramentum. Ergo coactus ad consentiendum aliquo timore, matrimonio obligatur.

Conseq. proq., quia sicut ad matritrimonium requiritur consensus, ita ad baptismum requiritur intentio.

2. Illud quod plus habet de voluntario, quam de involuntario, non tollit matrimonium. Sed consensus coactus

plus habet de voluntario, quam de involuntario. Ergo consensus non tollit matrimonium.

Minor. Violentum mixtum, secundum Phil. 3. Ethic. c. 1. plus habet de voluntario, quam de involuntario. Sed consensus non potest cogi, nisi per violentum mixtum, ut art. 1. dictum est. Ergo consensus coactus plus habet de voluntario, quam de involuntario.

3. Ei qui coactus in matrimonium consensit, consulendum videtur, quod in matrimonio illo stet. Sed hoc non esset ei consulendum, si coactus consensus omnino matrimonium tolleret. Ergo coactus consensus matrimonium non tollit.

Maior prob., quia speciem mali habet promittere et non solvere á qua mali specie Apostolus vult nos abstinere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Decretal. lib. 4. tit. 1. de sponsal. et matrim. c. Cum locum, dicitur: «cum «locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est «ut ubi assensus cujusquam requiritur, «coactionis materia repellatur.» Sed in matrimonio requiritur communis consensus. Ergo coactio matrimonium tollit.

2. Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fit secundum libertatem amoris. Ergo matrimonium non potest fieri per consensum coactum.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt, quod si adsit consensus interior, quamvis coactus, est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statutum Ecclesiæ, quæ præsumit ibi non fuisse consensum exteriorem, propter metum.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est, quia Ecclesia non debet præsumere de aliquo peccatum, quousque probetur. Peccasset autem, si dixisset se consentire, et non consensit. Unde Ecclesia præsumit eum consensisse; sed judicat, consensum illum extortum, non esse sufficientem ad matrimonium faciendum.

Vera sententia.

CONCLUSIO. Coactio metus qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium.

Prob. Illud, quod repugnat perpetuitati matrimonii, tollit matrimonium. Sed coactio metus cadentis in constantem virum, repugnat perpetuitati matrimonii. Ergo coactio metus, cadens in constantem virum, tollit matrimonium.

Maior probatur, quia vinculum matrimonii est perpetuum.

Minor prob., quia potest tunc peti restitutio in integrum. Vir autem constans judicatur virtuosus, qui est mensura in omnibus, ut dicitur 3. Ethic. cap. 4.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod intentio non est causa efficiens sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem agentis. Consensus autem est causa efficiens in matrimonio, et ideo non est par ratio.

Ad 2. Negatur maior. Ad matrimonium enim non sufficit quodcumque voluntarium, sed requiritur voluntarium complete, quia debet esse perfectum; et ideo per violentum mixtum impeditur.

Ad 3. Negatur maior. Non enim semper debet induci ad hoc, quod in matrimonio illo stet, sed solum quando non timetur periculum de dissolutione, alias non peccat. Ad prob. dicitur, quod solvere promissum, quo quis nolens fecit, nullam habet speciem mali.

ARTICULUS IV.

Utrum consensus coactus, ex parte cogentis faciat matrimonium.

Pro affirmativa = Videtur quod consensus coactus, saltem ex parte cogentis, faciat matrimonium.

1. Spiritualis conjunctio, quæ est per

charitatem, potest esse ad eum qui non habet charitatem. Sed matrimonium est signum spiritualis conjunctionis. Ergo et matrimonium potest etiam esse ad eum qui non vult.

2. Si illa, quæ fuit coacta, postmodum consentiat, erit verum matrimonium. Sed ille, qui primo coegit, non ligatur ex consensu ejus quæ fuit coacta. Ergo ex primo ejus consensu, matrimonio ligatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Relatio æquiparantiæ est pariter in utroque relatorum. Sed matrimonium est relatio æquiparantiæ. Ergo si sit impedimentum ex parte alterius, non erit verum matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Consensus coactus non facit matrimonium ex parte cogentis.

Prob. Relatio non potest innasci in uno extremorum, sine hoc quod fiat in alio. Sed matrimonium est quædam relatio. Ergo non potest esse in uno conjugum, nisi simul sit in altero; ac per hoc, quicquid impedit matrimonium in uno, impedit in altero. Non enim potest esse aliquis vir non uxoris, nec uxor non habens virum. Sicut nec potest esse mater sine filio, nec filius sine matre. Unde communiter dicitur quod matrimonium non claudicat, id est non est in uno, quin sit in alio. Sed vel est in utroque, vel omnino non est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod quamvis actus amantis possit transire in non amantem, tamen unio inter eos esse non potest, nisi sit mutua amatio. Unde dicitur 8. Ethic. c. 2. quod ad amicitiam, quæ in quadam unione consistit, requiritur redamatio. Unde nec unio matrimonii fieri potest, nisi ex consensu utriusque.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore. Unde si dissentiret, non fieret matrimonium.

ARTICULUS V.

Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium.

Pro negativa. = Videtur, quod nec per consensum conditionatum fiat matrimonium.

1. Consensus faciens matrimonium, debet simpliciter enuntiari. Sed quod sub conditione ponitur, non simpliciter enunciatur. Ergo condicionatus consensus non facit matrimonium.

Minor patet, quia in matrimonio oportet esse verba simpliciter exprimentia consensum.

2. Matrimonium debet esse certum. Seb ubi dicitur aliquid sub conditione, ponitur illud sub dubio. Ergo consensus conditionatus non facit matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In allis contractibus fit obligatio sub conditione, et stat stante conditione. Sed matrimonium est quidam contractus. Ergo matrimonium potest fieri per conditionatum consensum.

Determinatio.

Distinctio. Conditio apposita, aut est de præsenti, aut est de futuro. Si sit de præsentit aut est contraria bonis matrimonii, aut non. Et si de futuro: aut conditio est necessaria, aut non, sed contingens.

1.ª Conclusio. Consensus conditionatus conditione de præsenti, quæ sit contra bonum matrimonii, non facit matrimonium.

Manifestatur quia, si quis dicat, accipio te in uxorem si velis accipere medicinam ad abortum, non fit matrimonium. Sicut nec fiunt sponsalia, ut dictum est quæst. 135. art. 1. in corp.

2.ª Conclusio. Cum consensu conditionato conditione de præsenti non contraria bonis matrimonii, sive sit ho-

nesta, sive non, stat matrimonium, stante conditione, et non stat non estante.

Manifestatur, si quis enim dicat, accipio talem in sponsam, si sit pulchra, vel si sit meretrix: stante conditione, stat matrimonium; non stante, non stat.

3.° Conclusio. Consensus conditionatus conditione de futuro necessario, facit matrimonium.

Manifestatur, si quis enim dicat, accipio te in uxorem, si sol cras oriatur, tenet matrimonium.

4.° Conclusio. Consensus condionatus de futuro contingenti, non facit matrimonium.

Manifestatur; si quis enim dicat, accipio te si placuerit parentibus vel si dederis tantam pecuniam, non fit matrimonium: sicut etiam, nec per consensum per verba de futuro.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem. q. Si conditio sit de præsenti vel de futuro necessario, idem est, ac si simpliciter pronunciaretur.

Ad 2. Similiter dicitur ad minorem, quod conditio de præsenti, vel de futuro necessario, est aliquid certum.

ARTICULUS VI.

Utrum aliquis præcepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum.

Pro affirmativa.=Videtur quod aliquis præcepto patris, possit compelli, ad matrimonium contrahendum.

1. Ad Colos. 3. dicitur. *Filii obedire parentibus vestris per omnia.* Ergo filii. etiam in hoc, tenentur parentibus obedire.

2. Gen. 28. Isaac præcepit filio suo Jacob quod non acciperet uxorem de filiabus Chananaam: quod non præcepisset; nisi præcipere potuisset. Ergo filius in hoc tenentur patri obedire.

3. Nullus debet promittere, præcipue per juramentum, pro illo, quem non potest cogere ad servandum. Sed parentes promittunt futura matrimonia pro filiis, et etiam juramento promissionem firmant. Ergo parentes possunt præcepto cogere filios ad implendum matrimonium.

4. Pater spiritualis, scilicet Papa potest compellere precepto ad matrimonium spirituale, scilicet ad Episcopatum accipiendum. Ergo et pater carnalis potest filium compellere ad carnale matrimonium contrahendum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Patre imperante matrimonium, filius potest sine peccato religionem intrare. Ergo non tenetur ei in hoc obedire.

2. Si filii tenerentur in hoc parentibus obedire; sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum, essent firma, quod tamen est contra jura, ut habetur extra lib. 4. decretal. tit. 2. c. 1. Ergo non tenentur in hoc obedire.

Determinatio.

Conclusio. Pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum; sed solum potest eum inducere ex rationabili causa.

Prob. Ad id, per quod filius mancipatur perpetuæ servituti, non potest per præceptum cogi á parte. Sed per matrimonium mancipatur filius cuidam perpetuæ servituti. Ergo ad matrimonium non potest cogi filius per patris præceptum.

Maior prob., quia filius est liberæ conditionis.

Minor prob., quia in matrimonio fit quasi quædam perpetua servitus viri ad uxorem, et é contra.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod apostolus non debet intelligi in illis, in quibus filius est liber sui, sicut pater, ut est matrimonium, per quod etiam filius fit pater.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Jacob alias tenebatur ad faciendum hoc, quod ei pater suus mandabat; tum propter malitiam illarum mulierum; tum quia

semen Chanaam de terra, quæ semini patriarcharum promittebatur, erat disperdendum; et ideo Isaac hoc filio præcipere poterat.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod parentes non promittunt in casu illo, nec jurant nisi subintellecta illa conditione, si illis placuerit; et ipsi obligantur ad inducendum eos bona fide.

Ad 4. Quidam dicunt, quod Papa non potest præcipere alicui, quod accipiat Episcopatum, quia consensus debet esse liber.

Reprobatio.

Sed hoc posito, periret Ecclesiasticus ordo: nisi enim aliquis posset cogi, ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conservari non posset: cum quandoque illi qui sunt idonei ad hoc, nolint suscipere nisi coacti.

Vera responsio.

Et ideo aliter dicitur, negando consequentiam: non enim est simile de matrimonio et de Episcopatu, quia in matrimonio spirituali non est aliqua corporalis servitus, sicut est in matrimonio carnali: est enim spirituale matrimonium sicut quoddam officium dispensandæ rei publicæ. Dicitur enim 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores, etc.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 137.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á Scripturis insinuatum esse, quod consensus voluntatis potest esse coactus, quamvis sit, et remaneat liber. Insinuatum autem est hoc Gen. 2. *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris*; ecce, quod adstringitur voluntas hominis tunc liberi facti, et adstrictione quidem maxima per comminationem mortis, tum animæ, tum corporis. Quod autem liber factus esset homo, nemini dubium est. Monstratur ergo per hoc, quod adstrictio præceptorum, quibus videlicet adstringuntur subditorum voluntates ad faciendum, vel omittendum aliquid, non tollit libertatem hominis, et consequenter quod nec consensum liberum. Coactionem vero timorem, seu adstrictionem hujusmodi, non excludere consensus libertatem, idest non facere, quod consensus inde causatus non sit liber, confirmatur ex Concil. Trid. per hoc, quod declarat sess. 4. cap. 4. contritionem ex gehennæ, et pœnarum metu conceptam, esse liberam, et voluntariam, non extortam, et coactam; et can. 5. anathematizat dicentes, illum dolorem esse inutilem, coactum, et non liberum, ac voluntarium, vide supra qu. art. 1. etc. hujusmodi Concilii locum contra errores Lutheri adductum. Est enim error Lutheri, quod talis consensus sit non voluntarius, neque liber. Quem etiam Philos. damnat in corp. art. Item insinuatum Luc. 14. Compelle intrare. Manifestum est enim, quod illi, qui intrabant, voluntarie intrabant (neminem enim Deus cogit ad justitiam, secundum Damasc. coactione scilicet pura) et consequenter, quod compulsio hæc erat mixta, non excludens voluntarium consensum. Item insinuatum ab Apostolo 1. Cor. 15. *Deinde tamquam abortivo, visus est mihi*, ubi secundum D. Th. sumitur ly abortivo non tantum pro fœtu, qui extra tempus nascitur, et qui ad mensuram aliorum non pervenit; sed etiam pro fœtu illo, qui cum violentia extrahitur. In cujus signum dicit August. volens ipsum Paulum tamquam abortivum ostendere; quod alii Apostoli voluntarie venerunt ad Christum, Paulus vero coactus. Intellige ly voluntarie, idest sine quacumque coactione timorosa, et ly coactus, idest coactione mixta. Quam coactionem expressit et ipse Christus Act. 9. dicens: *Durum est*

tibi contra stimulum calcitrare. Per quod ostendit, ipsum Paulum esse abortivum, idest per violentiam quamdam á se ex utero Synagogæ eductum. Vide supra nunc Concil. Trident. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto aliquem consensum voluntarium innuunt posse esse simul, atque coactum, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum ab *Innocentio III.* quod aliquis metus cadit in constantem virum. Insinuatum autem est sic. " Cum dilectus filius, etc. Non obstante violentia, quæ proponebatur illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, et ideo non debuerat cadere in constantes, super restitutione petita silentium eis diximus sententialiter imponendum. » Hæc ille de his, quæ vi, metusve cau. fi. Præsupponit ergo manifeste Innocentius; quod aliquis metus possit cadere in virum constantem, et exprimit metum mortis, et cruciatum corporis esse hujusmodi, ubi per metum mortis, etiam verbera intelligere possumus, sicut et per cruciatum corporis, stuprum, cum cruciatus honoris sit major. Id, quod expressit, ff. l. *neque timorem in tit.* eod. Idem insinuavit Innocent. ibi, " ad audientam nostram, etc. Si constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, et debuerit cadere in virum constantem, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis. » Ad hunc locum facient et dicenda in append. art. seq. ubi de isto metu tractabitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta, pro quanto metum aliquem innuunt cadere posse in virum constantem, et intelligas, et probes, et tueari. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas: merito insinuatum fuisse ab *Alexandro III.* quod consensus per metum cadentem in constantem virum non facit matrimonium, et hoc, quando ait: veniens ad nos, et cætera. " Si inveneris, quod primam post fidem præstitam cognoverit: ipsum cum ea facias remanere. Alioquin secundæ, nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit, adhærere facias, ut uxori. » Hæc ille de sponsal. et matr. Item ab Honorio III. ibid. "Consultationi, etc. illis, quæ benedictione accepta, mox á sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, asserentes, se numquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas verba contulisse consensus, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda: sed de illato metu est diligentius inquirendum. Et si talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere inconstantem virum, erunt non immerito audiendæ. Item merito insinuatum ab eodem Alexandro III. ibi, quod non omnis violentia, seu coactio impedit matrimonium; et sic: " De muliere, quæ est invita tradita viro, et detenta, cum inter vim, et vim sit differentia, utrum postea consensus intercesserit certum nobis nihil postea expressisti, nihil certum inde tibi possumus respondere. » Ecce, quod consensus per metum alium á cadente in virum constantem non sic impedit matrimonium, sicut ipse cadens. Alioquin Alexand. non faceret differentiam inter vim, et vim; sed responderet de isto alio metu, sicut de cadente in constantem responderat in cap. Veniens ad nos. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, pro quanto consensum per metum cadentem in virum constantem non facere matrimonium; aliumque facere innuunt, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á *Nicolao* Papa, quod matrimonium claudicare non debet. Insinuatum autem est hoc 30. q. 2. ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Item á Concil. Trid. ut annot. est de ly mutuo supra qu. 45. a. 1. append. vide ibid. connotando, quod mutuum utrimque dicitur, quod utramque partem concurrere ad aliquid significat. Ad bas autem difficultates á præcedentibus articulis tactas removendas Concil. Trid. sess. 24. ca. 19. de reform. statuit, libertatem matrimonii nullo modo impediendam esse ab aliquo, et sic: Ita plerumque temporalium dominorum mentis oculos terreni affectus excæcant, ut viros, et mulieres minis, et pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini illis præscipserint. Quare, cum ma-

xime nefarium sit, matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, á quibus jura expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant: ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto matrimonium non debere claudicare insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per D. Thomam ostendas, merito esse dictum á *Gregorio IX.* quod conditio, dummodo non sit contraria matrimonio, non vitiat illud, idest adhuc stat matrimonium. Insinuavit autem hoc in de condition. apposit. " Si conditiones contra substantiam conjugii ninserantur; puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam, honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit faborabilis, caret effectu, licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectus haberi. » Ecce, quod conditio etiam inhonesta de præsenti apposita matrimonio, nisi contra substantiam ejus sit, non tollit matrimonium. Item ab Urbano III. ibi. Super eo, etc. Utrum ille, qui in quamdam mulierem consensit, si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consummandum matrimonium compellendus. Respondemus, quod cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, nisi voluntas patris postmodum intercidat, nequaquam cogendus est, ad matrimonium contrahendum. Nam, licet Alexand. Papa respon. quod sponsalia contracta interposita conditione, ipsa non impleta, si consensus de præsenti intercidat, vel carnalis cópula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari, nequaquam est nostræ definitioni adversum, cum hujusmodi consensus non sit de præsenti habendus, licet per verba de præsenti exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. » Ecce, quod loquens de illo, qui contraxit per verba de præsenti, secundum Glos. cum muliere sub conditione ratihabitionis parentum non judicantur contraxisse matrimonium, sed sponsalia. Et hoc, quia consensus non potest simpliciter liber esse, quando in alieno arbitrio habendo consistit. Et, licet per ver verba de præsenti exterius fiat ad litteram; tamen, quantum ad verum sensum verborum, non de præsenti, sed de futuro fit. Quod vero dicit de Alexandro, vide tu ibid. cap. De illis. Semper tamen et hic, et alibi, quando de carnali copula sponsorum fit mentio, memento diligenter, quod hodie talia jura non valent, quoniam per Trident. Concil. pro diversitate temporum prudentissime taliter sancitum est, ut supra, quæst. 45. art. 5. append. fuit allegatum. *Secundo* habes: quomodo per D. Thom. Prædicta Pontificum, pro quanto de consensu conditionato sic statuunt, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Honorio Papa, quod parentes non possunt adstringere filios ad matrimonium contrahendum: et consequenter, quod in idem redit, filium non teneri præcepto patris ad matrimonium contrahendum. Insinuatum autem est sic: " Tua nos requisivit fraternitas de filio adulto, quem pater matrimonium vult contrahere, si sine voluntate filii adulti facere potest. Ad quod dicimus: si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. » Hæc ille de desponsat. impub. Ubi vides, quod contra voluntatem filii non potest pater eum adstringere ad hoc ubi et dicit glos. sic ad litteram. « Si coactione paterna ductus consentiret in aliquam, quam alias non esset ducturus, eam voluisse videtur, et est matrimonium: cogi tamen non debet, ff. eod. non cogitur, et C. de nuptiis, nec filium potest compellere invitum ff. de sponsal. fili. famil. » Quod si de filio non adulto fiat instantia, respondet idem Honorius, dicens: " Potest autem filium nondum adultum, voluntas cujus discerni non potest, pater, cui vult, matrimonio tradere. Et, postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere. » Ubi ly debet, dicit debitum honestatis, non necessitatis, secundum

glos. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta, pro quanto dicunt filium non posse compelli præcepto patris ad matrimonium contrahendum, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA,

DE OBJECTO CONSENSUS,

IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de objectio consensus.

Circa quod quæruntur duo.

Primo, utrum consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam.

Secundo, utrum consensus in aliquam propter causam inhonestam facit matrimonium.

ARTICULUS I.

Utrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam.

Pro affirmativa.=Videtur quod consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam.

1. Consensus, qui est in id quod opponitur virginitati, est in carnalem copulam. Sed consensus in matrimonium est in id quod opponitur virginitati. Ergo consensus in matrimonium est in carnalem copulam.

Maior prob., quia nuptiæ non contrariantur virginitati, nisi ratione carnalis copulæ.

Minor prob., quia Hieron. dicit, ut refertur 17. quæst. 1. cap. *voventibus virginitatem, non solum nubere; sed velle nubere, damnabile est.* Ex quo patet quod consensus in nuptias, virginitati contrarius est.

2. Omnia, quæ sunt in matrimonio inter virum et uxorem, possunt esse licita inter fratrem et sororem, excepta carnali copula. Sed inter fratrem et sororem non potest esse consensus matrimonialis. Ergo consensus matrimonialis est consensus in carnalem copulam.

3. Si mulier dicat viro: *consentio in te, dum tamen non cognoscas me, non est consensus matrimonialis.* Ergo consensus matrimonialis est in carnalem copulam.

Antecedens prob., quia est ibi aliquid contra substantiam prædicti matrimonialis consensus, quod non est, nisi consensus in carnalem copulam.

4. Matrimonium initiatur per consensum, et consumatur per carnalem copulam. Ergo consensus est in carnalem copulam.

Conseq. prob. quia in qualibet re, initium consummationi respondet.

Argumentum sed contra.

PRO NEGATIVA.

1. Nullus consentiens in carnalem copulam, est virgo mente et corpore. Sed consentiens in nuptias, potest esse virgo mente et corpore, ut Joannes apostolus fuit. Ergo consensus in matrimonium non est consensus in carnalem copulam.

2. Carnalis copula non est de essentia matrimonii: ut dictum est quæst. 136. art. 1. Ergo nec consensus, qui matrimonium causat, est in carnalem copulam.

Conseq. prob., quia effectus respondet suæ causæ.

Determinatio.

CONCLUSIO. Consensus matrimonium faciens, non est in carnalem copulam, nisi implicite.

Prob. Consensus faciens matrimonium, est in id, quod est essentialiter matrimonium. Sed carnalis copula non est essentialiter matrimonium. Ergo consensus in carnalem copulam, non facit matrimonium.

Minor prob., quia ut dictum est quæst. 136. ar. 1. Matrimonium non est essen-

tialiter ipsa conjunctio carnalis, sed est quædam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam; et ad alia quæ ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas in invicem respecta carnalis copulæ; et hæc associatio dicitur conjugalis copula. Unde patet quod bene dixerunt illi qui asseruerunt quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite. Quia potestas carnalis copulæ in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus. Et sic patet minor, et conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Consensus enim, qui virginitati opponitur, est etiam ille consensus qui est in matrimonium. Post votum namque virginitatis est damnabilis consensus, non solum qui est in carnalem copulam; sed etiam, qui est in matrimonium, quia per talem consensum datur potestas alteri, ad id quod non licet amplius. Sicut peccaret, qui daret potestatem accipiendi alteri, illud quod ipse in deposito habet, et non solum in hoc quod actualiter traderet. De consensu autem beatissimæ Virginis dictum est quæst. 29. art. 2.

Ad 2. Neg. antecedens. Inter fratrem enim, et sororem, non solum est illicita carnalis copula sed etiam ipsa traditio potestatis in ordine ad carnalem copulam.

Ad 3. Neg. conseq. Nam conditio illa explicita, non solum actui carnalis copulæ; sed etiam potestati contrariatur. Unde est contraria matrimonio.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod initiatum matrimonium respondet consummato, sicut habitus, vel potestas actui, qui est operatio.

Rationes pro negativa ostendunt, quod consensus in matrimonium non sit explicite in carnalem copulam, et hoc verum est.

ARTICULUS. II.

Utrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam, propter causam inhonestam.

Pro negativa = Videtur quod matrimonium non possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam.

1. Unius rei est unica ratio. Sed matrimonium est unum sacramentum. Ergo non potest fieri ex intentione alterius finis, quam illius ad quem est ordinatum á Deo, scilicet ad procreationem prolis.

2. Conjunctio matrimonii est á Deo: dicitur enim Matt. 19. quod *Deus conjunxit homo non separet.* Sed conjunctio quæ est propter turpes causas, non est á Deo. Ergo talis conjunctio non est matrimonium.

3. In aliis sacramentis, si non servetur Ecclesiæ intentio, non est verum sacramentum. Sed in conjunctione, quæ fit propter causam inhonestam, non servatur intentio Ecclesiæ. Ergo non est matrimonium.

Minor patet, quia intentio Ecclesiæ in sacramento matrimonii, non est ad aliquam turpem causam.

4. *Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est,* ut Boet. dicitur intopic. de causa final. Sed matrimonium semper est bonum. Ergo non est matrimonium, si fiat propter malum finem.

5. Illud, quod significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, non potest fieri propter aliquem turpem finem. Sed matrimonium significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Ergo non potest fieri propter aliquem turpem finem.

Maior prob., quia in conjunctione Christi et Ecclesiæ non est aliquid turpe.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Qui baptizat aliquem intentione lucrandi, vere baptizat. Ergo qui contrahit cum aliqua intentione lucrandi, vere contrahit matrimonium.

2. Quia hoc probant exempla, et auctoritates quas magister ponit in dist. 28. 4. Sentent.

Determinatio.

Conclusio. Consensus alicujus in aliquam, etiam propter causam inhonestam, potest esse verum matrimonium, est tamen hujusmodi consensus culpabilis.

Prob. Priora non variantur ex posterioribus, quæ per accidens consequuntur; sed potius é converso. Sed id quod contrahentes ex matrimonio intendunt, consequitur ad matrimonium. Ergo id quod intenditur á contrahentibus ex matrimonio, sive honestum sit, sive inhonestum, non impedit veritatem matrimonii; quamvis peccent qui ex matrimonio aliquid inhonestum intendunt.

Manifestatur minor et tota ratio. Nam causa finalis matrimonii duplex est, scilicet per se, et per accidens. Causa finalis per se matrimonii est, ad quam matrimonium de se est ordinatum, scilicet procreatio prolis et vitatio fornicationis. Causa vero finalis per accidens matrimonii, ex hoc quod contrahentes intendunt ex matrimonio. Et quia causæ per accidens sunt infinitæ; ideo infinitæ tales causæ esse possunt in matrimonio, quarum quædam honestæ, quedam vero inhonestæ esse possunt; propterea ex hujusmodi causis finalibus per accidens, non vitiatur substantia matrimonii; sed solum intentio contrahentium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod unius rei est unica causæ ratio; possunt tamen esse plures causæ per accidens: et sic est in matrimonio.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod conjunctio potest accipi dupliciter. Uno modo pro ipsa relatione, quæ est matrimonium, et talis semper est á Deo et bona, ex quacumque causa fiat. Alio modo pro actu eorum qui conjunguntur, et sic est quandoque mala et non est á Deo, simpliciter loquendo. Nec est inconveniens quod aliquis effectus sit á Deo, cujus causa proxima est mala, sicut proles ex adulterio suscepta, quia non est ex illa causa inquantum est mala; sed in quantum habet aliquid de bono.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod intentio Ecclesiæ in sacramentorum traditione duplex est. Una est, qua intendit sacramentum tradere, et hæc est de necessitate cujuslibet sacramenti, et ea non servata, nihil agitur. Alia est intentio, qua Ecclesia intendit utilitatem ex sacramento provenientem, et hæc est de bene esse, et si non servetur, est nihilominus verum sacramentum: eam tamen prætermittens, peccat. Tunc ad minorem dicitur, quod qui intendit contrahere matrimonium propter causam inhonestam, servat intentionem Ecclesiæ necessariam ad susceptionem sacramenti; et ideo verum matrimonium contrahit, et quia non servat eam quæ est ad bene esse, peccat.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod finis matrimonii per se semper est bonus, illud autem malum intentum non est finis matrimonii; sed contrahentium.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod matrimonium significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ quantum ad ipsam unionem, non autem quantum ad operationem unitorum, quæ potest esse mala.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 138.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á summo Pontifice, quod consensus fertur in copulam conjugalem, et non explicite in carnalem. Insinuatum autem est hoc á Papa Nicolao 27. quæst. 2. sufficit, et cætera.

„Quæritur, quis consensus facit matrimonium? An consensus cohabitationis, an carnalis copulæ an uterque? Si cohabitationis consensus matrimonium facit: tunc frater cum sorore matrimonium potest contrahere. Si carnalis copulæ: inter Mariam et Joseph non fuit conjungium. Voverat enim Maria se virginem perseveraturam. Si ergo contra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis mente, etsi non corpore, violati, quod de ea sentire nefas est, etc. Et infra de mente Aug. idem Papa, c. seq. B. Maria proposuit, se servaturam votum virginitatis in corde: sed ipsum votum virginitatis non expressit ore. Subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret, Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Consensus ergo cohabitandi, et individuam vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges facit.» Vide S. Th. 4. sent. ubi sup. corol. post ad 1. et sine errore apertius dicta hujusmodi intelligere poteris. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta papæ, pro quanto consensum non ferri directe in carnalem copulam dicunt, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á *Gregorio IX.* quod consensus in matrimonium propter aliquam inhonestam causam non tollit ipsum. Insinuatum autem est sic. "Conditionis appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi.» Hæc ille: in de conditio. apposi. Si conditiones. Ubi est idem ly pro non adjectis haberi, quod matrimonium tenet, etiam secundum glossam. Item á Concil. Africano ibi. "Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, et eam relinquere voluerit: dicimus, quod frangatur conditio, et desponsatio irrefragabiliter teneatur.» Ubi loquitur de conditionibus turpibus, alias non contrariis substantiæ conjugii. Puta, si quis contrahat matrimonium, intendens, quod consors furtum faciat, vel hominem interficiat. Quod intentum, si exprimatur ad extra (contraho tecum, si furtum, vel homicidium feceris) tunc vocatur conditio: si autem in mente solummodo pro fine ultra matrimonium habeatur, tunc vocatur causa inhonesta, propter quam matrimonio consensus datur: sive autem hoc, sive illo modo accipiatur, non tollit matrimonio secundum Papam, et Concilium. Et nota, quod prout dicit conditionem ex Papa, allegatur supra q. 47. art. 5. append. et. ut dicit intentionem consensus propter causam finalem inhonestam, allegatur in hoc loco: quemadmodum et eadem auctoritas sæpius in diversis locis pro varietate materiarum, quibus deserviunt, allegari solet. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta, patrum, pro quanto matrimonium dicunt posse esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA NONA,

DE BONIS MATRIMONII,

IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de de bonis matrimonii.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum debeant haberi aliqua bona ad excusandum matrimonium.

Secundo, utrum sufficienter assignentur.

Tertio, utrum bonum sacramenti sit principalius inter alia bona.

Quarto, utrum actus matrimonii per prædicta bona á peccato excusetur.

Quinto, utrum sine eis aliquando á peccato excusari possit.

Sexto, utrum quando est sine eis sit semper peccatum mortale.

ARTICULUS I.

Utrum debeant haberi aliqua bona, ad excusandum matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod matrimonium non debeat habere aliqua bona, quibus excusetur.

1. Ad excusandum actum nutritivæ virtutis, qui est comestio, non sunt aliqua bona necessaria. Ergo multo minus ad excusandum matrimonium debent aliqua bona assignari.

Conseq. prob., quia sicut conservatio individui, quæ sit per ea quæ ad nutritivam pertinent, est de intentione naturæ; ita conservatio speciei, quæ fit per matrimonium: et multo magis est intenta á natura, quanto melius et divinius est bonum speciei, quam bonum unius individui.

2. Illud, quod de se est honestum, non indiget excusatione. Sed matrimonium de se est honestum. Ergo matrimonium non indiget aliquibus bonis excusari.

Minor prob., quia 8. Ethic. c. 12. dicitur, quod amicitia quæ est inter virum et uxorem, est naturalis, et claudit in se honestum, utile et delectabile.

3. Matrimonium non indiget excusatione, ut est officium naturæ, nec ut est remedium. Ergo matrimonium non debet habere bona excusantia.

Conseq. prob., quia matrimonium ad illa duo est institutum, ut dictum est supra quæst. 134.

Antecedens prob. Non indiget matrimonium bonis excusantibus, ut est officium naturæ, quia sic etiam in paradiso excusatione indiguisset, quod falsum est, quia *ibi fuissent honorabiles nuptiæ, et torus immaculatus*, ut Augustinus dicit 9. super Gen. ad lit. 7. Nec secundum quod est in remedium: sicut nec alia sacramenta, quæ in remedium peccati sunt instituta, aliqua indigent excusatione.

4. Illud, quod honeste fieri potest, non indiget aliquibus specialibus bonis honestantibus, preter virtutes. Sed matrimonium honeste fieri potest. Ergo matrimonium non indiget aliquibus bonis excusantibus, præter virtutes.

Maior prob., quia ad omnia, quæ honeste fieri possunt, virtutes dirigunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ubicumque est indulgentia, ibi est necessaria aliqua excusationis ratio. Sed matrimonium conceditur in statu infirmatis post peccatum, secundum indulgentiam. Ergo matrimonium indiget, per aliqua bona excusari.

2. Concubitus fornicarius et matrimonialis sunt ejusdem speciei, quantum ad speciem naturæ. Sed concubitus fornicarius est turpis. Ergo ad hoc, quod concubitus matrimonialis non sit turpis, oportet ei aliqua bona addi, quæ ad honestatem ejus pertineant, et in alia mortis speciem ipsum trahant.

Determinatio.

Conclusio. Oportet esse aliqua bona, quæ matrimonium excusent et honestum reddant.

Prob. Electio alicujus, quod aliquam jacturam habet annexam, indiget adjunctione alicujus boni, per cujus compensationem ordinetur et honestetur. Sed in conjunctione viri et mulieris per matrimonium accidit jactura alicujus boni, scilicet rationis. Ergo electio conjunctionis matrimonii non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus honestetur: et hæc sunt bona quæ matrimonium excusant et honestum reddunt.

Maior prob., quia nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro aliqua compensatione alicujus æqualis vel melioris boni.

Minor prob. Accidit enim jactura boni rationis in hac conjunctione, tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid in ipsa intelligere, ut dicitur 7. Ethic. c. 11. Tunc etiam propter tribulationem

carnis, quam tales sustinere oportet, ex solicitudine temporalium, ut patet 1. Cor. 7.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de actu nutritivæ et generativæ. In actu enim comestionis non est tam vehemens delectatio absorbens rationem, sicut in conjunctione carnali. Tum quia vis generativa, per quam originale traducitur, est infecta et corrupta; nutritiva autem per quam non traducitur, est quidem corrupta, non est tamen infecta. Tum etiam, quia defectum individui, quilibet magis sentit in se ipso, quam sentiat defectum speciei. Unde ad excitandum ad comestionem, secundum quam defectui individui subvenitur, sufficit ipsius sensus defectus. Ad excitandum autem ad actum quo defectui speciei subvenitur, divina providentia delectationem in actu illo apposuit, qua etiam animalia bruta movet. Ad prob. igitur dicitur, quod, etsi natura conservationem tam speciei, quam individui intendat; tamen quia vis generativa est infecta et excitatur ad actum generandi per delectationem quæ rationem absorbet, quæ non accidunt in actu nutritivæ, ideo actus generativæ bonis excusantibus, et honestantibus indiget; non autem actus nutritivæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod id quod est de se honestum non indiget aliquo honestante extraneo, potest tamen indigere honestante intrinseco. Tunc ad minorem dicitur, quod ista bona, quæ matrimonium honestant, sunt de ratione ipsius matrimonii, et ideo non indiget eis quasi quibusdam exterioribus ad honestandum; sed quasi causantibus in eo honestatem, quæ ei secundum se competit.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod matrimonium ex hoc ipso quod est officium vel in remedium, habet rationem utilis et honesti; sed utrumque horum ei competit ex hoc quod hujusmodi bona habet, quibus fit in officium et in remedium. Et est sermo de matrimonio in statu naturæ corruptæ.

Ad 4. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod matrimonium honestatur virtute sicut principio elicitivo, et bonis matrimonii quasi principio formali: sicut quilibet actus virtutis honestatur virtute et circumstanstiis.

ARTICULUS II.

Utrum bona matrimonii sufficienter assignentur.

Pro negativa. = Videtur quod bona matrimonii, scilicet proles fides, et sacramentum, non suficienter assignentur.

1. Matrimonium, non solum fit in hominibus ad prolem procreandam et nutriendam; sed etiam ad consortium communis vitæ propter communicationem operum, ut dicitur 8. Ethic. c. 12. Ergo sicut ponitur proles bonum matrimonii, ita deberet poni operum communicatio.

2. Conjunctio Christi ad Ecclesiam, quam matrimonium significat, perficitur per charitatem. Ergo inter bona matrimonii, magis debet poni charitas, quam fides.

3. Sicut in matrimonio exigitur, quod neuter conjugum ad alterius torum accedat, quod ad finem pertinet; ita exigitur, quod unus alteri debitum reddat, quod pertinet ad justitiam. Ergo sicut inter bona matrimonii ponitur fides, ita deberet poni justitia.

4. Sicut in matrimonio, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, requiritur indivisibilitas, quæ ad sacramentum pertinet; ita etiam requiritur unitas, ut sit una unius. Ergo sicut inter bona matrimonii ponitur sacramentum propter indivisibilitatem, ita debet poni aliquid aliud propter unitatem.

PRO AFFIRMATIVA.

Quod superfluant.

1. Unica virtus sufficit ad honestandum unum actum. Sed fides est una vir-

tus. Ergo præter fidem non erant assignanda alia duo, ad honestandum actum matrimonii.

2. Idem non accipit ab eodem rationem utilis et honesti. Sed matrimonium ex prole accipit rationem utilis. Ergo proles non debet poni inter bona matrimonii, quibus ipsum matrimonium honestatur.

Maior prob., quia utile, et honestum ex opposito dividunt bonum.

3. Non debet aliquid poni proprietas, vel conditio sui ipsius. Sed bona matrimonii ponuntur, ut conditiones, seu proprietates ipsius. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, non debet inter bona matrimonii poni sacramentum.

Determinatio.

Conclusio. Bona, quibus matrimonium honestatur, scilicet fides, proles et sacramentum, sufficienter assignantur.

Manifestatur: Nam matrimonium est officium naturæ, et est sacramentum Ecclesiæ. In quantum est officium naturæ, per duo ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus, quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, et hoc est intentio finis debiti, et sic ponitur bonum matrimonii proles. Aliud exigitur ex parte ipsius actus qui est bonus ex genere; ex hoc quod cadit supra debitam materiam, et sic bonum matrimonii ponitur fides per quam homo ad suam et non ad aliam accidit. Habet autem ulterius aliquod aliud bonum matrimonium, in quantum est sacramentum, et hoc bonum significatur nomine sacramenti, quod inter bona matrimonii numeratur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. quod in prole, non solum intelligitur prælreatio prolis; sed etiam educatio ipsus ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio ipsorum, quæ est inter virum et uxorem, in quantum sunt matrimonio conjuncti, quia patres naturaliter thesaurizant filiis, ut patet 2. Cor. 12. Et in prole, quasi in principali fine, alius quasi secundarius, qui est operum communicatio, includitur.

Ad 2. Negatur conseq. Fides enim, ut ponitur fructus matrimonii, non accipitur ut est Theologica virtus; sed ut est pars justitiæ, secundum quod fides dicitur ex hoc quod fiant dicta, in conservatione promissorum, de qua dictum est 2. 2. q. 109. Cum enim in matrimonio sit quidam contractus, est quædam promissio, per quam talis vir tali mulieri determinatur. Sicut igitur inter bona matrimonii non numeratur fides, quæ est Theologica virtus, ita non numeratur charitas.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam quod redditio debiti sicut conservatio tori ad fidem pertinet, et magis ad fidem pertinet redditio debiti, quam tori conservatio, quia illud est principalius, cum sequatur ex ipsa mutua potestate in invicem data.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod etiam unitas ad sacramentum pertinet, sicut et omnia alia, quæ consequuntur matrimonium in quantum est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Vel dicitur quod unitas illa pertinet ad fidem, sicut indivisio ad sacramentum.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod fides non accipitur hic pro aliqua virtute; sed pro quadam conditione virtutis, ex qua nominatur fides, quæ ponitur pars justitiæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut debitus usus boni utilis accipit rationem honesti, non quidem ex utili, sed ex ratione quæ facit rectum usum; ita etiam ordinatio ad aliquod bonum utile, potest facere rationem honestatis, ex vi rationis facientis debitam ordinationem. Et hoc modo matrimonium, ex hoc quod ordinatur ad prolem, utile est, et nihilominus honestum, in quantum debite ad bonum ordinatur. Unde matrimonium non habet honestatem ex prole;

sed ex ratione debite ordinante actum matrimonii ad prolem.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo quod sacramentum, ut ponitur inter bona matrimonii, non dicitur ipsum matrimonium, sed sumitur pro inseparabilitate, quæ ejusdem rei est signum, cujus est matrimonium.

Secundo dicitur ad id, quod in consequente annectitur, quod quamvis matrimonium sit sacramentum tamen aliud est matrimonio esse matrimonium, et aliud est ei esse sacramentum. Quia matrimonium est institutum ad hoc ut sit naturæ officium, et ad hoc ut sit signum rei sacræ, et ideo ratio sacramenti est quædam conditio adveniens matrimonio secundum se considerato, ex quo honestatem habet; et sic idem non ponitur conditio sui ipsius secundum idem: est enim sacramentum conditio matrimonii secundum se considerati.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit principalius inter bona matrimonii.

Pro negativa. = Videtur quod sacramentum non sit principalius inter bona matrimonii.

1. Finis est potissimum in unoquoque. Sed proles est finis matrimonii. Ergo proles est principalius bonum matrimonii.

2. Bona quæ competunt matrimonio ex ratione differentiæ, pricipaliora sunt, quam id quod ei competit ex ratione sui generis. Sed proles et fides competunt matrimonio ex ratione differentiæ, in quantum est tale sacramentum; sacramentum autem ei competit ex ratione sui generis. Ergo proles et fides sunt principaliora bona, quam sacramentum.

Maior prob., quia principalius in ratione speciei est differentia quæ complet speciem, quam genus; sicut forma principalior est, quam materia in constitutione rei naturalis.

3. Sicut matrimonium invenitur, sine prole et fide, ita invenitur sine inseparabilitate, sicut patet quando alter conjugum ante matrimonii consummationem ad religionem transit. Ergo sacramentum nec ex hoc est principalius matrimonii bonum.

4. Effectus non potest esse principalior sua causa. Sed consensus qui est causa matrimonii, frequenter mutatur. Ergo et matrimonium dissolvi potest; et sic inseparabilitas, quæ per sacramentum significatur, non semper concomitatur matrimonium, ac per hoc non ejus principalius bonum.

5. Sacramenta, quæ habent effectum perpetuum, imprimunt characterem. Sed matrimonium non imprimit characterem. Ergo matrimonium non habet effectum perpetuum, ac per hoc potest esse sine inseparabilitate, quæ nomine sacramenti signatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod ponitur in definitione alicujus, est sibi maxime essentiale. Sed indivisio ponitur in definitione matrimonii: ut patet in quæst. 136. non autem proles et fides. Ergo sacramentum est inter alia bona, matrimonio essentialius.

2. Virtus divina, quæ in sacramentis operatur, est efficacior quam virtus humana. Sed proles et fides pertinent ad matrimonium secundum quod est officium naturæ humanæ: sacramentum autem, secundum quod est ex institutione divina. Ergo sacramentum est principalius in matrimonio, quam alia duo.

Determinatio.

1. *Distinctio.* Aliquid dicitur in re aliqua principalius duobus modis. Aut quia est essentialius. Aut quia est dignius. Sicut in homine anima est principalior, quia est essentialior. Intellectus vero est principalior, quia est dignior.

1.ª Conclusio. Sacramentum est dignius inter alia matrimonii bona.

Prob. Illud quod pertinet ad matrimonium inquantum est sacramentum gratiæ, est dignius quam ea quæ conveniunt ei ut est officium naturæ. Sed bo-

num sacramenti pertinet ad matrimonium ut est sacramentum gratiæ; alia vero duo competunt matrimonio ut est officium naturæ. Ergo sacramentum est dignius inter alia bona matrimonii.

Maior prob., quia perfectio gratiæ est dignior perfectione naturæ.

2.ª Conclusio. Fides et proles, secundum quod sunt in suis principiis, sunt matrimonio essentialiora, quam sacramentum, minus tamen essentialia sunt in se ipsis.

Manifestatur. Nam fides et proles possunt dupliciter considerari. Uno modo secundum quod sunt in suis principiis, ut nomine prolis accipiatur intentio prolis, et nomine fidei debitum servandi fidem, et sic accipiendo fidem et prolem, proles est essentialissimum in matrimonio; secundo fides, et tertio sacramentum; et hoc, quia sine his matrimonium esse non potest: causantur enim hæc ex ipsa pactione conjugali; ita quod si aliquid contrarium intentioni prolis et fidei exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium.

Et adhuc probatur hæc prima conclusionis pars, scilicet quod proles et fides sic accepta, sint essentialiora quam sacramentum, hoc modo. Ea, quæ pertinent ad esse naturæ, sunt magis essentialia quam quæ pertinent ad esse gratiæ. Sed proles et fides pertinent ad esse naturæ matrimonii, sacramentum autem ad esse gratiæ. Ergo proles et fides sunt magis essentialia matrimonio, quam sacramentum.

Alio modo considerantur proles et fides in se ipsis. Et sic sunt minus essentialia, quam sacramentum. Nam proles et fides sic considerata pertinent ad usum matrimonii, per quem usum et proles producitur et pactio conjugalis servatur; indivisibilitas autem quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem conjugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum conjuges tradunt, sequitur quod separari non possint. Et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine fide et prole secundum se, quia esse rei non dependet ab usu suo. Et sic patet quod secundum hanc considerationem sacramentum essentialibus est bonum, quam proles et fides. Et remanet probata conclusio, quoad utramque ejus partem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod finis secundum intentionem est primum in re, sed secundum consecutionem est ultimum. Et quia proles se habet in matrimonio ut finis, est primum quod in matrimonio intenditur, secundum quem modum dictum est quod est essentialissimum matrimonii bonum, est tamen secundum se ultimum, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur minor. Sacramentum enim, secundum quod ponitur matrimonii bonum, ut scilicet significat indivisibilitatem, convenit matrimonio ex ratione sæ differentiæ.

Ad 3. Negatur antecedens. Numquam enim invenitur matrimonium absque inseparabilitate. Et ad prob. quæ innuitur, dicitur quod nuptiæ secundum Aug. de bono conjugii cap. 7. et 15. sunt bonum mortalium, unde in ressurrectione non nubent neque nubentur, ut dicitur Matt. 22. Et ideo vinculum matrimonii non se extendit ultra vitam in qua contrahitur, et dicitur matrimonium inseparabile, quia viventibus conjugibus, non potest separari. Per mortem autem, sive corporalem, post carnalem conjunctionem, sive spiritualem, quæ est per religionis ingressum, ante carnalem conjunctionem, matrimonium desinit esse matrimonium.

Ad 4. Dicitur ad min. quod quamvis consensus, qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, idest quantum ad substantiam actus, quia ille actus po-

test cessare et contrarius succedere; tamen formaliter loquendo est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi, alias non faceret matrimonium. Non enim consensus in aliquam ad tempus facit matrimonium. Et dico formaliter, secundum quod actus accipit speciem ab objecto, et secundum hoc matrimonium ex consensu accipit inseparabilitatem.

Ad 5. Negatur maior. Non enim omne sacramentum habens effectum perpetuum, characterem imprimit. Nam matrimonium habet perpetuum effectum et tamen characterem non imprimit. Convenit tamen matrimonium cum sacramentis imprimentibus characterem; quia sicut in illis traditur potestas ad aliquos actus, ita in matrimonio datur potestas ad aliquos actus. Differt tamen ab eis, quia in illis confertur potestas ad actus spirituales; in matrimonio autem confertur potestas ad actus corporales. Et propter hoc in matrimonio non imprimitur character qui est signaculum, per quod potestas spiritualis confertur.

ARTICULUS IV.

Utrum actus matrimonii excusetur per prædicta bona.

Pro negativa. — Videtur quod actus matrimonii non possit excusari per bona prædicta, ut non sit omnino peccatum.

1. Actus, per quem aliquis sustinet damnum maioris boni propter minus bonum, semper est peccatum. Sed per actum matrimonii homo sustinet damnum maioris boni, propter minus bonum. Ergo actus conjugalis semper est peccatum nec per prædicta bona potest excusari.

Maior prob., quia hujusmodi actus est inordinatus: non enim debet quis pro minori bono detrimentum majoris boni sustinere.

Minor prob. quia per actum conjugalem læditur bonum rationis quod majus est quam tria prædicta bona.

2. Actus, qui secundum se est malus per nulla bona potest fieri bonus, sive excusari. Sed actus conjugalis secundum se est malus. Ergo per nulla bona potest excusari.

Maior prob., quia si bonum malo addatur in genere moris, non efficitur totum bonum, sed totum malum; et hoc quia una circumstantia mala facit actum malum, non autem una tantum bona facit ipsum bonum. Unde illud quod est secundum se malum, per nullum bonum additum potest bonum fieri.

Minor prob., quia si actus conjugalis non esse secundum se malus, non indigeret excusatione.

3. Ea, quæ non possunt efficere quin delectatio actus conjugalis non sit immoderata, non possunt ipsum excusare. Sed prædicta bona non possunt efficere quin delectatio actus conjugalis sit immoderata. Ergo prædicta bona non possunt actum matrimonii excusare.

Maior prob., quia ubicumque est immoderatio passionis, ibi est vitium in moribus.

4. Bona excusantia matrimonialem actum, tollunt ab ipso actu erubescentiam. Sed prædicta bona non tollunt ab actu conjugali erubescentiam. Ergo ipsum non excusant.

Maior prob., quia verecundia et erubescentia sunt de turpi actu, ut Dam. lib. 2. ort. fid. cap. 15. dicit. Si igitur actus debet excusari, oportet ab eo tollere turpitudinem, de qua est erubescentia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si prædicta bona non sufficerent ad excusandum actum matrimonii; sequeretur quod actus matrimonii semper illicitus remaneret: quod est contra predicta.

Conseq. proq., quia concubitus conjugalis non differt á fornicario (qui semper est illicitus) nisi per matrimonii bona.

2. Circumstantiæ debitæ faciunt quod

actus, cujus sunt circumstantiæ, non sit malus. Sed bona matrimonii se habent ad actum ejus, sicut circumstantiæ debitæ, ut dictum est ex art. 1. ad 4. Ergo hæc bona possunt excusare matrimonii actum, ita ut nullo modo sit peccatum.

Determinatio.

Distinctio. Aliquis actus dicitur excusari dupliciter. Uno modo ex parte facientis, ita quod actus, quamvis sit de se malus, non imputetur facienti ad culpam: et sic ignorantia dicitur excusare peccatum in toto vel in parte. Alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ita scilicet quod non sit malus.

Conclusio. Actus matrimonii excusatur per prædicta bona, ita quod non sit malus; sed bonus.

Manifestatur, quia aliquis humanus actus habet quod sit bonus, dupliciter. Uno modo, bonitate virtutis. Et sic habet actus quod sit bonus, ex his quæ ipsum in medio ponunt, et hoc faciunt in actu matrimonii fides et proles, ut patet ex dictis in art. 2. Alio modo, bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum est bonus; sed etiam sanctus dicitur: et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Et sic patet quod prædicta bona sufficienter excusant actum matrimonii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod per actum matrimonii non incurrit homo damnum rationis, quantum ad habitum; sed solum quantum ad actum. Nec est inconveniens quod quandoque aliquis actus, qui est melior secundum genus suum, interrumpatur pro aliquo actu minus bono, hoc enim sine peccato fieri potest: sicut patet de eo qui ab actu contemplationis cessat, ut interdum actioni vacet.

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera de malo culpæ. Si enim aliquem actum sequatur inseparabiliter malum culpæ, per nullam bonam circumstantiam potest fieri bonus; non autem est vera de malo pœnæ: potest enim aliquem actum sequi malum pœnæ, et tamen per debitas circumstantias esse bonum. Tunc ad minorem dicitur, quod malum sequens actum matrimonii est malum pœnæ, scilicet inobedientia concupiscentiæ ad rationem quod malum per prædicta bona excusatur.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod superabundantia passionis, quæ facit vitium, non attenditur secundum quantitatem ipsius ad intensionem; sed secundum proportionem ipsius ad rationem. Unde tunc solum passio reputatur immoderata, quando limites rationis excedit. Delectatio autem, quæ fit in actu matrimoniali, quamvis sit intensissima secundum quantitatem, non tamen excedit limites sibi á ratione præfixos ante principium suum, quamvis in actu prædictæ delectationis ratio ipsum actum ordinare non possit.

Ad 4. Negatur maior. Non enim est universaliter vera: sed solum quando turpitudo illa ex qua erubescentia causatur, est peccatum. Et quia illa turpitudo quæ est in actu matrimoniali quæ et erubescentiam facit est turpitudo pœne et non culpæ, quia de quolibet defectu homo naturalitet erubescit; ideo actus matrimonialis per prædicta bona excusatur, etiam si non tollatur erubescentia.

ARTICULUS V.

Utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonii.

Pro affirmativa. = Videtur quod actus matrimonialis excusari possit, etiam sine bonis matrimonii.

1. Ille, qui á natura tantum movetur ad actum matrimonii, non comittit peccatum. Sed quandoque aliquis movetur ad actum matrimonii tantum á natura, non intendens aliquod matrimonii bonum. Ergo actus matrimonii, etiam sine bonis matrimonii, excusatur.

Maior prob., quia *nullum naturale est malum; cum malum sit præter naturam:* ut dicit Dyonis. de Diu. nom. cap. 4.

Minor, prob., quia bona matrimonii pertinent ad gratiam, vel ad virtutem. Unde, qui solo naturali appetitu in actum matrimonii fertur, non videtur aliquod matrimonii bonum intendere.

2. Ille, qui utitur conjuge ad vitandam fornicationem, non intendens aliquod matrimonii bonum, non peccat. Ergo actus matrimonialis absque matrimonii bonis excusatur.

Anteced. prob., Et quod talis non intendat matrimonii bona, quia vitatio fornicationis non computatur inter matrimonii bona, ut patet. Quod vero non peccet, quia ad hoc est matrimonium concessum humanæ infirmitati; ut fornicatio vitetur, ut patet 1. Cor. 7.

3. Ille, qui utitur re sua ad libitum, non facit contra justitiam, et sic non peccat utendo ad libitum re sua. Sed per matrimonium uxor efficitur res viri et é converso. Ergo si se invicem ad libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum, et sic actus matrimonialis, absque matrimonii bonis excusatur.

4. Illud quod est bonum ex genere non efficitur malum, nisi ex mala intentione fiat. Sed actus matrimonialis quo quis cognoscit suam, est ex genere bonus. Ergo non potest esse malus, nisi ex mala intentione fiat. Sed potest bona intentione fieri, etiam si non intendatur aliquod bonum matrimonii, puta cum quis salutem corporalem ex illo actu intendit servare, aut consequi. Ergo videtur quod actus ille etiam sine bonis matrimonii possit excusari.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Remota causa, removetur effectus. Sed bona matrimonii sunt causa honestatis matrimonialis actus. Ergo sine bonis matrimonii, non potest matrimonialis actus excusari.

2. Concubitus fornicarius semper est malus. Sed actus matrimonialis non differt á fornicario, nisi per prædicta bona. Ergo hic actus sine prædictis bonis semper est malus.

Determinatio.

Conclusio. Actus matrimonii non potest excusari, nisi per intentionem procreandi prolem, vel mutuam servandi fidem.

Manifestatur: nam duo bona matrimonii respiciunt ipsum matrimonii actum, scilicet proles et fides. Aliud vero respicit non actum; sed ipsam essentiam matrimonii, et hoc est sacramentum, ut art. 3. dictum est. Quia igitur proles et fides respiciunt secundum se matrimonii usum; ideo faciunt actum ejus honestum. Unde quando conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod pertinet ad fidem, totaliter á peccato excusantur. Sacramentum autem facit ipsum matrimonium honestum, non autem ejus actum. Unde sacramentum tantum sine aliis bonis non excusat actum. Et ideo solis duobus modis conjuges absque omni peccato conveniunt scilicet causa procreandi prolem et reddendi debitum; alias semper est ibi peccatum ad minus veniale.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Nam proles, prout est bonum sacramenti, addit supra prolem, prout est bonum intentum á natura. Natura enim intendit prolem, prout in ipsa salvatur bonum speciei. Sed in prole, prout est bonum sacramenti matrimonii, ultra hoc intenditur quod proles suscepta ulterius ordinetur in Deum. Et ideo oportet quod intentio naturæ quæ prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis, prout est bonum matrimonii ut est sacramentum: alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest. Et ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non omnino ex-

cusatur á peccato, nisi in quantum actus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum sacramenti. Nec tamen sequitur (ut probatio maioris dicebat) quod motus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi aliquo modo in bonum matrimonii ulterius ordinetur.

Ad 2. Dicitur quod si aliquis per actum matrimonii velit vitare fornicationem in conjuge etiam si nihil aliud intendat, non peccat; quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet: et sic est verum antecedens, sed negatur consequentia. Quia hæc intentio non est absque matrimonii bono. Si vero aliquis in actu matrimonii, intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas, et secundum hoc est peccatum veniale: et sic est falsum antecedens. Et ad probationem dicitur, quod matrimonium non est institutum ad sic vitandam fornicationem, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

Ad 3. Negatur maior. Nam re sua non utitur absque peccato aliquis, nisi servatis debitis circonstantiis, unde utens uxore sua, non intendens matrimonii bona, peccat.

Ad 4. Negatur id quod subsumitur, scilicet quod actus matrimonii possit bona intentione fieri, sine matrimonii bonis. Ad prob. dicitur, quod quamvis intendere conservationem sanitatis, non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si sanitas ex aliquo intendatur quod de se non est ad hoc ordinatum, ut fit in proposito, si sanitas ex actu matrimonii intendatur.

ARTICULUS VI.

Utrum cognoscens uxorem, non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet.

Pro affirmativa.=Videtur quod quandocumque aliquis uxorem cognoscit non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solam delectationem, mortaliter peccet.

1. Illud quod est damnabile, est peccatum mortale. Sed cognoscere uxorem propter solam delectationem, est damnabile. Ergo sic uxorem cognoscere, est peccatum mortale.

Maior prob., quia non dicitur esse damnabile, nisi peccatum mortale.

Minor prob., quia Hieron. dicit, et refertur 32. q. 4. c. liberorum. *Voluptates, quæ de meretricum amplexibus capiuntur in uxore, damnandæ sunt.*

2. Consensus in delectationem est peccatum mortale, ut dictum est 1. 2. quæst. 74. art. 8. Sed quicumque cognoscit uxorem suam causa delectationis, consentit in delectationem. Ergo sic uxorem suam cognoscens mortaliter peccat.

3. Quicumque usum creaturæ non refert in Deum, mortaliter peccat. Sed qui utitur uxore sua propter solam delectationem, non refert hunc usum in Deum. Ergo mortaliter peccat.

Maior prob., quia qui sic utitur creatura, ea fruitur quod est peccatum mortale.

4. Nullus debet excommunicari, nisi pro peccato mortali. Sed ille qui suam uxorem sola libidine cognoscit, ab introitu Ecclesiæ arcetur, ut dicitur 4. Sent. dist. 34. ex Gregor. lib. 12. Epist. Ergo sic uxore sua utens, mortaliter peccat.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra

1. Peccatum quod ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur: Pater noster, etc. non est mortale, sicut, nec illa mortalia sunt. Sed peccatum quod quis uxore sua utens propter solam delectationem committit, ponitur inter hujusmodi quotidiana peccata per Agust. serm. de bono nupt. et in sent. lib. 3. contr. Julian. Pelag. c. 16. et lib. 2. contra eund. in fine. lib. Ergo non est mortale.

2. Qui cibo utitur ad delectationem tantum, non peccat mortaliter. Ergo pari ratione, nec utens uxore, propter solam delectationem, mortaliter peccat.

Determinatio.
Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod quandocumque ad actum conjugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, est peccatum veniale: quando vero omnino delectationem despicit et displicet ei, tunc est omnino sine aliquo, etiam veniali peccato. Ut sic delectationem in actu isto quærere, sit peccatum mortale; delectationem oblatam acceptare sit peccatum veniale; sed eam odire, sit perfectionis.

Reprobatio.

Sed hoc stare non potest, quia secundum Phil. 10. Ethic. c. 3. Idem judicium est de operatione et delectatione, quia operationis bonæ delectatio est bona; et malæ mala. Sed actus matrimonialis non est per se malus. Ergo nec delectationem in actu illo quærere, est semper peccatum mortale.

Vera sententia.

1.ª Conclusio. Si in actu matrimonii quæratur delectatio ultra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea si etiam non esset conjux, est peccatum mortale. Hanc conclusionem probat primum argumentum pro affirmativa inductum. Et confirmatur, quia talis dicitur ardentior amator uxoris, ut Hieronymus Epist. 1. contr. Jovinian. dicit. Quia scilicet ardor ille ultra bona matrimonii effertur.

2.ª Conclusio. Si in actu matrimoniali quæratur delectatio intra matrimonii limites, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, est peccatum veniale. Hanc probant duo argumenta pro negativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod cognoscere uxorem suam propter delectationem quæ se extra bona matrimonii effert, est mortale; non autem si hujusmodi delectatio extra hujusmodi bona non efferatur. Hieron. autem loquitur de delectatione que extra bona matrimonii effertur.

Ad 2. Negatur maior. Non enim omnis consensus in omnem delectationem est mortale, sed solum quando consensus est de delectatione, quæ est de re cogitata de suo genere mala, ut ibidem dictum est ad 2. Delectatio autem quæ est in actu matrimonii, non est semper mala, sicut nec ipse actus semper malus est.

Ad 3. Dicitur quod maior est vera de eo qui sic utitur creatura, quod non refert ipsam in Deum actu vel habitu. Ille autem, qui utitur uxore sua propter delectationem extra bona matrimonii non se efferentem, habitualiter et se creaturæ usum in Deum refert.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod ille, qui uxore sua propter solam delectionem utitur, non excommunicatur, sed solum ab Ecclesiæ introitu arcetur, quia spiritualibus se reddit inhabilem, quia in illo actu totus caro efficitur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 139.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam in radice, rejicias hæresim *Libertinorum* dicentium: conjugia inter fratres esse spiritualia: unde et uxores habent communes, nec patiuntur eas suis maritis non suæ sectæ reddere debi-

tum. Primum ergo, scil. conjugia inter, etc. dicunt verbo: secundum, scil. uxores habent communes, et cætera, dicunt facto. Cum enim per hunc articulum D. Thomas demonstret, quod aliqua bona, quæ sunt fides, sacramentum, proles, artic. sep. requiri ad matrimonium honestandum: profecto, ut patet consideranti, monstrat et hoc quod uxores non debent esse communes, et, quod suis maritis solis reddere debitum debent, et consequenter, quod falsa est illa expositio Liberorum, conjugia inter fratres sunt spiritualia, idest, uxores sint communes, et eædem non reddant debitum maritis extra sectam nostram. *Secundo* habes: quomodo radicaliter per rationem ostendas, merito damnari prædictam hæresim á, et cæt.. quæst. 40. non. art. 6. append. et quæst. 54. art. 3. append. Item a. 1. Cor. 7. " Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum. Uxori vir debitum reddat, similiter uxor viro. » Ecce quod secundum Apostolum solis maritis suis uxores debent reddere debitum, et é converso, alioquin fornicatio non evitatur ab eis. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuari á Corinth. 7. *Hoc dico secundum indulgentiam*, et á Concil. Florent. artic. sequen. appen. quod aliqua bona haberi debent ad exusandum matrimonium. *Quarto* habes: quomodo, per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto insinuant id, quod diximus nunc, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* habes quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Pharisæorum* Direct. Inquisit. parte 2., quæst. 4. et Marc. 10. dicentium: licitum esse uxorem dimittere, etiam non fornicationis ratione, et libellum repudii ei dare. Item Herodianorum, Directo. Inquisit. ibidem dicentium, quod licitum est, uxorem alterius etiam marito vivente sibi in uxorem accipere. Item Priscillianistarum, Alfonsus Cast. Nuptiæ, facto suo dicentium, nuptiis conjungatos esse separandos. Facto suo, inquam: quia Priscillianistæ hoc servarunt, quod fœminas á nolentibus viris, et viros á nolentibus fœminis, quantum poterant, disjungebant. Contra hos omnes enim militat articulus præsens, eosque expugnat, dum fidem, et sacramentum, bona esse matrimonii dicit. Quod, ut clarius intelligas, vide supra declarationem de ly fides et ly sacrament. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito Pharisæorum hæresim damnari á Christo Mar. 10. " Ad duritiam cordis vestri scripsit Moyses vobis præceptum istud, etc. quod ergo Deus conjunxit, homo non separet, etc. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et, si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. » Ubi nota ly ad duritiam cordis vestri; quia per hoc innuitur, quod illi erant tam corde indomabili, ut potius, quam uxores exosas jam factas retinerent, occiderent eas. Et ideo ad vitandum hoc majus malum, uxoricidium scil., Moyses permiserat eis scribere libellum repudii, et dimittere. Deuter. 24. Nota ly quicumque dimiserit, scil. extra causam fornicationis, quod expressit Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.* Item Rom. 7. Hierodianos damnari merito ostendas per ly " lex in homine dominatur, quanto tempore vivit. Nam, quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est á lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est á lege viri. » Item 1. Corinth. 7. ubi idem refert et in fin. et Priscillianistas damnans in princ. dicit: " Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem, non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. » Ubi nota ly fraudare , quod scil. injustitiæ fraudulenti adscribitur, nolle reddere debitum sibi invicem conjugatos. Et ly *nisi forte ex consensu ad tempus*, *ut vacetis orationi*, monstrat, quod neque ex consensu possunt se alteri tradere, quoniam tempus orationis tantum excipitur. Et ly *ne tentet vos Satanas*, idest, ne tentando decipiat: quoniam nonnullos conjugatorum sub prætextu continentiæ ad hujusmodi fraudes in invicem con-

duci á Satana, demonstrat: Haec omnia contra Priscillianistas, et partim etiam á fortiori. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab Eugenio IV. in decreto Armenis dato, sacro approbante Concilio Florentino: "Septimum est sacramentum matrimmonii, etc. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda, et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides: quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium est indivissibilitas matrimonii: propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, et Ecclesiæ.» *Quarto* habes: quomodo, prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto bona matrimonii, vel fidem, vel sacramentum, vel etiam prolem insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Armenorum*, quem postmodum docuit Lutherus, dicentium: nuptiis non inesse sacramentum, idest illam maris, et fœminæ indissolubilem conjunctionem, neque per eam conferri gratiam. Item hæresim Libertinorum dicentium: matrimonia posse dissolvi, ubi uxor mariti sui tædium cœperit. Ostendendo namque D. Thomas, quod inter bona matrimonii sacramentum est principalius secundum rationem gratiæ: proculdubio militat contra Libertinos, et Armenos, utrosque confodiens. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores præmissos merito damnari á, et cætera, ut quæst. 42. artic. 1. et 3. append. Item á Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. "Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, etc. Et canon. 5. Si quis dixerit, propter molestam cohabitationem dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, et merito esse, et in quo sensu sit, dictum ab Eugenio IV. quod "bonum matrimonii, primum est proles, secundum est fides, tertium est indivisibilitas.» Hoc recitatur supra art. 2. app. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta, et allegata Patrum, pro quanto ad hunc locum pertinent, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Aginensium Manichæorum*, et *Tatianorum*, dicentium: nuptiarum fœdera inter se jungentes peccare. Item nuptias execrabiles, et spurcas esse. Si enim actus matrimonialis carnalis bonus, et sanctus est patet á fortiori ex hoc, quod fœdus contractus nuptiarum neque execrabilis, neque spurcus, neque peccatum est: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnatas fuisse illas hæreses á, etc. ut q. 41. art. 1. appen. et ar. 3. et 4. app. Item á, etc. ut 1. par. q. 72. ar. 1. append. Item á, etc. ut supra in multis locis. Item á Concil. Gangrensi. "Si quis vituperat nuptias, et dormientem cum viro suo fidelem, ac religiosam detestatur, aut culpabilem aestimar velut quae in regnum Dei introire non possit: anathema sit.» Item á Concil. Brachar. 1. cano. 11. "Si quis conjugia humana damnat et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manich. et Priscill. dixerunt: anathema sit.» *Tertio* habes: quomodo, per rationem ostendas, merito esse dictum ab Eugenio IV. quod praedicta sunt bona matrimonii. Si enim bona sunt ejus; reddunt illud bonum, et sanctum. Vide Eugenium artic. 2. appen. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, ac scripturarum, pro quanto matrimonium innuunt sive divissim, sive conjuctim excusari per illa tria bona, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem *Libertinorum*, et *Quintinistarum*, dicentium, quod vitium est virtus, et virtus est vitium. Sic enim non differet: si quis cognosceret uxorem suam intendens bona matrimonii, et non intendens: et, si actus matrimonialis excusari potest per bona matrimonii, etiam excusari posset sine illis. Quorum oppositum tamen articulus præsens, tamquam contra illos militans, ratione validissima probat: simul etiam pro probationibus, addendo duo argumenta dicta in ly sed contra. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: errorem illum merito damnari ab Isaiæ 5. *Veh: qui dicitis bonum malum, et malum bonum.* Et, quia contra omnino improbabilia proferentem solicitum esse non

decet secundum Philosophum in topic. ideo sufficiat hactenus ista dixisse contra hujusmodi. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Concil. Florent. (supra art. 2. appendic.) quod matrimonium sine bonis suis non potest excusari in suo actu. Insinuatum autem est ab oppositis, ubi dixit: quod triplex est bonum matrimonii. Cum igitur nihil sit bonum, nisi per bonitatem; et remota causa removeatur effectus: sequitur, Concilium per hoc innuisse, quod remotis illis bonis non excusabitur. *Quarto* vides: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto insinuat, quod diximus, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Nicolaitarum*, et *Simonis Magi*, decentium: coitum promiscuum fœminarum licere, ut quilibet qualibet sine peccato uti possit. Si enim conjux ultra honestatem delectationem quærens in cognoscendo uxorem propriam peccat mortaliter, ut prima conclusio dixit: ostenditur profecto per hoc á fortiori, quod promiscue uti fœminis non licet absque peccato mortali. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Apoc. 2. " Habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel edere, et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. » Ex quo patet, quod doctrina Nicolaitarum prædicta, ceu quæ assimilatur doctrinæ Balaam ad Balac, est scandalosa Populo Christiano: et per hoc damnabilis omnino, et ibi damnata. Item á Levit. 20. " Si Mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, morte moriatur et mæchus, et adultera. Item á Matth. 15. de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria fornicationes. » Ecce, quod nec solutus cum soluta absque peccato mortali convenire potest. Unde et damnatur 1. Corint. 6. " Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a. 32. quæst. 2. cap. Quicquid, etc. quod sola delectatione conjuges se cognoscentes non peccant mortaliter. Etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ ab adulterio, seu fornicatione defendunt: neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. » Et insinuatum esse a. 32. quæst. 4. cap. Origo, etc. quod sola delectatione conjuges se cognoscentes peccant mortaliter. « In aliena uxore omnis amor turpis est: in sua nimius. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec praeceps feratur ad coitum. Nihil est foedius, quam uxorem amare, quasi adulteram. » *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, et Scripturarum, pro quanto consensum conjugum adinvicem propter delectationem solam, et insinuant mortale, et non, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA.

DE IMPEDIMENTIA MATRIMONII IN GENERALI, UNICO ARTICULO ABSOLUTA.

Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii. Primo in generali. Secundo in speciali.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum matrimonio convenienter impedimenta assignentur.

Pro negativa. = Videtur quod matrimonio inconvenienter impedimenta assignentur.

1. Aliis sacramentis non assignantur impedimenta. Ergo nec matrimonio assignari debent.

Conseq. prob., quia matrimonium est quoddam sacramentum, contra alia divisum.

2. Quanto aliquid est minus perfectum, tanto paucioribus modis impediri potest. Sed matrimonium inter alia sa-

cramenta est minus perfectum. Ergo vel nulla vel paucissima impedimenta ei assignari debent.

3. Ubicumque est morbus, ibi necessarium est remedium morbi. Sed concupiscentia, in cujus remedium matrimonium est inductum, est in omnibus. Ergo non debet esse aliquod impedimentum quod aliquam personam pœnitus illegitimam faciat ad contrahendum.

4. Illegitimum est illud quod est contra legem. Sed impedimenta quæ matrimonio assignantur, non sunt contra legem. Ergo matrimonio non debent assignari aliqua impedimenta, quæ faciant personas illegitimas ad contrahendum.

Minor prob. Non enim possunt esse impedimenta, quæ matrimonio assignantur contra legem naturæ; quia non similiter inveniuntur in quolibet statu humani generis: plures enim gradus consanguinitatis inveniantur esse prohibiti uno tempore, quam alio. Nec contra legem humanam quia lex humana non potest matrimonio impedimenta præstare: quia matrimonium non est ex institutione humana sed divina, sicut et alia sacramenta. Non possunt igitur assignari matrimonio aliqua impedimenta facientia personas illegitimas ad contrahendum.

5. Legitimum et illegitimum sunt opposita secundum afirmationem et negationem, inter quæ non cadit medium. Ergo non possunt esse aliqua matrimonii impedimenta, quibus personæ mediæ inter legitimas et illegitimas constituantur.

Antecedens probatur, quia legitimum et illegitimum differunt, per hoc quod legitimum non est contra legem; illegitimum est contra legem quod est differre secundum affirmationem et negationem.

6. Omnis conjunctio viri, et mulieris illicita debet dirimi. Sed per matrimonium quod fit cum impedimento dirimente contrahendum, fit conjunctio illicita viri et mulieris. Ergo tale matrimonium contractum est dirimendum. Et sic omne impedimentum dirimens contrahendum, dirimit etiam contractum.

7. Definitio, nullo impedimento potest removeri á definito. Sed indevisibilitas est de definitione matrimonii. Ergo per nullum impedimentum potest matrimonium contractum dirimi.

PRO AFFIRMATIVA QUOD SINT PLURA.

Argumentum sed contra.

1. Videtur quod debeant esse infinita matrimonii impedimenta. Bonum potest infinitis defectibus impediri, ut Dion. dicit 4. cap. de Div. nom. part. 4. Sed matrimonium est quoddam bonum. Ergo matrimonium habet infinita impedimenta.

2. Conditiones particularium personarum sunt infinitæ. Sed impedimenta matrimonii accipiuntur secundum conditiones particularium personarum. Ergo infinita sunt matrimonii impedimenta.

Determinatio.

Distinctio. Impedimenta matrimonii sunt in duplici differentia. Quædam enim impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum. Quædam vero impediunt contrahendum, et dirimunt contractum. Manifestatur. Nam in matrimonio quædam sunt, quæ sunt de essentia ipsius matrimonii. Quædam vero sunt, quæ sunt tantum de solemnitate ejus sicut etiam de aliis sacramentis dictum est. Et quia remotis his quæ sunt tantum de solemnitate sacramenti, adhuc remanet sacramentum; ideo impedimenta, quæ contrariantur his quæ sunt de solemnitate sacramenti, non efficiunt, quin sit verum sacramentum. Et talia in sacramento matrimonii dicunt impedire contrahendum, sed non dirimunt contractum. Quæ impedimenta his versibus continentur.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Sunt igitur duo impedimenta matrimonii contrahendi, non dirimentia tamen contractum. Primum est, si fiat contra ordinem Ecclesiæ, puta absque hoc quod ter publicetur. Alterum est, si fiat temporibus ab Ecclesia prohibitis, puta ab adventu usque ad epiphaniam: et in quadragesima. De quibus impedimentis non est nunc agendum. Impedimenta vero quæ contrariantur his quæ sunt de essentia matrimonii faciunt ut non sit verum matrimonium, et ideo dicuntur non solum impedire contrahendum, sed dirimere jam contractum: et hæc impedimenta his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Et de his impedimentis est sermo præsens.

Conclusio. Convenienter matrimonio assignantur duodecim impedimenta, quæ sunt. Coactio, error, impotentia coeundi, conditio servitutis, ordo, votum, ligamen, disparitas cultus, cognatio, honestas, affinitas, crimen.

Manifest. assignando sufficientiam horum impedimentorum. Potest enim matrimonium impediri, generaliter loquendo, dupliciter. Uno modo ex parte contractus matrimonii. Alio modo ex parte contrahentium. Contractus matrimonii debet fieri per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam, vel per violentiam, et ideo ex hac parte erunt duo impedimenta matrimonii, scilicet vis sive coactio et error. Impedimenta vero ex parte personarum sic distinguuntur. Potest enim aliquis impediri á matrimonio contrahendo dupliciter. Uno modo simpliciter, quia scilicet nullo modo contrahere potest. Alio modo respectu alicujus personæ, quia scilicet non potest ducere talem personam in uxorem vel in virum. Si impediatur simpliciter ita ut cum nulla contrahere possit, hoc provenit quia impeditur ab actu matrimoniali, á quo potest quis dupliciter impediri. Primo, quia non potest de facto. Secundo, quia non licite potest. Non potest aliquis de facto propter duo. Vel quia est impotens ad coeundum. Vel quia non libere potest. Et sic ponuntur alia duo impedimenta quæ sunt impotentia coeundi, et conditio. Non potest quis licite contrahere, quia ad continentiam obligatur: quod potest esse dupliciter: vel ex officio suscepto, vel ex voto emisso. Et sic etiam ponuntur duo alia impedimenta, scilicet ordo et votum. Si autem aliquis impeditur á matrimonio contrahendo, non simpliciter, sed respectu aliquarum personarum cum quibus contrahere non potest; hoc est, vel propter obligationem ad alteram personam; sicut qui uni matrimonio junctus est, non potest alteri nubere: et hinc accipitur impedimentum ligaminis. Vel quia deficit proportio ad alteram personam, et hoc potest esse propter tria. Primo, propter nimiam distantiam ad ipsam: et sic est aliud impedimentum, quod est disparitas cultus. Secundo, propter nimiam propinquitatem: et sic ponitur triplex impedimentum, scilicet cognatio consanguinitatis, quæ est propinquitas duarum personarum, puta fratris et sororis, ratione tertiæ, scilicet patris vel matris: affinitas, quæ est propinquitas duarum personarum, ratione tertiæ matrimonio conjunctæ: sicut Marta non potest accipere in virum Titium, quia juncta fuit Sempronio fratri ipsius Titii: et publica honestas, quæ est propinquitas duarum personarum, propter sponsalia contracta cum tertia persona: sicut unus frater non potest accipere eam quæ sponsa fuerat alteri fratri. Tertio deficit proportio alicujus ad alteram personam propter indebitam conjunctionem ad ipsam primo factam: nequit enim aliquis ducere eam cum qua adulterium

mmissit: et hinc sumitur impedimentum quod dicitur crimen. Et sic patet sufficientia impedimentorum dirimentium matrimonium etiam contractum: coactio enim et error respiciunt matrimonii contractum, ipsumque nullum reddunt. Cætera autem respiciunt personas contrahentes, ipsasque inhabiles ad contrahendum reddunt; vel quia nullo modo possunt, ut est impotentia coeundi; vel quia non libere possunt, ut est conditio servitutis; vel quia non licite possunt, ut sunt ordo et votum. Et hæc reddunt matrimonium nullum, cum quacumque persona sic impediti contrahant. Cætera autem impediunt ne possit matrimonium contrahi cum quibusdam certis personis; et hoc, vel quia est alteri matrimonio junctus, ut est ligamen; vel quia deficit proportio; vel propter nimiam distantiam, ut est disparitas cultus; vel quia est nimia propinquitas, ut sunt consanguinitas, affinitas et honestas; vel tandem propter crimen cum ea commissum. Ex quibus relinquitur manifestata conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etiam alia sacramenta impediri possunt, si aliquid quod sit de essentia vel solemnitate sacramenti, subtrahatur: magis tamen sacramento matrimonii quam aliis impedimenta assignantur propter tres rationes. Primo quia matrimonium consistit inter duos; et ideo pluribus modis potest impediri quam alia sacramenta quæ uni personæ competunt singulariter. Secundo, quia matrimonium habet causam in nobis et in Deo; sed alia quædam sacramenta solum in Deo; unde et pœnitentiæ quæ habet etiam causam in nobis, quædam impedimenta assignantur, ut hypocrisis, ludus, et hujusmodi. Tertio, quia de aliis sacramentis est præceptum vel consilium, sicut de bonis perfectioribus. Sed de matrimonio est indulgentia, sicut de bono minus perfecto: et ideo ut detur occasio proficiendi in melius, plura impedimenta assignantur matrimonio quam aliis sacramentis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod perfectiora pluribus modis possunt impediri, quatenus ad ea plura requiruntur: unde si sit aliquod imperfectum ad quod plura requirantur, ut est matrimonium respectu aliorum sacramentorum, illud habebit plura impedimenta.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod in remedium concupiscentiæ non solum ordinantur matrimonium, sed alia plura remedia et efficaciora, ut abstinentia, sobrietas, etc. Et ideo non sequitur ratio.

Ad 4. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod impedimenta matrimonii faciunt personas illegitimas, quia faciunt contra legem qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, inquantum est officium naturæ, statuitur lege naturæ: inquantum vero est officium communitatis, statuitur lege civili: et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici illegitima ad contrahendum. Nec est simile de aliis sacramentis, quæ non sunt naturæ officia, sed sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status recipit determinationes diversas, et jus positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus; ideo in diversis temporibus diversæ personæ illegitimæ fuerunt, ut Magister ponit in 4. Sententiarum dist. 34.

Ad 5. Negatur antecedens: quia enim lex potest aliquid prohibere vel universaliter, vel in parte, quantum ad aliquos casus; ideo inter esse totaliter secundum legem et esse totaliter contra legem, quæ sunt contrarie opposita, et non secundum affirmationem et negationem, cadit medium, quod est esse aliqualiter secundum legem, et aliqualiter contra legem: et propter hoc ponuntur quædam personæ mediæ inter simpliciter legitimas et simpliciter illegitimas.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod illa impedimenta quæ non dirimunt matrimonium contractum impediunt quandoque contrahendum, non ut non fiat, sed ut non licite fiat: et tamen si fiat, verum matrimonium contractum est, quamvis contrahens peccet. Sicut si aliquis consecraret post comestionem, peccaret contra statutum Ecclesiæ faciens, nihilominus verum sacramentum perficeret, quia jejunium consecrantis non est de necessitate sacramenti.

Ad 7. Dicitur quod argumentum verum quidem concludit, sed non contra propositum; impedimenta enim prædicta non dicuntur dirimere matrimonium contractum, quasi solventia verum matrimonium quod rite contractum est; tunc enim argumentum efficaciam haberet: sed quia solvunt matrimonium quod contractum est de facto, et non de jure: unde si aliquod impedimentum dictorum superveniat matrimonio rite facto, matrimonium solvere non valet.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod impedimenta quibus aliquod bonum impeditur, sunt in duplici differentia. Quædam sunt per accidens, et hæc sunt infinita, sicut omnes causæ per accidens; quædam vero sunt per se, et hæc sunt determinata et finita, et talia sunt impedimenta matrimonii.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod conditiones particularium personarum in singulari sunt infinitæ, sed in generali possunt reduci ad certum numerum: sicut patet in medicina et in omnibus operativis artibus, quæ sunt particularium, in quibus singularium actus et conditiones considerantur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 140.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem explodas, errorem *Erasmi* dicentis: quod matrimonii conditio commodior est Judaeis, quam nobis. Hanc ejus propositionem inter conclusiones suspectas, et scandalosas Erasmi recenset Jacob. Lop. Stunica post suum Itinerarium. Item errores quorumdam (ut habetur ex Conc. Trid. sess. 24.) dicentium Ecclesiam non potuisse constituere, aut inconvenienter constituisse impedimenta matrimonii. Item quorumdam ibid. dicentium, affinitatis, et consanguinitatis gradus solum in Levitico expressos posse impedire, et dirimere. Item quorumdam ibid. dicentium, quod prohibitio solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus est tyrannica superstitio. Hoc videtur subindicasse, vel subindicare voluisse Erasmus, cum, quasi ordinata ab Ecclesia stomachando, propositionem illam suspectam evomit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: illos merito damnari á, etc. ut q. 42. art. 3. tex. et append. Qui enim monstrat, matrimonium in nova lege conferre gratiam, profecto, et ipsius conditionem esse commodiorem nobis, quam Judaeis commonstrat. Item á Concil. Trid. ubi supra, can. 5. "Si quis dixerit: eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant: anathema sit." Et can. 4. "Si quis dixerit: Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit." Et can. 11. "Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam: anathema sit." *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum pro quanto impedimenta convenienter assignari dicunt in matrimonio, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA PRIMA,

DE IMPEDIMENTO ERRORIS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii in speciali: et primo de impedimento erroris.

Circa quod quæruntur duo.

Primo, utrum error de sui natura matrimonium impediat.

Secundo quis error.

ARTICULUS I.

Utrum error convenienter ponatur impedimentum matrimonii.

Pro negativa.=Videtur quod error non debeat poni impedimentum matrimonii per se.

1. Voluntarium impeditur per ignorantiam, ut dicitur 3. Ethic. c. 1. et non per errorem. Sed consensus, qui est causa efficiens matrimonii, impeditur sicut et voluntarium. Ergo non error, sed ignorantia debet poni impedimentum matrimonii.

Maior manifest. quoad secundam partem, quia error non est idem quod ignorantia. Ignorantia enim nullam cognitionem ponit, error autem ponit, quia *approbat falsa pro veris*, secundum August. lib. 9. de Trin. cap. 11.

2. Illud quod de sui natura potest impedire matrimonium, habet contrarietatem ad bona matrimonii. Sed error non habet contrarietatem ad bona matrimonii. Ergo error de sui natura non impedit matrimonium.

3. Si quis baptizat Joannem, credens baptizare Petrum, nihilominus Joannes vere est baptizatus. Ergo credens contrahere cum Rachele, contrahens cum Lia, vere contrahit cum Lia, et sic error non impedit matrimonium.

Conseq. prob. quia sicut consensus requiritur ad matrimonium, ita intentio ad baptismum.

4. Inter Liam et Jacob fuit verum matrimonium. Sed inter Liam et Jacob fuit error. Ergo error non impedit matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod contrariatur consensui, impedit matrimonium. Sed error contrariatur consensui. Ergo error impedit matrimonium.

Maior prob., quia ad matrimonium consensus requiritur.

Minor prob., quia in digestis de jur. d. omn. jud. lege *si per errorem*, dicitur, *quid tam contrarium consensui quam error*?

2. Illud quod impendit consensum, impedit matrimonium. Sed error impedit consensum. Ergo error impedit etiam matrimonium.

Minor prob., quod impedit voluntarium, impedit consensum qui aliquid voluntarium nominat. Sed error impedit voluntarium: *est enim voluntarium* secundum Phil. 3. Ethic. c. 1. et Greg. Nyss. lib. 5. cap. 3. et Dam. lib. 2. cap. 24. *Cujus principium est in aliquo sciente singularia quod erranti non competit. Ergo error contrariatur consensui.*

Determinatio.

Conclusio. Error de jure naturali habet quod evacuet matrimonium.

Prob. Illud quod evacuat consensum evacuat matrimonium. Sed error evacuat consensum. Ergo error evacuat matrimonium.

Maior prob., quicquid impedit causam, de sui natura impedit effectum. Sed quod evacuat consensum, impedit causam matrimonii: est enim consensus causa matrimonii, ut dictum est quæst. 45. artic. 1. Ergo quod evacuat consensum; evacuat etiam matrimonium.

Minor prob., quia consensus est actus voluntatis, actus autem voluntatis præsupponit actum intellectus; deficiente autem primo, necesse est defectum cadere etiam in secundo: et ideo, quando error cognitionem impedit, sequitur etiam ex ipse errore defectus consensus. Error

igitur consensum, qui est matrimonii causa, evacuat, et inde matrimonium naturali jure impedit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. quoad secundam partem. Ad prob. dicitur, quod ignorantia, simpliciter loquendo, ab errore differt, quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum error vero ponit judicium rationis perversum de aliquo. Tamen quantum ad hoc quod est impedire voluntarium, non differt utrum dicatur ignorantia vel error, quia nulla ignorantia potest impedire voluntarium, nisi habeat errorem adjunctum, et hoc quia actus voluntatis præsupponit æstimationem sive judicium de aliquo in quod fertur. Unde si ibi est ignorantia, oportet esse etiam errorem, propter quod error qui est causa proxima magis quam ignorantia, quæ est causa remota, impedimentum matrimonii ponitur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis error non contrarietur matrimonio et ejus bonis secundum se, contrariatur tamen eidem quantum ad suam causam quæ est consensus.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod aliter requiritur intentio in baptismo, et aliter consensus in matrimonio. Character enim baptismi non causatur directe ex intentione baptizantis, sed ex elemento materiali exterius adhibito: intentio autem operatur solum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium. Vinculum autem conjugale ex ipso consensu causatur directe, ut supra dictum est q. 45. suppl. art. 1. et ideo non est simile.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod matrimonium quod fuit inter Liam et Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit, ut magister dicit in dist. 30. 4. Sent. Et tamen uterque á peccato excusatur, ut patet per magistrum ibidem.

ARTICULUS II.

Utrum omnis error impediat matrimonium.

Pro affirmativa.=Videtur quod omnis error impediat matrimonium, et non solum error conditionis personæ.

1. Quod convenit alicui secundum se, convenit ei secundum totum suum ambitum. Sed error de sui natura habet quod matrimonium impediat: ut art. præced. dictum est. Ergo omnis error impedit matrimonium.

2. Error fidei, qui est in hæreticis, est maior quam sit error personæ. Ergo error fidei magis debet impedire quam error personæ.

Conseq. prob. quia maior error, magis debet impedire.

3. Ignorantia cujuslibet circumstantiæ tollit voluntarium: ut patet 3. Ethic. c. 1. Ergo error non solum conditionis personæ, sed omnium aliarum circumstantiarum, matrimonium evacuat.

Conseq. prob., quia error evacuat matrimonium inquantum tollit voluntarium.

4. Error conditionis personæ impedit matrimonium. Ergo eadem ratione error qualitatis et fortunæ ipsius personæ matrimonium evacuat.

Conseq. prob., quia sicut conditio servitutis est aliquid accidens annexum personæ; ita qualitas corporis vel animi.

5. Error conditionis libertatis vel servitutis impedit matrimonium. Ego etiam error nobilitatis vel ignobilitatis, status et dignitatis, matrimonium impedire debet.

Conseq. prob., quia sicut ad conditionem personæ pertinet servitus vel libertas: ita ad conditionem personæ pertinet nobilitas vel ignobilitas, status dignitatis vel ejus privatio.

6. Sicut conditio servitutis impedit matrimonium, ita disparitas cultus et impotentia coeundi, ut dicetur q. 52. suppl. art. 2. q. 58. ar. 1. et q. 59. art. 1. Ergo sicut error conditionis po-

nitur impedimentum matrimonii, ita error circa alia hujusmodi deberet impedimentum matrimonii poni.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Videtur quod nec error personæ matrimonium impediat.

1. In emptione et venditione, si detur aurum æquivalens pro alio auro, non impeditur venditio. Ergo nec matrimonium impeditur, si pro una muliere, alia accipiatur.

Conseq. prob., quia matrimonium, sicut et emptio est contractus quidam.

2. Potest contingere quod per multos annos error iste detineatur, et filios et filias generent simul. Sed grave esset dicere, quod tunc essent dividendi. Ergo primus error non evacuavit matrimonium.

3. Potest contingere quod frater viri in quem se credit mulier consentire, offeratur ei et cum eo carnaliter commisceatur, et tunc videtur quod non possit redire ad illum, in quem consentire se credidit, sed debeat stare cum fratre ejus, et sic error personæ non impedit matrimonium.

Determinatio.

CONCLUSIO. Non omnis error matrimonium impedit; sed solum error personæ et conditionis servitus.

Prob. Error qui impedit matrimonium oportet quod sit eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Sed solus error qui est circa personam et circa conditionem servitutis, est eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Ergo solus error personæ et conditionis servitutis matrimonium impedit.

Maior manifest., quia sicut error, ex hoc quod involuntarium causat, habet excusare peccatum; ita ex eodem habet quod matrimonium impediat. Non excusat autem error peccatum, nisi sit illius circumstantiæ, cujus appositio vel remotio faciat differentiam liciti vel illiciti in actu. Si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo quem credit ligneum esse, non excusatur á toto, sed forte á tanto, quia quod baculus sit ligneus vel ferreus, non facit actum percutiendi patrem licitum; sed si quis credat percutere filium causa disciplinæ et percutiat patrem, excusatur á toto, si tamen debita adhibita fuerit diligentia. Ex quibus patet quod error qui excusat, debet esse illius circumstantiæ quæ facit actum licitum vel illicitum: et pari ratione error impediens matrimonium, debet esse eorum quæ ad ejus essentiam pertinent.

Minor prob., quia matrimonium duo includit, scilicet duas personas, quæ conjunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit: quorum primum tollitur per errorem personæ, secundum per errorem conditionis. Quia servus non potest potestatem sui corporis libere tradere sine consensu sui domini: et ideo error personæ et conditionis servitutis, matrimonium impedit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Error enim non habet ex natura sui generis, quod impediat matrimonium, sed tantum ex natura adjunctæ, differentiæ, prout scilicet est error alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii.

Ad 2. Neg. conseq. Nam error infidelis de matrimonio est circa ea quæ matrimonium consequuntur, sicut an sit sacramentum; vel an sit licitum. Et ideo talis error non impedit matrimonium. Sicut nec error circa baptismum impedit receptionem characteris dummodo intendat facere, vel recipere quod Ecclesia facit, vel dat, quamvis credat nihil esse, ut patet sup. 3. parte quæst. 67. art. 5.

Ad 3. Neg. antecedens. Non enim ignorantia cujuslibet circumstantiæ causat involuntarium, quod peccatum excusat, sed solum illarum circumstantiarum quæ actum licitum vel illicitum

reddunt, ut dictum est in corpore et similiter non quilibet error impedit matrimonium, sed solum ille qui est circa essentialia matrimonii.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod diversitas fortunæ non variat aliquid eorum quæ sunt de essentia matrimonii, sicut diversitas personæ et conditio servitutis; et ideo non est eadem utriusque ratio.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod et si nobilitas ad personam pertineat, tamen error nobilitatis matrimonium non evacuat eadem ratione, qua nec error qualitatis ipsum evacuat; quia scilicet non tollit aliquid pertinens ad essentiam matrimonii. Si tamen error nobilitatis redundaret in errorem personæ; tunc matrimonium impediret. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille; tunc si alius præsentetur ei, quam filius regis, est error personæ et impediretur matrimonium.

Ad 6. Neg. conseq. Et si enim error aliorum impedimentorum matrimonii, quantum ad ea quæ faciunt personas illegitimas, impediat matrimonium, tamen de errore illorum non fit mentio in impedimento erroris, quia illæ impediunt matrimonium sivæ cum errore sint sive sine errore. Si enim aliqua contrahat cum subdiacono, sive sciat sive nesciat, non est matrimonium. Conditio vero servitutis si sciatur, non impedit contrahentem. Et ideo non est simile de servitute, et de aliis.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in contractibus venditionum et emptionum, pecunia accipitur quasi mensura aliarum rerum, ut patet 5. Ethic. c. 5. et non quasi propter se quæsita; et ideo si non detur illa pecunia quæ creditur dari, sed alia æquivalens, nihil obest contractui. Sed si in re quæsita propter se esset error, impediretur contractus; sicut si alicui venderetur lolium pro tritico. Et quia persona in matrimonium per se quæritur, ideo error personæ matrimonium evacuat.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quantumcumque fuerit cum ea, etiam quod filios procreasset, non est matrimonium, nisi de novo consentire velit.

Ad 3. Dicitur ad inductum casum, quod si mulier ante non consenserat in fratrem viri sui, potest eum quem per errorem accepit retinere, nec potest ad fratrem ejus redire, precipue si sit cognita carnaliter ab eo quem secundo accepit. Si autem consenserat in primum per verba de præsenti, non potest secundum habere, primo vivente; sed potest vel utrumque relinquere, vel ad primum redire; et ignorantia facti excusat peccatum, sicut excusaretur post consummatum matrimonium, si á consanguineo viri sui fraudulenter carnaliter cognosceretur, quia fraus alterius non debet sibi præjudicare.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 141.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á, etc. ut quæst. 45. art. 1. 2. et 4. append. quod error impedit matrimonium. Quod autem hoc sit ibi insinuatum, patet ex eo, quod consensum ad matrimonium requiri dicunt. Quicumque enim dicit hoc, ostendit utique; quod error impedit matrimonium ex eo, quod tollit consensum. Vide ibi dicta Patrum hoc ipsum insi-

nuantia. *Secundo* habes: quomodo per rationem illorum dicta, pro quanto errorem matrimonium insinuant impedire. et intelligas, et probes, etdefendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á *Gregorio XI.* quod error personæ impedit matrimonium. Insinuatum est autem sic: "Ex parte abbatis, etc. Œconomus monasterii memorati quædam per errorem facti fuit in jure confessus, ex quibus timet sibi præjudicium generari. Cum igitur nemini noceat error facti, mandamus, quatenus, si de hujusmodi potuerit errore docere: provideas, ut nullum sibi super hoc præjudicium generetur." Hæc ille de cons. Ecce, quod error facti nemini præjudicare debet: et consequenter, cum error personæ error sit facti, excusat, et per consequens non obligat talem errantem ad matrimonium. Error facti est, quando quis credit tractare cum aliqua persona; puta in proposito, consentire in Joannem, et supponitur Petrus, in quem credens, quod sit Joannes, consentit; et tractat cum alia: vel facere aliquid, et facit aliud nesciens. Talis error, ut supra per Gregorium, excusat, quod etiam, et quidem á fortiori, patet de Jacob sic errante in cognitione Liæ, Gen. 29. idipsum quoque insinuatum est á, etc. ut art. 1. append. Item á, etc. quæst. 24. art. 1. in elucid. Quicumque enim pontifices determinant, quod percutiens clericum nesciens esse clericum, per ignorantia facti, puta quia incedit, ut laicus in omnibus, non incurrit excommunicationem: determinant etiam per hoc á simili, quod contrahens matrimonium cum aliquo, deceptus errore personæ, excusatur á contractu, ita, quod non obligatur ad matrimonium, tamquam nullum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto errorem personæ impedire matrimonium insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SECUNDA,

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS SERVITUTIS IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento conditionis servitutis.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum conditio servitutis matrimonium impediat.

Secundo, utrum servus sine consensus domini possit matrimonium contrahere.

Tertio, utrum aliquis, postquam uxoratus est, possit se servum facere sine consensu uxoris.

Quarto, utrum filii debeant sequi conditionem patris, vel matris.

ARTICULUS I.

Utrum conditio servitutis impediat matrimonium.

Pro negativa.= Videtur, quod conditio servitutis non impediat matrimonium.

1. Illud quod impedit matrimonium, habet aliquam contrarietatem ad ipsum. Sed servitus non habet aliquam contrarietatem ad matrimonium. Ergo servitus non impedit matrimonium.

Minor prob., quia si servitus haberet hanc contrarietatem, non posset fieri matrimonium inter servos.

2. Illud quod est contra naturam, non potest impedire id quod est secundum naturam. Sed servitus est contra naturam. Ergo servitus non potest impedire matrimonium quod est secundum naturam.

Minor prob., quia Greg. dicit in past. par. 2. cap. 6. *Contra naturam est hominem homini velle dominari.* Quod etiam patet ex hoc quod homini dictum est, *ut præsit piscibus maris*, etc. Non autem *quod præsit homini.*

3. Si conditio servitutis impedit matrimonium, aut hoc impedimentum est de jure naturali, aut de jure positivo. Non de jure naturali, quia secundum jus naturale, omnes homines sunt æquales, ut Greg. loc. cit. dicit. Et in principio digestorum dig. vet. lib. 1. tit 1. lege 4. dicitur quod servitus non est de jure naturali. Nec de jure positivo, quia jus positivum á naturali descendit. Unde si servitus non est á jure naturali, nec á jure positivo erit.

4. Illud quod impedit matrimonium, æqualiter impedit, sive sciatur sive non sciatur, ut patet de consanguinitate. Sed servitus unius cognita ab altero, non impedit matrimonium. Ergo servitus, quantum in se est, non habet quod impediat matrimonium; et ita non deberet poni per se matrimonii impedimentum ab aliis distinctum.

5. Libertas non ponitur impedimentum matrimonii. Ergo nec servitus impedimentum debet poni.

Conseq. prob., quia sicut contingit esse errorem circa servitutem, ut putetur liber qui servus est; ita potest esse error de libertate, ut putetur servus qui est liber.

6. Lepra non ponitur impedimentum matrimonii, juxta decret. lib. 4. tit. 8. cap. 2. Ergo nec servitus debet poni.

Conseq. prob., quia magis facit gravem societatem matrimonii, et plus impedit bonum prolis morbus lepræ, quam servitus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In lib. 4. Decret. tit. 9. cap. 2. et 4. De conjugio servorum dicitur quod *error conditionis impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum.*

2. Contrarium impedit suum contrarium. Sed servitus est matrimonio contraria. Ergo servitus impedit matrimonium.

Minor prob., quia matrimonium est de bonis per se expetendis in quantum habet honestatem, servitus vero est de per se fugiendis.

Determinatio.

Conclusio. Conditio servitutis ignorata impedit matrimonium non autem si sit scita.

Prob. Illud, per quod aliquis fit impotens ad solvendum debitum matrimoniale, impedit matrimonium. Sed per conditionem servitutis fit aliquis impotens ad solvendum matrimoniale debitum. Ergo conditio servitutis impedit matrimonium.

Maior prob., quia in contractu matrimonii obligatur unus conjugum alteri ad reddendum debitum, et ideo si ille qui se obligat est impotens ad solvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo cui fit obligatio, tollit contractum.

Minor prob., quia sicut per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere, ita per servitutem fit impotens, ut libere debitum reddere non possit: et ideo sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur; ita conditio servitutis ignorata impedit matrimonium, non autem servitus scita.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Servitus enim contrariatur matrimonio et quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi; et quantum ad bonum prolis, quæ peioris conditionis efficitur ex servitute parentis. Ad prob. dicitur, quod quia quilibet potest in eo quod sibi debetur sponte aliquod detrimentum subire; ideo si alter conjugum scit alterius servitutem, tenet matrimonium. Similiter etiam, quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius quam ipse facere possit, et propterea servus si cum ancilla contrahat quam credit liberam, non propter

hoc impeditur matrimonium. Et sic patet quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando est ignorata ab alio conjuge, qui sit liberæ conditionis: et ideo nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum et ancillam.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod nihil prohibet aliquid esse contra naturam quantum ad primam naturæ intentionem quod non est contra naturam, quantum ad ejus secundariam intentionem. Sicut omnis defectus, corruptio et senium sunt contra naturam, ut dicitur 2. de Cæl. tex. 37. Quia natura intendit esse et perfectionem, non tamen sunt contra secundariam intentionem naturæ, quia ex quo natura non potest conservare esse in uno, conservat in altero quod generatur ex corruptione alterius. Et quando natura non potest perducere ad maiorem perfectionem, inducit ad minorem, sicut quando non potest facere masculum, facit fœminam quæ est mas occasionatus, ut dicitur 16. de Animal. Servitus ergo est contra primam intentionem naturæ, sed non est contra intentionem secundam. Naturalis enim ratio ad hoc inclinat et hoc appetit ut quilibet sit bonus: sed ex quo aliquis peccat, natura etiam inclinat ut ex peccato pœnam reportet, et sic servitus in pœnam peccati est introducta. Ad formam igitur dicitur, quod maior est vera de his quæ omnibus modis sunt contra naturam. Et ad minorem dicitur, quod servitus non est undequaque contra naturam, est enim intenta á natura secundario, ut dictum est.

Ad 3. Negatur minor. Servitutis enim impedimentum est de jure naturæ et positivo. Jus enim naturale dictat quod pœna sit pro culpa infligenda, et quod nullus sine culpa puniri debeat: determinare autem pœnam secundum conditionem personæ et culpæ, est juris positivi; servitus igitur, quia est quædam determinata pœna, est de jure positivo et á naturali proficiscitur sicut determinatum ab indeterminato; et eodem jure positivo determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur: est enim quædam pœna uxoris, quæ virum habeat servum et é converso.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod non omne impedimentum matrimonii, æqualiter matrimonium impedit. Sunt enim impedimenta in duplici differentia. Quædam sunt, quæ faciunt matrimonium illicitum: et quia voluntas nostra non facit aliquid licitum esse vel illicitum, sed lex cui voluntas subdi debet, ideo ignorantia talis impedimenti, quæ voluntarium tollit vel ejusdem scientia nihil facit ad hoc quod matrimonium teneat vel non teneat. Et talia impedimenta sunt affinitas, solemne votum, et cætera, hujusmodi. Quædam vero sunt impedimenta quæ faciunt matrimonium inefficax ad solutionum debiti. Et quia in voluntate nostra consistit relaxare quod est nobis debitum; ideo talia impedimenta, si sint cognita, matrimonium non tollunt, sed solum quando igorantia voluntarium excludit. Et tale impedimentum est servitus et impotentia coeundi, et quia etiam de se habent rationem impedimenti, ideo hæc duo ponuntur specialia impedimenta, præter errorem. Variatio autem personæ non ponitur speciale impedimentum præter errorem quia persona alia sub introducta, non habet rationem impedimenti, nisi ex intentione contrahentis.

Ad 5. Dicitur negando conseq. Ad prob. dicitur, quod libertas non impedit actum matrimonii, sicut servitus, et ideo, etiam si ignoretur, non impedit ipsum.

Ad 6. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod lepra non impedit matrimonium quantum ad principalem actum suum, quia leprosi debitum libere reddere possunt, quamvis aliqua gravamina matrimonii inferat quantum ad secundos

effectos; et ideo non ponitur impedimentum matrimonii, sicut servitus.

ARTICULUS II.

Utrum servus possit contrahere matrimonium sine consensu Domini.

Pro negativa. = Videtur quod servus non possit contrahere matrimonium sine consensu Domini.

1. Nullus potest alicui dare quod non est suum, sed alterius. Sed servus est res Domini. Ergo servus non potest contrahere matrimonium, et per hoc dare potestatem corporis sui uxori, sine consensu Domini.

2. Servus tenetur obedire Domino suo, qui potest ei præcipere quod in matrimonium non consentiat. Ergo sine consensu ejus non potest matrimonium contrahere.

3. Si servus sine consensu Domini potest matrimonium contrahere; sequitur quod Dominus privaretur servitio sibi debito sine ejus culpa quod esse non debet.

Conseq. prob., Nam post contractum matrimonium, servus tenetur reddere debitum uxori, ex præcepto divini juris. Sed eo tempore quo uxor debitum petit, potest Dominus aliquod servitium servo imponere, quod facere non poterit, si carnali copulæ velit vacare, et sic Dominus privaretur servitio servi.

4. Dominus potest vendere servum in extraneas regiones, quo uxor sua non poterit eum sequi, vel propter infirmitatem corporis, vel propter periculum fidei imminens, puta si vendatur infidelibus, vel etiam domino uxoris non permittente, si sit ancilla, et sic matrimonium dissolvetur, quod est inconveniens. Ergo non potest servus sine consensu domini matrimonium in contrahere.

5. Servus sine consensu domini non potest religionem intrare, vel ad ordines promoveri. Ergo multo minus potest sine ejus consensu matrimonio jungi.

Conseq. prob., quia favorabilior est obligatio, qua homo divinis obsequiis se mancipat, quam illa qua uxori se subjicit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *In Christo Jesu non est servus, neque liber.* Ut dicitur ad Galat. 3. Ergo ad matrimonium contrahendum in fidem Christi Jesu, eadem est libertas liberis et servis.

2. Servitus est de jure positivo, matrimonium vero est de jure naturali vel divino. Ergo servus, absque domini consensu, potest matrimonium contrahere.

Conseq. prob., quia jus positivum non præjudicat juri naturali aut divino.

Determinatio.

Conclusio. Servus potest sine consensu domini matrimonium contrahere.

Prob. Ea quæ sunt de jure naturali potest servus facere etiam sine consensu domini sui. Sed contrahere matrimonium pertinet ad jus naturale. Ergo servus potest matrimonium contrahere, etiam sine consensu domini sui.

Maior manifest. quia servitus est juris positivi; ea autem quæ sunt juris positivi, non possunt præjudicare his quæ sunt naturalis juris: procedit enim jus positivum á jure naturali, ut art. præced. dictum est.

Minor ostenditur, quia sicut appetitus conservandi individuum est naturalis, ita naturalis, est etiam appetitus conservandi speciem. Unde sicut servus non subditur domino, quin libere possit comedere et dormire et alia hujusmodi facere quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest; ita non subditur ei, quantum ad hoc quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam domino nesciente, aut etiam contradicente.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod servus est res domini quantum ad ea quæ naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia omnes homines sunt pares. Unde in his quæ ad actus naturales pertinent, ut est matrimonium, po-

test servus invito domino alteri potestatem sui corporis tradere.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod servus domino suo tenetur obedire in his quæ dominus licite potest precipere. Sicut autem dominus non potest licite præcipere servo quod non comedat vel quod non dormiat; ita etiam non potest ei præcipere quod abstineat á matrimonio contrahendo. Inter est enim ad legislatorem, qualiter quilibet re sua utatur. Et ideo, si dominus præcipiat servo quod non contrahat matrimonium, servus non tenetur domino obedire.

Ad 3. Neg. conseq. Si enim servus volente domino matrimonium contraxerit, debet prætermittere servitium Domini imperantis et reddere debitum uxori; quia per hoc quod Dominus concessit quod servus matrimonium contraheret, intelligitur concessisse omnia quæ matrimonium requirit Si autem matrimonium ignorante aut contradicente Domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potius Domino obedire, si utrumque simul fieri non possit. In his tamen multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus aliis humanis actibus, scilicet periculum castitatis imminens uxori et impedimentum quod ex redditione debiti servitio imperato generatur et alia hujusmodi, quibus omnibus rite pensatis, judicari poterit, cui magis servus obedire teneatur, domino vel uxori.

Ad 4. Dicitur quod in tali casu dominus cogendus est, ne servum taliter vendat quod faciat onera matrimonii graviora, præcipue cum non desit facultas ubicumque vendendi servum suum justo pretio.

Ad 5. Neg. conseq. Non enim est eadem utriusque ratio propter duo. Primo, quia per religionem, vel ordinis susceptionem obligatur aliquis divinis obsequiis quantum ad totum tempus, non autem per matrimonium, quia vir tenetur debitum reddere uxori non semper, sed congruis temporibus. Secundo, quia ille qui intrat religionem vel suscipit ordinem, obligat se ad aliqua opera quæ sunt naturalibus superaddita, in quibus Dominus ejus potestatem habet; per matrimonium autem obligat se tantum ad naturalia, in quibus dominus potestatem non habet. Unde servus non posset vovere sine consensu domini.

ARTICULUS III.

Utrum servitus possit matrimonio supervenire.

Pro negativa = Videtur quod servitus non possit matrimonio supervenire.

1. Illud quod in fraudem et præjudicium alterius factum est, ratum esse non debet. Sed vir qui se in servum vendit, facit hoc quandoque in fraudem matrimonii, et saltem in detrimentum uxoris. Ergo non debet talis venditio valere ad servitutem inducendam.

2. Duo favorabilia præjudicant uni non favorabili. Sed matrimonium et libertas sunt favorabilia quæ repugnant servituti, quæ non est favorabilis in jure. Ergo talis servitus debet in matrimonio pœnitus annullari.

3. Uxor non potest se in ancillam dare, nolente marito. Ergo nec vir potest se in servum dare, nolente uxore.

Conseq. prob., quia in matrimonio vir et uxor ad paria judicantur.

4. Illud quod impedit rei generationem in naturalibus, destruit etiam rem generatam. Sed servitus viri, nesciente uxore, impedit matrimonium, antequam fiat. Ergo si servitus posset matrimonio supervenire, destrueret ipsum matrimonium; quod tamen est falsum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quilibet potest quod est suum alteri dare. Sed vir liber est sui juris. Ergo potest jus suæ libertatis alteri dare.

2. Servus potest nolente Domino uxorem ducere, ut art. præced. dictum est. Ergo eadem ratione vir potest Domino se subjicere, nolente uxore.

Determinatio.

Conclusio. Vir, etiam nolente uxore, potest se alteri in servum dare non tamen ex hoc matrimonium dissolvetur.

Prob. prior pars. Id quod vir nolente uxore non potest facere, pertinet ad actus naturæ, Sed servitus non pertinet ad actum naturæ. Ergo vir, etiam nolente uxore, potest se in servum alteri dare.

Maior prob., quia vir subditur uxori solum in his quæ ad actum naturæ pertinent.

Altera conclusionis pars prob. Quia nullum impedimentum, matrimonio superveniens, potest dissolvere ipsum, ut dictum est quæst. 50. suppl. artic. unico ad 7.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod fraus bene potest nocere ei qui fraudem fecit, sed non potest alteri præjudicium generare: et ideo, si vir in fraudem uxoris se alteri det in servum, ipse damnum reportat inæstimabile bonum libertatis amittens, sed uxori nullum potest ex hoc præjudicium generari, quin teneatur reddere debitum petenti, et ad omnia quæ matrimonium requirit: non enim potest ab his retrahi Domini sui præcepto.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quantum ad hoc, quod servitus matrimonio repugnat, non præjudicat servitus matrimonio, sed potius matrimonium servituti, quia tunc servus tenetur uxori reddere debitum, etiam nolente Domino.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis in actu matrimoniali, et in his quæ ad naturam spectant, ad paria vir et uxor judicentur, ad quæ conditio servitutis se non extendit; quantum tamen ad dispensationem domus et ad alia hujusmodi superaddita, vir est caput uxoris et debet corrigere eam, et non é converso. Et ideo uxor non potest se dare in ancillam, nolente viro.

Ad 4. Dicitur, quod maior non est universaliter vera, sed solum in aliquibus rebus corruptibilibus, in quibus etiam multa impediunt generationem, quæ tamen non sufficiunt ad destruendam rem generatam. In rebus tamen perpetuis potest quidem impedimentum præstari ne res talis esse incipiat, non autem, ut esse desistat, sicut patet de anima rationali. Et quia matrimonium est perpetuum vinculum, potest esse impedimentum aliquod, ne fiat; postquam autem est factum, non potest per aliquod impedimentum destrui.

ARTICULUS IV.

Utrum filii debeant sequi conditionem patris.

Pro affirmativa.=Videtur quod filii debeant sequi conditionem patris.

1. Denominatio fit á digniori. Sed pater in generatione est dignior quam mater. Ergo filius debet sequi conditionem patris et non matris.

2. Esse rei magis dependet á forma, quam á materia. Sed in generatione pater dat formam, mater vero materiam. Ergo proles magis patrem quam matrem sequi debet.

3. Illud quod alicui magis assimilatur, præcipue illud debet sequi. Sed filius plus assimilatur patri quam matri, sicut filia plus assimilatur matri. Ergo filius ad minus plus debet sequi patrem quam matrem.

4. In sacra Scriptura non computatur genealogia per mulieres, sed per viros. Ergo proles magis sequitur patrem quam matrem.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Fructus seminis seminati in aliena terra sunt ejus cujus est terra. Sed venter mulieris, respectu seminis viri, est sicut terra respectu sementis. Ergo proles est mulieris.

2. In aliis animalibus quæ ex diversis speciebus nascuntur, hoc videmus, quod partus magis sequitur matrem quam patrem. Unde muli, qui nascuntur ex equa et asino, magis assimilantur equæ,

quam illi qui nascuntur ex asina et equo. Ergo similiter debet esse in hominibus.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Rationabile est quod filii debeant sequi conditionem matris.

Prob. primo, quia hoc in civili lege statuitur, ut patet C. l. partum de rei vend. Secundo prob. ratione. Quia proles habet á patre completum formale, sed á matre substantiam sui corporis; servitus autem est conditio corporalis, cum servus sit quasi instrumentum Domini in operando; et ideo proles in libertate et servitute sequitur matrem.

2.ª Conclusio. In his, quæ pertinent ad dignitatem, sicut in honoris et municipiis et hæreditate et aliis hujusmodi, proles sequitur patrem.

Manifest. quia proles habet formam ex patre.

Et confirmatur utraque conclusio auctoritate Scripturæ Sacræ Exod. 21. Ubi dicitur, quod si Dominus dederit ancillam suam alicui in uxorem, et perpererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui.

In quibusdam tamen religionibus, quæ jure civili non reguntur, aliter servatur. Tamen juris civilis statutum est rationabilius.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis pater sit dignius principium, mater tamen dat substantiam corporalem ex parte cujus attenditur servitus, vel libertas.

Ad 2. Dicitur etiam ad minorem, quod in his, quæ ad rationem speciei pertinent, magis assimilatur filius patri quam matri in materialibus tamen conditionibus magis assimilatur matri, á qua materiales conditiones habet.

Ad 3. Ad minorem dicitur, quod filius assimilatur patri ratione formæ, et matri ratione materiæ.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod quia honor filii magis est ex patre quam ex matre; ideo in genealogiis in scripturis et secundum communem consuetudinem, magis nominantur filii á patre quam á matre, in his tamen quæ ad servitutem spectant, magis matrem sequuntur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 142.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á summis Pontificibus, quod servitus impedit matrimonium, et sic: " Mandamus, quatenus, si constiterit, quod idem vir præfatam mulierem, postquam audivit illam esse ancillam, carnaliter cognovit; ipsum monitione præmissa compellas, ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet. Si vero aliter fuerit, et sententiam divortii proferre contingat: mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote concessit, restitui facias. » Hæc Alex. III. de conjug. serv. cap. Proposuit. Item Innocent. III. ibi cap. ad nostram: " Si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla: ita, quod, postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem. » Vide de hac re 29. quæst. 2. in pluribus cap. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, pro quanto servitutem impedire matrimonium decernunt et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem explodas errorem quorumdam dicentium, quod servus non potest contrahere matrimonium sine consensu domini. Videtur enim simile judicium fieri debere, et de his, qui hoc dicebant de filiis, et de servis. Unde per hoc, quod de uno dixerunt, de alio etiam simile sensisse videntur.

Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum á simili merito damnari per Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. " eos sancta Synodus anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia á filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse. » Neque ergo domini possunt irritare matrimonia á servis absque consensu ipsorum dominorum contracta. Item per Adrianum Papam, Dignum, etc. " Juxta verbum Apostoli, sicut neque servus est á sacramentis Ecclesiæ removendus; ita nec inter servos matrimonia debent nullatenus prohiberi. Et, si contradicentibus dominis, et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen, et consueta servitia non debent minus propriis dominis exhiberi. » Hæc ille, de coujug. serv. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto servos sine consensu dominorum innuunt posse matrimonio jungi, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á simili per *Adrianum* Papam, quod servitus matrimonio supervenire potest: et sic. Dignum, et cet. *Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, etsi contradicentibus dominis*, et cet. supra articul. 2. append. vide tu ibi. Nam, sicut contradicentibus, et invitis dominis, servos posse cotrahere matrimonia, quæ non sunt propter hoc dissolvenda; et post illorum contractionem dominis consueta servitia debere sanxit Adria. ita á simili sanxisse videtur per hoc, quod vir matrimonio junctus, etiam contradicente uxore, possit seipsum alicui in servum dare; nec tamen ob hoc dissolvi matrimonium, neque obligationem ad debitum reddendum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictam Pontificis, pro quanto insinuare videtur uxoratum posse alicujus servitute subire, et intelligas, et probes et defendas. Notabis tamen hic, quod aliud est posse, aliud est facere: et quod de primo locutio fuit tam á S. Doctore, qnam ab Adriano Papa: non autem de secundo. Unde virum ab hac servitute subeunda, præsertim uxore invita, si interrogarentur, removerent, dicentes, quod multa fieri possunt, quæ aliquando fieri non expedit. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á *Gregorio* IX. et ab *Urbano III.* quod filius sequitur conditionem matris quoad servitutem, et libertatem. A Gregorio quidem sic: *Indecens esse credimus, ut progeniti ex liberta, seu libera, filii ad servitium retrahantur.* Hæc ille de nati. ex liber. vent. Verbi gratia. Est servus habens liberam in matrimonio, libera gignit filios. Isti filii, si sequuntur conditionem patris judicantur liberi. Sic loquitur Gregorius. Ab Urbano autem, de conjug. serv. Licet, etc. " Fuit propositum, an mulier possit divortium postulare, pro eo, quod vir, cum quo suæ conditionis ignara contraxit, servus monasterii proponatur: cum é contra idem vir patrem suum, cujus conditionem secundum leges provinciæ sequeretur, tempore mortis pro libero se gessisse constanter afirmet. Videtur nobis favore libertatis pro parte viri securius judicandum. » Nota ly secundum leges provinciæ. Hic enim duo innuit Urban. et quod secundum leges communes, de quibus S. Thom. in princ. corp. mentionem facit, filius debet sequi quoad servilitatem, vel libertatem conditionem matris, et quod secundum leges particulares alicujus provinciæ debet in his sequi conditionem patris. Unde et idem Urban. secundum leges provinciae, in qua proponebatur casus, determinationem fecit, ut supra. Quod si secundum leges communes determinare voluisset, concorditer ad Gregor. supra adductum dixisset. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Pontificum, pro quanto filios sequi conditiones matris quoad libertatem, et servitutem insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA TERTIA,

DE IMPEDIMENTO VOTI, ET ORDINIS IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento voti, et ordinis.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum votum simplex matrimonium dirimat.

Secundo, utrum votum solemne.

Tertio, utrum ordo matrimonium impediat.

Quarto, utrum aliquis post matrimonium sacrum ordinem suscipere possit.

ARTICULUS. I.

Utrum per obligationem voti simplicis, matrimonium contractum dirimi debeat.

Pro affirmativa.=Videtur quod per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat.

1. Fortius vinculum debiliori præjudicat. Sed vinculum voti est fortius quam vinculum matrimonii. Ergo vinculum voti præjudicat vinculo matrimonii.

Minor prob., quia votum fit Deo, matrimonii vero promissio homini.

2. Præceptum Ecclesiæ adeo obligat, quod si contra ipsum contrahatur matrimonium, dirimitur: sicut patet de illis, qui contrahunt in aliquo gradu consanguinitatis, ab Ecclesia prohibito. Ergo matrimonium contra votum contractum, est dirimendum.

Conseq. prob., quia servare votum est divinum præceptum, quod non est minus, quam sit præceptum Ecclesiæ.

3. In matrimonio potest homo uti carnali copula, sine peccato. Sed ille, qui facit votum simplex castitatis, numquam potest carnaliter uxori commisceri sine peccato. Ergo votum simplex matrimonium dirimit.

Minor prob., quia constat quod ille qui post votum simplex continentiæ matrimonium contrahit, peccat mortaliter, quia secundum Agustinum libro de bono viduitatis cap. 9. et Hieronimum, ut refertur in decret. dist. 27. cap. Vovent: *virginitatem voventibus, non solum nubere, sed velle nubere, damnabile est.* Sed contractus matrimonii non est contra votum continentiæ, nisi ratione carnalis copulæ. Ergo quando primo carnaliter commiscetur uxori, mortaliter peccat, et eadem ratione omnibus aliis vicibus; quia peccatum commissum non potest excusare á peccato sequenti.

4. Ille qui votum simplex continentiæ facit, numquam potest petere debitum sine peccato. Ergo nec potest sine peccato reddere, ac per hoc nec mulier petere.

Antec. prob., quia hoc est manifeste contra votum continentiæ, ad quam ex voto tenetur.

Conseq. prop., quia vir et mulier in matrimonio debent esse pares, præcipue quantum ad carnalem copulam: unde si vir non potest petere nec reddere, non erit matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Clemens Papa dicit, quod *votum simplex impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.* Et refertur in Decret. lib. 4. in tit. Quod clerici voventes, c. Consulunt.

Determinatio.

Conclusio. Votum simplex continentiæ impedit quidem matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum.

Probatur prior pars, quia contrahens matrimonium post votum simplex continentiæ, peccat.

Altera pars ostenditur. Illud post quod homo remanet dominus sui corporis, non dirimit matrimonium contractum. Sed post votum simplex continentiæ homo remanet dominus sui corporis. Ergo simplex votum continentiæ non dirimit matrimonium contractum.

Maior prob., quia sacramentum matrimonii consistit in datione sui corpo-

ris alteri conjugi: unde qui habet potestatem tradendi suum corpus alteri, verum contrahit matrimonium.

Minor prob., quia per hoc, res aliqua desinit esse in potestate alicujus per quod transit in dominium alterius; promissio autem alicujus rei non transfert eam in dominium ejus cui promittitur, et ideo non ex hoc ipso quod aliquis rem promittit, desinit res illa esse in potestate sua: cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam servandam facta, post votum simplex adhuc homo remanet dominus sui corporis.

In forma sic probatur hæc minor. Post simplicem promissionem promittens remanet dominus rei promissæ. Sed votum simplex est simplex promissio servandæ continentiæ. Ergo post votum simplex remanet homo dominus sui corporis, ac per hoc ejus potestatem potest alteri tradere per matrimonium, quamvis peccet non servans promissum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod votum fortius vinculum est quam sit vinculum matrimonii, quantum ad aliqua, non quantum ad omnia: fortius est (in quam) quantum ad id cui et ad quod obligat, quia per matrimonium obligatur homo uxori, et ad redditionem debiti; sed per votum obligatur Deo ad servandam continentiam. Quantum autem ad modum ligandi, matrimonium est fortius vinculum quam sit votum simplex, quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per votum simplex traditur actualiter corpus Deo ad servandam continentiam, ut in corpore dictum est. Et quia potior est ratio possidentis, ideo matrimonii vinculum, quantum ad hoc, fortius est quam voti. Obligat autem simplex votum sicut sponsalia. Et quia fortius vinculum est promissio facta Deo in voto simplici, quam quæ fit mulieri per sponsalia; ideo propter votum simplex continentiæ sponsalia sunt dirimenda.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod præceptum prohibens matrimonium inter consanguineos, non habet quod dirimat matrimonium contractum, ex hoc quod est præceptum Dei vel Ecclesiæ; sed ex ipsa natura præcepti, quæ est prohibere ne caro consanguinei detur in potestate alterius consanguinei, propter quod inter consanguineos non potest esse matrimonialis contractus, cum neuter possit alteri tradere sui corporis potestatem, propter præceptum hanc traditionem inter consanguineos prohibens et irritans: præceptum autem de servando simplici voto non tollit potestatem tradendi alteri proprium corpus, cum ille qui votum simplex emisit, adhuc sit sui corporis dominus, ut dictum est in corpore: et ideo verum contractum sui corporis facere potest et ejus potestatem uxori tradere. Negatur igitur consequentia, et ad probationem dicitur, quod assignatur pro causa non causa; causa enim propter quam matrimonium inter consanguineos non est validum, non est quia hoc sit contra præceptum Ecclesiæ, ut ab Ecclesia; sed propter naturam talis præcepti, quæ aufert facultatem concedendi potestatem corporis consanguineis: quod non facit præceptum de servando simplici voto.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod ille qui contrahit matrimonium per verba de præsenti, post votum simplex non potest cognoscere uxorem suam sine peccato mortali, quia adhuc restat sibi facultas implendi votum continentiæ ante matrimonium consummatum. Sed postquam matrimonium consummatum est, jam illicitum factum est sibi non reddere debitum uxori exigenti, ex culpa sua; et ideo ad hoc voti obligatio se non amplius extendit, ut patet ex dictis in corpore. Debet tamen sic contrahens, per lamentum pœnitentiæ

recompensare pro continentia non servata.

Ad 4. Negatur consequentia: quantum enim ad ea in quibus ille qui est simplici voto continentiæ astrictus, non est factus impotens votum continentiæ servare: adhuc enim post contractum matrimonium obligatur ad servandum, propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum; ideo non potest sine peccato debitum petere; quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam præcedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier expresse petat, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, et vir ejus voluntatem advertit de redditione debiti; tunc enim sine peccato reddere potest, et præcipue si ei timet de periculo castitatis. Ad probationem negatæ consequentiæ dicitur, quod non obstat quod non sint pares in hoc casu in matrimonii actu, quia quilibet potest hoc quod suum est, abrenuntiare.

Quidam tamen dicunt quod talis potest et petere et reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium alteri conjugi semper petenti. Sed hoc nihil est: nam esset onerosum, si semper expresse petere deberet. Dictum est autem quod sufficit interpretative petere, quod nullo modo onerosum matrimonium reddit; et tunc potest reddere absque peccato, et præcipue si timeat uxori, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum votum solemne dirimat matrimonium jam contractum.

Pro negativa. — Videtur quod nec votum solemne dirimat matrimonium jam contractum.

1. Votum simplex non dirimit matrimonium contractum. Ergo nec votum solemne matrimonium contractum dirimit.

Conseq. prob., quia *apud Deum cujus acceptatione matrimonium stat vel dirimitur, non minus obligat votum simplex quam solemne*, ut dicitur extra de conv. conjug. Verum, et libro 4. Decret. tit. 6. c. 6. Rursus.

2. Votum simplex, etiam juramento superveniente, non dirimit matrimonium contractum. Ergo nec votum solemne.

Conseq. prob., quia votum solemne non addit ita validum robur super votum simplex, sicut addit juramentum.

3. Votum solemne nihil habet quod non possit votum simplex habere. Ergo sicut votum simplex contractum matrimonium non dirimit, nec votum solemne dirimere debet.

Antec. prob., quia votum simplex posset habere scandalum, cum posset esse in publico factum, sicut et solemne. Similiter Ecclesia potest statuere quod votum simplex dirimat matrimonium contractum, per quod multa peccata vitarentur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud per quod contrahitur matrimonium spirituale cum Deo, dirimit carnale matrimonium postea contractum. Sed per votum solemne contrahitur spirituale matrimonium cum Deo. Ergo per votum solemne dirimitur carnale matrimonium postea contractum.

Maior prob., quia matrimonium spirituale dignius est quam corporale: unde sicut matrimonium carnale prius contractum dirimit secundum, multo fortius spirituale matrimonium cum Deo contractum debet dirimere carnale matrimonium postea contractum.

2. Idem probatur per auctoritates quas Magister inducit 4. Sent. dist. 38.

Determinatio.

Conclusio. Votum solemne impedit matrimonium contrahendum, et dirimit jam contractum.

In qua quidem conclusione omnes

conveniunt, sed diversimode causam assignant.

Quorumdam ratio.

Quidam assignant pro ratione sive causa, scandalum: dicunt enim quod qui voto solemni obligantur ad continentiam, si nuberent, maximum scandalum in Ecclesia inducerent: propter quod scandalum vitandum, statutum est eorum matrimonium esse nullum.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est propter duo. Primo, quia etiam simplex votum quandoque habet scandalum, cum sit quandoque quasi publicum. Secundo, quia insolubilitas matrimonii est inter ea quæ sunt de veritate vitæ, quæ non sunt propter scandalum dimittenda, ut dictum est 2. 2. quæst. 43. art. 7.

Aliorum assignatio.

Et ideo alii dicunt quod hoc est propter statutum Ecclesiæ.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non sufficit, quia secundum hoc Ecclesia posset etiam contrarium statuere, scilicet quod votum solemne non impediret matrimonium contrahendum, nec contractum dirimeret: quod tamen non videtur verum, ut ostensum est 2. 2. qu. 88. art. 11.

Vera conclusionis ratio.

Vera igitur ratio est. Illud per quod homo amittit potestatem tradendi suum corpus uxori, dirimit matrimonium quod postea contrahitur. Sed per votum solemne amittit homo potestatem tradendi corpus suum uxori. Ergo votum solemne dirimit matrimonium post votum contractum.

Maior patet, quia matrimonium est contractus quo conjuges tradunt sibi invicem suorum corporum potestatem: unde non habens potestatem tradendi suum corpus conjugi, non potest matrimonium contrahere.

Minor ostenditur, quia per votum solemne vovens amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam actu tradens, et ideo illud non potest postea alteri tradere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod votum simplex dicitur non minus obligare quoad Deum, quam solemne, in his quæ ad Deum spectant, sicut est separatio á Deo per peccatum mortale, quia mortaliter peccat frangens votum simplex, sicut frangens votum solemne; quamvis ex genere frangere votum solemne, sit maius peccatum quam simplex. Quantum vero ad id quod hæc duo vota homines respiciunt, non æqualiter obligant: nam per votum solemne datur actu corpus Deo in sui obsequium, quod in voto simplici solum promittitur: et ideo votum solemne non admittit post se matrimonium; et si contrahatur, est nullum quod de voto simplici non est dicendum, ut ex dictis patet.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod juramentum plus obligat ex parte ejus ex quo fit obligatio quam votum: votum tamen solemne plus obligat quantum ad modum obligandi, in quantum actualiter tradit hoc quod promittitur; quod non fit per juramentum.

Ad 3. Negatur antecedens: habet enim votum solemne actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex: et ideo in probatione non sufficienter enumerantur ea quæ potest habere votum solemne supra votum simplex.

ARTICULUS III.

Utrum ordo impediat matrimonium.

Pro negativa: = Videtur quod ordo non impediat matrimonium.

1. Illud quod impedit matrimonium, est matrimonio contrarium. Sed ordo non est contrarius matrimonio. Ergo ordo non impedit matrimonium.

Maior prob., quia nihil impeditur nisi á suo contrario.

Minor prob., quia utramque est sacramentum.

2. Apud Ecclesiam orientalem ordo non impedit matrimonium. Ergo nec apud Ecclesiam occidentalem impedire debet.

Conseq. prob., qui idem est apud utramque Ecclesiam ordo.

3. Illud quod significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ maxime debet Christi ministris, idest ordinatis, convenire. Sed matrimonium significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Ergo matrimonium debet maxime ordinatis convenire.

4. Si ordo impediret matrimonium, hoc esset quia ordo ad spiritualia ordinatur. Sed ex hoc ordo non impedit matrimonium. Ergo ordo ex nullo matrimonium impedit.

Minor, prob., quia si ordo impediret matrimonium ex hoc quod ad spiritualia ordinatur; sequeretur quod omnes ordines matrimonium impedirent; quod tamen est falsum.

Consquentia hæc probatur, quia omnes ordines ad spiritualia ordinantur.

Falsitas vero probatur, quia minores ordines matrimonium non impediunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. in Decret. libro 3. tit. 3. de clericis conjugatis, cap. Si qui Clericorum, dicit Alexander III. *Sed si in subdiaconatu, et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellatis.*

2. Nullus vovens continentiam, potest matrimonium contrahere. Sed quidam ordines habent annexum votum continentiæ, ut magister dicit in 4. dist. 35. Ergo hujusmodi ordines matrimonium impediunt.

Determinatio.

Conclusio. Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat. Sed quod impediat, ex constitutione Ecclesiæ habet; aliter tamen apud latinos quam apud græcos.

Quæ conclusio habet tres partes. Et prima, scilicet quod ordo sacer de sui ratione habeat ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat, ostenditur, quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa et sacramenta tractant, propter quod decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent. Secunda pars, scilicet quod ex statuto Ecclesiæ habeat quod de facto impediat, patet ex dist. 26. in decreto, et seq. Tertia tandem pars manifestatur. Nam apud græcos ordo sacer impedit matrimonium contrahendum, solum ex vi ordinis. Apud latinos, vero impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiæ quod est ordinibus sacris annexum: quod etiam si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod ordinem suscipit secundum ritum occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse. Et ideo apud græcos et alios orientales, sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum. Possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium denuo contrahere. Sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium et matrimonii usum, nisi forte ignorante, aut contradicente uxore, vir ordinem sacrum susceperit. Quia ex hoc non potest uxori aliquod præjudicium generari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis ordo sacer non habeat contrarietatem ad matrimonium, inquantum est sacramentum; habet tamen repugnantiam quamdam ad ipsum, ratione actus sui qui spirituales actus impedit.

Ad 2. Negatur antecedens. Impedit enim ordo matrimonium contrahendum ubique. Verum tamen est quod apud græcos non impedit contractum, quia non habet votum secundum illius Ecclesiæ ritum, annexum.

Ad 3. Negatur maior. Nam ordinati quibusdam nobilioribus actibus Christum significant, prout ex dictis in tractatu de ordine patet.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod ordo impedit matrimonium ex hoc quod habet immediate accessum ad tractandum sacra: et quia illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti non habent immediate accessum ad tractandum sacra; ideo ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Et ulterius, quia secundum ritum occidentalis Ecclesiæ, usus matrimonii impedit executionem ordinis etiam non sacri, propter maiorem honestatem in officiis Ecclesiæ servandam, et quia aliquis ex beneficio Ecclesiastico tenetur ad executionem ordinis, et ex hoc usu privilegio clericali gaudet, ideo apud latinos beneficium clericis uxoratis aufertur.

ARTICULUS IV.

Utrum ordo sacer possit matrimonio supervenire.

Pro negativa. = Videtur quod ordo sacer matrimonio supervenire non possit.

1. Fortius vinculum solvit vinculum minus forte. Sed ordo est fortius vinculum, quam sit matrimonium. Ergo ordo superveniens matrimonio, solvit matrimonii vinculum, ac per hoc generabitur præjuditium uxori, ut non possit petere debitum.

Minor prob., quia ordo est vinculum spirituale, matrimonium vero est carnale, ac per hoc illud fortius est isto.

2. Post matrimonium consummatum, unus conjugum, sine alterius consensu, non potest continentiam vovere. Sed ordo sacer habet votum continentiæ annexum. Ergo si vir ordinem sacrum, invita uxore, acceperit, cogetur uxor invita continentiam servare, cum non posset alteri nubere quod est inconveniens.

3. Vir, etiam ad tempus, non potest vacare orationi, sine consensu uxoris, ut habetur 1. Cor. 7. Sed apud orientales, illi qui sunt in sacris constituti tenentur ad continentiam, tempore quo exequuntur officium. Ergo nec ipsi possunt ordinari, sine consensu uxorum, et multo minus latini.

4. Vir et uxor ad paria judicantur. Sed sacerdos græcus, defuncta uxore sua, non potest alteram ducere. Ergo nec uxor, defuncto viro. Sed non potest mulieri auferri facultas nubendi, post mortem viri. Ergo vir non potest suscipere ordinem, post matrimonium.

5. Ordo præcedens impedit matrimonium sequens. Ergo etiam matrimonium præcedens impedit ordinem sequentem.

Conseq. prob., quia quantum matrimonium opponitur ordini, tanto ordo opponitur matrimonio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Post matrimonium potest aliquis religionem intrare, defuncta vel consentiente ejus uxore, ut patet extra lib. 3. Decretal. tit. 32. c. 9. Ergo et ordinem potest, post matrimonium suscipere.

Conseq. prob., quia religiosi tenentur ad continentiam, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus.

Aliquis post matrimonium potest fieri servus hominum. Ergo et servus Dei, per ordinis susceptionem.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Matrimonium non impedit ordinis sacri susceptionem.

Prob. quia si matrimonio junctus ad sacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis suscipit.

2.ª Conclusio. Si matrimonio junctus, ad ordines accedat, reclamante uxore vel nesciente, non recipit ordinis executionem.

Quæ conclusio ex argumentis pro negativa patere potest.

3.ª Conclusio. Si matrimonio junctus ordines suscipiat, volente uxore vel ipsa defuncta, recipit etiam executionem.

Hæc relinquitur ut manifesta. Quia executio ordinis non impeditur, nisi quatenus uxori præjudicatur in redditione debiti. Unde ipsa volente vel defuncta, potest ille qui ordines in matrimonio suscepit, eos exequi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod fortius vinculum non solvit minus forte, nisi minus forte fortiori opponatur. Matrimonium autem non opponitur ordini, ratione suæ essentiæ, et ut est sacramentum, sed solum ratione sui actus, qui est redditio debiti: et ideo ordo non solvit matrimonii vinculum, sed solum tollit potestatem petendi debitum, in eo qui ordinem suscipit, non tamen solvit ex parte uxoris, quia ordinatus absque consensu et scientia uxoris, tenetur reddere debitum petendi, si eam ad continentiam servandam non possit inducere.

Ad 2. Dicitur ad id quod infertur quod si uxor sciat et de ejus consensu vir ordinem sacrum susceperit, tenetur perpetuam continentiam vovere, non tamen tenetur religionem intrare; si tamen sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quod vir ejus solemne votum emisit. Secus tamen esset, si vir tantum votum simplex castitatis emisisset. Si autem vir, sine uxoris consensu, susceperit, non tenetur mulier castitatem vovere, et multo minus monasterium intrare; quia ex voto viri, ipsa ignorante, emisso, nullum sibi præjudicium generatur.

Ad 3. Dicitur etiam ad id quod infertur quod sicut probabilius videtur (quamvis quidam contrarium dixerint) etiam græci non debent accedere ad sacros ordines, sine consensu uxorum, quia ad minus tempore ministerii sui, fraudarentur debiti redditione, quo fraudari uxores non possunt, secundum juris ordinem, si eis contradicentibus aut ignorantibus, viri ordines susceperint.

Ad 4. Dicitur ad id quod subsumitur quod eo ipso quod mulier apud græcos consentit quod, vir suus ordinem suscipiat, obligat se ad hoc quod ipsa in perpetuum alteri non nubat, quia aliter significatio matrimonii, quæ in matrimonio sacerdotis præcipue exigitur, non servaretur. Si autem sine ejus consensu ordinatur, non videtur ad hoc teneri, ut eo mortuo non possit alteri nubere.

Ad 5. Neg. conseq., matrimonium enim habet pro causa nostrum consensum, non autem ordo qui habet causam sacramentalem determinatam á Deo: et ideo matrimonium potest impediri ex ordine præcedente, quod non sit verum, non autem ordo ex matrimonio, quod non sit verus ordo; quia sacramentorum virtus est immutabilis, actus autem humani possunt impediri.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 143.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Lutheri* dicentis; vota hodie non valere; nisi ad operum jactantiam, et praesumptionem. Si enim impediunt matrimonium contrahendum, utique aliquid valent: et Sanctus Doctor contra errorem similem articulum istum etiam movit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praedictam haeresim merito damnari á Scripturis, Deuter. 23. « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. » Ecce ergo ab oppositis, quod reddere vota reputabitur reddenti in bonum. Item Eccles. 5. "Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, et stultae promissio; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.» Ergo promissio fidelis, et sapiens, idest, quod postea impletur, placet Deo, et est bona.

Item 1. Reg. 1. " Cum esset Anna amaro animo, votum vovit, dicens: Domine Deus, si dederis servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae ejus." Ecce votum. Audi, quod aliquid, et multum quidem apud Deum, cui omnis jactantia displicet, atquae praesumptio, valet. Ibi enim subditur: " Recordatus est ejus Dominus. Et post circulum dierum concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod á Domino postulasset eum. » Hoc ergo nomen Samuel sit testimonium validissimum contra Lutherum. Item á Concil. Toletan. 4. cap. 49. Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt liberos eis ab Episcopo in monasterii largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. » Ecce, quod vota monachorum, ratione quorum votorum sic loquitur Synodus, non tantum valoris magni, sed fere inaestimabilis sunt, ex quo vitam monachorum, cui talia sunt essentialia supra omnium secularium etiam clericorum simplicium vitam ponunt. Item á Concil. Tridentin. sessione 25. ca. 1. de reformat. " Præcipit, ut omnes regulares suæ professionis vota fideliter observent. Si enim illa, quæ bases sunt, et fundamenta totius regularis disciplinæ exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse á summis Pontificibus dictum sic, A Cælestino quidem III. Rursus quidam, etc. " Si post simplex votum ad nuptias convolasset, cum votum simplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum nihil ambiguitatis quæstio tua coninere videtur. » Hæc ille, qui cler. vel voven. matrim. ubi per ly nihil ambiguitatis, etc. intellige, ac si dixisset, quod ille sic vovens remanebit cum illa ad cujus nuptias convolavit, etiam secundum glo. ibi. Ab Alexan. autem III. ibid. consuluit, etc. " Respondemus, quod, sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum: ita habitus sine professione susceptus, ne contrahatur impedit, sed contractum nequaquam dissolvit. » A Bonifacio demum VIII. de vot. et vot. redemp. in 6. Quod votum, etc. " Reliqua vero vota, etsi matrimonium impediant contrahendum: et pœnitentia transgressoribus debeatur non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta. » Hæc ibi per ly reliqua vota, intelligit simplicia, ut patet in contextu. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto de voto simplici respectu matrimonii taliter scilicet, quod impediat contrahendum, sed non dirimat contractu, decernunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum á Bonifacio VIII. quod votum solemne dirimit, et sic. Quod votum, etc. Illud solum votum declarandum duximus debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel taeitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Hæc ille, de vot. et vot. redempt. in sexto. Ubi Bonifacius duo dicit, scilicet quid sit votum solemne, et quod matrimonium contractum dirimat. Item á Concilio Tridentino, sessio. 24. canone 9. " Si quis dixerit: clericos in sacris ordibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, etc. anathema sit. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto votum solemne sentiunt dirimere matrimonium contractum, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem *Joan Westphali* dicentis, quod continentiæ clericorum legem instituendi nulla est rationabilis causa. Hujus enim rationabilitatem dum affert præsens articulus, monstrat per hoc, se contra prædictum errorem militare. Vide et supra q. 37. art. 3. et q. 39. art. 2. et in text. et elucid. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, ipsum damnari merito á Papa Clement. V. in Concil. Viennen. sic religiosos, et moniales, ac clericos in sacris ordi-

nibus constitutos matrimonia contrahentes, et inter eos scienter eadem celebrantes metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia refrænare cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.» Hæc ille Clem. de consang. et affinit. cap. eos. Ecce quod adeo rationabilis causa est, ut clericis matrimonium interdicatur, quod contrafacientes excommunicationem, quæ proculdubio mortale crimen præsupponit, incurrunt. Item á Leone Papa dist. 32. "Omnium sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc, quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant á culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec subdiaconibus carnale connubium quidem conceditur.» Item á Concil. Tolet. 11. ut recitatur dist. 13. "Quamquam omnes, etc. Placuit huic sancto Concilio: ut unusquisque, qui ad Ecclesiasticos gradus est ascensurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui annotationem promittat.» Hæc ibi: istud autem placitum erat votum continentiæ.» Item á Conc. Trid. sess. 24 cap. 9. *Si quis dixerit clericos: in sacris ordinibus constitutos*, etc. ut supra art. 2. appen. et postea Concil. idem subsequitur.» Posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.» Irrationabile autem valde est, quod tot, tantaque Concilia, ac summi Pontifices credantur absque rationabili causa moveri ad hujuscemodi statuta facienda de castitate clericorum. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum lib. 6. Apost. const. c. 17. *Non licere iis*, scilicèt Episcopo, præsbytero, ac diacono, *si post orationem, sine uxore fuerint, ad nuptias transire. Quarto* habes, quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem sacrum dicunt impedire matre matrimonium, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem, ostendas, recte insinuatum esse á Concil. Arela. 3. quod matrimonio ordo supervenire potest. "Assumi aliquem ad sacerdotium in conjungii vinculo constitutum non oportet, nisi fuerit promissa conversio. hæc illud dist. 28. nisi promissa castitate" secundum glo. Illa ergo promissa potest. Item ab Alex. III. Conjugatus, etc. "Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.» Hæc ille, de conver. conjug. Ecce, quod consentiente uxore ad ordines sacros admittitur conjugatus et consequenter, quia uxoris consensus non tradit characterem, dicendum est, quod secundum eumdem Papam conjugatus etiam reclamante uxore sacros ordines de facto recipiat, si ordinatus fuerit. Quod enim de consensu uxoris non admittendus dicitur, hoc est de jure dictum, idest, ut omnia cum prudentia, et ordinate fiant. Item ab eod. Sane, etc. "fraternitati vestræ auctoritate Apost. prohibemus, ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem vel vitam assumat.» Non impedit ergo matrimonium, quod ordo superveniat, licet reclamet, vel non reclamet, aut consentiat uxor, et licet optime factum sit, non, nisi consentiente uxore, virum ad ordines sacros promoveri. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificis, et Concilii, pro quanto ordinem matrimonio supervenire posse insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA QUARTA,

DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento consanguinitatis.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum consanguinitas convenienter á quibusdam definiatur.

Secundo, utrum convenienter distinguatur per gradus et lineas.

Tertio, utrum de jure naturali matrimonium impediatur secundum aliquos gradus.

Quarto, utrum gradus impedientes matrimonium possint per statutum Ecclesiæ determinari.

ARTICULUS I.

Utrum definitio consanguinitatis sit competens.

Pro negativa.=Videtur quod definitio consanguinitatis, quam quidam ponunt, scilicet *consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*, non sit competens.

1. Si prædicta definitio esset competens, sequeretur quod omnes homines essent ad invicem consanguinei.

Conseq. prob., quia omnes homines ab eodem stipite, scilicet ab Adam, carnali propagatione descendunt.

2. Eorum qui descendunt ab uno stipite, non est maior convenientia ad invicem quam cum aliis hominibus. Ergo consanguinitas non est aliquod vinculum inter descendentes ab uno stipite.

Antecedens prob., quia tales descendentes conveniunt in specie et differunt numero, sicut alii homines.

3. Non nascitur aliquod vinculum consanguinitatis, ejus, qui ex semine nascitur, ad res comestas. Ergo nec ad generantem, ex carnali propagatione, nascetur aliquod propinquitatis vinculum.

Conseq. prob., quia carnalis propagatio secundum Phil. fit de superfluo alimenti, quod magis habet convenientiam cum rebus comestis, cum quibus in substantia convenit, quam cum eo qui comedit. Unde ille qui generatur, maiorem convenientiam cum rebus comestis, quam cum comedente habere debet. Si ergo nullum consanguinitatis vinculum nascitur cum rebus comestis, multo minus cum comedente contrahi debet.

4. Gen. 29. Laban dixit ad Jacob: *os meum es et caro mea*: ratione cognationis quæ erat inter eos. Ergo talis propinquitas magis debet dici carnalitas, quam consanguinitas.

5. In animalibus non contrahitur ex carnali propagatione consanguinitatis vinculum. Ergo nec inter homines tale vinculum contrahi debet.

Conseq. prob. quia carnalis propagatio est communis hominibus et animalibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est communis doctorum consensus.

Determinatio.

Conclusio. Definitio consanguinitatis, qua dicitur. Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum, est conveniens.

Manifestatur, definitio continens genus, subjectum et principium consanguinitatis, est competens consanguinitatis definitio. Sed prædicta definitio continet genus, subjectum, et causam sive principium consanguinitatis. Ergo est competens consanguinitatis definitio.

Minor ostenditur, quia in dicta definitione ponitur vinculum, quasi consanguinitatis genus: ut enim dicitur 8. Ethic. c. 11. *omnis amicitia in aliqua unione consistit.* Et quia amicitia, ligatio sive unio quædam est; ideo communicatio, quæ est amicitiæ causa, *vinculum* dicitur, propter quod secundum

quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem; sicut dicuntur *concives* illi qui habent politicam communicationem ad invicem. Et commilitones, qui conveniunt in militari negotio. Et eodem modo illi qui conveniunt in naturali communicatione, *consanguinei* dicuntur. Et ideo *vinculum* habet rationem generis, comprehendens omnem communicationem aliquorum in aliquo. *Personæ autem ab uno stipite descendentes*, sunt subjectum in prædicta definitione. Carnalis vero propagatio ponitur quasi principium vinculi consanguinitatis. Et sic patet minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod omnes homines conveniunt quidem in uno stipite remoto, non autem conveniunt in uno stipite proximo. Consanguinitatis autem vinculum non attenditur secundum convenientiam plurium in stipite remoto, sed attenditur secundum convenientiam in stipite proximo; á quo in ipsis possit virtus motiva descendere. Ad quorum evidentiam est sciendum quod virtus activa non recipitur secundum eamdem perfectionem in instrumento, secundum quam est in principali agente; et quia omne motum movens est instrumentum, inde est quod virtus primi motoris in aliquo genere, per multa media deducta, tandem deficit, et pervenit ad aliquid quod est motum et non movens. Virtus autem generantis movet non solum quantum ad id quod est speciei, sed etiam quantum ad id quod est individui, ratione cujus filius assimilatur patri, non solum in natura speciei, sed etiam in accidentalibus; nec tamen ista individualis virtus patris est ita perfecte in filio, sicut erat in patre, et adhuc in nepote minus, et sic deinceps debilitatur. Et inde est, quod virtus illa quandoque deficit, ita ut ulterius procedere non possit. Et quia consanguinitas est eorum qui communicant in tali virtute, ex uno in multos per propagationem deducta, sicut hujusmodi virtus deficit, sic consanguinitas paulatim dirimitur. Et hac ratione non oportet in definitione consanguinitatis accipere stipitem remotum, ut est Adam, sed propinquum, cujus virtus adhuc maneat in illis qui ex eo propagantur.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob. jam dictum est in præcedenti responsione, quod consanguinei, non solum conveniunt in natura speciei, sed etiam in propria virtute ipsius stipitis, ex ipso in multos deducta; ex qua contingit quandoque quod filius assimilatur patri et avo, vel etiam aliis remotioribus parentibus.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod convenientia magis attenditur secundum formam per quam aliquid est actu, quam secundum materiam, per quam est aliquid in potentia: quod patet ex hoc, quod carbo magis convenit cum igne, quam cum arbore, unde abscissum est lignum. Et similiter alimentum jam conversum in substantiam aliti, per virtutem nutritivam, magis convenit cum ipso nutrito, quam cum illa re, unde sumptum est nutrimentum; et ideo consanguinitatis vinculum est, non ad rem unde sumptum est nutrimentum, sed ad illum qui nutritur, et ex quo aliquis propagatur.

Ad 4. Dicitur ad conseq. quod illud quod proxime convertitur in semen, est sanguis, ut probatur in lib. 8. de Anim. Et propter hoc, vinculum, quod ex carnali propagatione contrahitur, convenientius dicitur *consanguinitas*, quam *carnalitas*. Quod autem quandoque unus consanguineus dicatur esse caro alterius, ut dixit laban ad Jacob; hoc est inquantum sanguis, qui est semen viri, est potentia caro et os.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod animalia non conjunguntur ad amicitiæ unitatem, propter propagationem multorum ex uno parente proxi-

mo, sicut est de hominibus, et ideo propagatio est quidem communis, non autem modus.

ARTICULUS II.

Utrum consanguinitas inconvenienter distinguitur per gradus et lineas.

Pro negativa. — Videtur, quod consanguinitas inconvenienter distinguatur per lineas et gradus.

1. Per illud quod est idem consanguinitati, non convenienter consanguinitas distinguitur. Sed linea consanguinitatis idem est consanguinitati. Ergo per lineam non convenienter distingnitur consanguinitas.

Maior probatur, quia nihil per se ipsum debet distingui.

Minor prob., quia linea consanguinitatis, dicitur « esse ordinata collectio « personarum consaguinitate conjuncta- « rum, ab eodem stipite descendentium, « diversos continens gradus, » quod nihil aliud est quam consanguinitas, quæ est talium personarum collectio.

Illud, secundum quod dividitur aliquid commune, non potest poni in definitione illius communis divisi. Sed descensus ponitur in definitione consanguinitatis, ut patet in præcedenti articulo. Ergo consanguinitas non potest dividi per lineam ascendentium, descendentium, et transversalium.

3. Una linea habet tantum unum gradum. Ergo non potest fieri divisio consanguinitatis per lineas et gradus.

Antecedens prob., quia definitio lineæ est, quod sit inter duo puncta, quæ non faciunt nisi unum gradum, ut de se patet.

4. Per id, quod consanguinitati opponitur, non potest consanguinitas distingui. Sed gradus consanguinitati opponitur. Ergo per gradus non potest consanguinitas distingui.

Minor prob., quia gradus definitur esse *habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quanta distantia inter se differant personæ*: consanguinitas autem est propinquitas quædam. Unde gradus consanguinitati opponitur, sicut distantia propinquitati.

5. Si consanguinitas distinguitur et cognoscitur per gradus; oportet quod illi qui sunt in eodem gradu consanguinitatis, sint alicui alteri æqualiter consanguinei, quod tamen est falsum. Ergo consanguinitas non cognoscitur, nec distinguitur per gradus.

Conditionalis manifestatur. Nam si consanguinitas est cognoscenda et distinguenda per gradus, illi qui sunt in eodem gradu consanguinitatis inter se, deberent eodem gradu consanguinitatis referri ad alterum; puta, quia ego et frater meus sumus in eodem gradu consanguinitatis, scilicet in primo, æqualiter sumus consanguinei patris nostri, scilicet in primo gradu.

Falsitas autem ostenditur: nam ego et frater meus, qui ut dictum est, uno gradu distamus, non sumus æqualiter consanguinei nepoti, scilicet filio fratris mei; quia nepos meus distat á fratre meo, qui est ejus pater, uno gradu; á me autem distat duobus gradibus, per transversalem lineam. Ex quo patet quod qui sunt in eodem gradu consanguinitatis inter se, non habent eumdem gradum consanguinitatis ad tertium, ac per hoc non potest consanguinitas per graduum distinctionem cognosci.

6. In rebus ordinatis, quolibet additum alteri facit alium gradum, sicut quælibet unitas addita facit aliam speciem numeri. Sed persona addita personæ non semper facit alium gradum consanguinitatis: quia pater nepotis mei, qui est frater meus et ego qui sum nepotis mei patruus, sumus in eodem gradu consanguinitatis scilicet in primo, quo distamus á patre nostro. Ergo consanguinitas non recte per gradus distingnitur.

7. Inter duos propinquos semper est eadem consanguinitatis propinquitas;

æqualiter enim distat unum extremorum ab alio, et è contra. Sed gradus consanguinitatis non invenitur semper idem ex utraque parte: cum quandoque unus propinquus sit in tertio et alius in quarto gradu. Ergo propinquitas consanguinitatis non potest sufficienter per gradus cognosci.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Decretis 35. quæst. 5. cap. Ad sedem. Distinguitur consanguinitas per lineas, et gradus.

Conclusio: Consanguinitas per gradus, et lineas convenienter distinguitur.

Manifestatur. Et primo, quod convenienter distinguatur per lineas. Pro quo est considerandum quod consanguinitas, ut dictum est art. præced. est quædam propinquitas fundata in naturali communicatione, secundum actum generationis, qua natura propagatur: quæ communicatio et propagatio, in proposito linea appellatur. Est autem ista communicatio triplex, ut Phil. dicit 8. Ethic. c. 11. Una secundum habitudinem principii ad principiatum: et hæc est consanguinitas patris ad filium. Unde dicit quod *parentes diligunt filios, ut sui ipsorum aliquid existentes.* Alia secundum habitudinem principiati ad principium, et hæc est filii ad patrem. Unde dicit quod *filii diligunt parentes, ut ab illis existentes.* Tertia est secundum habitudinem eorum quæ sunt ab uno principio ad invicem, sicut *fratres dicuntur ex eisdem nasci*, ut Philosophus ibidem dicit. Et quia punctus motus facit lineam, et per propagationem pater quodammodo descendit in filium, ideo secundum tres habitudines dictas, tres lineæ consanguinitatis sumuntur, scilicet *linea descendentium*, secundum primam habitudinem: *linea ascendentium*, juxta secundam habitudinem: et *linea transversalis*, secundum tertiam, ut patet in hac figura.



Linea ergo, ut in proposito accipitur, est naturalis propagatio, vel unius in alterum, vel unius ab altero, vel duorum ab uno. Et sic patet quod consanguinitas convenienter per lineas distinguitur. Quod vero convenienter distinguatur per gradus, ostenditur. Quia enim propagationis motus non quiescit in uno termino, sed ultra progreditur, ideo contingit quod patris est accipere patrem ascendendo, et filii filium descendendo, et sic deinceps: et secundum hos diversos progressus, diversi gradus in una linea inveniuntur. Sicut igitur in ea est ordinata propagatio unius personæ in aliam vel ab alia, vel multarum ab una, ita gradus est habitudo personarum descendentium, vel ascendentium ad invicem. Et sic patet quod consanguinitas per lineas et gradus distinguitur. Ad sciendum autem, quot sint consanguinitatis gradus, et quomodo sint computandi, est considerandum, quod gradus cujuslibet rei est pars aliqua illius rei cujus est gradus. Et ideo, gradus propinquitatis sive consanguinitatis, non potest esse ubi non est propinquitas: nec potest esse ubi non est aliqua distantia. Et propterea identitas et nimia distantia, gradus consanguinitatis tollunt, et propterea una tantum persona nullum facit gradum consanguinitatis; cum nullus sit sibi ipsi propinquus, si-

cut nec similis. Facit autem gradum una persona, per comparationem ad alteram. Et iterum si duæ personæ taliter distent, quod nullam habeant propinquitatem, non faciunt aliquem consanguinitatis gradum. Ad constituendos igitur consanguinitatis gradus, requiritur aliqua distantia, cum aliqua propinquitate. Cum autem sint tres lineæ consanguinitatis, scilicet ascendentium, descendentium, et transversalium, diversimode in his est ratio computandi gradus. In linea enim ascendentium et descendentium computantur gradus, ex hoc quod una persona ex alia propagatur et in computatione harum duarum linearum conveniunt lex civilis et canonica: secundum enim utriusque legis computationem, persona quæ primo occurrit in progressu propagationis á prima, distat in primo gradu ab ea á qua vel ad quam propagatur, et sic filius distat á patre in primo gradu, nepos ab eodem patre in secundo gradu, et pronepos in tertio, et sic de aliis. In computatione autem graduum lineæ transversalis, non convenit lex civilis cum canonica. Gradus enim in transversali linea, non computantur secundum processionem unius ab altero, sed secundum propagationem duorum á tertio. Unde secundum computationem juris civilis, duo fratres sunt in secundo gradu, quia scilicet uterque distat á patre per unum gradum. Ne potes vero, á duobus fratribus descendentes, distant á patre per quatuor gradus, et pronepotes per sex gradus, et sic successive procedendo. Secundum vero computationem canonicam, duo fratres distant in primo gradu, filii eorum in secundo, et horum filii in tertio, et sic in reliquis. Et hoc, quia lex canonica attendit tantum descensum ex una parte; ex illa scilicet, ex qua maior numerus graduum invenitur. Unde ille qui distat á prima radice in quarto gradu, distat etiam ab omnibus qui sunt in altera linea in quarto gradu: et hoc, quia quantum distat aliquis á communi radice duarum linearum, tantum distat ab eo qui est in altera linea; si tamen supputatio incipiat á linea quæ habet maiorem numerum graduum. Unde abnepos distat á communi principio per quatuor gradus, et eodem modo distat ab omnibus qui sunt in altera linea, et hoc totum patet in arbore consanguinitatis, quæ habetur in decretis 35. quæst. 5. in fine quæstiones, ubi etiam explicantur dictæ regulæ. Et ibidem etiam habetur differentia supputandi inter legem civilem, et canonicam, et concordatur in capite ad sedem apostolicam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod consanguinitas non est collectio personarum, sicut linea: sed est relatio quædam aliquarum personarum, quarum collectio lineam consanguinitatis facit. Consanguinitas igitur differt á linea, quia consanguinitas est relatio personarum ab uno stipite descendentium. Linea vero est ordinata collectio harum personarum, gradus vero est mensura distantiæ personarum descendentium á primo stipite et ab invicem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod descensus sumitur dupliciter. Uno modo in communi, et sic ponitur in definitione consanguinitatis: sed sic acceptus non dividit consanguinitatem, sed communiter se habet ad omnes lineas et gradus. Alio modo accipitur in particulari, pro descensu personæ cujus consanguinitas quæritur, et sic dividit consanguinitatem per lineas et gradus, et non ponitur in definitione consanguinitatis.

Ad 3. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod linea dupliciter accipi potest. Uno modo proprie, pro ipsa dimensione, quæ est prima species quantitatis continuæ, et sic linea recta continet tantum duo puncta in actu, quæ terminant ipsam. In potentia tamen continet infinita puncta, quorum quolibet signato in actu dividitur linea, et fiunt duæ lineæ.

Alio modo sumitur linea pro his quæ linealiter disponuntur, et secundum hoc assignatur in numeris linea et figura, prout unitas in aliquo numero post unitatem ponitur, et sic quælibet unitas adjecta facit gradum in tali linea, et talis est linea consanguinitatis, in qua, quia multi numeraliter disponuntur, ex multis gradibus constituitur.

Ad 4. Negatur minor. Nom enim gradus consanguinitatis consanguinitati opponitur. Ad prob. dicitur, sicut etiam in corpore dictum est, quod consanguinitas requirit aliqualem distantiam, quia ejusdem ad se ipsum non est consanguinitas. Requirit etiam aliquam propinquitatem: unde si distantia tanta sit, quod propinquitatem consanguinitatis excludat, opponitur quidem consanguinitati; sed talis distantia non mensuratur per gradus. Si autem distantia propinquitatem consanguinitatis non excludat, et gradus, facit et consanguinitati non est opposita.

Ad 5. Dicitur quod consanguinitas inter aliquos potest dici maior, vel minor, dupliciter. Uno modo intensive. Alio modo extensive. Gradus consanguinitatis mensurantur secundum extensivam quantitatem. Conditionalis igitur est vera de extensiva quantitate consanguinitatis, non autem de intensiva. Unde secundum quantitatem extensivam, ego et frater meus sumus æqualiter consanguinei inter nos, et cum patre. Tamen secundum quantitatem intensivam. Ego sum magis consanguineus patri meo quam fratri, quia immediate sum consanguineus patri, fratri vero non nisi in ordine ad patrem. Et hac ratione filius fratris mei est magis conjunctus fratri meo, quam mihi. Non est igitur necesse quod illi qui sunt æqualiter alicui consanguinei, omnibus debeant esse æqualiter ad invicem consanguinei, quia ut dictum est, ego et frater meus sumus æqualiter secundum extensionem consanguinei patri nostro; et tamen, quia intensive frater meus est magis consanguineus patri quam mihi, ex consequenti frater meus erit magis consanguineus filio suo, qui est nepos meus, quam mihi.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod quamvis pater et patruus sint in eodem gradu, respectu radicis consanguinitatis, quia uterque distat uno gradu ab avo nepotis, scilicet á patre eorum; tamen respectu ejus cujus consanguinitas quæritur, non sunt in eodem gradu, quia pater est in primo gradu; patruus vero in secundo, cum nepos meus distet á patre meo per duos gradus.

Ad 7. Dicitur ad minorem, quod semper duæ personæ in æquali numero graduum distant á se invicem, quamvis quandoque non distent æqualiter á prima radice. Unde abnepos unius lineæ distat in quarto gradu á filio alterius lineæ, qui distat á stipite tantum per unum gradum.

ARTICULUS III.

Utrum consanguinitas naturali jure matrimonium impediat.

Pro negativa. = Videtur quod consanguinitas, de jure naturali non impediat matrimonium.

1. Eva fuit conjuncta matrimonio Adæ. Ergo nulla consanguinitas, quantum est de lege naturæ, matrimonium impedit.

Conseq. prob., quia nulla mulier potest esse conjunctior viro, quam fuerit Eva Adæ, de qua ipse dixit Gen. 1. *Nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.*

2. Apud barbaras nationes, nulla persona conjuncta consanguinitate á matrimonio excluditur. Ergo consanguinitas, quantum est de lege naturæ, impedit matrimonium.

Conseq. prob., quia lex naturalis eadem est apud omnes.

3. Animalia bruta etiam cum matre coeunt. Ergo non est de lege naturæ,

quod aliqua persona á matrimonio propter consanguinitatem repellatur.

Conseq. prob. quia jus naturale est, quod *natura omnia animalia docet*, ut dicitur in principio Digest. tit. 1. leg. 1.

4. Quod impedit matrimonium, contrariatur alicui bono matrimonii. Sed consanguinitas non contrariatur alicui bono matrimonii. Ergo consanguinitas non impedit matrimonium.

5. Eorum quæ sunt magis propinqua et similia, maior, melior et firmior est conjunctio. Sed consanguinei sunt magis propinqui et similes ad invicem. Ergo consanguinitas non solum non impedit matrimonii conjunctionem, sed magis ipsam firmat et juvat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod impedit bonum prolis, impedit matrimonium secundum legem naturæ. Sed consanguinitas impedit bonum prolis. Ergo impedit matrimonium de lege naturæ.

Minor prob., quia Gregorius dicit (et refertur in Decret. 35. quæst. 4. c. Quædam lex terrena) et est cap. 20. *Experimento didicimus, ex tali conjugio, scilicet consanguineorum, sobolem non posse succrescere.*

2. Illud quod habet natura humana in prima sui conditione, est de lege naturæ. Sed quod pater et mater á matrimonio filiorum excluderentur, habuit humana natura á prima sui conditione. Ergo consanguinitas impedit matrimonium, secundum legem naturæ.

Minor prob., quia Gen. 2. dicitur, *propter hoc relinquet homo patrem et matrem*: quod non potest intelligi quantum ad cohabitationem: et sic oportet quod intelligatur quantum ad matrimonii conjunctionem.

Determinatio.

Distinctio. Personæ consanguinitate conjunctæ sunt in triplici differentia. Primæ sunt pater et mater: aliæ sunt quas oportet simul conversari, et quæ debent alter alterius pudicitiam custodire, ut sunt fratres et sorores, et hujusmodi: tertiæ sunt quæ in aliis remotioribus gradibus sunt conjunctæ.

1.ª Conclusio. Consanguinitas patris et matris impedit matrimonium de lege naturæ.

Prob. illud quod impedit id quod est per se primo finis matrimonii, impedit matrimonium de lege naturæ. Sed consanguinitas patris et matris impedit id quod est per se primo finis matrimonii, quod est bonum prolis. Ergo consanguinitas patris et matris de jure naturæ matrimonium impedit.

Maior ostenditur, quia in matrimonio aliquid contra legem naturæ esse dicitur, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem est ordinatum per se primo.

Minor prob. Nam bonum prolis per consanguinitatem quæ est inter patrem et filiam, vel inter matrem et filium, impeditur, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, et simul cum patre potest prolem nutrire et instruere, in quibus bonum prolis consistit; sed impedit ut non convenienti modo hoc fiat: inordinatum enim est quod filia patri per matrimonium jungatur in sociam, causa generandæ et educandæ prolis, quam oportet per omnia patri esse subjectam velut ex eo procedente; et ideo de lege naturali est ut pater et mater á matrimonio filiorum repellantur. Et magis etiam mater respectu filii quam pater respectu filiæ; quia magis derogatur reverentiæ quæ debetur parentibus, si filius matrem, quam si pater filiam ducat in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta: unde subjectio filiæ ad patrem in matrimonio, est minus inordinata quam subjectio matris ad filium. Et sic patet quod consanguinitas parentum bonum prolis impedit, ne convenienti modo fiat.

2.ª Conclusio. Consanguinitas eorum

qui simul conversantur et in eadem domo eos manere oportet, et quorum alter alterius tenetur pudicitiam custodire ut sunt fratres et sorores, impedit matrimonium de jure divino.

Prob. Illud per quod prejudicatur fini secundario per se, de jure divino impedit matrimonium. Sed consanguinitas eorum quos oportet simul manere et conversari, et quorum unus tenetur alterius pudicitiam custodire, impedit finem secundarium per se matrimonii. Ergo talium consanguinitas de jure divino matrimonium impedit.

Maior patet, ex probatione maioris præcedentis rationis primæ conclusionis.

Minor manifestatur, quia finis secundarius per se matrimonii est repressio concupiscentiæ, qui finis deperiret, si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci; quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, si inter illas personas quas oportet in eadem domo conversari, non esset carnalis copula interdicta: et ideo lex divina non solum patrem et matrem excludit á matrimonio, sed etiam alias conjunctas personas quas oportet simul conversari, et quæ debent invicem altera alterius pudicitiam custodire: et hanc causam lex divina assignat, Levit. 18. dicens: *ne reveles turpitudinem* talis vel talis, *quia turpitudo tua est.* In quo capite habetur quæ et quod sint personæ quarum de jure divino matrimonium prohibetur: sicut enim præter patrem et matrem, quorum concubitus etiam naturali jure est prohibitus, uxor patris, soror ex patre vel matre qualitercumque genita, filia filii vel filiæ filia uxoris patris, soror patris, soror matris uxor patrui, nurus, uxor fratris, filia uxoris filia filiæ uxoris vel filii, soror uxoris.

3.ª Conclusio. Convenienter secundum leges humanas et Ecclesiæ statuta, plures consanguinitatis gradus, præter prædictos, sunt á matrimonio separati.

Manifestatur, quia finis matrimonii per accidens est confederatio hominum, et amicitiæ multiplicatio, dum homo ad consanguineos uxoris sicut ad suos se habet, cui multiplicationi amicitiæ præjudicium fieret, si aliquis sanguine conjunctam uxorem ducere posset; quia ex hoc per matrimonium nulla nova amicitia accresceret. Et sic patet quod consanguinitas, quantum ad aliquas personas, impedit matrimonium de jure naturali, scilicet quantum ad patrem et matrem: quantum ad aliquas, de jure divino, scilicet quantum ad illas quæ enumerantur Levit. 18. Et quantum ad aliquas de jure por homines statuto, de quibus dicetur articulo sequenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Eva, etsi ab Adam prodierit, non tamen fuit filia Adæ, quia non prodiit ex eo per modum illum quo vir natus est generare sibi simile in specie, sed operatione divina qua ita potuisset ex costa Adæ fieri unus equus, sicut facta est Eva: et ideo non est tanta naturalis convenientia Evæ ad Adam, sicut est filiæ ad patrem; nec Adam est naturale principium Evæ, sicut est pater filiæ: et ideo naturali jure pater filiam non potest ducere in matrimonium, sicut Adam Evam duxit.

Ad 2. Dicitur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod non procedit ex lege naturali quod, aliqui barbari parentibus misceantur carnaliter, sed ex concupisceotiæ ardore qui legem naturæ in eis offuscavit.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod conjunctio maris et fœminæ dicitur esse de jure naturali, quia natura hoc docuit animalia, sed hanc conjunctionem diversa animalia diversimode docuit, secundum diversas eorum conditiones. Commixtio autem carnalis ad parentes derogat reverentiæ quæ eis debetur: sicut enim parentibus indidit natura sollicitudinem providendi filiis, ita indidit filiis reverentiam ad parentes. Nulli au-

tem generi animalium indidit solicitudinem filiorum, aut reverentiam parentum in omne tempus, nisi homini, aliis aut animalibus plus et minus, secundum quod magis vel minus necessarii sunt, vel filiis parentibus vel parentes filiis: unde etiam in quibusdam animalibus abhorret filius cognoscere matrem carnaliter, quamdiu manet apud ipsum cognitio matris, et reverentia quædam ad ipsam, ut recitat Phil. in lib. 9. de animalibus, de Camelo et Equo cap. 47. Et quia omnes honesti mores animalium in hominibus congregati sunt naturaliter et perfectius quam in aliis, propter hoc homo abhoret cognoscere carnaliter non solum matrem, sed etiam filiam, quod est adhuc minus contra naturam, ut dictum est in corp. Et iterum in aliis animalibus, ex propagatione carnis non contrahitur consanguinitas, sicut in hominibus, ut art. 1. ad 5. dictum est, et ideo ex hoc quod animalia bruta cum parentibus coeunt, nullo modo sequitur quod hoc debeat in hominibus fieri.

Ad 4. Neg. min. Jam enim in corpore ostensum est quod consanguinitas impedit bonum matrimonii, non solum, quod est finis per se primo, sed etiam quod est finis, per se secundario, et finis per accidens.

Ad 5. Negatur antecedens, non enim est universaliter verum. Nam non est inconveniens duarum unionum unam ab altera impediri, sicut identitas similitudinem impedit, et sic consanguinitatis vinculum, propter nimiam propinquitatem, matrimonium impedit.

ARTICULUS IV.

Utrum consanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia.

Pro negativa = Videtur quod gradus consanguinitatis impedientes matrimonium, non potuerint taxari ab Ecclesia, usque ad quartum gradum.

1. *Quod Deus conjunxit, homo separare non debet*, ut dicitur Matt. 19. Sed illos qui conjunguntur infra quartum consanguinitatis gradum, Deus conjunxit. Non enim divina lege eorum conjunctio probetur. Ergo non debet humano statuto separari.

2. Non posset ex statuto Ecclesiæ fieri, quod ille qui ad baptismum accedit, non acciperet characterem baptismalem, si sit capax ex jure divino. Ergo nec Ecclesiæ statutum facere potest, quod matrimonium non sit inter illos, qui per jus divinum matrimonialiter conjungi non prohibentur.

Conseq. prob., quia matrimonium est sacramentum, sicut baptismus.

3. Jus positivum non potest ea quæ sunt naturalia removere vel ampliare. Sed consanguinitas est naturale vinculum, quod quantum est de se, natum est matrimonium impedire. Ergo Ecclesia non potest aliquo statuto facere, quod aliqui possint matrimonialiter conjungi, vel non conjungi sicut non potest facere, quod sint consanguinei vel non consanguinei.

4. Statutum juris positivi debet habere aliquam rationabilem causam. Sed assignatio graduum consanguinitatis nullam habet rationabilem causam. Ergo hujusmodi prohibitio seu assignatio nullum habet vigorem.

Maior prob., quia jus positivum, secundum rationabilem causam, quam habet, procedit á jure naturali.

Minor prob., quia causæ quæ assignantur de numero graduum, omnino videntur irrationabiles, cum nullam habeant habitudinem ad causata, sicut est, quod consanguinitas prohibeatur usque ad quartum gradum, propter quatuor elementa. Usque ad sextum, propter sex ætates mundi. Usque ad septimum, propter septem dies, quibus omne tempus agitur. Hujusmodi enim videntur hujus statuti irrationabiles causæ.

5. Ubi est eadem causa, debet esse idem effectus. Sed causa quare consanguinitas impedit matrimonium, omni tempore eadem est. Ergo omni tempo-

re consanguinitas eodem modo debet matrimonium impedire. Et per hoc, non potuit (ut videtur) Ecclesia, diversos gradus, diversis temporibus statuere, per quos matrimonium impediretur.

Minor probatur, quia causa quare consanguinitas impedit matrimonium, est bonum prolis, repressio concupiscentiæ, et multiplicatio amititiæ, ut art. præced. dictum est. Hæc autem omni tempore æqualiter necessaria sunt.

6. Una et eadem conjunctio non potest esse in genere sacramenti et in genere incestus. Sed si Ecclesia haberet potestatem statuendi diversum numerum in gradibus impedimentibus matrimonium, contingeret quod eadem conjunctio esset sacramentum et incestus. Ergo Ecclesia non habet hanc potestatem.

Minor prob., quia si aliqui in quinto gradu, quando prohibitus erat, conjuncti fuissent, talis conjunctio incestus esset. Sed postmodum eadem conjunctio, Ecclesia suam prohibitionem revocante, matrimonium esset. Et é converso posset accidere, si aliqui gradus concessi, possent ab Ecclesia interdici. Sicut si nunc aliquis contraheret cum sibi conjuncta in quinto gradu, esset matrimonium; quem gradum, si Ecclesia interdiceret, efficeretur incestus vel adulterium.

7. Secundum jus divinum, quod in veteri lege continetur, non æqualiter currit prohibitio graduum in sursum et deorsum: prohibebatur enim aliquis accipere in uxorem sororem patris sui, non tamen filiam fratris, ut patet Leviti 18. Ergo nec modo debet esse aliqua prohibitio de nepotibus et patruis.

Conseq. prob., quia jus humanum debet imitari jus divinum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dominus dixit discipulis: *qui vos audit, me audit.* Ergo præceptum Ecclesiæ habet firmitatem, sicut præceptum Dei. Sed Ecclesia quandoque concessit, et quandoque prohibuit aliquos gradus, quos lex vetus non prohibuit. Ergo illi gradus matrimonium impediunt.

2. Sicut olim matrimonia gentilium dispensabantur per leges civiles, ita nunc per statuta Ecclesiæ. Sed olim lex civilis determinabat gradus consanguinitatis, qui matrimonium impediunt. Ergo et nunc hoc potest fieri per Ecclesiæ statutum.

Determinatio.

Conclusio. Gradus consanguinitatis impedientes matrimonium, potuerunt ab Ecclesia taxari, et convenienter, secundum diversa tempora, diversos concessit et prohibuit gradus, et novissime usque ad quartum gradum ejus statutum est restrictum.

Quæ conclusio, quantum ad omnes sui partes, remanet probata per argumenta pro affirmativa inducta. Habent enim statuta Ecclesiæ robur et firmitatem, sicut Dei præcepta: cum dictum sibi sit á Domino: qui vos audit, me audit. Et per hoc potest, secundum quod viderit expedire, secundum diversa tempora, diversos gradus consanguinitatis concedere et prohibere. Declaratur autem conclusio, præcipue quoad secundam sui patrem, ostendendo, quam convenienter Ecclesia diversis temporibus, diversos gradus concessit et prohibuit. Sciendum est igitur, quod etiam ante legem gratiæ, invenitur consanguinitas secundum diversos gradus impedisse. In principio enim humani generis solus pater et mater á matrimonio repellebantur, eo quod tunc temporis esset paucitas hominum, et oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere. Unde non erant removendæ nisi illæ personæ, quæ matrimonio incompetentes erant, quantum ad finem principalem matrimonii, qui est bonum prolis. Postmodum autem, multiplicato humano genere, plures personæ sunt exceptæ per legem Moysi, ut

sic concupiscentia reprimeretur. Unde (ut dicit Rabbi Moyses) omnes illæ personæ exceptæ sunt á matrimonio, quæ in una familia cohabitare solent: quia si inter eos licite carnalis copula esse posset, maximum incentivum libidini præstaretur. Alios autem gradus Lex vetus permisit, imo quodammodo præcepit, ut scilicet de cognatione sua uxorem unusquisque acciperet, nec succesionum confusio esset, quia tunc temporis cultus divinus per successionem generis propagabatur. Postmodum autem in lege nova, quæ est lex spiritus et amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti, quia jam per spiritualem gratiam, non per carnis originem, cultus Dei derivatur et multiplicatur. Unde oportet quod homines magis á carnalibus retrahantur, spiritualibus vacantes, et ut amor amplius diffundatur: et ideo antiquitus usque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur, ut ad plures per consanguinitatem et affinitatem, naturalis amicitia permaneret. Et rationabiliter tunc hæc prohibitio se extendebat usque ad septimum gradum, tunc quia ultra hunc non facile remanebat communis radicis memoria; tum etiam, quia septiformi Spiritus Sancti gratiæ congruebat. Sed postmodum circa hæc ultima tempora, restrictum est Ecclesiæ interdictum usque ad quartum gradum, quia ulterius inutile et periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos, quasi nullum fœdus maioris amicitiæ quam ad extraneos habebatur, charitate in multorum cordibus frigescente. Periculosum autem, quia concupiscentia et negligentia prævalente, numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant, et sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta; tum quia usque ad quartum generationem homines vivere consueverant, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri; unde Deus in tertiam et quartam generationem peccata parentum se visiturum in filiis comminatur. Exod. 20. tum quia in qualibet generatione nova mixtio sanguinis, cujus identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno: et quantum miscetur alteri, receditur á primo. Et quia elementa sunt quatuor, quodlibet tanto facilius est miscibile, quanto est subtilius; ideo in prima commixtione evanescit sanguinis identitas quantum ad elementum ignis, quod est subtilissimum: in secunda, quantum ad elementum aeris: in tertia, quantum ad elementum aquæ: in quarta, quantum ad elementum terræ. Et sic convenienter post quartam generationem potest reiterari carnalis conjunctio. Et sic remanet declarata et probata conclusio, quantum ad omnes sui partes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor: sicut enim Deus non conjungit illos qui conjunguntur contra divinum præceptum, ita non conjungit illos qui conjunguntur contra Ecclesiæ præceptum, quod habet eamdem obligandi efficaciam, quam habet divinum præceptum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia: non enim est in proposito eadem ratio de baptismo et matrimonio: baptismus enim est sacramentum tantum, matrimonium vero non est tantum sacramentum, sed etiam officium: et ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ, quam baptismus; quia sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia determinantur lege Ecclesiæ.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, tamen non est naturale quod consanguinitas carnalem copulam impediat, nisi secundum aliquem gradum, ut dictum est articulo præcedenti: et ideo

Ecclesia suo statuto non facit quod aliqui sint vel non sint consanguinei, quia secundum omne tempus æqualiter consanguinei remanent; sed facit quod carnalis copula sit licita vel illicita, secundum diversa tempora, in diversis gradibus consanguinitatis.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod rationes illæ assignatæ magis dantur per modum adaptationis, quam per modum causæ et necessitatis: nam veræ rationes sunt, quæ in corpore sunt assignatæ.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod non est eadem causa prohibendi gradus consanguinitatis, secundum diversa tempora; unde quod aliquo tempore utiliter conceditur, alio salubriter prohibetur.

Ad 6. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod statutum non imponit modum præteritis sicut futuris, unde si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc est concessus, illi qui sunt in quinto gradu conjuncti, non essent separandi: nullum enim impedimentum superveniens matrimonio potest derimere: et sic conjunctio quæ prius fuit matrimonium, non efficeretur per statutum Ecclesiæ incestus. Et similiter, si aliquis gradus ex nunc prohibitis concederetur, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiæ ratione primi contractus, quia possent separari si vellent, sed tamen possent de novo contrahere, et tunc per novum contractum esset alia conjunctio.

Ad 7. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod jus humanum debet imitari jus divinum: potest tamen addere ad jus divinum quod in veteri lege continetur, et maxime in proposito in quo non eadem ratione Ecclesia prohibet consanguinitatis gradus, qua lex vetus prohibebat: Ecclesia enim in prohibendis consanguinitatis gradibus præcipue observat rationem amoris; et quia non est minor ratio amoris ad nepotem quam ad patruum, sed etiam maior, quanto propinquior est patri filius, quam filio pater, ut dicitur 8. Ethic. cap. 12. propter hoc Ecclesia æqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patruis et nepotibus. Lex autem vetus in personis prohibendis attendit præcipue cohabitationem contra concupiscentiam, prohibens illas personas ad quas facilior pateret accessus propter mutuam cohabitationem. Magis autem consuevit cohabitare neptis patruo, quam amita nepoti, quia filia est quasi idem cum patre, cum sit aliquid ejus; sed soror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit aliquid ejus, sed magis ex eodem nascitur: et ideo non erat eadem ratio prohibendi neptem et amitam.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 144.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte dictum 35. quæst. 5. á Canonist. de consanguinit. et affinitat. sic. "Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum:" Vel (quod idem est) "consanguinitas est attinentia personarum ex eo proveniens, quod una descendit ab altera, vel ambæ ab eadem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, consanguinitatem jure definiri sic, ut prædictum est. Nam etymologia, seu interpretatio hujus nominis, consanguinitas, id declarat. Ab etymologia vero argumentari ad rem; de qua tractatur, licitum esse ostendit et Eugenius Papa, et Concil. Nicænum, Eugen. quidem 16. quæstio. 1. placuit 2. loquens de mona-

cho ait: " Sicut priscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Agnoscat nomen suum (*Monos*) Monos enim Græce, Latine est unus: (*achos*) achos Græce, Latine est tristis. Unde dicitur monachus, idest unus tristis. Sedeat itaque solitarius, et taceat, et officio suo vacet, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. » Conc. vero Nicæn. ibid. placuit, sic ait. " Placuit omnibus residentibus in S. N. Synodo, ut monachorum conversatio, et vita, secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim græce, latine singularis dicitur. Unde monachum per omnia singulariter, (idest non seculariter, secundum glos. ibi) agere oportet. » Concil. ergo cum Papa vult, res ex etymologia cognosci, easque secundum illam regulari. Cum itaque consanguinitas secundum etymologiam dicatur sanguinis unitas (derivatur enim á con, idest simul, sive unum, et sanguine) et sanguinis unitas non possit haberi á multis personis, nisi per propagationem modo illo in definitione declarato: patet, quod in prædictis Concil. et Papa insinuant á simili, quod consanguinitas tunc recte definitur, quando definitio est concors nomini (ut in proposito fit.) *Tertiò* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto definitionem istam consanguinitatis vel directe, vel á simili dicunt esse competentem, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, gradus consanguinitatis convenienter numerari á Zacharia, et Alexandro summis Pontificibus. A Zacharia quidem sic. " Parentelæ gradus taliter computamus. Siquidem ego, et frater meus, una generatio sumus, primumque gradum efficimus, nullo gradu distamus. Rursus: filius meus, fratrisque mei filius, secunda generatio sunt, ac gradum secundum faciunt, nec á se aliquo gradu separantur. Atque ad hunc modum ceteræ successiones sunt habendæ. » Hæc ille 35. q. 5. Ab Alexandro autem sic. " Non terminatur consanguinitas in hujusmodi sexto gradu: sed terminatur in septimo gradu secundum canones, etc. Duo gradus legales unum canonicum constituunt. Fratres itaque, qui secundum sæculares leges dicuntur in secundo gradu juxta canones, numerantur in primo gradu: filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computatur in secundo: nepotes vero, qui in sexto ibi, isthic numerantur in tertio; sic deinceps, qui legibus inscribuntur in octavo, et decimo, in canonibus definiuntur in quarto, et quinto. Atque hoc modo de reliquis sentiendum est, ut, qui secundum canones dicuntur in sexto, vel septimo, secundum leges accipiantur in duodecimo, vel in decimoquarto. » Hæc ibid. cap. ad Sedem Apostolicam. Patet ergo, quod Zacharias supra numerat gradus secundum canones: non autem secundum leges seculares. Nam collocat fratres in primo gradu, eosque ab invicem nullo gradu distare dicit, quod non faciunt leges, ut patet per Alexandrum: nam juxta leges persona una facit gradum unum; non autem secundum canones. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eumdem Alexandrum II. Papam insinuasse merito, tres esse lineas consanguinitatis, et in unaquaque linea distingui multos gradus. Hoc est, quod consanguinitas per lineas, et gradus modo prædicto distinguitur. Insinuavit autem ibidem sic. " Quia omnes, qui in pictura prædictæ arboris continentur, ex una parentela consistunt, numquam sine diminutione consanguinitatis á se poterunt separari: veluti non sine damno cujusque personæ valent á proprio corpore manus, brachia, et pedes truncari. » Ecce, quod arborem consanguinitatis approbat: et consequenter per hoc lineas tres videlicet ascendentium, descendentium, et lateralium, gradus vero plures (ut in arbore fatetur:) adeoque, ut contra negantes hæc ab ipso approbata subdens dicat ibid. " Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, Apostolica auctoritate admonemus vos fratres, et filii, ut omnibus, sic seriem genealogiæ computandam esse, intimetis, quemadmodum sancti Patres numerandam esse sanxerunt. Nam, si quis obstinata mente á recto tramite Apostolice sedis deviare voluerit, et aliter quam nos in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit, primum pro sua temeritate cœlesti pœna plectetur, postmodum vero gladio perpetui anathematis noverit se jugulandum. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta

Patrum, pro quanto consanguinitatem per gradus, et lineas designari insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem excludas, errorem cujusdam *Picardi* ex Gallia Belgica (ut refert Æneas Sylvius) dicentis: connobia permixta, seu promiscua, urente carnis libidine, esse permittenda. Item Christophori Scalperi, dicentis: communes debere esse uxores. Jam enim patet, articulum hunc contra insaniam illam de promiscuis connubiis, et communibus militare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari á scripturis Gen. 2. "Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, etadhærebit uxori suæ.» Hoc namque intelligitur non de cohabitatione, sed de matrimonio. Laudabiliter enim cohabitant filii cum parentibus suis, etiam post conjugium: sed numquam matrimonio conjungeptur eisdem. Unde ly quamobrem refert matrimonium: ut etiam colligitur ex Concil. Trid. sess. 24. Princ. Item á Levit. 18. "Locutus est Dominus ad Moysen dicens; juxta consuetudinem terræ Ægipti, et juxta morem regionis Chanaan non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus, etc.» Ubi numerantur illæ duodecim personæ dictæ supra notat. post probationem conc. Ecce, quod connubia promiscua Ægyptiis, et Chananæis gentibus idololatris sunt consueta, ac pro legitimis habita, fidelibus autem vetita divinitus. Ergo Picardus ille idololatras sapit, et Ægiptos, in errore præmisso. Nec obstat, hujusmodi connubia fuisse legitima apud gentes illas; quoniam propter hoc non infertur, quod revera secundum se legitima fuerint. Item a. 1. Cor. 7. "Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum.» Ecce, quod nec ad fornicationem vitandam permittuntur ab Apostolo communia, aut promiscua connubia, sed una unius in matrimonio juncta. Item á, etc. ut q. 50. art. 2. app. et q. 42. art. 3. appen. et q. 49. art. 9. append. Item ab Innocentio III. etc. q. 41. ar. 2. appen. Vide et 1. p. q. 81. a. 2. appen. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Innoc. III. de restit. spol. "Litteras tuas, etc. in gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutioni aditus praecludatur: sed constitutione interdictis humana restitutio locum habeat.» Quod ultimum intelligitur, accedente dispensatione Papae. Item á, etc. ut a. 3. app. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto consanguinitatem de jure triplici, vel aliquo istorum matrimonium impedire insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas errores quorumdam (hi tanguntur á Concilio Trid. sess. 24. ut infra) dicentium, quod Ecclesia non potuit constituere sine errore impedimenta matrimonium dirimentia, plusquam in Levitico exprimuntur de consanguinitate. Directe enim articulus praesens, ut patet, militat contra hujusmodi insaniam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem illum merito damnari á Concilio Tridentino sessione 24 canon: 3. "Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant, et dirimant: anathema sit.» Et canon. 4. "Si quis dixerit: Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse á Gregorio Papa in Concilio Meldensi sic, "de affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare.» Hæc ille, trigesimatertia, quæst. 2. et 3. Item á Julio Papa ibid. "Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris, usque in septimum generis gradum uxorem ducere.» Item dicit et Nicolaus. Et Concilium Lugdunense, et Cabilonense: ut patet ibidem. *Quarto* habes: quomodo per rationem ostendas, recte circa hanc materiam fuisse dictum ab Innocentio III. in Concilio generali. "Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana;

præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo, etc. Prohibitio culpæ conjugalis quartum consanguinitatis, et affinitatis gradum de cetero non excedat: quoniam in ulterioribus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari, etc. Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta: eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis vel ab aliis, vel á nobis, ut si quis contra prohibitionem hujusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum." Hæc ille, de consanguin. et affin. *Quinto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto Ecclesiam potuisse taxare hujusmodi consanguinitatis gradus matrimonium impedientes dicunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Sexto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA,

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS, IN UNDECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento affinitatis.

Circa quod quæruntur undecim.

Primo, utrum affinitas ex matrimonio causetur.

Secundo, utrum maneat post mortem viri, aut uxoris.

Tertio, utrum causetur ex illicito concubitu.

Quarto, utrum ex sponsalibus.

Quinto, utrum affinitas sit causa affinitatis.

Sexto, utrum affinitas matrimonium impediat.

Septimo, utrum affinitas habeat per seipsam gradus.

Octavo, utrum gradus ejus extendantur, sicut gradus consanguinitatis.

Nono, utrum matrimonium quod est inter consanguineos, et affines, semper sit dirimendum per divortium.

Decimo, utrum ad dirimendum tale matrimonium sit procedendum per viam accusationis.

Undecimo, utrum in tali casu sit procedendum per testes.

ARTICULUS I.

Utrum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.

Pro negativa.=Videtur quod ex matrimonio consanguinei non causetur affinitas.

1. Mulier non fit affinis viro quem in sponsum accipit. Ergo nec fit affinis consanguineis viri.

Conseq. prob., quia mulier ducta in matrimonium, non conjungitur alicui de consanguinitate viri nisi ratione viri. Unde mulier deberet esse viro magis affinis, cum causa sit potior effectu, juxta illud: *propter quod unum quodque tale et illud magis.* Si ergo mulier ducta in matrimonium non sit affinis viro, multo minus poterit esse affinis consanguineis viri.

2. Eorum quæ sunt ab invicem separata, si uni aliquid conjungatur, non oportet propter hoc quod sit alteri conjunctum. Sed consanguinei jam sunt ab invicem separati. Ergo non oportet quod si aliqua mulier conjungitur alicui viro, propter hoc conjungatur omnibus ejus consanguineis per affinitatem.

3. Nulla unio fit in consanguineis viri, per hoc quod ipse vir duxit uxorem: cum in eis per hoc nulla mutatio fiat. Ergo eis non accrescit affinitatis relatio.

Conseq. prop., quia relationes novæ,

ex aliquibus unionibus seu novis mutationibus, innascuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Vir, et uxor efficiuntur una caro. Ergo mulier attinet omnibus consanguineis viri, sicut ipse attinet illis. Et vir attinet consanguineis uxoris, sicut ipsa attinet illis.

2. Hoc patet per auctoritates, quas Magister inducit in lib. 4. sent dist. 41.

Determinatio.

Conclusio. Ex matrimonio causatur affinitas inter virum et consanguineos mulieris, et inter mulierem et consanguineos viri.

Prob. Ex naturali communicatione, quæ fit per conjunctionem viri cum muliere, ad carnis propagationem ordinata, causatur affinitas viri ad consanguineos mulieris, et mulieris ad consanguineos viri. Sed per matrimonium fit naturalis communicatio, per conjunctionem viri et mulieris ad carnis propagationem ordinata. Ergo ex matrimonio causatur affinitas inter virum et consanguineos uxoris: et inter uxorem et consanguineos viri.

Manifestatur maior. Pro quo est considerandum quod amicitia naturalis in naturali communicatione fundatur. Naturalis autem communicatio fit duobus modis, ut dicitur 8. Ethic. c. 12. Uno modo, per carnis propagationem, quæ est inter patrem et filium. Alio modo, per conjunctionem ad carnis propagationem, sicut viri ad uxorem. Unde ibidem dicitur, quod amicitia viri ad uxorem est naturalis. Sicut igitur conjunctio per carnis propagationem, quoddam vinculum naturalis amicitiæ facit, ita conjunctio quæ est per carnalem copulam. Sed quamvis utraque communicatio sive conjunctio, scilicet quæ est per carnis propagationem et quæ est ad carnis propagationem, vinculum amicitiæ faciat: differt tamen vinculum factum á priori communicatione, á vinculo quod facit secunda. Persona enim conjuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps ejusdem radicis communis et sanguinis. Unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris, quo pater illis conjungebatur, scilicet consanguinitate, quamvis secundum alium gradum, propter maiorem distantiam á radice. Unde filius conjungitur avo consanguinitatis sinculo, sicut pater, sed in alio gradu. Persona autem conjuncta per carnalem copulam, non fit particeps ejusdem radicis, sed est quasi extrinsecus adjuncta; et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi quod *affinitas* dicitur: quod in hoc versu breviter manifestatur,

Mutat nupta genus. (scilicet vinculi) *sed generata gradum.*

Quia scilicet persona per generationem est in eodem genere attinentiæ, sed in alio gradu. Per carnalem autem copulam sit aliud genus attinentiæ, quod dicitur affinitas. Ex quibus remanet probata maior: ex differentia scilicet quæ est inter vinculum naturalis amicitiæ quod causatur ex carnali propagatione, et quod causatur ex conjunctione viri et mulieris ordinata ad carnis propagationem. Illud enim dicitur consanguinitas, quia sic conjunctus participat radicem et sanguinem. Hoc autem dicitur affinitas, quia est ex additione extraneæ personæ ad sanguinem. Minor vero ex se patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis causa sit potior effectu, non tamen oportet semper quod idem nomen effectui et causæ conveniat; quia quandoque id quod est in effectu, invenitur in causa, non eodem modo, sed altiori, et ideo non convenit causæ et effectui per idem nomen, neque per eamdem rationem, ut patet in omnibus causis æquivocis. Sicut quia terra germinat propter solem, non sequitur quod sol magis germinet, sed quod in sole sit virtus germinum altiori modo quam sit

in terra. Et hoc modo conjunctio viri et uxoris est potior, quam conjunctio uxoris ad consanguineos viri; conjunctio tamen viri ad uxorem non dicitur affinitas, sed aliquid excellentius, scilicet matrimonium quod est unitas quædam. Sicut homo est sibi ipsi idem, non autem est sibi consanguineus.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod consanguinei sunt quodammodo separati, et quodammodo conjuncti. Ratione conjunctionis accidit quod persona quæ uni conjungitur, sit aliquo modo omnibus conjuncta. Sed propter separationem et distantiam ipsorum accidit quod persona, quæ uni consanguineorum conjungitur uno modo, alteri conjungatur altero modo. Vel secundum genus sicut uxor conjungitur affinitate consanguineis viri; vel secundum gradum, sicut nepos conjungitur patruo, vel avo in secundo gradu, et patri in primo.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod nova relatio non semper requirit mutationem ex parte utrius extremi. Pro quo est considerandum quod relatio tripliciter causatur, quandoque quidem ex motu utriusque extremi, sicut sunt paternitas et filiatio, et talis relatio est realiter in utroque. Quandoque vero ex motu unius extremi tantum et hoc contingit dupliciter. Uno modo, ex motu unius sine omni motu alterius præcedente vel concomitante, sicut patet in creatore et creatura, et sensibili et sensu, et scibili et scientia. Creatura enim de novo refertur ad Deum creatorem, sine omni Dei mutatione nec præcedente nec concomitante, cum Deus sit omnino immutabilis. Et sensus refertur de novo ad sensibile, et scientia ad scibile, sine mutatione sensibilis, et scibilis, et tunc relatio est in uno secundum rem, in altero vero secundum rationem tantum. Tertio inascitur relatio ex motu unius, sine motu alterius tunc existente, non tamen sine motu præcedente. Sicut æqualitas fit inter duos homines per augmentum unius, absque hoc quod alius tunc augeatur vel minuatur; sed tamen ille alius, ad hanc quantitatem quam nunc habet, per aliquem motum vel mutationem pervenit. Et hæc relatio in utroque extremorum realiter fundatur. Et talis est relatio consanguinitatis et affinitatis. Relatio enim fraternitatis, quæ innascitur ex aliquo puero nato alicui jam provecto, causatur quidem sine motu ejus qui est provectus, tunc existente, sed non sine motu præcedente, scilicet generationis ejus. Hoc enim ei accidit quod ex motu alterius sibi tunc talis relatio adveniat. Similiter ex hoc quod iste descendit per propriam generationem ab eadem radice, cum eo qui uxorem accipit, provenit affinitas ex ipso ad uxorem consanguinei, sine sui mutatione præsentanea, licet non sine mutatione præcedente.

ARTICULUS II.

Utrum affinitas maneat post mortem viri aut uxoris.

Pro negativa. — Videtur quod affinitas non maneat post mortem viri aut uxoris, inter consanguineos viri vel uxoris.

1. Cessante causa, cessat effectus. Sed per mortem viri cessat causa affinitatis ejus ad consanguineos mulieris, et per mortem uxoris cessat causa affinitatis ad consanguineos viri; quia tunc mulier soluta est á lege viri. Ergo per mortem viri aut mulieris, solvitur affinitatis vinculum.

2. Consanguinitas, quæ est affinitatis causa, cessat per mortem viri, ad consanguineos suos. Ergo multo magis cessat affinitas uxoris mortui viri ad eosdem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Consanguinitas manet, quamdiu manent personæ consanguineæ. Ergo et affinitas manet, quamdiu manent personæ affines. Et sic non solvitur per mortem viri vel uxoris.

Conseq. prob., quia affinitas ex consanguinitate causatur.

Determinatio.

Conclusio. Affinitas viri ad consanguineos uxoris manet mortua uxore, et ea quæ est uxoris ad consanguineos viri, manet etiam mortuo viro.

Prob. Relatio, cujus causa est motum esse, non desinit esse, sed manet, manentibus subjectis relatis. Sed affinitas est quædam relatio, cujus causa est motum esse. Ergo affinitas non desinit esse, mortua uxore vel viro, sed manet manentibus his inter quos fuit contracta affinitas.

Maior declaratur et prob. Sciendum est enim quod aliqua relatio desinit esse dupliciter. Uno modo ex corruptione subjecti, sicut relatio paternitatis et filiationis desinit esse per hoc, quod pater vel filius desinit esse. Alio modo ex subtractione causæ, sicut relatio similitudinis desinit esse subtracta qualitate, quæ erat causa similitudinis. Sunt autem quædam relationes, quæ habent pro causa actionem vel passionem aut motum, ut dicitur 5. Met. t. 20. Et hæ sunt in triplici differentia. Quædam causantur ex motu, in quantum relata moventur actu, sicut est ipsa relatio quæ est moventis ad motum. Quædam vero causantur ex aptitudine ad motum, sicut relatio quæ est inter motivum et movile, inter dominum et servum, et hujusmodi. Quædam vero causantur ex hoc quod aliquid prius motum est, sicut ea quæ est patris ad filium. Non enim pater et filius referuntur ex eo quod est generari nunc, sed ex hoc quod est generatum esse. Inter quas relationes est differentia quantum ad durationem, quod prima et secunda transeunt et desinunt esse, quia motus et aptitudo ad motum transeunt. Relatio vero tertia non transit, sed perpetuo remanet, manentibus subjectis relationis: quia motum esse est perpetuum. Quia quod factum est, numquam desinit esse factum. Ex quibus remanet declarata et probata maior. Patet enim quæ sit relatio, quæ remanet remanentibus terminis relatis, illa scilicet quæ habet pro causa factum esse. Et quod hujusmodi relatio non desinit esse, nisi corrupto altero terminorum: quia causa est perpetua, cum id quod factum est, non possit non esse factum.

Minor prob., quia causa relationis affinitatis non est tantum actualis conjunctio viri cum muliere, sed est aliquos fuisse conjunctos matrimoniali vinculo. Et sic, manentibus his, inter quos est affinitas, remanet semper affinitas, quamvis desinat persona, ratione cujus contracta fuit. Quia igitur ex hoc quod Paulus accipit Annam in uxorem, contraxit affinitatem cum sororibus Annæ et aliis ejus consanguineis; mortua Anna, remanet affinitas Pauli ad consanguineas Annæ, propter quod non potuerit Paulus accipere sororem Annæ in uxorem, nec aliam consanguineam ipsius, usque ad determinatum gradum. Et idem dicendum est, si Paulus moriatur, remanente Anna ejus uxore.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Per mortem enim unius conjugis non cessat causa affinitatis inter alterum conjugem et consanguineos mortui conjugis. Quia causa affinitatis non est actualis conjunctio, sed fuisse conjunctum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod consanguinitas non est proxima causa affinitatis, sed fuisse consanguineis conjunctum.

ARTICULUS III.

Utrum ilicitus concubitus causet affinitatem.

Pro negativa. = Videtur quod illicitus concubitus non causet affinitatem.

1. Res inhonesta non potest causare rem honestam. Sed illicitus concubitus est res inhonesta, affinitas autem est res honesta. Ergo illicitus concubitus non causat affinitatem.

2. Ubi est consanguinitas, non potest esse affinitas.. Sed si illicitus concubitus causaret affinitatem, sequeretur quod ad consanguineos posset esse affinitas. Ergo illicitus concubitus non causat affinitatem.

Maior prob., quia affinitas est *propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.*

Minor, prob., quia causaretur affinitas ad consanguineos, si quis consanguineam incestuose cognosceret.

3. Ex illicito concubitu contra naturam, non causatur affinitas, ut jura determinant. Ergo nec ex illicito concubitu, qui est secundum naturam, affinitas causatur.

Conseq. prob., quia illicitus concubitus est secundum naturam et contra naturam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Concubitus, per quem vir et mulier efficiuntur unum corpus, causat affinitatem. Sed per illicitum concubitum, vir et mulier efficiuntur unum corpus. Ergo per illicitum concubitum causatur affinitas.

Maior prob., quia ideo matrimonium causat affinitatem; quia per matrimonialem conjunctionem mulier et vir efficiuntur una caro.

Minor prob., quia dicitur 1. Cor. 6. quod *adhærens meretrici, unum corpus efficitur cum ea.*

2. Illud, in quo est carnalis copula, causat affinitatem. Sed in illicito concubitu est carnalis copula. Ergo illicitus concubitus causat affinitatem.

Maior prob., quia carnalis copula est causa affinitatis, ut patet per definitionem affinitatis, quæ est talis. *Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.*

Determinatio.

Conclusio. Illicitus concubitus, qui est cum commixtione seminum, causat affinitatem.

Prob. Concubitus, ex quo potest proles produci, causat affinitatem. Sed ex illicito concubitu, in quo est seminum commixtio, potest sequi productio prolis. Ergo illicitus concubitus, qui est cum seminum commixtione, causat affinitatem.

Maior manifestatur, quia ratio, quare matrimonium affinitatem causat, est quia in matrimonio fit carnalis conjunctio ad procreationem prolis ordinata, ut art. 1. dictum est. Conjunguntur enim in matrimonio vir et mulier ad duo. Primo quidem et principaliter ad procreationem prolis, ratione cujus hujusmodi conjunctio naturalis dicitur: ut patet 8. Ethic. c. 12. Et secundario propter operum communicationem. Quorum primum pertinet ad matrimonium, ratione carnalis copulæ. Omnis igitur carnalis copula, per quam fit seminum commixtio, affinitatem causat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad min. quod in fornicario concubitu est aliquid naturale, quod est commune fornicationi et matrimonio, et aliquid inordinatum, per quod á matrimonio dividitur. Affinitas causatur ex primo, non ex secundo; et ideo affinitas semper honesta manet, quamvis causa aliquo modo sit inhonesta.

Ad 2. Negatur maior. Non enim est inconveniens, relationes ex opposito diversas eidem, ratione diversorum, inesse; et ideo, potest inter aliquas duas personas esse affinitas et consanguinitas, non solum per illicitum concubitum, sed etiam per licitum. Sicut cum consanguineus meus ex parte patris, duxit in uxorem consanguineam meam ex parte matris. Ad probationem dicitor, quod cum in inducta definitione affinitatis dicitur (omni carens parentela) intelligendum est, in quantum hujusmodi. Nec etiam sequitur quod aliquis cognoscens consanguineam suam sibi ipsi sit affinis,

quia affinitas sicut et consanguinitas aliquam diversitatem requirit, sicut etiam et similitudo, ut dictum est quæst. præced. art. 2. in corp. et ad 4.

Ad 3. Neg. conseq. Concubitus enim contra naturam non habet commixtionem seminum, quæ possit esse causa generationis, et ideo ex tali concubitu non causatur affinitas.

ARTICULUS IV.

Utrum ex sponsalibus causetur affinitas.

Pro negativa. = Videtur quod ex sponsalibus nulla causetur affinitas.

1. Ea, quæ quandoque separantur, nullam causant affinitatem. Sed sponsalia quandoque separantur. Ergo ex sponsalibus nulla causatur affinitas.

Maior prob., quia affinitas est perpetuum vinculum, ut art. 2. dictum est.

2. Si quis clustra pudoris alicujus mulieris invasit et aperuit, sed non pervenit ad operis consummationem, non contrahit affinitatem. Ergo multo minus ex sponsalibus contrahitur affinitas.

Conseq. prob., quia sponsalia contrahens est minus propinquus carnali copulæ quam ille qui ad pudoris claustra accessit.

3. Per sponsionem nuptiarum futurarum, non contrahitur affinitas. Sed sponsalia sunt promissio futurarum nuptiarum. Ergo per esponsalia non contrahitur affinitas.

Maior prob., quia quandoque fit sponsio futurarum nuptiarum, in qua nulla contrahitur affinitas: sicut si fiat ante septennium. Vel si aliquis habens perpetuum impedimentum tollens potentiam coeundi, alicui mulieri spondeat futuras nuptias. Aut si talis sponsio fiat inter personas, quibus nuptiæ per votum reddantur illicitæ, vel alio quocumque modo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Alexander Papa III. Prohibuit mulierem quamdam cuidam viro conjungi matrimonio, quia fratri suo fuerat despensata, ut refertur extra lib. 4. tit. 16. de matrimonio contracto, contra interdictum. Eccles. cap. 1. Literæ. Quod non esset, nisi per sponsalia aliqua affinitas contraheretur.

Determinatio.

Conclusio. Ex sponsalibus non causatur affinitas, sicut ex matrimonio, sed aliquid affinitati simile, impediens matrimonium, sicut affinitas et consanguinitas, et secundum eosdem gradus.

Probatur. Ex his, quæ non habent perfectam rationem matrimonii, sed sunt solum præparatio quædam ad matrimonium, non contrahitur affinitas, sed aliquid affinitati simile. Sed sponsalia non habent rationem matrimonii, sed sunt quædam præparatio ad matrimonium. Ergo ex sponsalibus non contrahitur affinitas, sed aliquid affinitati simile.

Deinde declaratur conclusio, ostendendo quid sit illud quod ex sponsalibus causatur. Dicitur enim hoc quod ex sponsalibus causatur, justitia publicæ honestatis, quæ sic definitur. *Publicæ honestatis justitia est proprinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ex Ecclesiæ institutione propter honestatem.* Ex quo patet ratio nominis et causa, quia scilicet talis propinquitas est instituta ab Ecclesia, propter honestatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ea quæ quandoque separantur, non causant affinitatem ratione sui: possunt autem eam causare, ratione ejus ad quod ordinantur. Et sic sponsalia causant aliquid affinitati simile, ratione honestatis, ex Ecclesiæ instituto habens robur.

Ad 2. Negatur conseq. Vir enim et mulier efficiuntur per carnalem copulam una caro, per comixtionem seminum: et ideo quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas. Matrimonium autem affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam

matrimonium naturale est. Unde affinitas contrahitur etiam ex ipso contractu matrimonii, per verba de præsenti, ante carnalem copulam: et etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet justitia publicæ honestatis. Unde ad prob. negatur assumptum. Supponit enim quod matrimonium affinitatem causet solum ex carnali copula, et non ex ratione societatis, cui magis propinque ducunt sponsalia, quam fractio pudoris claustri sine seminum commixtione.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod omnia impedimenta quæ faciunt sponsionem non esse vera sponsalia, faciunt etiam quod ex tali sponsione non causetur affinitas, sive aliquid simile. Unde habens defectum ætatis, sive votum solemne continentiæ, aut aliquod hujusmodi impedimentum ad sponsalia de facto, ex hoc non contrahit aliquam affinitatem, nec aliquem affinitatis modum, quia sponsalia nulla sunt. Si tamen aliquis minor, frigidus, vel maleficiatus, habens impedimentum perpetuum, ante annos pubertatis, post septennium contrahat sponsalia cum aliqua adulta, ex hoc contractu contrahitur publicæ honestatis justitia: quia adhuc non erat in actu impediendi, cum in tali ætate puer, sive frigidus, sive non frigidus, quantum ad actum matrimonialem sit æqualiter impotens.

ARTICULUS V.

Utrum affinitas sit causa affinitatis.

Pro affirmativa.=Videtur quod affinitas sit causa affinitatis.

1. Julius Papa dicit, et habetur 35. quæst. 3. cap. *Et hoc quoque statutum. Consanguineam relictam uxoris suæ nullus ducat in uxorem*, et seq. c. dicitur, quod *duæ consanguineorum uxores, uni viro altera post alteram nubere prohibentur*. Quod non est nisi ratione affinitatis quæ contrahitur ex conjunctione ad affinem. Ergo affinitas est causa affinitatis.

2. Consanguinitas est causa affinitatis. Ergo et affinitas est affinitatis causa.

Conseq. prob., quia carnalis commixtio conjungit, sicut et carnalis propagatio. Unde et æqualiter computantur gradus affinitatis et consanguinitatis.

3. Quæcumque uni et eidem, sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. Sed uxor alicujus viri efficitur ejusdem attinentiæ cum consanguineis viri. Ergo et omnes consanguinei viri efficiuntur unum cum omnibus, qui attinent mulieri per affinitatem. Et sic affinitas affinitatem causat.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra

1. Si affinitas ex affinitate causaretur, sequeretur quod si aliquis cognovisset duas mulieres, neutram earum posset ducere in uxorem. Quod est falsum.

Conseq. prob., quia ex hoc altera alteri efficeretur affinis.

2. Si affinitas ex affinitate nasceretur; aliquis contrahens cum uxore defuncti, fieret affinis omnibus consanguineis prioris viri, ad quos mulier respectu prioris viri habet affinitatem. Quod tamem esse non potest. Ergo affinitas affinitatem non causat. Falsitas prob. quia sic talis vir fieret affinis primo viro, qui mulierem in uxorem habuit, et tamen non fit ei affinis.

Determinatio.

Sensus quæsiti est. An si mulier mihi affinis, puta uxor fratris mei mortui, nubat alicui viro, faciat affinitatem inter me et consanguineos secundi viri; ita ut si moriatur frater secundi viri et reliquerit uxorem vidoam, eam possim accipere in uxorem mihi propter affinitatem?

CONCLUSIO. Affinitas non causat affinitatem.

Prob. Attinentia quæ est, non per carnis propagationem, sed per conjunctionem viri et uxoris ad prolis propagationem, non facit attinentiam ejusdem

speciei. Sed affinitas est attinentia aliquorum, non per carnis propagationem, sed per conjunctionem viri et mulieris, ad prolis propagationem, ergo affinitas affinitatem facere non potest.

Manifestatur simul tota ratio. Pro quo est sciendum quod duplex est modus quo aliquid ex alio procedit. Unus, secundum quem aliquid procedit in similitudinem speciei, sicut ex homine generatur homo. Alius, secundum quem non procedit simile in specie; Et hic processus semper est in inferiorem speciem, ut patet in omnibus agentibus æquivocis. Inter quos modos processionis hæc est differentia in proposito quod primus quotiescumque iteretur, semper manet idem specie: sicut si ex homine generetur homo per actum generativæ virtutis, ex hoc homine generabitur homo, et sic deinceps. Secundus autem modus sicut prima vice facit aliam speciem, ita quotiescunque iteretur, aliam speciem facit. Ut ex puncto per motum procedit linea, et non alius punctus. Punctus enim motus facit lineam: et linea mota non facit lineam; sed superficiem: et ex superficie mota procedit corpus; et ulterius per talem motum processus esse non potest. Hic autem duplex processus invenitur etiam in attinentia. Est enim unus processus attinentiæ per carnis propagationem, et hic semper facit eamdem speciem attinentiæ, scilicet consanguinitatem. Alius est per matrimonialem conjunctionem, et hic facit statim in principio aliam speciem, sicut patet: nam conjuncta matrimonialiter consanguineo non est consanguinea, sed affinis. Unde si modus hic procedendi iteretur, non faciet affinitatem, sed aliud genus attinentiæ. Unde persona, quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis, sed facit quamdam aliam attinentiam, quæ est aliud genus affinitatis, et dicitur secundum genus: et rursus, si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio. Et hæc differentia inter consanguinitatem et affinitatem patet etiam ex illo versu supra posito.

Mutat nupta genus; sed generata gradum.

Et manifestius hæc exemplariter ostenduntur. Nam uxor fratris mei est mihi affinis in primo affinitatis genere, quæ vere dicitur affinitas. Si autem post mortem fratris mei, illa alium virum acceperit; ille vir est mihi affinis in secundo genere. Si autem mortua uxore quæ fuerat fratris mei, ille accipiat aliam uxorem, erit talis uxor affinis mihi in tertio genere. Antiquitus autem impediebat matrimonium non solum primum genus affinitatis, sed etiam secundum, et tertium. Unde secundus vir uxoris fratris mei, tunc non poterat, mortua dicta ejus uxore, accipere sororem meam in uxorem. Nec alter frater meus potuisset accipere secundam ejus uxorem, si ipse mortuus fuisset, relicta secunda uxore: et hoc impedimentum non erat ex affinitate, sed magis ex publica quadam honestate. Modo autem illud impedimentum cessavit, et remanet tantum primum genus affinitatis quod est vera affinitas Ex quibus remanet manifesta ratio inducta ad conclusionem, quoad ambas præmissas. Et quidem quantum ad maiorem patet ex differentia quæ est inter processum attinentiæ secundum primum modum et secundum. Ex illo enim causatur idem genus sive species attinentiæ, non ex secundo. Quantum vero ad minorem, quia affinitas pertinet ad secundum processum attinentiæ. Et confirmatur ex illo versu. *Mutat nupta genus, etc.* quia nupta consanguineo non est consanguinea, sed affinis, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod canones illi citati, jus antiquum explicant, quo prohibebatur matrimonialis copula usque ad tertium affinitatis genus. Nunc autem an-

tiquum jus per novum abolitum est. quod habetur de Consang. et affinitate. lib. 4. tit. 14. cap. Non debet, et est cap. 8. Nunc igitur, secundum jus novum potest unus vir ducere successive duas mulieres relictas á duobus consanguineis. Et secundus vir uxoris fratris mei mortui, potest, mortua uxore quæ fuerat fratris mei, ducere sororem meam in uxorem sibi.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis carnalis commixtio conjungat; non tamen conjungit eodem genere conjunctionis, quo conjungit carnalis propagatio.

Ad 3. Dicitur quod maior est vera, quando illa duo sunt idem uni tertio, eodem modo identitatis: non ausi sint idem diverso modo. Tunc ad minorem dicitur quod uxor viri efficitur ejusdem attinentiæ cum consanguineis viri, non quantum ad attinentiæ genus: aliter enim attinet vir suis consanguineis, et aliter ejus uxor attinet eisdem; ipse enim est consanguineus, mulier vero tantum affinis; sed quantum ad gradum. Quia scilicet sicut vir ejus attinet fratri in primo gradu consanguinitatis; ita mulier attinet eidem fratri sui viri in primo gradu affinitatis: et ideo mulier sola, et non parentes mulieris, efficitur affinis consanguineis viri. Et vir solus, et non ejus consanguinei, efficitur affinis consanguineis mulieris. Unde ex hoc non concluditur quod affinitas faciat affinitatem, sicut consanguinitas consanguinitatem.

Ad argumenta pro negativa.

Sed quia argumenta pro negativa probant quod affinitas nullo modo faciat affinitatem, posset aliquis existimare irrationabile fuisse jus antiquum, statuens impedimentum, ubi nullum impedimentum aderat. Ideo illis est respondendum.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum. Mulier enim non efficitur affinis in primo genere viro cui carnaliter conjungitur, ut ex dictis patet, et consequenter non efficitur affinis mulieri ab eodem viro cognitæ in secundo genere, quia secundum genus supponit primum. Unde nec ei qui ducit in uxorem unam earum, efficitur altera affinis in tertio genere affinitatis. Et ita duas mulieres cognitas ab eodem viro, nec antiqua jura eidem successive copulari prohibebant.

Ad 2. Neg. conseq. Sicut enim vir non est affinis uxoris suæ in primo genere; ita nec efficitur affinis secundo viro ejusdem uxoris in secundo genere, et per consequens nec consanguineis illius aliquo modo fit affinis.

ARTICULUS VI.

Utrum affinitas matrimonium impediat.

Pro affirmativa. — Videtur quod affinitas matrimonium non impediat.

1. Illud quod impedit matrimonium, est matrimonio contrarium. Sed affinitas non contrariatur matrimonio. Ergo affinitas non impedit matrimonium.

2. Consanguinei defuncti viri succedunt in rebus viri defuncti. Sed mulier ab eo relicta, quæ fuerat ejus uxor, est quædam res viri. Ergo consanguinei possunt eam in uxorem accipere, non obstante affinitate quæ est inter eos.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur Levit 18. *Turpitudinem uxoris patris tui ne revelabis*, quæ est filio tantum affinis. Ergo affinitas impedit matrimonium.

Determinatio.

1.° Conclusio. Affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum, sicut et consanguinitas.

Manifestatur. quia sicut inest quædam necessitas cohabitandi consanguineis adinvicem, ita et affinibus: et sicut est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita inter affines. Quæ sunt rationes, quare consanguinitas ma-

trimonium impedit, ut dictum est quæst. præced. art. 3,

2.ª Conclusio. Affinitas matrimonio superveniens non dirimit ipsum.

Manifestatur quia nullum impedimentum superveniens matrimonio rite contracto, potest ipsum derimere, ut dictum est quæst. 142. art. unico. ad 7.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. min. Ad prob. dicitur, quod affinitas non contrariatur matrimonio ex quo causatur; sed contrariatur matrimonio, quod cum affine esset contrahendum; inquantum impedit multiplicationem amicitiæ et concupiscentiæ repressionem, quæ per matrimonium quæruntur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera quidem de rebus possessis á viro defuncto, non autem de his quæ erant una caro cum ipso. Uxor autem est una caro cum viro suo, res vero possessæ non efficiuntur aliquid unum cum ipso; ideo sicut consanguinitas impedit matrimonium sive conjunctionem ad virum vel ad filios aut filias viri defuncti, sic et affinitas impedit consanguineos viri á conjunctione matrimoniali cum muliere ab eo relicta.

ARTICULUS VII.

Utrum affinitas habeat per se gradus.

Pro affirmativa.=Videtur quod affinitas habeat per se ipsam gradus.

1. Cujuslibet propinquitatis est accipere aliquos per se gradus. Sed affinitas est quædam propinquitas. Ergo affinitatis est accipere per se gradus.

2. Magister dicit in 4. Sent. dist. 41. quod soboles secundæ conjunctionis non potest transire ad consortium affinitatis prioris viri. Quod non esset, nisi filius affinis esset etiam affinis. Ergo affinitas habet per se gradus, sicut consanguinitas.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Affinitas ex consanguinitate causatur. Ergo et omnes gradus affinitatis cauantur ex gradibus consanguinitatis.

Determinatio.

Conclusio. Affinitas non habet per se gradus.

Prob. ei, quod habet per se attinentiæ gradus, comparari debet carnis propagatio per se. Sed affinitati non comparatur carnis propagatio per se; sed solum mediante consanguinitate. Ergo dictinctio graduum per se et immediate competit consanguinitati, affinitati autem mediante consanguinitate.

Maior prob. Et quidem, quod ei cui competit habere per se gradus, debeat comparari carnis propagatio, Prob. quia gradus attinentiæ per propagationem carnis distinguuntur. Quod vero talis comparatio debeat esse per se, ostenditur, quia res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius quod competit sibi secundum genus suum: sicut animal non dividitur per album et nigrum; sed per rationale et irrationale. Ei igitur, cui competit habere per se attinentiæ gradus, per se debet ei comparari carnis propagatio.

Minor prob., quia ex carnis propagatione immediate consanguinitatis vinculum contrahitur. Affinitas aut non nisi mediante consanguinitate, carnis propagationem attingit. Et confirmatur ratio, quia ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitas attinet mihi ejus uxor. Unde uxor fratris mei attinet mihi in primo gradu affinitatis, et uxor nepotis mei in secundo, et pronepotis in tertio, et sic de aliis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de propinquitate consanguinitatis, non autem de affinitate. Gradus enim in propinquitate attinentiæ non possunt accipi, nisi secundum ascensum et descensum propagationis ad quam non comparatur affinitas, nisi mediante consanguinitate. Et ideo affinitas non habet gradus per

se; sed sumptus juxta gradus consanguinitatis.

Ad 2. Dicitur ad sententiam magistri, quod filius affinis meæ ex alio matrimonio, non per se loquendo, sed quasi per accidens dicebatur antiquitus affinis, unde prohibebatur á matrimonio magis propter justitiam publicæ honestatis, quam propter affinitatem: et propter hoc etiam illa prohibitio nunc est revocata, ut art. 5. ad 1. dictum est.

ARTICULUS VIII.

Utrum gradus affinitas extendantur, sicut gradus consanguinitatis.

Pro negativa. = Videtur quod gradus affinitatis non extendantur, sicut gradus consanguinitatis.

1. Gradus vinculi minus fortis, quam sit vinculum consanguinitatis, non se extendunt sicut gradus consanguinitatis. Sed vinculum affinitatis est minus forte, quam vinculum consanguinitatis. Ergo gradus affinitatis non durant usque ad tot gradus, ad quot durat consanguinitas.

Maior prob., quia quanto fortius est vinculum, tanto diutius durat.

Minor prob., quia affinitas causatur ex consanguinitate in diversitate speciei, sicut ex causa æquivoca.

2. Secundum jus divinum, aliqui gradus consanguinitatis erant prohibiti, in quibus gradibus affinitas matrimonium non impediebat: sicut patet de uxore fratris, quam alius frater poterat ducere in uxorem, frater altero defuncto, non tamen propriam sororem, ut dicitur Deut. 25. Ergo et nunc non debet esse prohibitio æqualiter in gradibus affinitatis et consanguinitatis.

Conseq. prob., quia jus humanum debet imitari jus divinum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ex hoc ipso est aliqua mihi affinis, quod meo consanguineo est conjuncta. Ergo in quocumque gradu est mihi vir consanguineus, in illo gradu est ipsa mihi affinis. Et sic gradus affinitatis computari debent in eodem numero, sicut computantur gradus consanguinitatis.

Determinatio.

1.ª CONCLUSIO. Gradus affinitatis extenduntur sicut gradus consanguinitatis.

Prob. Gradus affinitatis sumuntur juxta gradus consanguinitatis. Ergo oportet quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis.

2.ª CONCLUSIO. Facilius olim et nunc fit dispensatio in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis.

Manifestatur quia affinitas est minus vinculum quam sit consanguinitas.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. et maxime in proposito. Nam illa minoritas vinculi affinitatis respectu consanguinitatis, non facit varietatem in gradibus; sed varietatem in genere attinentiæ, ut dictum est supra.

Ad 2. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod frater non poterat accipere uxorem fratris sui defuncti: nisi in casu, scilicet quando moriebatur sine prole, ut suscitaret semen fratri suo; quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis, cultus religionis multiplicabatur, quod nunc locum non habet. Et sic patet quod non ducebat eam in uxorem quasi gerens propriam personam; sed quasi supplens defectum fratris sui defuncti.

ARTICULUS IX.

Utrum conjugium contractum inter affines, vel consanguineos, semper sit dirimendum.

Pro negativa.=Videtur quod conjugium inter affines vel consanquineos contractum, non semper sit per divortium dirimendum.

1. Illos, quos *Deus conjunxit, homo non debet separare.* Sed Deus quandoque affines et consanguineos conjungit in matrimonium. Ergo homo non potest eos amplius separare.

Minor prob., quia Deus facere intelligitur quod facit Ecclesia, quæ quandoque tales ignoranter conjungit.

2. Homo per longi temporis præscriptionem acquirit dominium in re cujus non erat dominus. Ergo etiam matrimonium, per diuturnitatem temporis ratificatur, etiam quod prius ratum non fuerit.

Conseq. prob. quia favorabilius est vinculum matrimonii, quam dominii.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Consanguinitas et affinitas impediunt matrimonium contrahendum et dirimunt contractum, ut Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. de reform. docet. Ergo si probatur affinitas vel consanguinitas conjugum, separandi sunt, etiam si de facto matrimonium contraxerint.

Determinatio.

Conclusio. Conjugium contractum inter consanguineos et affines est per Ecclesiam separandum.

Prob. Conjugium eorum, inter quos non potest esse verum matrimonium, est per Ecclesiam separandum. Sed inter consanguineos et affines non potest esse verum matrimonium. Ergo conjugium quod factum fuit inter consanguineos vel affines, est per Ecclesiam separandum.

Maior prob. Conjugium quod non potest esse sine mortali peccato, est per Ecclesiam separandum. Ecclesia enim omnibus modis conatur mortale peccatum impedire. Sed conjugium quod est inter eos inter quos non potest esse matrimonium, est peccatum mortale. Omnis enim concubitus, præter licitum matrimonium, est peccatum mortale. Ergo omne tale conjugium est per Ecclesiam separandum.

Minor prob., quia conjugium quod est inter affines et consanguineos, non potest esse sine incestu, qui est mortale peccatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Non enim Deus conjungit vinculo matrimonii consanguineos sive affines. Ad prob. dicitur, quod quamvis Ecclesia dono, et auctoritate divina fulciatur; tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid de humano defectu in actibus ejus provenit quod non est divinum, et ideo illa conjunctio, quæ fit in facie Ecclesiæ ignorantis impedimentum, non habet inseparabilitatem ex divina auctoritate, sed est contra divinam auctoritatem, errore hominum inducta, qui error á peccato excusat, cum sit error facti, quamdiu manet. Et propter hoc, quando impedimentum pervenit ad notitiam Ecclesiæ, debet Ecclesia prædictam conjunctionem separare.

Ad 2. Negatur antecedens. Illa enim, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur; quia ut Innoc. dicit lib. 4. decretal. tit. 14. c. 8. *Diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.* Nec ad hoc facit aliquid favor matrimonii quod inter illegitimas personas esse non poterat.

ARTICULUS X.

Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos, sit procedendum per viam accusationis.

Pro negativa. = Videtur quod ad separationem matrimonii quod est inter affines et consanguineos contractum, non sit procedendum per viam accusationis.

1. Accusationem præcedit inscriptio, qua aliquis se ad talionem obligat, si in probatione defecerit. Sed hæc non requiruntur, quando de matrimonii separatione agitur. Ergo ibi non habet locum accusatio.

2. In accusationibus audiuntur etiam extranei. Sed in causa matrimonii non audiuntur extranei, sed solum propinqui, ut dicitur 35. quæst. 6. c. 1. Er-

go in causa separationis matrimonii, non proceditur per viam accusationis.

3. Si matrimonium accusari deberet; tunc præcipue hoc esset faciendum, quando minus difficilis est separatio. Sed quando sunt contracta tantum sponsalia, minus difficilis est separatio, et tamen tunc non accusatur matrimonium. Ergo numquam de cætero fieri debet accusatio.

4. Ad accusandum non præcluditur via alicui ex hoc quod non statim accusavit. Sed in matrimonio præcluditur via ad accusandum ei qui non statim accusavit: si enim primo tacuit, quando matrimonium contrahebatur, non potest postea, quasi suspectus matrimonium accusare, ut patet extra lib. 4. tit. 18. c. 1. Ergo ad disolutionem matrimonii non est per accusationem procedendum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Omne illicitum potest accusari. Sed matrimonium consanguineorum et affinium est illicitum. Ergo de eo potest esse accusatio.

Determinatio.

Conclusio. Ad separationem matrimonii contracti inter consanguineos vel affines, est per viam accusationis procedendum.

Prob. Factum illicitum quod tamen propter errorem licitum existimatur, potest accusari. Sed matrimonium contractum inter consanguineos et affines, est factum illicitum quod propter errorem licitum apparet. Ergo matrimonium hoc potest accusari, et per talem accusationem est procedendum ad ejus separationem.

Maior prob., quia accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui culpam habet. Sicut autem ex ignorantia facti contingit quod aliquis homo reputetur innocens, qui tamen est in culpa; ita ex ignorantia alicujus circunstantiæ contingit quod aliquod factum reputatur licitum, quod tamen est illicitum. Sicut igitur potest accusari persona de defectu ejus, ita potest accusari factum. Minor autem patet ex præcedenti articulo, in quo dictum est quod matrimonium inter affines est peccatum mortale, propter quod est ab Ecclesia separandum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior propositio habet veritatem, quando accusatur persona de crimine, quia tunc agitur ad punitionem ejus: sed quando accusatur factum, non agitur ad pœnam facientis, sed ad impediendum hoc quod est illicitum. Et ideo in matrimonio non se obligat accusator ad aliquam pœnam; sed talis accusatio potest et verbo et scripto fieri, ita quod exprimatur persona accusans, matrimonium quod accusatur, et impedimentum propter quod accusatur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod extranei non possunt scire consanguinitatem nisi per consanguineos, de quibus probabilius est quod sciant; unde quando consanguinei tacent, suspitio habetur contra extraneum quod ex malevolentia procedat, nisi per consanguineos probare voluerit. Unde extraneus, repellitur ab accusatione matrimonii, quando consanguinei tacent, et per quos probare non potest. Sed consanguinei quantumcumque sint propinqui, non repelluntur ab accusatione, quando accusatur matrimonium proper aliquod impedimentum perpetuum, quod impedit contrahendum et dirimit contractum. Sed quando accusatur ex hoc quod dicitur non fuisse contractum, tunc parentes tamquam suspecti sunt repellendi, nisi ex parte illius qui est inferior dignitate et divitiis, de quibus probabiliter existimari potest, quod libenter vellent quod matrimonium staret. Falsa est igitur simpliciter ipsa minor. Quia in accusatione matrimonii, etiam extranei admittuntur, si acusationem per consanguineos firmare possint.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod matrimonium non potest accusari, quando nondum est contractum, sed sponsalia tantum, quia non accusatur quod non est potest tamen, contractis sponsalibus, denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod ille, qui tacuit primo, quandoque. si vellit postea matrimonium accusare, auditur; quandoque vero repellitur, quod patet ex Decretal. lib. 4. tit. 18. c. Cum in tua quæ sic dicit. «Si post contractum «matrimonium aliquis appareat accusa«tor, cum non prodierit in publicum, «quando banna secundum consuetudinem «Ecclesiæ edebantur; utrum vox suæ «debeat accusationis permitti, merito «quæri potest. Super quo sic duximus «respondendum. Quod si tempore de«nunciationis præmissæ, is qui jam con«junctos impetit, extra diæcesim exis«tebat, vel alias denunciatio non potuit «ad ejus notitiam pervenire, ut puta, si «nimiæ infirmitatis fervore laborans, «sanæ mentis patiebatur exilium, etc. «Ejus accusatio debet audiri. Alioquin «tamquam suspectus est proculdubio re«pellendus; nisi proprio firmaverit jura«mento, quod postea didicerit ea quæ «objecerit, et ad hoc ex malitia non «procedat.»

ARTICULUS XI.

Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos, procedi debeat per testes.

Pro negativa.=Videtur quod in tali causa non sit procedendum per testes, sicut in aliis causis.

1. In aliis causis adducuntur ad testificandum quicumque sunt omni exceptione maiores. Sed in hoc non admittuntur extranei, etiam si sint omni exceptione maiores. Ergo in separatione matrimonii inter consanguineos, non est procedendum per testes, sicut in aliis causis.

2. Testes suspecti de privato odio, vel á more, á testimonio ferendo repelluntur. Sed propinqui maxime possunt esse suspecti de amore, respectu unius partis, et de odio ad partem alteram. Ergo nec eorum testimonium est in hac causa audiendum.

3. In causis, in quibus de rebus pure corporalibus agitur, non potest idem esse testis et accusator. Ergo nec in causa separationis matrimonii idem potest esse testis et accusator; et ita videtur quod in causa ista per testes procedi non debeat.

Conseq. prob., quia matrimonium est favorabilius quam aliæ causæ, in quibus de rebus pure corporalibus, agitur. Unde si contractus in aliis causis non potest solvi, si idem sit testis et accusator; multo minus poterit per hoc, quod idem est testis et accusator, matrimonium solvi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In causa, in qua facienda est judici fides de his de quibus dubitatur, procedendum est per testes. Sed in causa separationis matrimonii contracti inter consanguineos vel affines, facienda est judici fides de his de quibus dubitatur, an. sc. conjuncti sint consanguinei, sive affines. Ergo in causa ista per testes est procedendum.

Maior prob., quia testes inducuntur in causis, ut super his, de quibus dubitatur, fiat judici fides.

Minor prob., quia judex, etiam in hac causa, non debet præcipitare sententiam de eo quod non constat.

Determinatio.

Conclusio. In causa separationis matrimonii inter consanguineos sive affines contracti, procedendum est per testes, sicut fit in aliis causis, non tamen eodem modo.

Quæ conclusio probata remanet per argumentum inductum pro affirmativa. Oportet enim, etiam in hac causa, fidem facere judici de his, de quibus dubitatur. Declaratur conclusio, quantum ad

ultimam ejus partem. Nam in hæc causa, ut juris tædicunt, multa specialia inveniuntur. Et primo quod idem potest esse accusator et testis. Secundo quod non juratur de calumnia. Quid sit de calumnia jurare, patet in Decretal. lib. 2. tit. 7. Tertio quod consanguinei admittuntur ad testificandum. Quarto non observatur omnino judiciarius ordo quia tali denunciatione facta, contumax potest excommunicari, lite non contestata. Quinto valet testimonium de audito. Et tandem ultimo, quod post publicationem testium, possunt testes induci. Et ratio horum omnium est, ut vitetur pecatum quod in tali conjunctione esse potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ratio quare extranei in hac causa non admittantur quandoque, dicta est. art. præced. ad 2. consanguineos autem admittere, est peculiare in hac causa.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod testes suspecti de odio, vel amore erga partes, repelluntur in aliis causis: in hac tamen admittuntur consanguinei, non obstante tali suspicione, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Nam etiam hoc est speciale in hac causa, ut idem possit esse testis, et accusator.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 145.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á *Gregorio* Papa esse insinuatum, quod ex consanguinei matrimonio affinitas causatur, et sic. " Porro de affinitate, quam dicit parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est, quia; si secundum divinam sententiam ego, et uxor mea sumus una caro, profecto mihi, et illi mea, suaque parentela propinquitas una efficitur; quocirca ego, et soror uxoris meæ, in uno, et primo gradu erimus, filius vero ejus in secundo erit gradu á me; neptis vero in tertio, idque utrimque in ceteris agendum est successionibus. Hæc ille, 35. qu. 5. Item ab Innocentio III. ad Archiepiscopum Rossan. " Super eo, quod pater, et filius cum matre, et filia, et duo cognati cum duabus cognatis, avunculus, et nepos cum duabus sororibus, contrahunt matrimonia taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris, sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris, et viri, sex eorum, sc. viri, et uxoris, conjugio, nulla prosus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. » Hæc ille de consanguinitate, et affinitate. Quod super his. Ecce, quod consanguinei matrimonium causat affinitatem, licet affinitas contracta inter consanguineos viri, et uxorem ipsius non transeat ad consanguineos uxoris, nec é converso. Unde, si nihil aliud obstet, possunt hi legitime copulari. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ex consanguinei matrimonio causari affinitatem dicunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á summis Pontificibus, quod affinitas manet post mortem viri, aut uxoris. Insinuatum autem est 35. qu. 10. á Gregorio Papa ad Venerium Episcopum Catalitanum, c. Fraternitatis, etc. " Sedem Apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro conjuncta, etc. si eo defuncto cognatio remaneat, etc. Porro, uno defuncto, in superstite affinitas non deletur; nec alia copula conjugalis affinitatem copulæ prioris solvere valet. » Item ab Innocentio Papa. " Si cujus patruus uxoratus objerit, et illa virum alium postea duxerit, et filios ex illo genuerit, filiasves,

cum his commisceri omnibus modis prohibemus, quia vir, et mulier una caro sunt.» Item á Synodo Romana ibid. " Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, et ex eis sobolem genuerit: nullo modo potest ad consortium cognationis viri prioris pertingere. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto affinitatem perseverare post mortem personæ, cujus causa contracta est, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á summis Pontificibus, quod consanguinitas ex illicito concubitu causatur. Ut puta ab Innocentio III. de probation. c. Per tuas, etc. " T. Tibertinus civis quamdam per septennium habuit concubinam, etc. Mulier illa de dicto T. suscepisse R. primitus constanter asseruit: et idem T. præfatæ mulieris devictus instantia, ipsum suum filium publice recognovit, et filius ejus nominatus communiter fuit, et habitus ab ambobus. Unde apparet per consequens, quod prædictus R. Sophiam neptem memorati T. cujus præsumitur consobrinus, non potest habere aliquatenus in uxorem.» Ubi patet, quod illicitus concubitus Tiberii cum illa concubina causavit affinitatem, ita, quod filius illorum Robertus tamquam affinis repellitur omnino á conjugio Sophiæ neptis patris sui Tiberii. Item ab eodem de eo, qui cognov. consang. uxor suæ: " tuæ fraternitatis devotio postulavit, utrum is, qui cum sorore legitimæ conjugis fornicatur, cum uxore possit postmodum commorari, et exigere debitum, ac solvere requisitus. Nos igitur respondemus, quod uxor, ut á commixtione viri abstineat propter publicam honestatem, et in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis ingressus fuerit, diligentius est monenda. Quod si forte commonitioni parere recusans talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius: vir ejus poterit, et debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit.» Ubi per ly publicam honestatem intellige affinitatem: sicut et idem Papa in contextu nominavit inferius, et glossa ibi exponit. Item ab eod. ibid. " Discretionem tuam, etc. Nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine suâ culpa privari. » Item ibid. á Gregorio IX. " Jordanæ mulieris, etc. Ea propter mandamus, quatenus utrumque ipsorum ad vovendam perpetuam continentiam attente moneas. Et, si ad eam induci nequiverint; memoratum idest injuncta ei primitus pro commisso incestu pœnitentia competenti, ut eidem cohabitet, et conjugale debitum reddat exactus, eccclesiastica censura compellas. » Ubi ex tanta difficultate de conjungendis ipsis facta monstrat aperte Papa, quod affinitas ex concubitu incestuoso causata fuerat. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, pro quanto affinitatem ex iniquo concubitu causari dicunt et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Alex. III.* quod ex exponsalibus causatur publicæ honestatis justitia; et sic: «Si puella infra nubiles annos alicui desponsata fuerit, non licet alicui de consanguinitate ipsius, cui de sponsata, fuerit, eam ducere in uxorem, nec fas est eidem sponso de consanguinitate sponsæ sibi aliquam copulare. » Hæc ille de respons. impub. cap. Continebatur. Item ab eodem, cap. Literas, etc. Cum quidam esset perfectæ ætatis, quamdam puellam in cunabulis desponsavit, procedente vero tempore matrem puellæ cognovit, et eam in uxorem accepit. Si præfatus vir matrem puellæ antequam septimum annum complesset, in uxorem accepit, matrimonium non dissolvas; cum desponsationes hujusmodi nullæ sunt, quæ in cunabulis fiunt. Verum, si, postquam puella septimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cum sponsalia ex tunc placere consueverint, inter eos sententiam divortii non differas promulgare: nec ipsum filiam, seu matrem habere permittas. » Ubi nota, quod filiam habere non potest propter affinitatem supervenientem ex illicito concubitu, art. 3. nec matrem propter publicæ honestatis justitiam. Et, quoniam ista justitia publi-

cæ honestatis in primo gradu est, ut patet: ideo etiam hodie impediret á matrimonio. De qua re sic jus novum statuit: *Justitiae publicae honestatis impedimentum*, (secus de aliis gradibus, etiam quod per hæc antiqua jura impedirentur) «ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. Hæc Concil. Triden. sess. 24. c. 3. de reform. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ex sponsalibus causari justitiam publice honestatis insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse supra art. 1. append. per Papam, quod affinitas non causat affinitatem; et maxime ab Innocentio III. sic. "Licet omnes consanguinei uxoris sint viri affines, et omnes consanguinei viri sint affines uxoris, tamen inter consanguineos uxoris, et viri, ex eorumdem scilicet viri, et uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta.» Hæc ille de consanguin. et affinit. quod super his. Ex quibus patet, quod titius, qui est affinis Bertæ ex conjugio sui fratris Petrucii cum Berta, si duceret uxorem Antoniam, Berta non fieret affinis Antoniæ affinitate proprie dicta. Idem insinuat Innocentius, et simul attinentiam causatam idem tollit ab impeditione matrimonii, ut inquit D. Thomas in corpore. Sic enim habet Innocentius ibid. c. Non debet, etc. "Cum prohibitiones de conjugio in secundo, et tertio affinitatis genere minime contrahendo, et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi prioris viri non copulanda et difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum: cum, cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes præsenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cetero libere copulentur.» *Secundo* habes: quomodo per S. Thomam prædicta Pontificum, pro quanto affinitatem causare affinitatem negant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse quod affinitas impedit matrimonium, sicut consanguinitas, á Papa Alexand. III. Inquisita diligentius veritate, si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam promulgare. Æque enim, ut canones dicunt, abstinendum est á consanguineis uxoris ut propriis.» Hæc ille de consang. cap. Ex literis. Item ab Urbano III. ibid. cap. super eo, etc. «Si manifestum est, juvenem cognovisse propinquam prædictæ puellæ, vel, si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, cum esset sponsa tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet absolvi.» Item á Papa Julio 35. quæst. 3. "Æqualiter vir conjungatur consanguineis propriis et consanguineis uxoris suæ.» Item ab Alexandro prædicto: "Sponsam alterius, maxime si est nubili ætati proxima, nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare.» Hæc ille de sponsal. et matrim. Si ergo affinitas propria (de qua ibi,) quæ alias dicitur publicae honestatis justitia causata ex sponsalibus impedit matrimonium: multo magis secundum eumdem Papam affinitas impropria, quae scil. causatur ex matrimonio consanguinei, impediet ipsam. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum pro quanto affinitatem impedire insinuant matrimonium, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Concil. Macien. quod affinitas non habet per se gradus; et sic: "Sane consanguinitas, quae in proprio viro servanda est, haec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est: quia constat eos duos fuisse in carne una.» Haec illud, ut recitatur 35. q. 3. Cum enim demonstrat Concilium, quod parentela affinitatis ex consanguinitate causatur; per hoc ostendisse dicendum est, quod affinitas non habet per se gradus. Nam, si ex consanguinitate causatur, juxta Concilium, etiam juxta illud propagationem carnis respicit mediante consanguinitate: et conse-

quenter mediante consanguinitate habet gradus, et consequenter non habet illos per se. Item á canonibus Pontificiis, ut de consan. et affin. circa declarationem arboris ponitur. Nam affinitas, secundum canones, " est personarum proximitas ex coitu proveniens, omni carens parentela, » scilicet sanguinis. Ex hac enim de definitione patet, quod canones statuunt, affinitatem ex consanguinitate, mediante, copula carnali, causari. Consequenter ergo dic secundum canones, ut prius secundum Concilium dicebatur. Item ab eisdem ibid. per regulam istam, quae datur ad agnoscendam affinitatem, et est haec. " Quotiescumque inter unam personarum, de quibus quaeritur, et conjugem alterius, non est, vel non fuit consanguinitas intra quartum gradum inclusive, nulla est prohibitio. Verbi gratia: inter me, et conjugem nepotis mei non potest esse matrimonium; quia nepos meus est mihi consanguineus intra quartum gradum. Item soror mea habuit maritum; ea mortua, maritus ejus aliam accepit: quo defuncto, potero contrahere cum ejus relicta, quia inter me, et illam relictam nulla est, nec fuit consanguinitas. » Ex quibus patet, quod ad inveniendam affinitatem utimur pro medio consanguinitate, et ad inveniendos affinitatis gradus utimur pro medio gradibus consanguinitatis. Dicendum ergo ex his, ut supra circa Concil. Macien. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, pro quanto affinitatem non habere gradus per se, sed media consanguinitate insinuant, et intelligas, et defendas *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse ab *Innocentio* in Concil. generali, quod affinitatis gradus extendantur, sicut gradus consanguinitatis: et sic. " Prohibitio conjugalis copulae consanguinitatis, et affinitatis quartum gradum da cetero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest, etc. » Haec ille, de consangu. et affini. Ubi vides, quod gradus affinitatis extendit secundum gradus consanguinitatis. Item ab Alexandro 35. q. 5. *Ad sedem Apostolicam*, etc. Dum enim ibi arborem consanguinitatis approbat, cumque ibi á gradibus consanguinitatis gradus affinitatis causentur (ut patet de consang. et affin.) sequitur, quod idem Alexander tamquam in radice, approbat per hoc, quod gradus utriusque similiter extendantur. Item ab omnibus canonistis 35. qu. 5. et de consang. et affin. ubi arborem affinitatis secundum gradus ad arborem consanguinitatis respondentes designant. Ubi et addunt regulam hanc ex canonibus extractam. " Per carnalem copulam viri, et mulieris, inter consanguineos mulieris, et virum, et inter consanguineos viri, et mulierem, contrahitur affinitas primi generis ejusdem gradus cujus est consanguinitas. Unde, si consanguineus tuus cognoscat mulierem, si vis scire, quoto gradu affinitatis attinet tibi mulier illa, vide, quoto gradu est tibi consanguineus tuus: et quoto est tibi ille consanguineus, toto mulier est tibi affinis: et semper in primo genere. » Unde patet intentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, pro quanto gradus affinitatis ad consanguinitatis correspondenter extendi insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Innocentio III.* quod conjugium contractum inter affines, vel consanguineos (fide dignis probationibus accedentibus) semper est dirimendum, et sic. " Ne autem infra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publice inhibere, et præsumptores ecclesiastica districtione punire; non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela. » Hæc ille de consang. et affin. quod super his. Dixi ly *fide dignis probationibus accedentibus* tum propter dicta superius, not. 2. post. ad 3. tum propter Alexand. III. sic scribentem Pictaviensi Episcopo: " De illo, qui uxorem fratris, antequam ei matrimonium jungeretur, se proposuit cognovisse, respondemus, quod, nisi hoc publicum, et notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum; prædictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas. » Hæc ille, de eo, qui cogn. consang. uxor suæ. Alias semper dirimitur matrimonium hujusmodi, dati his. Item á Gregorio, 3. quæst. 8. hæc salubriter: " Qui et quæ in quarto gra- conjuncti inventi fuerint, separentur. » Item á Concil. Aurelianensi: " Incestuosi,

si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, et á tam nefario scelere segregari noluerint, inter eos habeantur, de quibus veritas ait: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.» Item ab Innocentio III. in Concilio generali, de consang. et affin. non debet, etc. "Si quis contra prohibitionem conjugalis copulæ hujusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, tantoque sint graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.» Item ab eodem Innocent. III. á fortiori insinuatur. "Divortii sententiam approbamus, quam in eum canonice promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cujus antea sororem adhuc septemnem contractis sponsalibus extraordinaria libidine noscitur polluisse.» Hæc ille, de eo, qui cognov. consang. ux. suæ. Dixi igitur ly á fortiori; quia, si matrimonium sequens dirimit affinitati simile, idest publicæ honestatis justitia secundum Innocentium, sic tanto magis, secundum eumdem, affinitas proprie dicta, et consanguinitas. Facit hoc etiam ad art. 4. confirmandum. Quoniam vero affinitatem ex concubitu illicito etiam contrahi, et matrimonium dirimere insinuat Papa iste, et nunc juxta gradus aliter dirimit, quam ante; ideo de hoc notanda sunt verba Concilii Trident. sess. 24. cap. 4. de reform. quæ sunt hæc: "Sancta Synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit; ad eos tantum qui in primo, et secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.» *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto conjugium affinium, vel consanguineorum semper esse dirimendum insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Alexandro Papa, quod in separatione matrimonii inter affines, et consanguineos est procedendum per viam accusationis, et sic: "Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem prætendentem consanguinitatis occasionem. Unde Apostolica authoritate interdicendum mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes uxorem, nullatenus præsumas dimittere, donec apud Episcoporum religiosorum concilium causam justam examinaveris.» Hæc ille 35. q. 6. Item ab Innocentio II. In hujusmodi casibus summopere consideranda est qualitas personarum, quæ aliquid contra quoslibet astruere velint, quæ etiam jusjurandum præstare debent, quod neque gratia, neque pretio, vel timore, vel odio alicujus hoc dicunt contra eos, de quibus agitur, sed potius, quia credant ita verum esse et ita á suis antecessoribus audivisse, in quibus omnibus non debet aliqua varietas, vel contrarietas, inveniri.» Hæc ille ibid. ca. de parentela illa unde. Item á Fabiano Papa, Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet: sed propinqui, ad quorum notitia pertinet, idest, pater, mater, soror, frater, patruus, avunculus, amita, matertera, et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, et veracioribus, in quibus eadem propinquitas nota sit, Episcopus canonice perquirat, et, si inventa fuerit propinquitas, separentur.» Item á Concilio Urbani Papæ. "Si duo viri, vel tres consanguinitatem jurejurando firmaverint, ipsi forte confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, Episcopi eos per baptismum, per fidem Christi, per Christi judicium in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant, utrum, se, sicut est fama, recognoscant esse consanguineos, si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt.» Item á Clemente III. "A nobis est quæsitum; utrum aliqui super accusatione matrimonii, nihil voce propria depromentes, debeant per solam chartulæ conscriptionem admitti. Ad hæc respondemus, quod in talibus, nisi quantum ad præsumptionem, nullius momenti est conscriptio quoad sententiam proferendam; nisi alia legitima adminicula suffragentur.» Hæc ille, quia matrimon. accusar. poss. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto per accusationem matrimonium consanguineorum, ac affi-

nium separandum insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuari ab Eugen. III. quod in dirimendis matrimoniis inter affines, et consanguineos contractis procedi debeat per testes, et sic. Quoties aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur, duobus, vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint: vel totidem senioribus, et melioribus loci ejusdem, id debet legitime comprobari. » Hæc ille de testibus, et attestationibus. Item ab Alex. III. ibid. super eo, etc. " An mulier conjungenda non sit viro pro eo, quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur. Respondemus, quod, si non est firmatum matrimonium inter eos, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi; quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi. » Item specialiter de juramento calumniæ ab Honor. III. sic insinuatum. " Litteras, etc. Romana Ecclesia in his casibus, in quibus de Ecclesiis, decimis, et rebus spiritualibus, tantum agitur, juramentum calumniæ nec dare, nec recipere consuerit, eo, quod tales causæ non ex legum districtione, sed ex canonum æquitate finem debitum sortiuntur. Canones autem juramentum calumniæ in hujusmodi causis nulli prorsus indicunt. » Hæc ille de jura, cal. Quod vero matrimonium sit causa quasi spiritualis, ut hic Honor. de talibus loquitur, patet, quia ad Ecclesiasticos judices pertinet. Pro qua re vide art. 10. not. post ad secundum, et art. 9. no. secund. post ad tertium, ubi per Cœlestin. Papam hoc ipsum edocetur ex ly " suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum, » et ex ly " sit ab uxore sua judicio Ecclsiæ separandus. » Quæ, et consequenter S. Thom. dictum præmissum, confirmantur á Concil. Trid. sess. 24. can. 12. " Si quis dixerit: causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit. » Item ex art. 10. append. multa ad hunc locum facientia mutuare potes. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto testes adhibendos pro dissolutione talis illiciti matrimonii insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SEXTA,

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento cognationis spiritualis.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum spiritualis cognatio matrimonium impediat.

Secundo, ex qua causa contrahatur.

Tertio, inter quos.

Quarto, utrum transeat á viro in uxorem.

Quinto, utrum transeat ad filios carnales patris.

ARTICULUS. I.

Utrum spiritualis cognatio impediat matrimonium.

Pro negativa = Videtur quod spiritualis cognatio non impediat matrimonium.

1. Illud quod imedit matrimonium, contrariatur alicui bono matrimonii. Sed spiritualis cognatio non contrariatur alicui bono matrimonii. Ergo cognatio spiritualis non impedit matrimonium.

2. Perpetuum impedimentum matrimonii non potest simul stare cum matrimonio. Sed cognatio spiritualis aliquando stat simul cum matrimonio: sicut cum aliquis in casu necessitatis filium suum baptizat; tunc enim fit uxori suæ spirituali cognatione conjunctus, nec tamen in hoc casu separatur matrimonium. Ergo spiritualis cognatio non impedit matrimonium.

3. Unio spiritus non transit in carnem. Sed cognatio spiritualis est unio

spiritus, matrimonium vero est carnalis conjunctio. Ergo cognatio spiritualis non impedit matrimonium.

4. Illud quod contrariatur disparitati cultus, non potest matrimonium impedire. Sed spiritualis cognitio contrariatur disparitati cultus. Ergo spiritualis cognatio non potest matrimonium impedire.

Maior prob., quia disparitas cultus impedit matrimonium. Et cum contrariorum non sit idem effectus, sequitur quod id quod contrariatur dispariati cultus, non possit matrimonium impedire.

Minor prob., quia spiritualis cognatio est propinquitas proveniens ex datione sacramenti, vel intentione ad idem. Disparitas autem cultus consistit in carentia sacramenti. Unde hæc sunt adinvicem contraria.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Vinculum quod est sanctius quam sit vinculum corporale, magis impedit matrimonium, quam vinculum corporale. Sed cognatio spiritualis est vinculum sanctius, quam sit vinculum coporale, quod facit consanguinitas, vel affinitas, quod tamen matrimonium impedit. Ergo multo magis cognatio spiritualis matrimonium impedit.

Maior prob., quia quanto magis vinculum sanctius est, magis custodiri debet.

Determinatio.

Conclusio. Cognatio spiritualis impedit matrimonium, ex Ecclesiæ statuto, non tamen semper, nec semper eodem modo.

Prob. quantum ad priorem partem. Deinde declaratur, quoad alias. Vinculum quod contrahitur ex hoc quod aliquis recipit esse spirituale, impedit matrimonium. Sed cognatio spiritualis est vinculum, quod contrahitur ex hoc, quod aliquis recipit spirituale. Ergo cognatio spiritualis impedit matrimonium.

Maior prob., quia sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale, inquantum homo est res quædam naturæ, propter quod matrimonium impedit; ita vinculum, quod contrahitur ex hoc quod homo esse spirituale recipit, est alicui naturale, inquantum est membrum Ecclesiæ. Vinculum igitur, quod contrahitur ex hoc quod aliquis recipit esse spirituale, impedit matrimonium, sicut vinculum quod est ex receptione esse carnalis.

Minor prob., quia sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per sacramenta recipit esse spirituale gratiæ.

Deinde declaratur conclusio, quantum ad alias ejus partes. Nam spiritualis cognatio, aut præcessit matrimonium, aut ipsum sequitur. Si præcessit, impedit contrahendum et dirimit contractum. Si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii; sed quandoque impedit actum. Si enim spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut quando pater baptizat filium in articulo mortis; tunc ex neutra parte matrimonii actum impedit: potest enim tunc et petere et reddere debitum. Si vero inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantia, tunc si ille ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut de casu necessitatis. Si autem ex industria extra casum necessitatis inducatur ille ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum. Si tamen petatur, debet reddere: quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare. Et sic patet quod cognatio spiritualis quandoque impedit et dirimit vinculum matrimonii, scilicet quando ipsum præcedit: quando vero sequitur, non tollit vinculum; potest tamen impedire actum matrimonii in eo, ex cujus actu talis cognatio contrahitur, si sit ex industria, non autem si sit ex necessitate vel ex ignorantia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur min. Quamvis enim spiritualis cognatio non impediat aliquod de principalibus bonis matrimonii, impedit tamen aliquod de ejus secundariis bonis, quod est multiplicatio amicitiæ; quia spiritualis cognatio est sufficiens ratio amicitiæ per se. Unde oportet quod ad alios per matrimonium familiaritas et amicitia quæratur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod cum matrimonium sit perpetuum vinculum, nullum impedimentum superveniens potest ipsum dirimere, ex quo quandoque contingit quod matrimonium et matrimonii impedimentum stant simul. Si vero tale impedimentum præcedat, non stant simul; sed impedit et dirimit matrimonium, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod in matrimonio non est tantum conjunctio corporalis: sed etiam spiritualis, et ideo propinquitas spiritus ei præstat impedimentum, sine hoc quod propinquitas spiritualis transire debeat in carnalem.

Ad 4. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod non est inconveniens quod duo contraria adinvicem, contrarientur eidem: sicut magnum et parvum, quæ sunt contraria inter se, contrariantur æquali. Et sic disparitas cultus et spiritualis cognatio matrimonio repugnant; quia in uno est maior distantia, in altero maior propinquitas, quam matrimonium requirat. Et ideo ex utraque parte matrimonium impeditur.

ARTICULUS II.

Utrum per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur.

Pro affirmativa ==Videtur quod per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur.

1. Sicut se habet corporalis cognatio ad corporalem generationem, ita spiritualis cognatio ad spiritualem generationem. Sed per solam carnalem generationem contrahitur carnalis cognatio. Ergo per solum baptismum, qui solus spiritualis generatio dicitur, contrahitur spiritualis cognatio.

2. Ex susceptione ordinis, non sequitur spiritualis cognatio. Ergo nec ex confirmatione; sed ex solo baptismo.

Conseq. prob., quia sicut in confirmatione imprimitur character, ita in ordine.

3. Ex quibusdam sacramentis non sequitur spiritualis cognatio, ut patet in Extrema-unctione. Ergo multo minus sequitur ex catechismo, ut quidam volunt.

Conseq. prob., quia sacramenta sunt sacramentalibus digniora.

4. Inter sacramentalia baptismi multa præter catechismum numerantur. Ergo non magis ex catechismo contrahitur spiritualis cognatio, quam ex aliis.

5. Ex oratione non contrahitur spiritualis cognatio. Ergo nec ex catechismo.

Conseq. prob., quia oratio non est minus efficax ad promovendum in bonum, quam instructio sive catechizatio.

6. Ex prædicatione non contrahitur aliqua cognatio spiritualis. Ergo nec ex catechismo.

Conseq. prob., quia instructio, quæ fit baptizatis per prædicationem, non minus valet, quam illa quæ fit nondum baptizatis, quæ est catechizatio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Spiritualis generatio causat spiritualem cognationem. Sed prædicatio Evangelii est quædam spiritualis generatio. Ergo ex prædicatione Evangelii fit spiritualis cognatio, et non tantum ex baptismo.

Minor prob., quia 1. Cor. 4. dicit apostolus; *In Christo Jesu, per Evangelium ego vos genui.*

2. Sicut per baptismum tollitur peccatum originale, ita per pœnitentiam tollitur peccatum actuale. Ergo sicut baptismus causat spiritualem cognationem, ita pœnitentia.

3. Ea per quæ aliquis dicitur aliquorum pater, causant cognationem. Sed per pœnitentiam et doctrinam et curam pastoralem et per multa hujusmodi, aliquis dicitur pater spiritualis eorum quibus hæc ab eo impenduntur. Ergo ex multis aliis, præter baptismum et confirmationem, spiritualis cognatio contrahitur.

Maior prob., quia est pater est nomen cognationis.

Determinatio.

Diversa positiones.

Circa hoc est triplex opinio. Quidam dicunt, quod spiritualis regeneratio, sicut per septiformem Spiritus sancti gratiam datur; ita per septem, quæ fiunt, incipiendo á pabulo sacrati salis, quod in baptismo datur, usque ad confirmationem per Episcopum factam. Fiunt enim circa baptizandum septem, ad perficiendam ejus spiritualem generationem, quæ sunt 1. salis collatio. 2. aurium et narium linitio cum sputo. 3. est in pectore et in fronte, crucis facta signatio. 4. est olei sancti unctio. 5. baptismi ablutio. 6. in vertice chrismatis perunctio. 7. ejusdem in fronte per Episcopum facta signatio. Et per quodlibet horum dicunt contrahi spiritualem cognationem. Quæ opinio refertur 30. quæst. 1. c. pervenit.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur rationabile. Quia cognatio carnalis non contrahitur, nisi per actum generationis completum. Unde etiam affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum ex qua potest sequi carnalis generatio. Spiritualis autem generatio non perficitur, nisi per aliquod sacramentum. Unde non videtur conveniens quod spiritualis cognatio contrahatur, nisi per aliquod sacramentum. Quinque autem ex illis septem, non sacramenta; sed sacramentalia sunt et ideo in illis nulla contrahitur cognatio.

Et ideo alii dicunt quod per tria tantum sacramenta spiritualis cognatio contrahitur, scilicet per catechismum, baptismum, et confirmationem.

Reprobatio.

Sed isti propriam ignorare vocem videntur; quia catechismus non est sacramentum; sed sacramentale.

Alii dicunt quod solum per duo sacramenta contrahitur spiritualis cognatio, scilicet per baptismum, et per confirmationem. Et hæc est communis opinio. Unde secundum hanc opinionem, quæ est vera sententia, respondetur ad quæsitum.

Conclusio. Cognatio spiritualis contrahitur per duo tantum sacramenta, scilicet, per baptismum et per confirmationem.

Quæ conclusio habetur expressa á Bonifacio Papa octavo, de cognatione spirituali, c. 1. in 6. In prima quidem parte illius canonis dicitur de baptismo, in posteriori vero de confirmatione. Idem habetur extra de cognatione spirituali per totum titulum, qui est 5. lib. 4. et in decretis 30. quæst. 1.

Conclusio. In catechismo contrahitur quoddam debile impedimentum, quod impedit contrahendum; sed non dirimit contractum matrimonium.

Hanc Bonifacius Papa octavus statuit lib. 4. tit. 3. de cognatione spirituali. c. per catechismum, in 6. et 4. Decretal. tit. 11. cap. 5.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod duplex est carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id quod natum est adeo debile est, quod non possit extra poni sine periculo, et huic carnali generationi assimilatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis, quasi adhuc fovendus intra uterum Ecclesiæ. Altera est nativitas ex utero, quando jam quod natum erat in utero, tantum roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere: et huic nativitati assimilatur confirmatio, per quam homo ro-

boratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. Et ideo congrue per utrumque istorum sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod licet in ordine character imprimatur, quia tamen per sacramentum ordinis non fit alia generatio; sed quædam promotio potestatis, propter quod mulier non suscipit hoc sacramentum, ideo ex ordine non contrahitur cognatio impediens matrimonium.

Ad 3. Neg. conseq. Nam in catechismo fit quædam professio futuri baptismi, sicut in sponsalibus fit quædam sponsio futurarum nuptiarum. Unde sicut in sponsalibus contrahitur quidam modus propinquitatis, ita in catechismo contrahitur quidam similis propinquitatis modus, impediens ad minus contrahendum matrimonium, quod in aliis sacramentis non contingit.

Ad 4. Neg. conseq. In catechismo enim fit quædam fidei professio, quæ non fit in aliis sacramentalibus baptismi: et ideo non est eadem ratio de catechismo et de aliis sacramentalibus baptismi.

Ad 5. et ad 6. simul negantur conseq. Nam in oratione et prædicatione non fit aliqua regeneratio, vel aliqua fidei professio, sicut fit in catechismo; et ideo ex oratione et prædicatione non contrahitur spiritualis cognatio.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod Apostolus eos instruxerat per modum catechismi, et sic talis instructio aliquo modo habebat ordinem ad spiritualem generationem.

Ad 2. Negatur conseq. Per sacramentum enim pœnitentiæ non contrahitur (proprie loquendo) spiritualis cognatio. Unde filius sacerdotis potest contrahere cum illa quam sacerdos in confessione audivit, alias filius sacerdotis non inveniret in tota parochia mulierem, cum qua contrahere posset. Nec obstat quod per pœnitentiam tollitur peccatum actuale; quia hoc non est per modum generationis; sed magis per modum sanationis. Contrahitur tamen per pœnitentiam quoddam fœdus inter mulierem confitentem et sacerdotem, spirituali cognationi simile, ut tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia, et hoc ideo, quia maxima familiaritas est inter sacerdotem et confitentem, et ob hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod pater spiritualis dicitur ad similitudinem patris carnalis. Pater autem carnalis, ut dicitur 8. Ethic. cap. 11. et 12. Tria dat filio scilicet, esse, nutrimentum, et instructionem. Et ideo aliquis dicitur spiritualis pater alicujus, ratione alicujus horum, tamen ex hoc quod est spiritualis pater, non habet spiritualem cognationem, nisi conveniat cum patre carnalis quantum ad generationem, per quam datur esse. Tunc ad minorem dicitur, quod etsi per multa alia possit aliquis dici spiritualis pater, per nullum tamen aliud contrahitur spiritualis cognatio, nisi per hoc quod est dare spirituale esse, quod datur solum per baptismum et per confirmationem et per catechismum per quem disponitur ad spirituale esse. Et breviter, negatur simpliciter maior; non enim per omnia ea, per quæ quis potest dici spiritualis pater, contrahitur cognatio spiritualis sed solum per ea per quæ spiritualis pater dat esse spirituale, vel ad ipsum disponit.

ARTICULUS III.

Utrum spiritualis cognatio contrahatur inter suscipientem sacramentum baptismi et levante de sacro fonte.

Pro negativa. = Videtur quod cognatio spiritualis non contrahatur inter suscipientem sacramentum baptismi, et levantem de sacro fonte.

1. In generatione carnali contrahitur propinquitas solum ex parte ejus cujus semine generatur proles, et non ex parte ejus qui filium natum suscipit. Ergo

nec spiritualis cognatio contrahitur inter eum qui suscipitur de sacro fonte, et eum qui suscipit.

2. Ille ad cujus officium spectat tantum puerum instruere, non contrahit ex hoc aliquam cognationem spiritualem cum puero. Sed ad officium levantis puerum de sacro fonte pertinet, ipsum quem levat instruere. Ergo inter levantem de sacro fonte et levatum nulla contrahitur spiritualis cognatio.

Minor prob., quia ille qui de sacro fonte levat, Anaduchus á Dionysio cap. 7. Eccl. Hierar. dicitur, quia scilicet ad ejus officium pertinet, puerum quem de fonte sacro levat, instruere.

Maior prob., quia instructio non est sufficiens causa spiritualis cognationis.

3. Potest contingere quod aliquis levet aliquem de sacro fonte, antequam ipse levans sit baptizatus: et tunc non contrahitur spiritualis aliqua cognatio. Ergo aliquem levare de sacro fonte, non sufficit ad spiritualem cognationem contrahendam.

Antecedens prob., quia ille qui non est baptizatus, non est causa alicujus spiritualitatis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium sunt auctoritates, et decreta 30. q. 3. et extra de Cogn. spit. lib. 4. tit. 11. et de Cogn. spit. in 6. et in Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 2. Et tandem hoc etiam patet per definitionem cognationis spiritualis positam in art. 1. in corp. quæ est quod cognatio spiritualis est vinculum quod contrahitur ex sacramentorum susceptione.

Determinatio.

Conclusio. Inter levantem aliquem de sacro fonte, et levatum, et tenentem aliquem confirmandum, et illum qui tenetur, contrahitur spiritualis cognatio.

Prob. Inter eum, qui spiritualiter generatur, et cum qui gerit vices matris spiritualiter generantis, contrahitur spiritualis cognatio. Sed ille qui aliquem de sacro fonte levat, vel confirmandum tenet, gerit vices matris spiritualiter generantis eum qui levatur. Ergo inter illum qui aliquem de sacro fonte levat, et qui confirmandum tenet, et levatum, et confirmatum contrahitur spiritualis cognatio.

Maior prob., quia sicut in generatione carnali aliquis nascitur de patre et matre, et inter eos nascitur carnalis cognatio: ita in generatione spirituali, nascitur spiritualis cognatio inter eum qui nascitur, et patrem et matrem spiritualem.

Minor manifest. Nam qui spiritualiter renascitur, nascitur ex Deo sicut ex patre, et ex Ecclesia sicut ex matre. Ille qui baptizat, vel confirmat, gerit vicem patris, scilicet Dei; qui vero levat baptizatum, vel tenet confirmandum, gerit vicem matris Ecclesiæ. Sicut igitur inter baptizantem et baptizatum, confirmantem et confirmatum nascitur spiritualis cognatio, tamquam inter patrem et filium; ita inter levantem et levatum, et tenentem et confirmatum, est spiritualis cognatio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Nam sicut in generatione carnali contrahitur carnalis cognatio, non solum inter patrem generantem, ex cujus semine proles producitur, sed etiam inter prolem et matrem, quæ materiam ministrat in generatione; ita in generatione spirituali, non solum contrahitur cognatio inter baptizantem, qui vicem Christi patris gerit, et baptizatum; sed etiam inter baptizatum, et levantem, qui locum matris Ecclesiæ tenet et offert, qui et Anadochus dicitur. Unde Anadochus in generatione spirituale non assimilatur obstetrici; sed matri, et ideo nulla est consequentia ab obstetrice ad levantem de sacro fonte.

Ad 2. Negatur minor. Nam qui aliquem de sacro fonte levat, prius ad ejus spiritualem generationem loco matris concurrit, et per hoc contrahit cum

eo spiritualem cognationem; ex quo postea habet quod ipsum, tamquam filium spiritualem debeat instruere.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod non baptizatus non potest aliquem levare de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesiæ, cujus typum gerit in baptismo suscipiens: quamvis non baptizatus possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans. Nec tamen non baptizatus baptizans, cum baptizato aliquam contrahit cognationem, quia non baptizatus est expers spiritualis vitæ in quam homo primo nascitur per baptismum. Negatur igitur conseq. Ex hoc enim quod non baptizatus, si aliquem de fonte levet, non contrahit cum eo spiritualem cognationem, non sequitur quod nullus levans, talem contrahat cognationem; quia contrahere spiritualem cognationem supponit spiritualem vitam in contrahentibus.

ARTICULUS IV.

Utrum cognatio spiritualis transeat á viro in uxorem.

Pro negativa. = Videtur quod cognatio spiritualis non transeat á viro in uxorem, ita quod si maritus levet aliquem de sacro fonte, non nascatur spiritualis cognatio inter levatum et uxorem levantis.

1. Unio spiritualis et corporalis sunt disparatæ et diversorum generum. Ergo mediante carnali conjunctione, quæ inter virum et uxorem est, non transitur ad spiritualem cognationem.

2. Pater et mater spiritualis nullam spiritualem cognationem contrahunt ex hoc quod aliquem de sacro fonte levant. Ergo multo minus uxor contrahit aliquam spiritualem cognationem, ex hoc quod vir ejus sit pater spiritualis alicujus quem ex sacro fonte levat.

Conseq. prob., quia magis conveniunt in spirituali generatione, quæ est causa spiritualis cognationis, pater et mater spiritualis, quam vir qui est spiritualis pater et ejus uxor.

3. Spiritualis cognatio non potest pervenire ad non baptizatum, ut art. præc. ad 3. dictum est. Sed potest contingere quod vir sit baptizatus, et uxor non sit baptizata, sicut quando vir est ab infidelitate conversus, sine uxoris conversione. Ergo spiritualis cognatio non semper transit de viro ad uxorem.

4. Si spiritualis cognatio á viro transiret in uxorem; sequeretur quod uterque conjugum posset bis esse mater et pater spiritualis ejusdem.

Conseq. prob., quia vir et uxor possunt aliquem simul de sacro fonte levare. Tunc enim uxor esset semel mater, quia levat, et semel, quia transit hæc cognatio á viro in ipsam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Consanguinitas corporalis viri transit ad uxorem per affinitatem, ut dictum est. Ergo multo magis spiritualis cognatio á viro in uxorem transit.

Conseq. prob., quia bona spiritualia sunt magis multiplicabilia, quam corporalia.

Determinatio.

Distinctio. Aliquis potest contrahere spiritualem cognationem dupliciter. Uno modo per actum proprium: ut quando levat aliquem de sacro fonte, vel tenet confirmandum. Alio modo per actum alterius, ut quando alicujus filius tenetur, vel levatur ab aliquo alio. Petrus enim contrahit per proprium actum cognationem cum Paulo, quando de sacro fonte leva filium Pauli: et cum eodem per actum alterius contrahit, quando filius Petri tenetur á Paulo. Vel per eumdem actum respectu diversorum, diversimode cognatio spiritualis contrahitur. Quando enim Petrus levat de sacro fonte filium Pauli, Petrus contrahit cum Paulo per proprium actum, et Paulus cum Petro contrahit per actum alterius, scilicet Petri levantis.

1.ª Conclusio. Spiritualis cognatio contracta per proprium actum mariti,

vel uxoris cognitæ, semper transit á viro in uxorem, et ab uxore in virum.

Manifestatur, quia vir et uxor per carnalem copulam efficiuntur una caro. Si igitur Petrus, vel Agnes ejus uxor cognita, levet de fonte filium Pauli et Bertæ; tam Petrus, quam Agnes fiunt compatres Pauli et Bertæ; quæ cognatio matrimonium impedit taliter quod si moriatur Agnes et Paulus, Petrus non poterit accipere Bertam in uxorem, nec Agnes Paulum, si moriantur Petrus et Berta.

2.ª Conclusio. Cognatio spiritualis contracta per actum alienum et quasi passive, non transit á viro in uxorem.

Manifestatur. Nam si Petrus teneat ad baptismum filium Pauli non de Berta ejus uxore genitum; sed ex alia, Paulus contrahit cum Petro quasi passive, et tunc Petrus non fit compater Bertæ; sed Pauli et mulieris ex qua Paulus filium genuit. Et ratio esse potest, quia hæc quasi passiva spiritualis cognatio transit á levante ad parentes levati per levatum, unde non transit nisi ad parentes levati. Si igitur Petrus contrahat cum Paulo spiritualem cognationem, per hoc quod levat filium Pauli non de Berta ejus uxore genitum, si Paulus et Agnes moriantur, poterit Petrus habere Bertam in uxorem.

Utraque harum conclusionum confirmatur per illos versus, qui circumferuntur, videlicet.

Quæ mihi, vel cujus natum mea, fonte levavit.

Idest mulier, quæ levavit filium meum de sacro fonte, vel cujus mea uxor levavit filium de fonte, talis mulier est commater, et non potest esse mea uxor: sequitur.

Si qua meæ natum, non ex me fonte levavit.

Idest si aliqua mulier levaverit filium uxoris meæ, non ex me; sed ex alio viro genitum.

Hanc post fata meæ, idest post mortem uxoris meæ *non inde vetabor habere*. Idest potero eam in sponsam habere.

Et hæc quidem secundum antiqua jura citata in præced. art. ex decretis, decretalibus, et sexto vera sunt, scilicet quod spiritualis cognatio transit á viro ad uxorem cognitam, si per actum proprium et active sit contracta. Consilium tamen Tridentinum restrinxit hanc cognationem solum ad levantem et levatum et ad parentes levati, cujus decreti tenor ex sess. 24. de reformatione matrimonii, c. 2. est talis. Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis, ignoranter contrahi matrimonia, in quibus, vel cum magno peccato perseveratur, vel non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, et á cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, et illius matrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Et infra eodem capite. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus. Et parum infra. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem, non egrediatur. Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Ex quo decreto, manifeste patet quod per hoc quod Petrus tenet filium Pauli et Beatæ, nulla spiritualis cognatio contrahitur inter Agnetem in uxorem Petri et Paulum et Bertam. Unde mortuo Petro et Berta, Paulus poterit accipere Agnetem in uxorem: si vero moriretur Paulus et Agnes,

Petrus non potest accipere Bertam, cujus filium Petrus de fonte levavit. Respondetur igitur ad quæsitum hac conclusione.

Conclusio. Cognatio spiritualis non transit amplius de viro in uxorem, nec de uxore in virum.

Probatur ex decreto Concilii citato.

AD ARGUMENTA.

¶ Argumenta pro negativa, secundum Decretum Concilii, non indigent solutione; sed concedendum est quod concludunt. Tamen propter rationabilitatem antiqui juris, solvenda sunt.

Ad 1. Neg. conseq. Ex hoc enim quod unio spiritualis et corporalis sunt diversorum generum, potest concludi quod una non est altera, non autem quod una non possit esse causa alterius. Quia eorum, quæ sunt in diversis generibus, unum quandoque est causa alterius, vel per se, vel per accidens. Sicut sol est causa hominis et motus cœlestis est causa herbarum, etc.

Ad 2. Negatur conseq. Pater enim spiritualis et spiritualis mater non conjunguntur in generatione spirituali per se; sed solum per accidens, quia ad hoc unus per se sufficeret. Unde non oportet quod ex hoc aliqua cognatio spiritualis inter eos nascatur, quin possit esse inter eos matrimonium. Per matrimonium vero fiunt vir et uxor una caro, per se loquendo, et ideo non est similis utriusque conjunctionis ratio.

Ad 3. Conceditur totum. Si enim uxor non sit baptizata, non perveniet ad eam spiritualis cognatio, propter hoc quod non est capax, et non ex hoc quod per matrimonium non possit cognatio spiritualis traduci de viro in uxorem.

Ad 4. Dicitur quod cum inter patrem et matrem spiritualem nulla contrahatur spiritualis cognatio ex hoc quod eumdem de sacro fonte levant, possunt simul vir et uxor eumdem levare, cui uxor erit duplici ratione mater spiritualis, scilicet ex hoc quod ipsa eum levat, et ex hoc quod cognatio mariti ad eam transit. Nec est inconveniens quod uxor ex diversis causis, efficiatur his mater spiritualis ejusdem, sicut non est inconveniens quod una et eadem mulier sit affinis et consanguinea ejusdem. Ut si frater meus accipiat in uxorem filiam consanguinei mei. Et hæc in antiqui juris gratiam.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad argumentum pro affirmativa quod concludit contra jus novum. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de consanguinitate et cognatione spirituali. Consanguinitas enim est de jure naturæ, et ideo se extendit ad omnes qui ex eadem radice descendunt, et etiam ad eos qui efficiuntur cum consanguineis una caro, quia enim sponsa est una caro cum viro, efficitur affinis omnibus consanguineis viri. Cognatio autem spiritualis est introducta per Ecclesiæ statutum, et ideo ad eos tantum se extendit, ad quos Ecclesia statuit debere extendi. Et quia Ecclesia per Decretum Concilii ad certas personas restrinxit, tantum inter illas contrahitur.

ARTICULUS V.

Utrum cognatio spiritualis transeat ad filios carnales patris spiritualis.

Pro negativa. = Videtur quod cognatio spiritualis non transeat ad filios carnales Patris spiritualis.

1. Cognatio cujus nulli assignantur gradus, non transit á patre in filios. Sed spiritualis cognationis nulli assignantur gradus. Ergo spiritualis cognatio non transit á patre ad filios.

Maior prob., quia si transiret ad filium á patre, haberet aliquos gradus.

2. Si cognatio spiritualis transit á patre in filium, eadem ratione transibit á fratre in fratrem, quod est falsum.

Conseq. prob., quia eodem gradu pater attinet filio, et frater fratri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sunt auctoritates, quas Magister inducit in 4. dist. 42.

Determinatio.

Conclusio. Cognatio spiritualis transit á patre spirituali ad suos carnales filios, non tamen á carnalibus filiis transit ad carnalem patrem.

Manifestatur, quia filius est aliquid patris, et non é converso, ut dicitur 8. Ethic. c. 12. et ideo: si Petrus pater levet de fonte filium Pauli, transit hæc spiritualis cognatio á Petro ad suos carnales filios, et sic filii Petri efficiuntur confratres filii Pauli, quem Petrus de fonte levavit. Si tamen aliquis ex filiis Petri levet aliquem filium Pauli de sacro fonte, non contrahitur aliqua cognatio inter Petrum et filium Pauli, quem filius Petri de fonte levavit.

Ex his, quæ in hoc et in præcedentibus duobus immediatis articulis dicta sunt, sequitur quod tres spirituales cognationes. Una quæ dicitur spiritualis paternitas, quæ est inter patrem et filium spiritualem. Alia quæ dicitur compaternitas, quæ est inter patrem carnalem et spiritualem ejusdem. Tertia dicitur spiritualis fraternitas, quæ est inter filium spiritualem et filios carnales ejusdem patris. Et quælibet harum impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum. Et hæc quidem ante Concilii Tridentini Decretum in articulo præcedenti citatum, sic se habebant: post decretum autem prædictum, abolita est tertia species spiritualis cognationis, scilicet confraternitas. Nam cum filii carnales patris spiritualis in nullo se ingerant in levatione filii spiritualis, nullo pacto possunt hanc cognationem contrahere. Unde filius spiritualis Petri potest accipere in uxorem filiam carnalem ejusdem Petri, post decretum prædictum quod non poterat secundum antiqua jura, unde Magister auctoritates prædictas sumpsit, quo quorum reverentia solvendæ sunt rationes in oppositum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod etiam cognatio spiritualis habet gradus respectu personarum, quæ sibi attinent in eodem genere.

Ad 2. Negatur conseq. Nam frater non est aliquid fratris, sicut filius patris; et ideo non est eadem ratio de transitu á patre in filios, sicut á fratre in fratrem.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 146.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse á *Bonifacio VIII.* sic. "Cognationem spiritualem in baptismo contrahi jure constat, quæ cognatio et contrahendum matrimonium impedit, et dirimit post contractum. Hæc ille de cognation. spiritual. in sexto. Nedum inter. Item ab Alex. III. Si vir, vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? Nobis videtur: quod, sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci. Quia, si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus." Hæc ille de cognation. spiritual.

Ubi vides; quid faciat illa cognatio superveniens. Item á Conc. Magontinensi 30. qu. de eo, quod. Si filiam, aut commatrem suam aliquis in conjugium duxerit, se-

parandos esse judicamus, et gravi pœnitentia plectendos. Si autem conjuges legitimi, unus, aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, et simul maneant, et si prævaricator conjugii supervixerit, sine spe conjugii maneat. » Illa autem gravis pœnitentia præter cetera est non posse exigere debitum. Item á Joanne Papa ibidem. Ad limina, etc. " Si supradictus genitor filium suum corpore morientem in extremo vitæ suæ positum, nec dum baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum nimia necessitate cogente baptizavit; nos inculpabile, quod necessitas intulit, judicamus: et idcirco suæ uxori sibi jam olim legitime sociatæ impune, quamdiu viverit, judicamus manere conjunctum. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto de cognatione spirituali talia sentiunt, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse de baptismo, confirmatione, et de catechismo, á Bonif. VIII. sic. " Cognationem spiritualem in baptismo, etc. ut in art. 1. appen. item, ex confirmatione quoque, seu frontis chrismatione spiritualis cognatio contrahitur matrimonia similiter impediens contrahenda, et dirimens post contracta. " Item. Per catechismum, qui præcedit baptismum, cognatio spiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur: per illam tamen cognationem matrimonium post eam contractum minime separatur. Item. Ex datione vero aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissolvat." Hæc ille de cogn. in 6. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificis, pro quanto cognationem spiritualem causari ex illis tribus tantum insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum á *Bonifacio VIII.* sic: inter baptizatum, et illum, qui eum suscepit de baptismo, cognationem spiritualem contrahi jure constat. Et eadem, quæ de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda. Ex confirmatione quoque cognatio eisdem modis contrahitur. » Hæc ille de cognat. spirit. in 6. cap. Nedum; et infra circa eamdem materiam in cap. eodem: " Quamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, juxta sacrorum canonum instituta: si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur. De confirmatione insuper quantum ad hoc idem judicium est habendum. Quomodo autem hoc ultimum nunc verificetur, vel non, quoniam jura nova justissimis de causis prodierunt: ideo videndum est hoc in app. art. 5. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificis, pro quanto de baptizati, et confirmati cognatione ad baptizantem, atque levantem; ad confirmantem, atque tenentem sic statuunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum fuisse á *Clemente III.* quod spiritualis cognatio transit á viro in uxorem. " Martinus Bertam duxit uxorem, Tebergam sibi copulavit Lotharius, qui Bertæ et Martini filium de sacro fonte suscepit. Lothario, et Bertæ sublatis de medio, Martinus cum Teberga præfata contraxit. Respondendum duximus: quod, cum secundum Domini verbum vir, et mulier efficiantur per connubium una caro, liquidum est Tebergam non posse matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse. » Hæc ille de cognat. spirit. Ubi per ly connubium intelligit copulam carnalem; ut et ex glos. ibi, et ex Adriano Papa patet, 27. q. 2. cap Agathosa. Item á Concil. Triburiensi, quod prædicta cognatio non transit, nisi copula carnali posita; et sic: " Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, et ejus uxor commater non est: liceat ei, defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habet propinquitatem consanguinitatis. Quid enim? Numquid non possunt conjungi, quos nulla propinquitas carnalis, vel nulla generatio secernit spiritualis? » Hæc illud 30. quæst. 4. Item ab Urbano merito esse dictum sic: " Quod autem uxor cum marito in baptismate simul

non debeat suscipere puerum, nulla authoritate reperitur prohibitum. Sed, ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, et infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus: ut utrique insimul ad hoc aspirare minime praesumant.» Ubi ly infamia sumitur respectu stultorum. *Crederent enim*, inquid glos. " stulti, aliquam proximitatem inter eos contrahi, si simul susciperent. Sed etiam superfluum esset, inquit, ut uterque suscipere, cum ex susceptione alterius uterque compater efficiatur: de consuetudine tamen est in quibusdam locis quod uterque simul suscipiat.» *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, pro quanto cognitionem spiritualem transire, vel non transire á viro ad uxorem insinuant et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab *Innocentio Tertio*, quod á patre in filium carnalem transit cognatio spiritualis: et sic. Tua nos duxit discretio consulendos, an natus ante compaternitatem, filiam compatris sui, vel commatris sibi possit matrimonialiter copulare: et, si contraxit an debeat separari. Super quo respondemus, quod hujusmodi personae non possunt matrimonium contrahere, et si contraxerint, possunt abinvicem separari.» Haec ille de cognat. spirit. Ubi accipitur ly possunt, pro debent de jure: ut ibi patet per glos. et per Papae Alex. dec. nunc. sep. Item ab Alexand. III. ibid. Super eo, etc. " Si tales fuerint filii, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem venerunt: eos conjugi nulla ratione sustineas, et conjunctos Pontificali authoritate non differas separare. Ceterum, si per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus consuetudinem tuæ metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, et diligentius imitari.» Item á Bonifacio VIII. insinuatum de illis tribus cognationibus spiritualibus; et sic. " Nedum inter baptizatum, et illum, qui eum suscepit de baptismo, ac inter eumdem baptizatum, et suscipientis filios, et uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imo etiam inter suscipientem, patremque baptizati, et matrem, cognationem spiritualem contrahi jure constat: quæ cognatio et contrahendum matrimonium impedit, et dirimit post contractum, et eadem, quæ de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda. Ex confirmatione quoque spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur; matrimonia similiter impediens contrahenda, et dirimens contracta." Hæc ille de cognat. spirit. in 6. Faciunt hæc etiam ad art. 3. et 4. pro illorum portione. Item á Concil. Trident. sess. 24. c. 2., de ref. prædicta partim confirmantur, partim limitantur, et sic. " Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere, et á cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit: ut unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem nec non inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant: constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Cognatio, quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem, non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis." Ubi vides, lineam fraternitatis spiritualis esse sublatam. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, pro quanto de spiritualis cognationis transitu á patre ad filios, et de multiplicibus cognationibus spiritualibus sic, ut diximus insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SEPTIMA,

DE COGNATIONE LEGALI, QUÆ EST PER ADOPTIONEM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de cognatione legali, quæ est per adoptionem.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, quid sit adoptio.

Secundo, utrum ex ea aliquod vinculum contrahatur matrimonium impediens.

Tertio, inter quas personas contrahatur.

ARTICULUS I.

Utrum adoptio convenienter definiatur.

Pro negativa.=Videtur, quod adoptio inconvenienter definiatur, dum dicitur: *adoptio est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.*

1. Filius debet esse subditus patri. Sed aliquando ille qui adoptatur, non transit in potestatem adoptantis. Ergo non semper per adoptionem aliquis in filium assumitur. Aliter. Ille qui assumitur in filium, transit in potestatem patris. Sed adoptatus non semper transit in potestatem patris. Ergo adoptio non est, qua aliquis assumitur in filium.

Maior prob., quia filius debet esse subditus patri.

2. *Parentes debent filiis thesaurizare*, ut dicitur 2. Cor. 12. Sed pater adoptans non oportet quod semper adoptato thesaurizet. Ergo adoptio non est assumptio alicujus in filium.

Minor prob., quia adoptatus non semper succedit in hæreditatem adoptantis.

3. Assumere aliquem in filium convenit omnibus, qui possunt filios habere. Sed adoptare non convenit omnibus, qui possunt filios habere. Ergo adoptio non est assumere aliquem in filium.

Maior prob., quia assumptio alicujus in filium assimilatur generationi naturali, per quam naturaliter producitur filius.

Minor prob., quia ille qui non est sui juris, et qui est minor viginti quinque annis, et mulier non possunt adoptare, qui tamen possunt filios generare.

4. Spadoni et frigido non convenit adoptare, ut patet, et tamen eis convenit assumere aliquem in filium. Ergo adoptio non est assumptio alicujus in filium. Antecedens quoad secundam partem probatur. Assumptio extraneæ personæ in filium videtur esse necessaria ad supplendum defectum naturalium filiorum. Sed spado et frigidus, qui non possunt generare, maxime patiuntur defectum in filiis naturalibus. Ergo eis maxime competit assumere aliquem in filium.

5. In spirituali cognatione, ubi aliquis in filium assumitur sine carnis propagatione, potest indifferenter maior ætate effici pater minoris, et é converso quia juvenis potest senem baptizare, et é converso. Si ergo per adoptionem aliquis assumitur in filium sine carnis propagatione, posset indifferenter senior juniorem et juvenis seniorem adoptare, quod non est verum. Ergo adoptio non est assumere aliquem in filium.

6. Adoptatus non differt secundum aliquem gradum ab adoptante. Ergo quilibet adoptatus adoptatur in filium, ac per hoc inconvenienter dicitur in prædicta definitione, quod adoptatur in nepotem, etc.

7. Illud quod est ex dilectione, magis ad propinquos, quam ad extraneos debet se extendere. Sed adoptio ex dilectione procedit, unde et Deus dicitur per charitatem nos in filios adoptasse. Ergo adoptio non debet esse extraneæ personæ; sed propinque.

Maior prob., quia maior charitas habenda est ad proximos, quam ad extraneos.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est, quia legistæ supradicto modo adoptionem definiunt, ut patet ff. de adoptione.

Determinatio.

Conclusio. Definitio adoptionis, qua dicitur; adoptio est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio est conveniens.

Prob. Definitio continens omnia quæ pertinent ad naturam adoptionis, est conveniens adoptionis definitio. Sed prædicta definitio comprehendit omnia quæ pertinent ad naturam adoptionis. Ergo est conveniens adoptionis definitio.

Maior patet, quia definitio debet explicare naturam definiti.

Minor manifestatur; nam adoptio assimilatur naturali generationi, quia sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per jus positivum quod est ars boni et æqui, potest aliquis sibi aliquem assumere in filium ad similitudinem filii naturalis, et ad supplendum deperditorum filiorum defectum, propter quod præcipue adoptio est introducta. Sicut igitur naturalis generatio tria includit, scilicet ipsum motum generationis, terminum á quo, qui est forma contraria abjicienda á materia, quæ est non esse rei generandæ, et terminum ad quem, qui est forma introducenda, et finis generationis, propter quod convenienter definitur generatio per hoc quod dicitur. Generatio est motus de non esse ad esse. Sic etiam in adoptione ad similitudinem naturalis generationis tria includuntur, scilicet motus qui est assumptio, et terminos á quo qui est persona extranea: quia enim assumens debet esse diversum ab eo qui assumitur, persona assumenda debet esse extranea, filius enim non dicitur assumi, quia jam est aliquid patris: et terminus ad quem terminatur adoptionis motus, qui est filius vel nepos. Assumptio igitur est quasi genus adoptionis. Persona extranea est terminus á quo. In filium vel nepotem, est terminus ad quem et sic patet quod hæc definitio continet omnia quæ ad naturam adoptionis pertinent. Quæ est minor quæ erat probanda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis, et ideo duplex est adoptionis species. Una quæ perfecte naturalem filiationem imitatur, et hæc vocatur arrogatio, per quam traducitur adoptatus in potestatem adoptantis, et sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sine culpa privare quarta parte hæreditatis, et non potest adoptari nisi ille qui est sui juris, qui scilicet non habet patrem, aut si habet, est mancipatus, quæ adoptio non fit nisi auctoritate principis. Et de hac adoptione est falsa ipsa minor propositio, sic enim adoptatus transit in potestatem adoptantis. Alia est adoptio quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte, et hæc vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Unde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta. Et secundum hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui juris, et sine auctoritate principis, ex auctoritate magistratus, et sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec adoptans tenetur ei in testamento aliquid de bonis suis relinquere, nisi ipse velit. Et de hac adoptione est falsa maior, non enim sic adoptatus deb et subjici adoptanti.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod pater tenetur thesaurizare filio adoptato, perfecta adoptione, non autem si sit adoptatus tantum simplici adoptione:

Ad 3. Negatur maior. Assumere enim aliquem in filium per adoptionem, non convenit omnibus qui possunt filios habere. Ad prob. dicitur, quod assumptio alicujus in filium per adoptionem, assimilatur quidem aliquo modo generationi naturali filii, non tamen in omnibus est ei similis. Generatio enim naturalis ordinatur ad speciem conservandam, et

ideo posse naturaliter generare convenit omnibus in quibus natura speciei non est impedita. Adoptio autem ordinatur ad hæreditatis successionem, et ideo illis solis competit assumere sibi filium adoptivum, qui habent potestatem disponendi de hæreditate sua. Unde ille qui non est sui juris, vel est minor viginti quinque annis, aut mulier non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali auctoritate principis.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod spadoni, aut frigido, non competit adoptare, nec assumere sibi aliquem in filium Per eum enim qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non potest hæreditas in aliquem transire. Unde ex hoc ipso jam deberetur illis qui ei debent succedere jure propinquitatis. Ad prob. secundæ patris antecedentis dicitur, quod adoptio non est per se ordinata, nisi ad supplendum defectum filiorum deperditorum, vel eorum qui potuerunt haberi, et tamen per aliquod accidentale impedimentum non sunt habiti: et hoc quia maior est dolor de filiis amissis, quam de illis qui numquam sunt habiti. Et ideo habentes impedimentum perpetuum generationis, non indigent solatio contra carentiam filiorum.

Ad 5. Neg. conseq. Spiritualis enim cognatio contrahitur per sacramentum, quo fideles renascuntur in Christo, in quo non differt masculus á fœmina; servus et liber; juvenis et senex, ut dicitur ad Gal. 3. Et ideo indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius. Adoptio autem fit ad successionem hæreditatis, et ad quandam subjectionem adoptati ad adoptantem. Non autem est conveniens quod antiquior in cura rei familiaris juveni subdatur, et ideo junior non potest adoptare seniorem; sed oportet secundum leges quod adoptatur sit in tantum junior adoptante, quod possit per ætatem esse ejus filius naturalis.

Ad 6. Dicitur ad consequentiam, quod sicut contingit amitti filios, ita et nepotes, et deinceps. Et ideo cum adoptio sit inducta ad consolationem et solatium filiorum amissorum, sicut aliquis per adoptionem potest subrogari in locum filii, ita in locum nepotis, vel pronepotis, vel abnepotis, etc.

Ad 7. Neg. maior, in subjecta materia. Non enim dilectio adoptionis propinquos respicit, quia propinquus, jure propinquitatis debet in hæreditate succedere, et ideo non competit ei quod per adoptionem ad successionem ducatur. Et si aliquis propinquus, cui non competat successio hæreditatis, adoptetur, non adoptatur ut propinquus; sed inquantum est extraneus á jure successionis in bonis adoptantis.

ARTICULUS II.

Utrum ex adoptione contrahatur aliquod viculum impediens matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod ex adoptione non contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.

1. Ex eo, per quod aliquis curæ corporali alterius subjicitur, nullum contrahitur vinculum. Sed per adoptionem adoptatus, curæ corporali adoptantis subjicitur. Ergo ex adoptione nullum contrahitur cognationis vinculum. Maior prob. Ex hoc quod aliquis spirituali curæ alicujus committitur, nullum contrahitur cognationis vinculum matrimonium impediens. Alioquin omnes qui habitant in eadem parrochia, essent propinqui sacerdotis. Ergo nec ex hoc quod aliquis curæ corporali alicujus subjicitur, contrahitur cognationis vinculum.

Conseq. hæc prob., quia cura spiritualis est dignior, quam cura corporalis.

2. Ex collatione beneficii, nullum contrahitur cognationis vinculum. Sed adoptio est quædam collatio beneficii. Ergo ex adoptione non contrahitur cognationis vinculum.

3. Ex hoc quod aliquis alicui providet in nutrimento et disciplina, nullum contrahitur propinquitatis vinculum. Ergo multo minus ex hoc quod aliquis

providet alicui de hæreditate per adoptionem, contrahitur aliquod cognationis vinculum. Antecedens ostenditur, quia si per provisionem disciplinæ et nutrimenti contraheretur propinquitas; sequeretur quod nutrientes, Pædagogi, et Magistri essent propinqui, quod est falsum. Conseq. ostenditur, quia pater naturalis providet filio principaliter in tribus, ut dicitur 8. Ethic. c. 11· et 12. Quia scilicet ab ipso habet esse nutrimentum, et disciplinam. Hæreditatis autem successio est quid posterius ad ista. Unde si per provisionem nutrimenti et disciplinæ non contrahitur cognatio, multo minus debet contrahi per provisionem hæreditatis.

4. Sacramenta Ecclesiæ non subduntur humanis legibus. Sed matrimonium est sacramentum Ecclesiæ. Adoptio autem est inducta per legem humanam. Ergo vinculum, ex adoptione contractum, non potest matrimonium impedire.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cognatio impedit matrimonium. Sed ex adoptione causatur quædam cognatio. Ergo ex adoptione causatur vinculum, per quod impeditur matrimonium.

Minor prob., quia *ex adoptione causatur cognatio legalis, quæ est quædam proximitas proveniens ex adoptione.*

2. Hoc idem habetur ex auctoritatibus quas Magister inducit in 4. Sent. dist. 42.

Determinatio.

Conclusio. Ex adoptione contrahitur vinculum impediens matrimonium.

Prob. Ex eo, per quod aliquis inducitur ad cohabitandum alicui, sicut filius naturalis, contrahitur vinculum impediens matrimonium. Sed per adoptionem, ille qui est adoptatus, inducitur ad cohabitandum adoptanti, sicut ejus naturalis filius, vel nepos. Ergo ex adoptione contrahitur vinculum impediens matrimonium.

Maior manifestatur, quia lex divina, illas personas á matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne (ut Raby Moyses dicit) si ad eas liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et eadem ratione lex humana prohibet inter adoptivos filios, vel filias, et naturales posse esse matrimonium: quæ prohibitio per Ecclesiam comprobatur, vigore cujus comprobationis legalis cognatio matrimonium impedit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera, quando talis corporalis cura non inducit cohabitationem, sicut naturalis filii. Si vero talem cohabitationem inducat, ut adoptio facit, falsa est.

Ad 2. Similiter dicitur ad maiorem quod si beneficium tale sit quod cohabitationem inducat, ut est adoptio, est falsa.

Ad 3. Neg. conseq. Ex provisione enim nutrimenti et disciplinæ non inducitur assidua cohabitatio, ut fit per adoptionem.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod adoptio inducta est lege humana; sed confirmata est per Ecclesiam, ex quo habet quod matrimonium impediat.

ARTICULUS III.

Utrum cognatio legalis contrahatur tantum inter adoptantem patrem et filium adoptatum.

Pro affirmativa. = Videtur quod talis cognatio contrahatur tantum inter patrem adoptantem et filium adoptatum.

1. Si cognatio legalis contraheretur cum aliquo alio, præter patrem adoptantem, maxime videretur contrahi inter patrem adoptantem et matrem naturalem filii adoptati, ut accidit in cognatione spirituali. Sed inter tales nulla est legalis cognatio. Ergo nec inter aliquas alias personas, præter adoptantem et adoptatum.

2. Cognatio impediens matrimonium, est perpetuum impedimentum. Sed inter filium adoptatum et filiam naturalem adoptantis, non est perpetuum impedimentum. Quia soluta adoptione per mortem adoptantis, vel per mancipationem adoptati, potest contrahere cum ea. Ergo numquam habuit cum illa aliquam propinquitatem, quæ matrimonium impediret.

3. Persona in quam transit cognatio legalis, potest adoptare. Sed mulier non potest adoptare. Ergo á viro in uxorem non potest transire cognato legalis.

Maior prob., quia sicut cognatio spiritualis non transit in personam, quæ non possit ad aliquod sacramentum tenere, vel suscipere; ita cognatio legalis non potest transire nisi ad personam, quæ potest adoptere.

4. Cognatio spiritualis non transit in nepotem. Ergo multo minus cognatio legalis.

Conseq. prob., quia cognatio spiritualis fortior est, quam legalis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Spiritualis cognatio transit in aliam personam. Ergo et legalis.

Conseq. prob., quia plus concordat cognatio legalis cum conjunctione vel propagatione carnis, quam cognatio spiritualis.

2. Hoc probant auctoritates, quas Magister inducit in 4. dist. 42.

Determinatio.

Conclusio. Cognatio legalis, quæ contrahitur inter adoptatum et adoptantem, transit etiam ad alias personas.

Manifestatur: nam triplex est legalis cognatio. Prima est quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi et nepotem, et sic deinceps. Secunda, quæ est inter filium adoptivum, et filium naturalem adoptantis. Tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem et uxorem filii adoptivi; vel é contrario, inter filium adoptatum et uxorem adoptantis. Inter quas hæc est differentia quod prima et tertia perpetuo matrimonium impediunt. Adoptans enim numquam potest accipere in uxorem filiam vel nepotem adoptati, nec adoptatus potest accipere uxorem adoptantis, mortuo adoptante. Secunda vero cognatio non perpetuo manet; sed tantum quandiu adoptatus manet in potestate patris, adoptantis. Unde mortuo patre vel filio mancipato, potest contrahi matrimonium inter adoptatum et filiam adoptantis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. quæ innuitur, dicitur quod non est eadem ratio in proposito de cognatione spirituali et legali. Per generationem enim spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris vel matris naturalis; et ideo verque remanet pater, unus naturalis et alter spiritualis, et puer remanet sub utriusque cura, et propterea inter patrem carnalem et spiritualem contrahitur cognatio: filius autem adoptivus trahitur extra potestatem carnalem parentum, ad solam potestatem adoptantis, et ideo inter patrem adoptantem et naturalem nulla contrahitur cognatio.

Ad 2. Negatur maior. Non enim omnis cognatio est perpetuum impedimentum, sed solum illa, quæ est inter consanguineos vel affines qui solent simul habitare, ut dictum est. Legalis autem cognatio impedit matrimonium propter solam cohabitationem, et ideo quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens si prædictum vinculum non maneat, quando scilicet adoptatus est extra potestatem adoptantis. Pater autem adoptans et uxor ejus semper retinent quamdam auctoritatem super filium adoptatum et uxorem ejus, et ideo semper manet vinculum cognationis legalis inter eos.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo nega-

tur maior. Ad prob. dicitur, quod causa quare cognatio spiritualis non transit in non baptizatum, non est quia non potest alium tenere ad sacramentum; sed quia non baptizatus non est capax alicujus spiritualitatis. Dicitur secundo, negando minorem. Nam etiam mulier ex concessione principis potest adoptare. Unde etiam in ipsam transit legalis cognatio.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio, quantum ad hoc, de cognatione spirituali et legali. Per cognationem enim spiritualem filius non ponitur in potestate et cura patris spiritualis, sicut fit in cognatione legali; oportet enim quicquid est in potestate filii adoptati, transeat in potestatem patris adoptantis. Unde adoptato aliquo, adoptantur filii et nepotes qui sunt in potestate personæ adoptatæ.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 147.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á jure Cæsareo. ff. de adoptio. l. adoptiones, quod adoptio legalis est quædam propinquitas, per quam efficitur quis filius, vel nepos vel deinceps, qui non est naturam imitans. Item, merito insinuatum esse hoc ipsum á Nicolao Papa, sic. " Si qua per adoptionem mihi soror esse cæperit, quamdiu durat adoptio, inter me, et ipsam nuptiæ consistere non possunt. » Hæc ille, et recitantur de cognatione legali. Extraneam ergo denotat personam adoptatam Nicol. quando dicit ly *ceperit esse mihi soror*, et ly *quamdiu durat adoptio*. Mihi enim jam in rerum natura existenti non inciperet illa esse soror, sed neque nobis utrisque viventibus desineret esse cognatio illa impediens matrimonium: si cognatio, vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel spiritualitatis inter nos esset. Relinquitur ergo, quod hic interveniat extraneitas, idest, quod ego adoptatus ab ejus patre in filium fuerim extraneus ab illius parentela, modo præmisso. Rursus. Ex verbis Nicolai patet, quod quis in filium, vel filiam, adoptari potest. Consequenter ergo eadem ratione de adoptari in nepotem, et deinceps. Ergo definitionem prædictam, licet non sub illa forma, innuit Pontifex, ut penetranti manifestum est. Item á lib. Digestorum titul. de ritu nuptiarum, ut recitatur 30. q. 3. et sic. " Per adoptionem quæsita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit potero uxorem ducere: Æque et si, me emancipato illam in potestate retinuerit; poterimus jungi matrimonio. Itaque volenti generum adoptare suadetur, ut filiam emancipet, similiter suadetur ei, qui vult nurum adoptare, ut emancipet filium. » Ex quibus dic, ut supra ex Nicolao. *Secundo* habes: quomodo prædicta jura, pro quanto definitionem adoptionis præmissam convenienter esse datam insinuant et intelligas et tuearis. Neque enim huc adduximus jura ipsa civilia, ut civilia cum hoc esset quasi totaliter extra propositum sacræ Theologiæ, et Sacramenti: sed illa adducta sunt solum pro quanto in lege Ecclesiasticam quodammodo, idest per acceptationem summorum Pontificum, transierunt. Quo etiam modus sanctus Doctor de talibus Cæsareis legibus in loco isto loquitur, ut ipse innuit, art. 2. corp. et ad 4. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum *Nicolao* Papa, quod ex adoptione contrahitur vinculum impediens matrimonium; et sic: " Quandoquidem nec inter eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit: quanto potius á carnali oportet inter se contubernio cessare il-

los quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti spiritus jungit? Hæc ille, 30. qu. 3. ita diligere. Faciunt etiam hæc ad quæst. 56. art. 1. et 2. Item á, etc. art. 1. append. Licet enim illa ibi adducantur alia ratione, pro quanto scilicet ad illum locum faciunt: tamen eadem alia ratione huc applicantur, pro quanto scil. matrimonii impedimentum dicunt ex adoptione causari, vide tu. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, et imperatorum, pro quanto ex adoptione impedimentum ad matrimonium insinuant fieri, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á legibus humanis, quod inter adoptantem, et adoptatum semper impeditur matrimonium; et hoc habetur ff. de rit. nupt. adoptivus. Dato etiam, quod solvatur adoptio; ut habetur ff tit. eod. quin etiam. Item merito insinuatum, quod inter fratres adoptivos, et naturales, impeditur matrimonium, quamdiu durat adoptio. Et hoc recensetur ff. de rit. nupt. per adoptionem, et 30. quæst. 3. ita diligere. Ut habetur supra art. 1. append. et partim ar. 2. Et adverte pro semper, quod aliqua multis in locis adducuntur sæpius pro necessitate diversorum. Unde in hoc postea relinquitur judicio lectoris, ut sciat applicare, secundum quod applicanda sunt, certus, quod nulla est in allegationibus illis superfluitas; et hoc accidit in proposito horum trium articulorum, de cognat. legal. in suis append. ut et intuenti, et bene singulis applicanti, patere potest. *Secundo* habes: quomodo praedicta jurium tum Pontificum, tum cæsarum, pro quanto de cognatione legali, sicut allatum est dicunt, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA OCTAVA,

DE IMPEDIMENTIS FRIGIDITATIS, MALEFICII, FURIÆ, VEL AMENTIÆ, INCESTUS, ET DEFECTUS ÆTATIS, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de quinque impedimentis matrimonii, scilicet de impedimento frigiditatis, maleficii, furiæ vel amentiæ, incestus, et defectus ætatis.

Et circa hoc quæruntur quinque.

Primo, utrum frigiditas matrimonium impediat.

Secundo, utrum maleficium.

Tertio, utrum furia, vel amentia,

Quarto, utrum incestus.

Quinto, utrum defectus ætatis.

ARTICULUS 1.

Utrum frigiditas impediat matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod frigiditas non impediat matrimonium contrahendum.

1. Illud quod nihil tollit de matrimonio, nisi carnalem copulam, non impedit matrimonium. Sed frigiditas non tollit á matrimonio nisi carnalem copulam. Ergo frigiditas non impedit matrimonium contrahendum.

Maior prob., quia copula carnalis non est de essentia matrimonii: quia perfectiora sunt matrimonia conjugum pari voto continentium, quam ea in quibus intervenit carnalis copula.

2. Caliditas non ponitur impedimentum matrimonii. Ergo nec frigiditas poni debet.

Conseq. prob. quia sicut frigiditas impedit carnalem copulam, ita et caliditas, quæ hominem exsiccat.

3. Senes possunt contrahere matrimonium. Sed senes sunt frigidi. Ergo frigiditas non impedit matrimonium.

4. Si mulier quando contrahit, scit virum cum quo contrahit, esse frigidum, est verum matrimonium. Ergo frigiditas, quantum est de se, non impedit matrimonium.

5. Contingit in aliquo esse caliditatem sufficienter moventem ad carnalem copulam cum aliqua corrupta, non autem cum aliqua virgine: qua calidum cito evaporat ratione suæ debilitatis, ut ad corrumpendum virginem non sufficiat. Et similiter est in aliquo caliditas movens ad pulchram, quæ magis concupiscentiam inflammat, quæ non sufficienter movet ad turpem. Ergo videtur quod frigiditas, etsi impediat respectu unius, non tamen simpliciter impediat.

6. Mulieres non impediunt á matrimonio. Ergo nec frigidi viri.

Conseq. prob., quia mulier universaliter est frigidior viro.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Extra de frigid. malef. lib. 4. tit. 15. c. 2. quod sedem. dicitur. *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio; sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur*, et tales sunt frigidi.

2. Nullus potest se obligare ad impossibile. Sed in matrimonio homo se obligat ad carnalem copulam: ad hoc enim dat alteri potestatem sui corporis, quod frigido est impossibile, qui non potest carnaliter copulari. Ergo frigiditas impedit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Impotentia coeundi, quæ est ex defectu naturæ simpliciter incurabilis, impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum.

Prob. et declaratur. Probatur in quam. Illud per quod aliquis redditur inhabilis ad dandum vel faciendum id, ad quod ex contractu matrimonii obligatur, impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum. Sed ex impotentia coeundi perpetua homo redditur inhabilis ad dandum vel faciendum id, ad quod ex contractu matrimonii obligatur. Ergo impotentia perpetua coeundi impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum.

Maior prob., quia omnis contractus redditur inconveniens, et nullus ex hoc quod aliquis per talem contractum se obligat ad solvendum dandum, vel agendum aliquid quod nullo modo potest solvere, dare, et agere. Illud igitur quod simpliciter inhabilitat aliquam personam ad reddendum debitum, ad quod ex matrimonium obligatur, impedit et solvit matrimonium.

Minor prob., quia per matrimonium obligantur conjuges ad solvendum sibi invicem carnale debitum, per frigiditatem autem seu per impotentiam coeundi, redditur persona inhabilis ad tale debitum solvendum.

Declaratur autem conclusio et ratio quantum ad illos terminos simpliciter incurabilis. Pro quo est sciendum quod impotentia coeundi, quæ est generale quoddam impedimentum impediens matrimonium, potest esse vel ex causa intrinseca et naturali. Vel ex causa intrinseca accidentali, sicut per maleficium, de quo art. sequenti dicetur. Si sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter. Quia vel est temporalis, cui possit subveniri remedio medicinæ vel processu ætatis, et tunc non solvit matrimonium. Vel est perpetua, et tunc solvit matrimonium, ita quod ille, ex parte cujus allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe conjugii, alius *vero nubere potest cui voluerit in Domino*. Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum perpetuum vel non perpetuum, Ecclesia determinatum tempus adhibuit, in quo hujus rei possit esse experimentum, scilicet triennium, in quo si fideliter ex utraque parte, dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur, et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat, quia quandoque post triennium non sufficienter expediri potest perpe-

tuitas impotentiæ. Unde si Ecclesia se deceptam inveniat, per hoc quod ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium præcedens, et dirimit secundum, quamvis de ejus licentia sit factum. Et sic patent termini in conclusione, et in ejus ratione positi. Dicitur enim ex defectu naturæ procedens, ad differentiam defectus, qui est ex causa accidentali. Et dicitur simpliciter incurabilis, ad differentiam defectus, cui potest per viam medicinæ, vel processu temporis præstari remedium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de ejus essentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpore alterius, respectu carnalis copulæ.

Ad 2. Dicitur ad antecdens quod caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum, si tamen inveniretur per triennium impedire carnalem copulam, judicaretur perpetuum. Frigiditas autem, quia magis et frequentius impedit (tollit enim non solum commixtionem seminum; sed etiam vigorem membrorum, quo fit conjunctio corporum) ideo frigiditas magis hic ponitur impedimentum, quam caliditas: cum omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod etsi senes quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, habent tamen caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis, secundum quod est in officium naturæ.

Ad 4. Dicitur ad conseq., quod in quolibet contractu hoc universaliter requiritur quod ille qui contrahit, sit potens solvere illud ad quod se per contractum obligat solvendum. Unde ille qui est impotens ad solvendum aliquod, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad ejus solutionem. Potest autem quis esse impotens ad solvendum matrimonii debitum tripliciter. Primo quia non potest solvere de jure. Secundo quia non potest solvere de facto. Tertio quia non potest libere solvere. Prima impotentia reddendi debitum causatur ex consanguinitate. Secunda ex frigiditate. Tertia ex conditione servitutis. Hæc est autem differentia inter impotentiam de jure, et eam quæ est de facto quod impotentia de jure omnibus modis facit contractum esse nullum, sive ille qui facit talem contractum, sciat hanc impotentiam, sive non. Unde consanguinitas, quæ hanc impotentiam causat, annullat contractum matrimonium, sive hoc sciat alter conjugum, sive non sciat. Impotentia autem, quæ facit quod non possit reddi debitum de facto vel libere, non semper annulat contractum matrimonium. Nam si alter conjugum hoc sciat, stat contractum matrimonium: ostenditur enim quod sic contrahens alium finem ex matrimonio intendit. Si autem hanc impotentiam alter conjugum ignoret, tunc solvitur matrimonium. Unde si quis accipiat in uxorem, vel in virum frigidum, vel frigidam, et ignoret frigiditatem, vel conditionem servitutis in conjuge, potest relinquere conjugem et alteri nubere. Si autem hanc impotentiam sciat, qua tamen non obstante contrahat, jam non potest matrimonium contractum solvi. Et propter hoc Magister dicit in 4. dist. 34. Quod hæc duo non faciunt personas omnino illegitimas ad contrahendum. Si igitur argumentum intendat inferre quod frigiditas nullo modo matrimonium impediat, ex hoc quod quando est cognita, non impedit, negatur consequentia. Stat enim quod quando est cognita, non solvat ratione dicta, quæ tamen si ignoretur, contractum annullat. Si vero inten-

dat quod frigiditas secundum se non faciat personas omnino illegitimas ad contrahendum, conceditur totum: Nam si uno conjuge sciente hanc impotentiam alterius conjugis, contrahat, verus est matrimonii contractus.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod impedimentum frigiditatis, matrimonium impediens, debet esse naturale et perpetuum. Non autem potest esse perpetuum impedimentum naturale viro respectu unius personæ, et non respectu alterius; sed si non possit implere carnalem actum cum virgine; et tamen possit cum corrupta, tunc medicinaliter possunt aliquo instrumento claustra pudoris frangi et ei conjugi, nec esset hoc contra naturam, quia non fieret ad delectationem; sed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non est causa naturalis; sed accidentalis extrinseca, et ideo de ea est idem judicium quod de maleficio, de quo postea articulo sequenti dicetur.

Ad 6. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod mas est agens in generatione; sed fœmina est patiens, et ideo maior caliditas requiritur in viro, quam in fœmina. Unde frigiditas, quæ facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem; sed in muliere potest esse naturale impedimentum ex alia causa, scilicet ex arctatione, et tunc idem est judicium de arctatione mulieris, et frigiditate viri.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTO MALEFICII.

Utrum maleficium possit impedire matrimonium.

Pro negativa.=Videtur quod maleficium non possit impedire matrimonium.

1. Ea quæ fiunt ex operatione dæmonum, non possunt impedire matrimonium. Sed maleficia fiunt ex operatione dæmonum. Ergo maleficia non possunt actum matrimonii impedire.

Maior prob., quia dæmones non habent potestatem impediendi matrimonii actum, magis quam alios actus corporales, quos impedire non possunt. Si enim dæmones actum comestionis, gressum, et alia hujusmodi possent impedire, totum mundum perimerent.

2. Opus Dei non potest per opus diaboli impediri. Sed matrimonium est opus Dei, maleficium autem est opus diaboli. Ergo matrimonium non potest per maleficium impediri.

Maior prob., quia opus Dei fortius est, quam opus diaboli.

3. Impedimentum dirimens matrimonium contractum debet esse perpetuum. Sed maleficium potest esse non perpetuum. Ergo matrimonium non impeditur per maleficium.

Minor prob., quia cum diabolus non habeat potestatem nisi super peccatores, expulso peccato tolletur maleficium, vel etiam poterit tolli per aliud maleficium, vel per exorcismos Ecclesiæ qui sunt ordinati ad reprimendam vim dæmonum.

4. Impediens vim generativam alicujus viri, non impedit respectu unius mulieris tantum; sed respectu omnium. Sed si maleficium impedit carnalem copulam hoc facit impediendo virtutem generativam. Ergo maleficium non potest esse impedimentum respectu unius mulieris, nisi sit respectu omnium.

Maior prob., quia virtus generativa unius viri se habet quasi æqualiter ad omnes mulieres.

Minor prob., quia virtus generativa est causa carnalis copulæ. Unde impedimentum carnalis copulæ est per impedimentum generativæ virtutis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Decretis causa 33. q. 1. c. *Si per sortiarias, atque maleficas*, dicitur: *Si sanari non potuerint, separari valebunt.*

2. Opere humano potest aliquis fieri impotens ad carnalem copulam, puta per aliquam castraturam, ex quo matrimo-

nium impediunt. Ergo multo magis hoc virtute dæmonis fieri potest.

Conseq. prob., quia potestas dæmonum est maior, quam potestas hominis, juxta illud Job. 41. Non est potestas super terram, etc.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod maleficium non erat in mundo, nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ, maleficiis imputabant. Ex qua positione sequebatur quod maleficium non posset matrimonium impedire.

Reprobatio.

Sed hoc est contra auctoritates sanctorum, qui dicunt quod dæmones habent potestatem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando á Deo permittuntur. Unde malefici, ope dæmonum, aliqua signa facere possunt.

Radix dictæ positionis.

Procedit autem hæc positio ex radice infidelitatis sive incredulitatis; quia sic dicentes non credunt esse dæmones nisi in æstimatione vulgi tantum, ut terrores, quos homo sibi ipsi facit ex sua æstimatione, imputet dæmonis et quia etiam ex imaginatione vehementi, aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat, tunc credunt se dæmones videre.

Reprobatio dictæ radicis.

Sed hæc repudiat vera fides, per quam angelos de cœlo cecidisse et dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus. Et ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur.

Quorumdam aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod per maleficia præstari potest impedimentum carnali copulæ; sed quod nullum tale impedimentum est perpetuum. Unde subdunt quod maleficium non dirimit matrimonium contractum. Et addunt respondentes ad id, quod in oppositum inducì posset, jura antiqua, quæ dicebant maleficium impedire matrimonium, esse revocata.

Reprobatio.

Sed hoc est contra experimentum, quo videmus aliquos maleficiatos perpetuo esse per maleficium ad carnalem copulam impeditos. Et contra novi jura, qua in hoc cum antiquis concordant.

Vera sententia.

Distinctio. Impotentia coeundi ex maleficio proveniens, potest esse duplex. Scilicet perpetua et non perpetua. Ad experiendum autem an tale impedimentum perpetuum vel non perpetuum sit, Ecclesia tempus triennii præfixit, ut art. præced. in corp. de frigiditatis impedimento dictum est.

Conclusio. Impotentia coeundi ex maleficio proveniens, si sit perpetua, impedit matrimonium, sin autem, non impedit.

Hæc conclusio manifesta remanet ex his quæ in præcedenti articulo de impedimento frigiditatis dicta sunt. Est tamen differentia inter frigiditatem et maleficium, quia qui ex frigiditate est impotens, sicut ad unam, ita ad aliam est impotens; et ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia ut alteri possit conjungi. Ex maleficio autem homo potest esse impotens ad unam, et non ad aliam: et ideo quando ex tali impedimento, judicio Ecclesiæ, matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, negando assumptum. Habent enim dæmones ex divina permissione magis, ut possint impedire matrimonii actum, quam alios actus humanos, vel hominis. Et ratio est, quia corruptio prima peccati, per quam homo factus est diaboli servus, in nos per actum generativæ potentiæ devenit: et propter hoc maleficii potestas permittitur diabolo á Deo, in hoc actu magis quam in aliis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem quod diabolus potest opus Dei impedire, non quidem per hoc quod sortior sit aut per violentiam; sed ex Dei permissione.

Ad 3. Neg. minor. Est enim maleficium ita perpetuum quod non potest homo habere, humanum remedium, quamvis Deus possit remedium præstare, dæmonem cogendo, vel etiam dæmon desistendo. Ad prob. dicitur, quod non oportet quod si per peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem quod cessante peccato cesset potestas: quia pœna interdum remanet transeunte culpa. Nec etiam oportet ut illud quod per maleficium factum est, possit destrui per aliud maleficium, ut ipsi malefici confitentur. Et tamen, si posset per maleficium maleficio adhiberi remedium, nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullo modo debet aliquis demonis auxilium per maleficium invocare. Similiter etiam exorcismi Ecclesiæ non semper valent ad reprimendos dæmones, quantum ad omnes corporales molestias, judicio divino hoc exigente: semper tamen valeat contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter sunt instituti.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod maleficium quandoque potest præstare impedimentum ad omnes, quandoque vero ad unam tantum: quia diabolus est causa voluntaria, non ex necessitate naturæ agens. Et propterea impedimentum maleficii potest esse, non ex impedimento generativæ virtutis; sed ex impressione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, et non ad aliam.

ARTICULUS III.

DE IMPEDIMENTO FURIÆ.

Utrum furia impediat matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod furia non impediat matrimonium.

1. Furia non impedit baptismum. Ergo multo minus impedit matrimonium. Antecedens probatum est supra quæst. 68. art. 12.

Conseq. prob., quia matrimonium spirituale quod in baptismo celebratur, dignius est quam carnale.

2. Furia non impedit carnalem copulam. Ergo nec matrimonium.

Conseq. prob., quia frigiditas intantum impedit matrimonium, inquantum impedit carnalem copulam.

3. Matrimonium non dirimitur, nisi per aliquod impedimentum perpetuum. Sed de furia non potest sciri utrum sit impedimentum perpetuum. Ergo furia non dirimit matrimonium.

4. In versibus inductis supra quæst. 142. art. unico in corpore, sufficienter continentur impedimenta, quæ matrimonium impediunt; in quibus tamen nulla fit mentio de furia. Ergo furia non impedit matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Error impedit matrimonium. Ergo et furia.

Conseq. prob., quia plus tollit rationis usum furia, quam error.

2. Furiosi non sunt idonei ad aliquem contractum faciendum. Sed matrimonium est quidam contractus. Ergo furiosi non sunt idonei ad matrimonium contrahendum.

Determinatio.

Distinctio. Furia aut præcedit matrimonium; aut sequitur. Si præcedit; aut furiosus habet lucida intervalla, aut non habet.

1.ª Conclusio. Furia sequens matrimonium jam contractum, nullo modo impedit matrimonium.

Hæc conclusio habetur 32. quæst. 7. cap. 25. et 26. Hi, qui matrimonium! ubi dicitur: hi, qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt,

2.ª Conclusio. Si furiosus habeat lu-

cida intervalla, si in illo lucido intervallo contrahat, est verum matrimonium, quamvis non sit tutum ipsos tunc matrimonium contrahere.

Prima pars patet, quia tunc furiosus habet rationis usum, et consensum ad matrimonium contrahendum præstare potest. Altera pars prob. quia talis nesciret prolem educare.

3.ª Conclusio. Furiosus qui non habet lucida intervalla, et qui habet si extra illa contrahat, nullum est matrimonium.

Prob. quia tales non possunt præstare consensum. Non enim potest esse consensus, ubi deest rationis usus, ut dicitur extra de sponsal. et matrim. lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 24.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. consq. Usus enim rationis non requiritur ad baptismum. quasi ipsius causa, sicut exigitur ad matrimonium, ut dictum est, dum de baptismo furiosorum ageretur supra quæst. 68. art. 12. et ideo, ex hoc quod furia non impedit baptismum, non sequitur quod non impediat matrimonium, quod absque consensu contrahentium, verum esse non potest.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod frigiditas impedit matrimonium ratione sui actus, furia autem ipsum impedit ratione suæ causæ quæ est consensus, sine quo matrimonium est nullum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod impedimentum matrimonii, vel est ex parte causæ, vel ex parte actus. Si sit ex parte causæ, non oportet quod sit perpetuum: sed sufficit quod sit momentaneum. Si impediat actum, requiritur quod sit perpetuum. Et quia furia impedit causam matrimonii scilicet consensum, sufficit quod impediat in momento, quo consensus est præstandus. Frigiditas autem et maleficium, quia, actum matrimonii impediunt, si perpetua non sint, nequaquam matrimonium possunt impedire.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod hoc impedimentum reducitur, ad impedimentum erroris, quia utrobique est defectus consensus ex parte rationis.

ARTICULUS IV.

DE IMPEDIMENTO INCESTUS.

Utrum incestus, quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, matrimonium dirimat.

Pro negativa.=Videtur quod incestus, quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, non dirimat matrimonium.

1. Mulier non debet puniri pro peccato viri. Sed si incestus, quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, matrimonium solveret, puniretur uxor pro peccato mariti. Ergo incestus, quo quis uxoris suæ sororem cognoscit, matrimonium non dirimit.

2. Cognoscere propiam consanguineam, non solvit matrimonium. Ergo multo minus cognoscere consanguineam uxoris, matrimonium solvere potest.

Conseq. prob., quia plus peccat, qui propriam consanguineam cognoscit, quam qui cognoscit consanguineam uxoris suæ.

3. Si in pœnam peccati ejus, qui sororem uxoris cognoscit, separatur matrimonium. Unde quod etiam mortua uxore, si cum alia incestuosus contrahat ab illa etiam debeat separari: quod tamen non fit.

4. Hoc impedimentum non connumeratur inter alia impedimenta in versibus citatis, quæst. 242. art. 1. Ergo incestus hujusmodi non dirimit matrimonium contractum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Affinitas dirimit matrimonium contractum. Sed per hoc quod aliquis cognoscit sororem uxoris suæ, contrahit affinitatem cum uxore sua. Ergo incestus prædictus matrimonium solvit.

2. In quo quis peccat, in hoc, punitur. Sed hujusmodi incestuosus peccat

matrimonium. Ergo debet in hoc puniri quod matrimonio privetur.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si aliquis cognoscit sororem aut aliam consanguineam uxoris suæ, ante contractum matrimonium, etiam post sponsalia, debet matrimonium separari.

Hanc probat primum argumentum pro affirmativa inductum, quia inquam ex tali concubitu contrahitur affinitas cum ea, quam debuerat habere in uxorem.

2.ª Conclusio. Si aliquis cognoscat sororem uxoris suæ, post contractum et consumatum matrimonium, non debet matrimonium omnino separari; vir tamen amittit jus petendi debitum, debet tamen reddere uxori petendi.

Prima et ultima pars patent ex primo argumento pro negativa: non enim debet separari, ne mulier pro peccato alieno puniatur. Et eadem ratione sibi debitum est reddendum. Media pars ostenditur, quia juste punitur vir in eo, in quo deliquit, ut in secundo argumento pro affirmativa dicitur.

3.ª Conclusio. Qui sororem uxoris suæ cognovit, post mortem uxoris debet manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter frigilitatem suam, cum timetur de illicito coitu, relinquitur ut manifesta.

4.ª Conclusio. Si talis incestuosus, mortua uxore sua, sine obtenta dispensatione cum alia contrahat, peccat quidem contra statutum Ecclesiæ faciens, non tamen propter hoc matrimonium separandum est, aut dirimendum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod ne mulier pro peccato viri sui puniatur, si matrimonium est contractum et consummatum, non est separandum, propter prædictum incestum.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod incestus non ponitur impedimentum matrimonii, tam ratione culpæ, quam ratione affinitatis, quæ ex hujusmodi incestu contrahitur.

Ad 3. Dicitur ad conseq. quod etiam mortua uxore, incestuosus debet sine conjugio permanere, nisi per Ecclesiam cum eo dispensetur.

Ad 4. Dicitur ad antecedens quod hoc impedimentum in impedimento affinitatis includitur.

ARTICULUS V.

Utrum defectus ætatis impediat matrimonium.

Pro negativa.=Videtur quod defectus ætatis non impediat matrimonium.

1. Ante vigesimum quintum annum potest quis matrimonium contrahere. Ergo defectus statutæ ætatis non impedit matrimonium.

Consep. manifest. Nam secundum leges pueri accipiunt tutorem usque ad vigesimum quintum annum. Ergo videtur quod usque ad tempus illud, non sit confortata ratio ad consensum, et ita videtur quod illud debeat esse tempus statutum ad matrimonia contrahenda, ante quod tamen contrahitur, ac per hoc non impedit, etc.

2. Ante quintum decimum annum non possunt pueri emittere professionem. Ergo nec ante illud tempus posset quis matrimonium contrahere, si defectus ætatis impediret.

Conseq. prob., quia sicut vinculum religionis est perpetuum, ita et vinculum matrimonii.

3. Mulier ante quartum decimum annum potest contrahere matrimonium. Ergo et vir.

Conseq. prob., quia sicut consensus requiritur ad matrimonium ex parte viri, ita requiritur ex parte uxoris.

4. Impotentia coeundi, nisi sit perpetua et ignorata, non impedit matrimonium, ut ex dictis patet. Sed defectus ætatis non est perpetuus, nec ignoratus. Ergo defectus ætatis non impedit matrimonium.

5. Defectus ætatis non connumeratur

inter impedimenta matrimonii, enumerata in versibus, qui habentur in quæst. 142. art. 1. Ergo hic defectus non impedit matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *Puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio*, ut dicitur extra de frigid. lib. 4. tit. 15. cap. 2. Sed ante quartum decimum annum, ut plurimum non potest puer reddere debitum, ut dicitur lib. 7. hist. animalium. Ergo ante hoc tempus non est aptus matrimonio.

2. *Omnium natura constantium, positus est terminus magnitudinis et augmenti.* Sed matrimonium est naturale. Ergo debet habere determinatum tempus, per cujus defectum impediatur.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Secundum jura determinatum est quod ante tempus discretionis quo uterque possit de matrimonio sufficienter deliberare et debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur, et si non ita factum fuerit, dirimuntur.

Probatur, quia cum matrimonium fiat per modum cujusdam contractus, ordinationi legis positivæ subjacet, sicut et alii contractus. Tempus autem aptum ad matrimonium contrahendum, et ante quod contractum dirimitur, in masculis est in quarto decimo anno, in fœmina autem in duodecimo. Et hæc habentur extra de desponsatione impub. lib. 4. Decretal. tit. 2. cap. 2. et per plura capita.

Quia tamen præcepta juris positivi sequuntur id quod in pluribus est. Si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita quod vigor naturæ et rationis, defectum suppleat ætatis, et matrimonium ante dictum tempus contrahat, non dissolvitur. Et ideo, si contrahentes ante annos pubertatis, ante prædictum tempus fuerint carnaliter copulati, nihilominus matrimonium perpetuo stat indissolubile. Quæ omnia in jure habentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod in illis, ad quæ natura inclinat, non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum, sicut in aliis, et ideo ante potest quis in matrimonium sufficienter deliberans consentire, quam possit in contractibus aliis, res suas sine tutore pertractare.

Ad 2. Similiter neg. conseq. Votum enim religionis est de his ad quæ natura non inclinat, quæ maiorem difficultatem, quam matrimonium habent.

Ad 3. Neg. conseq. Nam mulier citius ad tempus pubertatis pervenit, quam vir.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod impotentia coeundi impedit matrimonium ex parte actus, et ideo, si non sit perpetua aut ignorata, non impedit: defectus autem ætatis impedit matrimonium ipsum, quia deficit causa, quæ est consensus qui non potest præstari ab eo qui caret rationis usu, sicut accidit in non habentibus ætatem legitimam. Et ideo non est similis in utrisque ratio.

Ad 5. Dicitur ad antecedens quod impedimentum illegitimæ ætatis reducitur ad impedimentum erroris, quia nondum habet homo usum liberi arbitrii, quo possit legitimum præstare consensum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 148.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum ab *Alexandro III.* quod frigiditas matrimonium impedit. "Sicut puer, qui non potest

reddere debitum, non est aptus conjugio: sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. » Hæc ille, de frig. et malefic. quod sedem, item de arctatione, vel hujusmodi ab eod. ibid. ex litteris, etc. Mulier gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro sit facta inutilis: et instrumentum ejus impeditum; ita, quod vir ei commisceri non potest. Respondemus, quod, si vitium illud mulier á natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari: viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem. » Ubi loquitur de impedimento antecedente matrimonium: et consequenter ly contraxit, primo loco dictum intelligitur sic, idest contraxisse apparuit. Vel in veritate contraxit magis. Potuit enim hoc secundum contingere ex eo, quod, cum prius arcta fuerit, sit per violentum conatum viri ad commixtionem magis inhabilis reddita. Item á Lucio III. ibid. Consultationi, etc. Utrum fœminæ clausæ impotentes commisceri maribus matrimonium possint contrahere: et, si contraxerint, an debeat rescindi. Respondemus: quod, licet incredibilis videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium; Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare: ut, quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores. » Cujus dictum intellige de contrahentibus scienter cum impotentia ad copulam carnalem: alioquin separarentur, ut immediate supra habes per Alexandrum. Item á Cælestino ibidem. Laudabilem, etc. " Si frigiditas prius probari non posset, cohabitent per triennium á tempore celebrati conjugii: quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, et mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium: si autem ille aliam acceperit, separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat, ut sororem. Item ab Innocentio III. Altisiodorensi Episcopo, ibi, Fraternitas, etc. Mulier. O. cuidam viro matrimonialiter nupsit: cum quo per multos annos morata non potuit carnaliter ab ipso cognosci. Tu volens habere certitudinem pleniorem quasdam matronas providas, et honestas ad tuam præsentiam evocasti districte illis injungens sub periculo animarum, ut mulierem ipsam inspicerent et perquirerent diligenter, utrum idonea esset ad viriles amplexus. Quæ tandem in fide sua tibi asseruere constanter, quod eadem numquam poterat esse mater, aut conjux, tamquam cui naturale deerat instrumentum. Unde inter ipsam, et virum, divortium celebrasti. Contigit autem postea, quod mulier invenit, qui seras hujusmodi reseravit, et Gui. supernupsit. Nos perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri, sententiam divortii per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam: cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur. Et ideo inter ipsam, et primum virum dicimus matrimonium extitisse. Quare inter eam, et præfatum Gui. matrimonium non esse censemus, eosque præcipimus ab invicem separari, etc. Quamdiu art. iste dubitabilis erat, præsumi non debet, quod fornicaretur cum illo Gui. sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta Pontificum pro quanto de frigiditate, et arctatione sentiunt, quæ dicta sunt, et intelligas et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum a. 33. quæst. 1. quod maleficium impedit matrimonium: et quod á diabolo Dei permissione fit: et quod post solutum matrimonium possunt ii nubere aliis: et sic; " Si per sortiarias, atque maleficas artes, occulto, sed numquam injusto Dei judicio permittente, et diabolo præparante, concubitus non sequitur: hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, et spiritu humiliato, Deo, et sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, et profusis lacrymis, et largioribus eleemosynis, et orationibus, atque jejuniis Domino satisfaciant, etc. Quod, si forte sanari non potuerint, separari valebunt. *Quod vero possint alii nubere. patet per Gregorium Papa ibid.* Quod autem interrogasti, etc. vir, et mulier, si se conjunxerint, et dixerit postea mulier de viro, quod coire non possit cum ea: si potest probare, quod verum

sit, per justum judicium, accipiat alium. » Quamvis enim loquatur ad litteram de frigidis: tamen, quia est simile judicium de frigidis, et maleficiatis in hoc (ut ex corpore articuli hujus habetur) ideo facit etiam ad propositum præsens. Item merito insinuatum, quod divisi propter frigiditatem non debent conjungi alteri: secus propter maleficium. De frigidis autem insinuatur hoc ab eodem Gregorio, ibid. " Requisisti de his, etc. Si mulier dicit; volo esse mater, et filios procreare, uterque eorum, septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis, jurejurando dicat, quod numquam per commixtionem carnis conjucti una caro effecti fuerint: tunc videtur mulierem secundas nuptias contrahere posse. Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge. » De maleficiatis vero loquitur ca. ult. ibid. dicens. *Separari valebunt sed postquam alias nuptias expetierint*, etc. Ecce quod maleficiati post divisionem possunt contrahere ambo cum aliis propter ly expetierint pluraliter dictum: ad differentiam separatorum propter frigiditatem. Vide art. 1. append. quoniam dicta ibi faciunt etiam ad hunc locum. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum pro quanto circa maleficium dicunt, ut supra, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab *Innocentio* III. quod furia matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum; et sic: "Dilectus filius R. proposuit: quod filiam suam cuidam matrimonialiter copulavit, etc. Cum autem eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore laborat, morari non possit; et propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus: mandamus, quatenus, si rem noveris ita esse, præfatas personas cures ab invicem separare. Hæc ille, de sponsalib. et matrim. Item á Fabiano Papa. Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt. Sed, si contractum fuerit, non separentur. » Hæc ille, 32. quæst. 7. Ubi á ly *sed si contractum*, etc. Loquitur Papa in casu, quo ipsi tempore intervalli lucidi ratificarent matrimonium præcedens, de novo scilicet consentiendo. Alioquin standum est in dicto Innocentii præmisso. Item á simili. " Sicut tenor, etc. Si eo tempore, quo P. sacerdos positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non valeat consentire, eum denuncietis ab observatione monastici ordinis absolutum: nisi, postquam mentis suæ factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit monachalem. » Hæc *Innocentius* III. de regular et transeunt. ad relig. Ecce, quod diximus super ly *sed si contractum*, etc. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, pro quanto furiam sic, vel sic impedire matrimonium insinuant, et intelligas et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Concil. apud Metiam; quod incestus superveniens matrimonio non dirimit ipsum totaliter, sed aliquo modo: et sic. " Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit nec á matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem: nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore se aliis poterunt matrimonio copulare. Hæc illud: de eo, qui cogno. consang. uxo. suæ. Item á Cœlestino III. ibid. Transmissæ nobis litteræ demonstrarunt; quod C. uxore sua defuncta, filiam ejus privignam, videlicet propriam copula carnali cognovit; postmodum aliam accipiens in uxorem cum privigna illicitam rem committere non expavit. Respondemus: quod legitimæ uxori cohabitans et necessaria subministrans, non cognoscat eam, quamdiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus: et tunc ad ipsam, non sine gravi cordis dolore, accedat: postmodum, si supervixerit ei, perpetuo sine spe conjugii permanebit. *Item de præcedente incestu merito insinuatum ab* Innocentio III. ibidem. Ex litteris, etc. G. matrem puellæ, quam infra nubiles annos in uxorem desponsaverat, carnaliter sæpe cognovit, et post carnali commixtione puellam tractavit adultam. Nos consultationi tuæ respondentes dicimus; quod, eis ab invicem separatis, mulier alteri viro non nubat: si, postquam novit viri, et matris delictum, ei non erubuit commisceri. Vir etiam, et mater mulieris, numquam debent ad alias nuptias convolare, sed semper continentiam servare tenentur

Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum pro quanto de incestu præcedente, vel superveniente, sic, vel sic insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Papa *Urbano* III. quod defectus ætatis impedit et dirimit matrimonium, et sic. Attestationes, etc. " Prædictus juvenis nondum duodecimum annum attigerat, cum præfatam G. accepit uxorem: et, licet nisus fuisset, sicut uterque confessus est, ipsam corrumpere, mulier tamen credit, se virginem evasisse. Verum ipse, antequam ad annum quartumdecimum pervenisset, á memorata muliere recessit: quem, cum septemdecim annos habeat, eadem pro viro sibi vendicare contendit. Respondemus, quod, si mulier per idoneos testes probare nequiverit, quod post quartumdecimum annum ætatis suæ, vel circa finem quartidecimi anni prædictus juvenis consensisset in eam, ab ipso, juramento recepto, quod, postquam ad legitimam ætatem pervenit, ipsam habere non consensit in uxorem, ab impetitione mulieris eum potes, et debes absolvere, et ad alia vota utrique dare licentiam transeundi. Hæc ille, de desponsation. impub. Ecce, quod á fortiori, ostendit intentum. A fortiori, inquam: quia non tantum dicit, quod defectus ætatis impedit, sed et quod defectus, accedente etiam nisu ad copulam carnalem. Item ab Alexandro III. ibidem Continebatur, etc. " Puella, si fuerit ætati proxima, ut in undecimo, vel circa duodecimum annum, et cum suo assensu desponsata, et cognita á viro; cui tradita fuerit in uxorem, separari non debet. » Ubi vides: quod parum distare á pubertate cum vigore sensus ad actum matrimonialem non impedit, sed tamquam supplens ætatem accipitur. Item ab Urbano eodem ibid. Ex litteris, et cæt. " Puella quædam annorum duodecim jurata fuit, et desponsata cuidam puero novem, vel decem annorum, et tempore procedente de voluntate parentum potius, quam de sua ad domum patris pueri adducta, ubi nolens, et invitamentis parentum impulsa, moram fecit per annum, et amplius: et tamen inde recedens, ad domum propriam est regressa. Cum autem dictus puer nondum ad quartum decimum annum pervenerit; nec ad eamdem carnaliter accessum habuerit, respondemus: quod, si puella commonita, ut, donec compleat idem per annum quartumdecimum, expectet, non duxerit expectandum, ei secundum ea quæ proposita sunt, alium virum accipiendi liberam tribuas facultatem. Item ab Alexandro eodem. Pro eo, quod ante nubiles annos conjugalem consensum non habent, usque ad legitimam ætatem expectare tenentur: et tunc aut confirmetur matrimonium, aut si simul esse noluerint, separentur, nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis. Hæc ille ibidem á nobis. Item ab eodem. Qui in minori ætate desponsantur, si ita fuerint proximi ætati, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse: cum in eis ætatem supplevisse malitia videatur. Hæc ille ibidem de illis. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum pro quanto defectum ætatis impedire, vel non, matrimonium insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA NONA.

DE DISPARITATE CULTUS QUÆ MATRIMONIUM IMPEDIAT, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de disparitate cultus quæ matrimonium impediat.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum fidelis possit contrahere matrimonium cum infideli.

Secundo, utrum inter infideles sit matrimonium.

Tertio, utrum conjux conversus ad fidem possit commanere cum uxore infideli nolente converti.

Quarto, utrum possit uxorem infidelem relinquere.

Quinto, utrum ea dimissa possit aliam ducere.

Sexto, utrum propter alia peccata vir possit dimittere uxorem, sicut propter infidelitatem.

ARTICULUS I.

Utrum fidelis possit contrahere cum infideli.

Pro affirmativa. = Videtur quod fidelis possit matrimonium contrahere cum infideli.

1. Joseph fidelis contraxit cum Ægyptia infideli. Et Esther fidelis contraxit cum Assuero infideli. Ergo præcèdens disparitas cultus, matrimonium non impedit.

2. Secundum legem veterem poterat esse matrimonium inter fidelem et infidelem. Ergo et hoc in nova lege licitum erit.

Antecedens prob., quia Deuter. 22. dicitur; *si egressus ad pugnam, videris in numero captivorum mulierem pulchram et adamaveris eam, intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.*

Conseq. prob. quia eadem est fides, quam docet vetus et nova lex.

3. Omne impedimentum matrimonii est aliquo modo contrarium matrimonio. Sed infidelitas non est contraria matrimonio. Ergo disparitas fidei non impedit matrimonium.

Minor prob., quia matrimonium est in officium naturæ, cujus dictamen fides excedit.

4. Inter fidelem et infidelem possunt in aliquo casu contrahi sponsalia, scilicet cum conditione futuræ conversionis. Ergo sub eadem conditione, inter eos potest contrahi matrimonium.

Conseq. prob., quia sponsalia ad matrimonium ordinantur.

5. Disparitas fidei quandoque est etiam inter duos baptizatos: sicut quando aliquis post baptismum in hæresim labitur, qui tamen si cum aliqua fideli contrahat, est verum matrimonium. Ergo disparitas fidei non impedit matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *Non est conventio lucis ad tenebras*, ut dicitur 2. Cor. 6. Sed inter virum et uxorem est maxima conventio. Ergo ille qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa quæ est in tenebris infidelitatis.

2. Malachiæ 2. dicitur: *contaminavit Judas sanctificationem Domini, quoniam dilexit, et habuit filiam Dei alieni*; quod non diceretur, si inter eos posset verum matrimonium contrahi. Ergo disparitas cultus impedit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Disparitas cultus præcedens matrimonium impedit, ne contrahi possit matrimonium.

Prob. Illud quod adversatur pricipaliori matrimonii bono, impedit matrimonium contrahendum. Sed disparitas cultus adversatur principaliori matrimonii bono. Ergo disparitas cultus impedit matrimonium contrahendum.

Minor. Manifestatur. Nam principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda: cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo si sint diversæ fidei, intentio unius intentioni alterius erit contraria, et ita inter eos non potest esse matrimonium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod in veteri lege, de aliquibus infidelibus erat permisum quod judæi cum eis possent inire conjugia, et de aliquibus erat prohibitum, specialiter autem prohibitum erat de infidelibus habitantibus in terra Chanaam: tum quia Dominus jusserat

eos occidi, propter eorum obstinationem. Tum quia maius periculum imminebat, ne scilicet conjuges filios Israel ad idololatriam perverterent, qua filii Israel ad ritus et ad mores eorum proniores erant, propter conversationem cum eis. Sed de aliis gentibus permisit, præcipue quando non poterat esse timor pertrahendi ad idololatriam, et sic Joseph, Moyses, et Ester cum infidelibus matrimonia contraxerunt. In nova autem lege, quæ per totum orbem diffunditur, similis ratio prohibendi est de omnibus infidelibus, et ideo disparitas cultus præcedens impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens et ad ejus prob., quod lex illa, vel loquitur de aliis nationibus, cum quibus licite poterant inire conjugia; vel loquitur, quando illa captiva ad legem et cultum Dei volevat converti.

Ad 3. Dicitur, negando minorem. Nam ut in corpore dictum est, disparitas cultus contrariatur matrimonio ratione principalioris boni, qui est bonum prolis.

Ad 4. Neg. conseq. Nam eadem est habitudo præsentis ad præsens, quæ est futuri ad futurum. Unde sicut quando matrimonium in præsenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahentium; ita ad sponsalia, quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus.

Ad 5. Dicitur quod aliud est loqui de disparitate fidei, et aliud de disparitate cultus: hæc enim impedit matrimonium, non illa. Nam cum matrimonium sit sacramentum, de necessitate sacramenti requirit paritatem in conjugibus, quantum ad sacramentum fidei quod est baptismus, magis quam quantum ad interiorem fidem: et propterea hoc impedimentum dicitur disparitas cultus, qui respicit exterius servitium, ut alias dictum est. Et propter hoc, si aliquis fidelis, cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si eam sciat hæreticam: sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret. Non tamen propter hoc, dirimeretur matrimonium. Et é contrario, si aliquis Catechumenus habens rectam fidem ante baptismum, cum aliqua fideli baptizata contrah eret, non esset verum matrimonium.

ARTICULUS II.

Utrum inter infideles possit esse matrimonium.

Pro negativa. = Videtur quod inter infideles non possit esse matrimonium.

1. Nullum sacramentum Ecclesiæ potest esse inter infideles, non baptizatos. Sed matrimonium est sacramentum Ecclesiæ. Ergo matrimonium non potest esse inter infideles.

Maior prob., quia baptismus est janua sacramentorum.

2. Infidelitas unius conjugis tantum, impedit matrimonium, ut art. præced. dictum est. Ergo multo fortius hoc efficit infidelitas utriusque. Et sic inter infideles matrimonium esse non potest.

Conseq. prob., quia duo mala sunt magis impeditiva boni, quam unum tantum.

3. Disparitas cultus impedit matrimonium, ut art. præced. dictum est. Sed inter infideles potest esse disparitas cultus: ut si unus sit gentilis et alter judæus. Ergo ad minus inter infideles qui disparem habent cultum, non potest esse matrimonium.

4. In matrimonio est vera pudicitia. Sed inter infideles conjugatos non est vera pudicitia, ut Aug. dicit in lib. 1. de Adult. conjug. cap. 12. et refertur in 4. Sent dist. 39. et in decret. 28. q. 1. cap. 1. Ergo inter infideles non potest esse matrimonium.

5. Verum matrimonium excusat carnalem copulam á peccato. Sed conjugium contractum inter infideles non potest excusare carnalem copulam á peccato: *cum omnis vita infidelium sit peccatum,*

ut dicit Glos. ordin. ex Beda in illud omne quod non est ex fide peccatum est ad Rom. 14. Ergo inter infideles non potest esse verum matrimonium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ubi mulier dicitur uxor, est verum matrimonium. Sed in conjugio infidelium mulier appellatur uxor. Ergo inter infideles potest esse verum matrimonium.

Maior prob., quia uxor non dicitur nisi propter matrimonium.

Minor, quia 1. Cor. 7. dicitur: *Si quis frater uxorem habet infidelem.*

2. Remoto posteriori, non removetur prius. Sed matrimonium pertinet ad officium naturæ, quæ præcedit statutum gratiæ, cujus principium est fides. Ergo infidelitas non facit, quin inter infideles non sit matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Inter infideles est matrimonium, sed non perfectum ultima perfectione, sicut inter fideles.

Prob. Conjugium intendens solum perfectionem naturæ prolis est verum, sed non perfectum matrimonium. Sed conjugium infidelium intendit solum perfectionem naturæ prolis generandæ. Ergo conjugium infidelium est verum, sed non perfectum matrimonium.

Maior manifestatur. Nam matrimonium est principaliter institutum propter bonum prolis, non tantum generandæ, quia hoc etiam sine matrimonio fieri potest, sed etiam promovendæ ad perfectum statum. Quia quælibet res intendit effectum suum naturaliter ad perfectum adducere. Est autem in prole duplex perfectio consideranda, scilicet perfectio naturæ, non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam, per ea quæ sunt de lege naturæ; et perfectio gratiæ. Et prima quidem perfectio est materialis et imperfecta respectu secundæ, et ideo cum res quæ sunt propter finem sint proportionatæ fini; matrimonium quod tendit in primam perfectionem, est imperfectum et materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam. Ex quibus manifeste relinquitur declarata et probata maior.

Minor ostenditur, quia perfectio prima potest esse communis fidelibus et infidelibus. Secunda autem est tantum fidelium. Et ideo matrimonium infidelium solum in primam prolis perfectionem tendere potest, ac per hoc est imperfectum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod matrimonium, non solum est institutum in sacramentum, sed etiam in officium naturæ: et ideo, quamvis infidelibus non competat matrimonium secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, competit tamen eis, inquantum est officium naturæ. Et tamen tale matrimonium est aliquo modo sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.

Ad 2. Neg. conseq. Disparitas enim cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide. Disparitas enim cultus, non solum secundam prolis perfectionem impedit, sed etiam primam; dum parentes ad diversa intendunt prolem pertrahere quod non accidit quando uterque est infidelis. Unde duo mala etsi magis sint boni impeditiva, tamen potest esse quod sint minus impeditiva talis boni.

Ad 3. Dicitur quod inter infideles dispares in cultu potest esse matrimonium, quatenus est naturæ officium, quia nullo jure tale matrimonium est eis prohibitum: fidelibus autem jure positivo inhibetur cum infidelibus contrahere posse.

Ad 4. Dicitur negando minorem. Ad prob. dicitur, quod in matrimonio infidelium potest esse vera pudicitia; etsi non possit habere rationem perfectæ vir-

tutis, utpote quæ finem veræ virtutis attingere nequit.

Ad 5. Negatur minor. Infidelis enim cognoscens uxorem suam non peccat, si propter bonum prolis, aut fidei qua tenetur uxori, debitum reddat: cum hoc sit actus justitiæ et temperantiæ, quæ in delectabilibus tactus debitas servet circumstantias. Sicut nec peccat infidelis, faciens alios actus politicarum virtutum. Ad prob. dicitur, quod omnis vita infidelium dicitur peccatum, non quia in quolibet actu peccent, sed quia per id quod agunt, non possunt á servitute peccati liberari.

ARTICULUS III.

Utrum conjux conversus ad fidem, possit commanere cum uxore nolente converti.

Pro negativa = Videtur quod conjux conversus ad fidem, non possit commanere cum uxore nolente converti, cum qua in infidelitate contraxerat.

1. Ubi est idem periculum, oportet eamdem cautelam adhibere. Sed idem est periculum subversionis fidei, propter quod prohibetur ne fidelis cum infideli contrahat, si fidelis commaneat infideli, cum qua prius contraxerat, et adhuc maius; quia neophyti facilius pervertuntur, quam illi qui sunt educati in fide. Ergo videtur quod fidelis post conversionem non possit cum uxore infideli commanere.

2. In decretis. 28. quæst. 1. cap. Judæi. dicitur, *non potest infidelis in ejus conjunctione commanere, quæ jam in Christianam translata est fidem.* Ergo fidelis necessitatem habet uxorem infidelem dimittendi.

3. Si fideles contrahant in gradu prohibito, ab Ecclesiæ dissolvitur eorum matrimonium. Ergo multo magis dissolvet matrimonium infidelium, si alter eorum convertatur; et sic saltem quando infidelis conversus, in gradu prohibito in infidelitate contraxerat, non poterit cum uxore permanere.

Conseq. prob., quia matrimonium quod inter fideles contrahitur, perfectius est, quam illud quod inter infideles contrahitur; unde si illud solvitur, si sit inter eos qui sunt in gradu prohibito conjuncti, multo magis illud poterit, tamquam minus perfectum, dissolvi.

4. Aliquis infidelis habet quandoque plures uxores, secundum ritum suæ legis. Ergo si potest commanere cum illis, cum quibus in infidelitate contraxit, sequeretur quod posset post conversionem plures uxores retinere.

5. Potest contingere quod infidelis conversus, in infidelitate existens, repudiata una uxore, aliam duxerit. Ergo in hoc casu, videtur quod non possit cum uxore quam habet, quando convertitur, commanere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apost. 1. Cor. 7. Consulit quod commaneant.

2. Nullum impedimentum superveniens vero matrimonio, tollit ipsum. Sed matrimonium infidelium erat verum matrimonium, quando uterque erat infidelis. Ergo quando alter convertitur, non per hoc tollitur matrimonium. Et ita videtur quod possint licite simul commanere.

Determinatio.

Conclusio. Per hoc quod alter conjugum infidelium convertitur ad fidem, non dissolvitur eorum matrimonium ex hoc, quantum ad vinculum; potest tamen dissolvi, quantum ad cohabitationem, et debiti redditionem.

Probatur quantum ad primam partem quia fides ejus qui est in matrimonio, non solvit, sed perficit matrimonium: et cum inter infideles sit verum matrimonium, ut art. præced. monstratum est, sequitur quod si alter eorum convertatur ad fidem, non solvatur ex hoc ipso matrimonii vinculum. Altera pars prob. quia in hoc pari passu currunt infidelitas et adulterium, utrumque enim ho-

rum est contra bonum prolis. Unde sicut se habet aliquis in potestate dimittendi adulteram, vel manendi cum ea, ita se habet fidelis conversus ad potestatem dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea, unde sicut potest vir innocens libere manere cum adultera, spe correctionis, non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur patrocinator turpitudinis, quamvis etiam si sit spes correctionis, possit eam dimittere; ita fidelis conversus potest cum infideli manere, spe correctionis et conversionis, si eam in infidelitate abstinatam non viderit, et bene facit commanendo, ut apostolus loc. cit. consulit tamen si non vult, non tenetur manere cum ea.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod propter periculum subversionis prohibetur fieri matrimonium cum infidelibus. Tamen si matrimonium sit jam factum, tenet ut dictum est: et potest fidelis conversus commanere infideli, vel eam dimittere, ut dictum est in corp.

Ad 2. Dicitur. Ad caput illud inductum quod in primitiva Ecclesia, tempore apostolorum, passim convertebantur ad fidem et judæi et gentiles; et ideo tunc vir infidelis conversus poterat habere probabilem spem de conversione uxoris. Postmodum autem tempore procedente, judæi sunt magis obstinati quam gentiles, quia gentiles adhuc intrabant ad fidem, sicut tempore martyrum, et temporibus Constantini imperatoris et circa tempora illa; et ideo tunc non erat tutum fidei cum uxore judæa infideli cohabitare, nec erat, spes de conversione ejus sicut erat de conversione uxoris gentilis: et ideo tunc fidelis conversus poterat cohabitare cum gentili, sed non cum judæa, nisi conversionem promitteret. Et secundum hoc loquitur decretum illud: prohibet enim fideli converso, ne possit cum judæa non conversa cohabitare. Sed nunc pari passu ambulant utrique, scilicet gentiles et judæi, quia utrique obstinati sunt; et ideo si uxor infidelis, sive gentilis, sive Judæa sit, non permittitur fideli converso ei cohabitare.

Ad 3. Negatur consequentia: infideles enim non baptizati, non sunt astricti statutis Ecclesiæ, sed solum statutis juris divini: et ideo si infideles contraxerint in gradibus prohibitis secundum legem divinam quæ habetur Levit. 18. Sive uterque sive alter ad fidem convertatur, non possunt in tali matrimonio commanere. Si autem contraxerint in gradibus prohibitis per statutum Ecclesiæ, possunt commanere si uterque convertatur, vel si uno converso, sit spes de conversione alterius.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod habere plures uxores est contra legem naturæ, cui etiam fideles sunt astricti: et ideo non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa cum qua primo contraxit. Unde si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest cum prima commanere, et alias abjicere: si autem prima converti noluerit, et aliqua aliarum convertatur, idem jus habet contrahendi de novo cum illa, quod cum alia haberet, de quo articulo 5. dicetur.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod etiam repudium uxoris est contra legem naturæ: unde infideli non licet uxorem repudiare: et ideo si convertatur, postquam una repudiata, alteram duxerit; idem judicium est de hoc et de illo qui plures uxores habebat: tenetur enim primam quam repudiaverat, accipere, si converti voluerit et aliam abjicere.

ARTICULUS IV.

Utrum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere, nolentem cohabitare sine contumelia creatoris.

Pro negativa. = Videtur quod fidelis conversus non possit dimittere uxorem infidelem, nolentem cohabitare sine contumelia creatoris.

1. Servus conversus ad fidem non ab-

solvitur á vinculo servitutis, ut dicitur 1. ad Cor. 7. et 1. ad Tim. 6. Ergo nec vir fidelis potest uxorem infidelem dimittere.

Conseq. prob., quia majus est vinculum viri ad mulierem, quam servi ad dominum.

2. Si per hoc quod vir convertitur ad fidem, posset dimittere uxorem nolentem converti; sequeretur quod vir non posset converti ad fidem sine licentia et consensu uxoris: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia nullus potest alteri præjudicium facere sine consensu ipsius cui faciendum est præjudicium. Sed si per hoc quod vir convertitur, posset uxorem dimittere, fieret uxori præjudicium; habebat enim uxor infidelis jus in corpore viri infidelis. Ergo non posset converti ad fidem sine uxoris consensu, sicut nec quis conjugatus potest religionem intrare, aut continentiam vovere, nisi consentiente uxore, ne ei fiat præjudicium.

3. Si aliquis contrahat scienter cum ancilla, sive sit servus sive liber, non potest propter diversam conditionem ipsam dimittere. Ergo neque vir fidelis conversus potest dimittere infidelem uxorem, cum qua in infidelitate scienter contraxerat.

4. Pater tenetur ex debito procurare salutem prolis. Sed si discederet ab infideli uxore, filii omnes matri remanerent, cum partus sequatur ventrem, et sic essent in periculo salutis. Ergo non potest licite uxorem infidelem dimittere.

5. Adulter non potest adulteram, etiam postquam de adulterio pœnitentiam egit, dimittere. Ergo nec infidelis infidelem potest relinquere, etiam postquam est ad fidem conversus.

Conseq. prob., quia idem est de adultero et de infideli judicium, ut dicitur in Decret. 32 qu. 6.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apostolus 1. ad Cor. 7. dicit quod si infidelis discedit, discedat; non enim, etc.

2. Propter carnale adulterium vir potest dimittere uxorem, quantum ad cohabitationem. Ergo multo fortius propter infidelitatem, quæ est adulterium spirituale.

Conseq. prob., quia adulterium spirituale fortius est quam corporale.

Determinatio.

Conclusio. Fidelis conversus potest dimittere uxorem infidelem nolentem habitare sine contumelia creatoris.

Prob. Ille qui moritur priori vitæ, non tenetur ad ea ad quæ tenebatur dum esset in priori vita. Sed infidelis ex hoc quod ad fidem convertitur, moritur priori vitæ infidelitatis. Ergo non tenetur reddere debitum uxori, aut ei cohabitare, ad quæ in infidelitate tenebatur, nisi voluerit converti et ipsa ad fidem.

Maior prob. Nam homini secundum aliam et aliam vitam, diversa competunt et expediunt; et ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad ea ad quæ in priori vita tenebatur: et inde est quod ille qui in vita seculari existens aliqua vovit, non tenetur illa perficere quando sæculo moritur, vitam religiosam assumens.

Minor manifestatur, quia ille qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo et priori vitæ moritur, cum corruptio unius sit generatio alterius; et ideo talis moritur infidelitatis vitæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, dupliciter primo quod servitus non est aliquid incompetens religioni Christianæ, quæ maxime humilitatem profitetur: sed obligatio mulieris sive matrimonii aliquid derogat perfectioni vitæ Christianæ, cujus summum statum possident continentes: et ideo ex hoc quod conversio ad fidem non solvit vinculum servitutis, non sequitur quod non possit vir conversus ab infideli uxore discedere, si nolit converti. Dicitur

secundo, quod unus conjugum non obligatur alteri, quasi possessio ejus, sicut domino servus, sed obligatur ei per modum cujusdam societatis, quæ non congrue est infidelis ad fidelem, ut patet 2. ad Cor. 6. Et propter hoc non est simile de servo et conjuge.

Ad 2. Negatur sequela. Ad probationem negatur minor. Ad cujus probationem dicitur, quod uxor non habebat jus in corpore viri, nisi quamdiu in vita illa manebat, in qua secum contraxerat, quia etiam mortuo viro, *uxor soluta est á lege viri*, ut patet 1. ad Cor. 7. Et ideo si postquam vir mutat vitam, moriens priori vitæ ab ea discedat, nullum fit ei præjudicium. Nec est simile de eo qui ad religionem transit, quia ad religionem transiens moritur tantum spirituali morte, non autem corporali: et ideo si matrimonium sit consummatum, non potest vir sine consensu uxoris ad religionem transire. Potest autem ante carnalem copulam, quando copula est tantum spiritualis. Sed ille qui ad baptismum accedit, corporaliter etiam consepelitur Christo in morte; et ideo solvitur á debito reddendo, etiam post consummatum matrimonium. Vel dicitur ad eamdem minoris probationem, concedendo quod fit mulieri illi infideli præjudicium, non ex culpa viri, sed ex culpa sua, ex hoc quod converti non vult.

Ad 3. Negatur consequentia: Non enim est eadem ratio de infideli et ancilla: disparitas enim cultus facit personam simpliciter illegitimam, non autem conditio servitutis, nisi fuerit ignorata, ut dictum est supra.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod proles aut pervenit ad perfectam ætatem, et tunc libere potest sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem. Vel est in minori ætate constituta, et tunc debet dari parenti fideli, non obstante quod indigeat matris obsequio ad educationem.

Ad 5. Negatur conseq. Nec eadem est utriusque ratio in proposito: quia adulter per pœnitentiam non transit ad aliam vitam, sicut transit infidelis per baptismum.

ARTICULUS V.

Utrum fidelis discedens ab uxore infideli, possit aliam ducere.

Pro negativa.==Videtur, quod fidelis discedens ab uxore infideli, non possit aliam ducere in uxorem.

1. Manente vinculo matrimonii ad unam, non potest aliquis cum alia contrahere. Sed inter fidelem conversum et infidelem mulierem, quam in infidelitate habuerat in uxorem, manet matrimonii vinculum, etiam post conversionem viri. Ergo fidelis discedens ab uxore infideli, non potest cum alia contrahere.

Minor prob., quia insolubilitas est de ratione matrimonii: eo quod repudium uxoris sit contra legem naturæ. Cum autem inter infideles, sit verum matrimonium; sequitur quod sit insolubile, et quod semper talis matrimonii vinculum maneat.

2. Crimen superveniens matrimonio, non solvit matrimonium. Sed si mulier cohabitare non velit sine creatoris contumelia, est crimen superveniens matrimonio: unde si velit cohabitare sine contumelia creatoris, non solvitur matrimonium, cum tunc vir non possit aliam ducere. Ergo peccatum uxoris nolentis habitare sine contumelia creatoris, non solvit matrimonium, ut vir libere possit aliam ducere.

3. Uxori infideli non licet, vivente viro alium virum ducere. Ergo nec fideli hoc licebit.

Conseq. prob., quia vir et uxor pares sunt in vinculo matrimonii.

4. Viro fideli non licet, sine consensu uxoris infidelis, votum continentiæ emittere. Ergo multo minus licet ei matrimonium cum alia contrahere.

Antecedens prob., quia tunc uxor

frauderetur matrimonio, si postmodum converteretur.

Conseq. prob., quia favorabilius est continentiæ votum, quam matrimonii contractus.

3. Filius, qui manet in infidelitate, patre converso, amittit jus paternæ hæreditatis, et tamen si postea convertitur, redditur ei hereditas sua, etiam si alius in possessionem ejus intraverit. Ergo á simili videtur quod si uxor infidelis postea convertatur, sit sibi reddendus vir suus, etiam si cum alia contraxerit quod esse non potest, si secundum matrimonium esset verum. Ergo non potest cum alia contrahere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matrimonium non ratum potest dissolvi. Sed infidelium matrimonium non est ratum. Ergo matrimonium infidelium potest dissolvi.

Maior patet. Minor prob., quia matrimonium sine sacramento baptismi ratum esse non potest.

2. Si non liceret viro fideli converso, cujus uxor non vult converti, aliam uxorem ducere; sequeretur quod ad servandam continentiam cogeretur; quod videtur inconveniens, per hoc quod ex conversione sua reportare incommodum.

Conseq. prob., quia talis vir non debet cohabitare uxori infideli, nolenti cohabitare sine contumelia creatoris.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si infidelis vult cohabitare sine contumelia creatoris, sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest quidem fidelis discedere, sed discedens non potest alteri nubere.

2.ª Conclusio. Si infidelis non velit cohabitare, sine contumelia creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, et nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur fidelem, potest vir fidelis discedens per matrimonium alteri copulari.

Ambæ conclusiones relinquuntur ut manifestæ, quas docet Magister in 4. dist. 39. Parag. H. Attende hic, etc. et potest esse ratio. Quia in priori casu non est sufficiens ratio solvens matrimonii vinculum: cum vir possit, secundum Apostoli monitionem 1. Cor. 7. manere. In secundo vero casu est sufficiens causa, ut de se patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod matrimonium infidelium est imperfectum, ut art. 2. dictum est. Matrimonium vero fidelium est perfectum, et ita est firmius: semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium. Et ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius in infidelitate fuerat contractum. Unde matrimonium non est omnino firmum et ratum, sed ratificatur postea per fidem Christi, quando conjuges ad ipsam convertuntur. Minor igitur est falsa, et ejus probatio vera est de matrimonio fidelium, non de matrimonio infidelium.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris, absolvit virum á servitute, qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente, aliam ducere, sed nondum solvit matrimonium, quia si blasphema illa converteretur, antequam aliud matrimonium vir ejus contraheret, redderetur ei vir suus. Sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, non solutus á servitute uxoris infidelis, per ejus culpam. Et brevius dicitur ad maiorem quod est vera de matrimonio vero, perfecto, et rato, quale est matrimonium quod est inter fideles.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonii ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Unde in pœnam uxoris infidelis, ei indicitur quod

non possit cum alio contrahere, magis quam ex virtute præcedentis matrimonii; sed si postea convertatur, potest ei dispensative concedi, ut alteri nubat, si vir ejus aliam duxit uxorem.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet vir votum continentiæ emittere, nec ad aliud matrimonium transire, quia difficilius converteretur uxor, sciens se vito suo privatam. Si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros ordines, vel ad religionem accedere, prius requisita uxore quod convertatur; et tunc, si postquam vir sacros ordines accepit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus; sed debet sibi imputare in pœnam tardæ conversionis quod viro suo privatur.

Ad 5. Negatur conseq. Vinculum enim paternitatis non solvitur per conversionem unius ad fidem, sicut solvitur vinculum matrimonii, et ideo non est simile de hereditate et uxore.

ARTICULUS VI.

Utrum alia vitia solvant matrimonium, sicut infidelitas.

Pro affirmativa.=Videtur quod alia vitia matrimonium solvant, sicut infidelitas.

1. Illud quod magis directe opponitur matrimonio, quam infidelitas, magis illud solvit, quam infidelitas. Sed adulterium magis directe opponitur matrimonio, quam infidelitas. Ergo adulterium magis solvit matrimonii vinculum, quam infidelitas. Unde sicut infidelitas in aliquo casu, ita solvit matrimonium, ut liceat ad aliud transire, magis hoc efficiet adulterium.

2. Infidelitas solvit matrimonium; quia est spiritualis fornicatio. Sed quolibet aliud peccatum est spiritualis fornicatio. Ergo quolibet aliud peccatum solvit matrimonium.

3. Uxor potest dimitti, quando efficitur viro impedimento salutis. Sed per quolibet peccatum potest uxor fieri viro impedimento salutis. Ergo per quolibet aliud peccatum potest uxor dimitti.

Maior prob., quia super illud Matt. 18. *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te*, dicit Glos. ex Hieron. quod in manu et dextero oculo, possunt accipi frater et uxor, propinqui et filii.

4. Propter idololatriam potest uxor dimitti. Sed avaritia est idololatria, ut dicitur ad Ephes. 5. Ergo Propter avaritiam et alia graviora peccata potest uxor dimitti.

5. Magister sententiarum hoc expresse dicit in 4. dist. 39. paragra. D. Cui titulus est: pro quibus vitiis possit dimitti et principium: si autem quæris. Ubi concludit. Ex his apparet quod non solum infidelitas; sed etiam quælibet concupiscentia, quæ pernitiose turpiterque corrumpit, fornicatio spiritualis est, per quam vir uxorem, vel uxor virum dimittere potest.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 5. dicitur: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mechari.*

2. Si hoc esset, tota die fierent divortia, cum raro inveniatur matrimonium, in quo alter conjugum in peccatum non labatur.

Determinatio.

Distinctio. Matrimonium dupliciter potest solvi. Uno modo, quantum ad vinculum. Alio modo, quantum ad actum.

1.ª Conclusio. Fornicatio corporalis et infidelitas habent specialiter vim sperandi matrimonium.

Prob. Quia fornicatio corporalis et infidelitas habent specialem contrarietatem ad bona matrimonii, ut ex supradictis præcipue art. 4. patet.

2.ª Conclusio. Matrimonium ratificatum non potest solvi per infidelitatem, neque per adulterium.

Manifestatur, quia nullum crimen

superveniens matrimonio potest illud solvere, quantum ad vinculum.

3.ª Conclusio. Vinculum matrimonii non ratificati solvitur, permanente in infidelitate altero conjugum, si alter conversus ad fidem, ad aliud transeat conjugium.

Hæc patet ex dictis art. 5. in corp. et ad 3.

4.ª Conclusio. Vinculum matrimonii non ratificati non solvitur per adulterium.

Manifestatur, quia alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulteræ et aliam ea dimissa ducere, quod est falsum.

Conseq. prob., quia inter infideles est vinculum matrimonii non ratificati.

5.ª Conclusio. Matrimonium, quantum ad actum, potest solvi per infidelitatem et per fornicationem corporalem.

Manifestatur. Et quidem quod infidelitas solvat matrimonium quantum ad actum, habitum est in præced. art. Quod vero fornicatio pari modo matrimonium solvat, dicetur quæst. 153.

6.ª Conclusio. Propter alia peccata non potest solvi matrimonium, nec quantum ad vinculum, nec quantum ad actum, nisi forte vir ad tempus velit se subtrahere á consortio uxoris ad castigationem ejus, subtrahendo ei suæ præsentiæ solatium.

Hanc probant duo argumenta pro negativa inducta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio, in quantum est officium naturæ, quam infidelitas; tamen é converso est, in quantum matrimonium est sacramentum Ecclesiæ. Sic enim magis ei opponitur infidelitas. Et quia matrimonium habet perfectam firmitatem, in quantum est Ecclesiæ sacramentum, in quantum significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ; ideo matrimonium, quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum, per infidelitatem, quam per adulterium.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod prima conjunctio animæ ad Deum est per fidem, et ideo per eam anima quasi deponsatur Deo ut patet Oseæ.2. *Desponsabo te mihi in fide.* Unde in sacra scriptura specialiter per fornicationem, idololatria et infidelitas designatur. Sed alia peccata, magis remota significatione, spirituales fornicationes dicuntur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob., quod hoc intelligendum est, quando mulier magnam præstat occasionem peccati viro suo, ut vir probabiliter de periculo sibi timeat; tunc enim vir potest, propter alia peccata, se subtrahere, ut in corp. dictum est.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod avaritia dicitur idololatria, propter quamdam similitudinem servitutis, quia tam avarum, quam idololatra magis serviunt creaturæ, quam Deo: non autem dicitur idololatria per similitudinem infidelitatis, quia corruptio infidelitatis est in intellectu, corruptio vero avaritiæ est in affectu.

Ad 5. Dicitur ad antecedens. Primo quod verba magistri sunt accipienda de sponsalibus, quia propter crimen superveniens, sponsalia solvi possunt. Secundo dicitur, quod si loquatur de matrimonio, intelligendum est de separatione á communi conversatione ad tempus, ut dictum est. Vel tertio intelligitur, quando mulier non vult cohabitare, nisi sub conditione peccandi; tunc enim potius debet illam dimittere, quam exercere latrocinia.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 149.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Concilio Chalcedonensi, act. 15. can. 14. quod disparitas cultus impedit matrimonium, et sic: " Quia in quibusdam provinciis conceditur Psalmistis, et Lectoribus uxores accipere, statuit sancta Synodus, non licere prorsus cuiquam ex his alterius sectæ accipere uxorem, etc. Sed neque populari debet nuptura hæretico, aut Judæo, vel pagano, nisi forte spopondit se venire ad orthodoxam fidem, dum conjungitur personæ orthodoxæ. Si quis vero hanc definitionem santæ Synodi præterierit, regularum condemnationibus subjacet. » Nota ly se venire. Non enim absque causa dixit in præsenti, non in futuro ly se venturum esse: pro quo vide supra ad tertium. Per ly regularum intellige canonum: unde secundum alias translationes habetur et ly canonicis pœnis, et ly correptioni canonicæ. Item á Concil. Aurelianensi II. can. 19. " Placuit, ut nullus Christianus Judæam, nequæ Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem, quia inter hujusmodi personas nuptias illicitas esse censemus. Qui si commoniti, á consortio hoc separare se distulerint, á communionis gratia sunt sine dubio submovendi. » Item ab Aurelianensi III. can. 11. " Christianis omnibus interdicimus, ne Judæorum conjugiis misceantur. Quod si fecerint: usque ad sequestrationem, quicumque ille est, communione pellatur. » Item á Concilio Toletano IV. ut recitatur 28. quæst. 1. " Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti fuerint, et noluerint separentur; quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christianam translata est fidem. » Item á Concil. Agathensi, ut recitatur 28. quæst. 1. " Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia: et vel filios, vel filias eis dare, sed potius accipere; si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, et catholicos. » Item ibid. can. 15. " Cave Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave Gentilem vel Judæam, aut alienigenam, hoc est omnem hæreticam, et alienam á fide tua, accipere tibi uxorem. Si Christiana sit non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismi. » Ubi sumitur ly si Christiana, pro ly si cathecumena, ut inquit glossa, et facit ad argum, hujus responsionis ad quintum confirmandum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta, Patrum pro quanto disparem cultum impedire matrimonium insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Innocentio III.* quod inter infideles potest esse verum matrimonium: et sic. " De infidelibus ad fidem conversis, utrum, si ante conversionem suam, secundum legis veteris instituta circa gradus consanguinitatis á canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptismum. Consulationi tuæ duximus respondendum; quod matrimonium sic contractum non est post baptismi lavacrum separandum; cum á Judæis Dominus requisitus, si liceret uxorem ex quacumque causa dimittere, ipsis responderit; quos Deus conjunxit homo, non separet; per hoc innuens esse matrimonium inter eos. » Hæc ille: de consang. et affinit. Ubi ex ly quod Deus conjunxit, nota, quod matrimonia Judæorum, et infidelium, dummodo non sint contracta inter personas illegitimas á lege divina, Gen. 2. et Lev. 18. sunt á Deo facta; ut qui eos taliter conjungat. Item ab eodem Innocentio. " Utrum pagani uxores accipientes in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam insimul remanere, vel abinvicem separari. Respondemus: quod, cum sacramentum conjugii apud fideles, et infideles, existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem; et hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat. Et in præmissis gradibus, á paganis quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arctantur; in favorem præsertim Christianæ religionis, et fidei, á cujus perceptione, per uxores se deseri timentes, viri possunt facile revocari, fideles hujusmodi matri-

monialiter copulari possunt libere, et licite remanere conjuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. » Hæc ille de divortio gaudemus. Ecce: quod Papa, tamquam confirmans dictum D. Thomæ ad primum dicit, quod sacramentum conjungii existit etiam apud infideles: quod, propter ly sacramentum, quomodo sine errore inteligendum sit, vide in hoc eod. art. ad primum cum sua not. ly in secundo, vel tertio gradu, intelligas, non prohibito á lege divina: ut de Judæis dictum est. Faciunt etiam hæc ultima Innocentii ad art. sequ. Item ab Innocent. loquente de infidelium conjugio ad baptismum postea conversorum: et sic. " Nuptiarum copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum; quod peccatum non est, solvi per baptismum inter peccata non potest. Eritque integrum, et salutare, existimare aboleri non posse prioris nomen uxoris: cum non sit dimissum pro peccato, quod ex Dei est voluntate completum. » Hæc ille, dist. 26. deinde. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Pontif. pro quanto verum matrimonium inter infideles posse fieri insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Papa *Innocentio* III. quod conversus ad fidem conjux potest commanere cum uxore sua infideli, et sic. Utrum pagani, etc. ut art. 2. append. Et nota: quod ibi adducitur dictum Pontificis, pro quanto matrimonium verum esse inter infideles dicit: hic autem, pro quanto cohabitationem utriusque altero converso ad fidem, insinuat. Item á 28. qu. 1. " Sic enim neque recedere ab uxoribus infidelibus, vel á maritis fideles viri, vel fœminæ non prohibentur á Domino: ut neque jubentur. Nam, si dimittere tales conjuges juberentur, nullus locus esset consilio Apostoli monentis, ne hoc fieret. Sic ergo possumus dicere, melius esse infidelem conjugem non dimittere, quamvis liceat, et dimittere: quemadmodum recte dicimus, melius esse, quod licet, et expedit, quam id, quod licet, et non expedit. » Item ab Apostolo primæ Corinth. 7. " Quomodo scis mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis vir, si salvam facies mulierem? Et nota, quod omnes authoritates hæ intelliguntur de uxore prima, non de secunda, vel alia, vivente prima: quoniam non licere plures uxores habere, sanxit idem Innocentius sic. Quia vero pagani circa plures insimul fœminas effectum dividunt conjugalem: utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant: non immerito dubitatur, etc. Verum absonum hoc videtur, et inimicum fidei Christianæ: cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa: et scriptura testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una. Non dixit tres, vel plures, sed duo nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori. Et in Evangelio: quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Si ergo, uxore dimissa, duci alia de jure non potest: fortius, et ipsa retenta. Per quod evidenter apparet, pluraliter in utroque sexu (cum non imparia judicentur) circa matrimonium reprobatam. Nec ulli umquam licuit insimul plures uxores habere: nisi cui fuit divina revelatione concessum. Hæc ille de divor. Gaudemus. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Patrum, et scripturarum, pro quanto de cohabitatione conjugis conversi ad fidem cum infideli conjunge suadent, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, quod conversus potest infidelem uxorem cohabitare nolentem sine contumelia creatoris dimittere: et hoc á summis Pontificibus, ut supra art. 3. append. Item á 27. quæst. 1. " Idololatria, quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti: sed, quia permisit, et non jussit, dedit Apostolo locum monendi: ut, qui voluerit, non dimittat uxorem, infidelem, cum quo sic fortasis possit fidelis fieri. » Item ibid. " Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat, non est servituti subjectus frater, aut soror in hujusmodi, idest, si infidelis noluerit esse cum conjuge sua fideli. Hic cognoscat fidelis,

sum libertatem: nec ita se subjectum putet servituti: ut ipsam dimittat fidem; ne conjugem amittat infidelem. » Ubi ly noluerit, intellige ipsam nolle converti, etiam quod velit cohabitare sine contumelia Creatoris. Item ibid. Jam nunc, etc. " Quia conjux fidelis relinquere conjugem infidelem licite potest: ideo hoc fieri non Dominus sed Apostolus prohibet. Quod enim Dominus prohibet fieri, omnino non licet. Monet ergo Apostolus, quod possit esse occasio multorum lucrandorum. » Ubi ly prohibet sumitur improprie, idest, sub forma prohibitionis dissuadet. Fidelis ergo conversus liber est ad utrumque faciendum ex Domini non prohibitione: quid vero determinate facere debeat, ex lucro animarum probabiliter sperato mensuret, juxta monitum Apostoli, et art. 3 præcipue ad 2. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto conversum fidelem non teneri ad cohabitandum cum uxore infideli, etiam sine contumelia Creatoris commanere volente insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Concilio Meldensi cap. 1. quod fidelis discedens ab infideli uxore non potest aliam ducere; et sic: " Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvuntur, non conjugia. Hæc illud 28. quæst. 2. Ubi per ly vivente illa, intellige, sive conversa sit, sive non conversa, cum viro, secum tamen habitare volente. Item ibid. á Gregorio Papa insinuatum, quod fidelis conversus potest aliam ducere. " Si infidelis discedit odio Christiane fidei, discedat. Non enim est frater, aut soror fidelis subjectus servituti in hujusmodi. Non est enim propter Deum dimissum peccatum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens et in Deum peccat, et in matrimonium. Nec est ei fides servanda conjugii: quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum conjugiorum. » Item ab Innocentio III. " Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, velut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi; et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. » Hæc ille de divort. quanto. *Secundo* habes: quomodo, per rationem prædicta Patrum pro quanto sic, vel sic statuunt de fideli converso respectu matrimonii contrahendi, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem, et D. Th. interimas errorem Melanchthonis (Prat. Judæorum hæreses, et in examine ordinandorum ejusdem Melanchthon ann. 1552.) dicentis, quod matrimonium propter adulterium, ut faciunt judæi, deberet dissolvi. Item Pharisæorum (Director. inquisit. par. 2. qu. 4.) dicentium, quod licitum est uxorem dimittere etiam fornicationis ratione, et libellum repudii dare. Item Herodianorum (ibid. in Direct.) dicentium, quod licitum est uxorem alterius etiam marito vivente, in uxorem accipere. Item Græcorum, Montanistarum, Armenorum (Prat. in eorum tit.) pestifere dicentium, quod nuptiarum fœdus, et vinculum potest pro conjugum arbitrio dissolvi. Item Erasmi (in Matth. 19. et in Paraphrasi 1. Corint. 7.) Thomae de Vio (eodem loco Matth.) dicentium: licitum esse Christiano dimittere uxorem ab fornicationem carnalem ipsius, et posse ducere aliam. Verum est tamen, quod Thomas iste de Vio dixit illud, limitando sic: salva, inquit, Ecclesiae definitione. *Secundo* habes: quomodo per rationem, et Divum Thomam ostendas, errores praedictos merito damnari ab Eugenio IV. in Decr. Armenis dato, sacro approbante Concilio Florent. " Septimum est sacramentum matrimonii, etc. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere: non inde aliud matrimonium contrahere fas est: cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuam sit. Item á Concil. Trident. sess. 24. can. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam

errare, cum docuit, et docet juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit. Item ab eod. ibid. can. 5. Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam á conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.» Item á Concil. Milevitano, cap. 17. Placuit, ut secundum Evangelicam, et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa á marito, alteri conjungantur: sed ita maneant, aut sibi reconcilientur.» Hæc ibi; et recitantur 32. qu. 7. Item á Concil. Africano, can. 69. totidem verbis. Item ab Innocentio III. de divort. "Gaudemus, etc. Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta. Qui autem secundum ritum suum repudiaverit uxorem legitimam, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, numquam ea vivente poterit licite aliam habere.» *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Matth. 5. quod adulterium solvit matrimonium quoad torum, sed non quaod vinculum; et sic: "Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam maechari: et qui duxerit eam, adulterat.» Ubi nota ly uxorem. Quo annotato, si verum sensum hujus termini percipis; videbis illos, qui dicunt, per fornicationem solvi vinculum matrimonii inter uxorem, et virum, ignorare propriam vocem. Nam uxor dicitur, quae legitime est conjuncta viro. Cum ergo Christus dimissam á marito ob fornicationem vocet adhuc uxorem; relinquit manifeste ex ipso termino intelligendum, quod inter dimissam ob fornicationem, et dimittentem adhuc perseverat vinculum matrimonii. Ex ista authoritate Matthaei 5. patet, quam bene esse glossatum ly maechatur primo loco dictum ab eodem 19. in supra not. post probat. conclus. 3. Item á 1. Corinth. 7. «His, qui matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem á viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.» Ex quo patet, cum separatos conjuges, ex mandato Domini oportet manere inuptos, quod vinculum matrimonii adhuc perdurat inter illos. Nec dicendum (secundum quod Ambrosium dixisse ajunt quidam minus perspicaces) quod ideo non subdit de viro id, quod de uxore praemisit, quia viro licet ducere aliam. Ille enim Ambrosius authoritatem non habet; quoniam non est magnus ille Mediolanensis Episcopus; et si forte in ejus scriptis hoc inveniatur, dicendum cum Sancto Thoma super 1. Corinth. 7. verbis Apostoli præmissis; quod á falsariis additum est, non enim vir, et uxor circa matrimonium judicantur ad imparia sed ad paria; ut inquit Papa Innoc. III. de divort. cap. Gaudemus. Unde hoc ipsum ostendit Dominus dicens Marc. 10. "Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam: et, si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit mœchatur. Ecce, quod ad paria judicantur á Domino, contra illos Ambrosii falsatores. Item á Concil. Trident. sess. 24. can. 8. "Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separtionem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit. Item ab Innocentio eodem, ibid. Qui legitimam repudiavit uxorem, numquam, ea vivente, licite poterit aliam etiam ad fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.» Quæ etiam faciunt ad art. 3. pro ad 5. et art. 5. pro ad 2. et 3. juxta quod diversa in ipsis authoritatibus considerantur, ut alias annotatum est. *Quarto* habes: quomodo prædicta Patrum pro quanto propter vitia circa matrimonium accidentia ex defectu conjugum sic, vel sic, pro ejus solutione, aut permanentia statuunt, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA.

DE UXORICIDIO, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de uxoricidio.

Circa quod quæruntur duo

Primo, utrum in aliquo casu liceat uxorem occidere.

Secundo, utrum uxoricidium matrimonium impediat.

ARTICULUS I.

Utrum liceat occidere uxorem, in actu adulterii deprehensam.

Pro affirmativa. = Videtur quod liceat viro occidere uxorem, in actu adulterii deprehensam.

1. Ille qui legem divinam exequitur non peccat. Sed qui uxorem in adulterio deprehensam occidit, legem divinam exequitur. Ergo qui interficit, uxorem in adulterio deprehensam, non peccat; sed licite facit.

2 Illud quod licet legi, licet etiam ei, cui lex hoc committit. Sed interficere uxorem adulteram, legi licet, sicut et occisio cujuscumque personæ reæ mortis, et hoc lex commisit viro. Ergo viro licet uxorem in adulterio deprehensam occidere.

3. Vir percutiens clericum, quem cum propria uxore invenit, non est excommunicatus. Ergo videtur quod ei liceat etiam occidere uxorem in adulterio deprehensam.

Conseq. prob., quia vir maiorem potestatem habet super uxorem adulteram, quam super eum, qui cum ea adulterium commisit.

4. Vir tenetur uxorem suam corrigere. Ergo ei licet uxorem adulteram occidere.

Conseq. prob., quia correctio fit per inflictionem justæ pœnæ. Justa autem pœna adulterii est mors: cum adulterium sit capitale crimen.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. 33. quæst. 2. c. Inter hæc dicitur, *sancta Ecclesia Dei quæ numquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet, nisi spiritualem.* Ergo videtur quod ei, qui vult esse de Ecclesia, non sit licitus usus illius legis, quæ uxoricidium permittit.

2. Uxori non licet interficere virum in adulterio deprehensum. Ergo nec viro uxorem.

Conseq. prob., quia vir et uxor ad patria in matrimonio judicantur.

Determinatio.

Distinctio. Virum interficere uxorem, contingit dupliciter. Uno modo, per judicium civile. Alio modo, per se ipsum, non in judicio convictam.

1.ª Conclusio. Absque dubio, sine omni peccato potest vir zelo justitiæ, non livore vindictæ aut odii motus, uxorem adulteram in judicio seculari criminaliter de adulterio accusare, et pœnam mortis á lege statutam petere.

Manifestatur. Nam ei licet accusare uxorem de adulterio, sicut eidem licitum est accusare aliquem de homicidio, aut de alio crimine.

2. Conclusio. Hujusmodi criminalis accusatio non potest fieri in judicio Ecclesiastico.

Manifestatur. Quia Ecclesia non habet gladium materiale, ut dicitur in 4. dist. 37. in fine.

3.ª Conclusio. Viro non licet interficere, per se ipsum, uxorem, extra actum adulterii, quantumcumque sciat ipsam esse adulteram, neque secundum leges civiles, neque secundum legem conscientiæ. Hæc de se patet.

4.ª Conclusio. Lex civilis quasi licitum putat quod in ipso adulterii actu, vir uxorem adulteram interficiat, non quasi præcipiens; sed quasi pœnam homicidii ei non infligens, propter maximum incitamentum, quem habet vir in tali facto ad occisionem uxoris.

5.ª Conclusio. Secundum Ecclesiæ leges in nullo casu licet viro occidere uxorem, propria auctoritate.

Manifestatur. Quia Ecclesia in hoc non est astricta humanis legibus, ut debeat interfectorem judicare sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Ecclesiastico judicio infligendæ, ex hoc quod sæculare judicium ei nullam pœnam infligit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Divina enim lex non commisit infligere pœnam illam personis privatis, sed personis publicis, quæ habent officium ad hoc deputatum. Vir autem non est judex uxoris, et ideo non potest eam interficere, sed tantum coram judice accusare.

Ad 2. Neg. minor. Lex enim civilis non commisit viro uxoris occisionem, quasi præcipiens, quia sic non peccaret: sicut non peccat minister judicis, occidens latronem condemnatum ad mortem. Sed permisit, non adhibens pœnam. Unde etiam quasdam difficultates apposuit, quibus viri ab uxoricidio retraherentur.

Ad 3. Dicitur quod ex hoc argumento non probatur quod sit licitum occidere uxorem simpliciter; sed solum quantum ad immunitatem ab aliqua pœna, quia etiam excommunicatio quædam pœna est.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod duplex est congregatio. Quædam æconomica, sicut est aliqua familia: et quædam politica, sicut civitas, vel regnum. Ille qui præ est secundæ congregationi, ut est rex, potest infligere pœnam et corrigere personam et eam exterminare ad purgationem communitatis, cujus curam gerit. Sed ille qui præ est in prima congregatione, ut paterfamilias, non potest insfligere nisi pœnam corrigentem quæ non se extendit ultra terminos emendationis, quam pœna mortis transcendit, et ideo vir qui sic præ est uxori, non potest ipsam interficere; sed aliter castigare vel accusare.

ARTICULUS II.

Utrum uxoricidium impediat matrimonium.

Pro negativa. — Videtur quod uxoricidium non impediat matrimonium.

1. Adulterium non impedit matrimonium. Ergo nec uxoricidium.

Conseq. prob., quia directius opponitur adulterium matrimonio, quam homicidium.

2. Occisio matris non impedit matrimonium. Ergo nec occisio uxoris.

Conseq, prob., quia gravius peccatum est occidere matrem, quam uxorem. Nam matrem nunquam licet verberare, et tamen licet in aliquo casu viro verbare uxorem.

3. Qui alienam uxorem occidit, non impeditur á matrimonio. Ergo nec ille, qui interfecit propriam uxorem.

Conseq. prob., quia magis peccat, qui uxorem alterius propter adulterium interfecit, quam que uxorem propriam, inquantum minus habet de motivo et minus ad eum ejus correctio spectat.

4. Peccatum homicidii et uxoricidii potest per pœnitentiam removeri. Ergo et impedimentum matrimonii quod ex eo causatur: et ita videtur quod post peractam pœnitentiam, non prohibeatur matrimonium contrahere.

Conseq. prob., quia remota causa, removetur effectus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur in Decret. 33. quæst. 2. c. *Interfectores suarum conjugum ad pœnitentiam redigendi sunt, quibus pœnitus denegatur conjugium.*

2. In eo, in quo quis peccat, debet puniri. Sed qui uxorem occidit, peccat contra matrimonium. Ergo debet puniri per hoc quod matrimonio privetur.

Determinatio.

1.ª Conclusio. uxoricidium impedit matrimonium, ex statuto Ecclesiæ.

Manifestatur ex Can. citato in primo argumento pro affirmativa, quo dicitur, Interfectores suarum conjugum ad pœnitentiam redigendi sunt: et subditur ibidem cap. 12. Quibus pœnitus denegatur conjugium.

2.ª Conclusio. Uxoricidium aliquando impedit quidem matrimonium contrahendum; sed non dirimit contractum, aliquando etiam contractum dirimit.

Manifestatur. Impedit enim contrahendum, et non dirimit contractum, quando propter adulterium vir occidit uxorem. Aut etiam propter odium. In his enim casibus potest dispensari cum eo per Ecclesiam, ut licite matrimonium contrahat. Dirimit vero contractum, quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam, cum qua mœchabatur. Tunc enim efficitur illegitima persona ad contrahendum cum illa, ita quod si de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimitur. Per hoc tamen non efficitur simpliciter illegitima persona, respectu aliarum mulierum. Unde si cum alia contraxerit, quamvis peccet contra statutum Ecclesiæ faciens, tamen propter hoc non dirimitur matrimonium contractum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo negatur antecedens. Adulterium enim impedit matrimonium contrahendum, et dirimit quandoque contractum, ut dicetur infra quæst. 155. sicut de uxoricidio dictum est. Secundo negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod uxoricidium est contra substantiam conjugii; adulterium vero contra bonum fidei debitæ, et ideo adulterium non opponitur magis matrimonio, quam uxoricidium.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod simpliciter loquendo, maius peccatum est occidere matrem, quam uxorem et magis contra naturam, quia homo naturaliter matrem reveretur: et ideo minus inclinatur ad interfectionem matris, et pronior est ad interfectionem uxoris, ad cujus pronitatis repressionem, uxoricidis est ab Ecclesia matrimonium interdictum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod qui uxorem alterius occidit, non peccat contra matrimonium, sicut ille qui interficit propriam uxorem: et ideo ex hoc quod interfectio alienæ uxoris non impedit, non potest inferri quod interfectio propriæ uxoris matrimonium non impediat.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est necessarium quod deleta culpa, quæ est causa pœnæ, deleatur omnis pœna, sicut de irregularitate patet. Non enim pœnitentia restituit in pristinam dignitatem, quamvis possit restituere in pristinum gradum gratiæ, ut dictum est supra quæst. 120. art. 1. ad 3.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 150.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum á *Nicolao* Papa, quod secundum leges Ecclesiasticas non licet viro uxorem adulteram occidere: et sic. " Si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum liceat marito illius secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium habet spiritualem, quo non occidit, sed vivificat. Hæc ille 33. quæst. 2. inter hæc. Item insinuatum et illud præcedens, et aliud de accusatione uxoris adulteræ á Stephano Papa ibi. Admonere, et cæt. " Nec illa uxor tua viva debuit condemnari, nec á te post ejus mortem accusari. Prius enim causa criminis subtiliter investiganda: et, si ita fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit accipere ultionis vindictam. Nam si verum (quod adsit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. »

Item á 23. qu. 1. « Si non licet, etc. His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter, jubet occidi, quisquis hominem, vel seipsum vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem, et Divum Thomam prædicta patrum, pro quanto circa occisionem præmissam sic, vel sic statuunt, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum ab *Innocentio III.* quod uxoricidium impedit matrimonium; et sic: veniens ad præsentiam, etc. C. laicus, quamdam sibi N. mulierem insciam, quod aliam haberet uxorem sibi solemniter copulavit, etc. Uxore defuncta, utpote á lege ipsius solutus, in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter consentire: dummodo non præstiterit fidem adulteræ vel machinatus fuerit in mortem uxoris. » Hæc ille, de eo, qui dux. in matrim. quam poll. per adult. Item á Concil. Triburiensi, 31. quæst. 1. Si quis vivente, etc. Nisi forte idem vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur, quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii maneant perpetuo cum pœnitentia. Item á Concil. Eliberitano ibid. Si qua mulier in mortem mariti sui, etc. Ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subjecta absque spe conjugii maneat. » Quod autem dicit de muliere respectu viri quoad occisionem, intelligendum est etiam de viro respectu uxoris, ut allatum est nunc supra ex Concil. Triburiensi. Item á Nicolao Papa, interfectores suarum conjugum quid aliud habendi sunt, quam homicidæ? Ac per hoc ad pœnitentiam redigendi: quibus penitus conjugium denegatur. Hæc ille, 33. qu. 2. Item á, etc. ut supra not. post. ad 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem et D. Th. præmissa Patrum, pro quanto de uxoricidio privante spe conjugii maritum, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA PRIMA,

DE IMPEDIMENTO MATRIMONII, QUOD EST VOTUM SOLEMNE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimentis quæ superveniunt matrimonio: et primo de impedimento quod provenit matrimonio inconsummato, scilicet de voto solemni; secundo de impedimento quod provenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum alter conjugum, altero invito, post carnalem copulam possit religionem intrare.

Secundo, utrum ante carnalem copulam possit religionem intrare.

Tertio, utrum mulier possit nubere alteri viro, priore ante carnalem copulam religionem ingresso.

ARTICULUS. I.

Utrum alter conjugum, altero invito post carnalem copulam, possit religionem intrare.

Pro affirmativa.=Videtur quod alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire.

1. Lex humana hoc permisit. Ergo multo fortius lex divina hoc idem permittere debuit.

Conseq. prob., quia lex divina magis spiritualibus debet favere, quam lex humana.

2. Minus bonum non impedit maius bonum. Sed matrimonii status est minus bonum, quam status religionis, ut patet 1. Cor. 7. Ergo per matrimonium non debet homo impediri quin possit ad religionem transire.

3. Licet de leviori et laxiori religio-

ne ad arctiorem transire. Ergo licet etiam de matrimonio leviori, scilicet carnali, ad arctius scilicet religionis, transire, etiam invita uxore.

Conseq. prob., quia in qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 7. ut nec etiam ad tempus vacent conjuges orationi, sine mutuo consensu, á matrimonio abstinentes.

2. Nullus potest licite facere quod est in præjudicium alterius, sine ejus voluntate. Sed votum religionis emissum ab uno conjugum absque consensu alterius, est in præjudicium alterius: cum unus eorum habeat potestatem corporis alterius. Ergo unus, sine consensu alterius, non potest votum religionis emittere.

Determinatio.

CONCLUSIO. Non potest alter conjugum, post carnalem copulam, altero invito, religionem intrare, et religionis votum emittere.

Prob. Nullus potest facere oblationem Deo de alieno. Sed per matrimonium consummatum, corpus viri factum est uxoris, et uxoris viri. Ergo neuter potest, sine alterius consensu, ipsum Deo per continentiæ votum offerre.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur negando conseq. Lex enim humana considerat matrimonium, solum inquantum est officium naturæ; lex autem divina inquantum est sacramentum, ex quo matrimonium habet omnimodam indivisibilitatem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod non est inconveniens, maius bonum impediri per minus bonum, quod habet contrarietatem ad ipsum: sicut etiam bonum, per malum impeditur. Matrimonium autem habet contrarietatem ad statum religionis.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in qualibet religione contrahitur matrimonium, ad unam personam, scilicet Christum, cui quantum ad plura obligatur quis in una religione, quam in alia; et ideo potest de laxiori ad arctiorem religionem fieri transitus. Sed matrimonium carnale et religionis non fiunt ad unam personam, et ideo deserendo uxorem per ingressum religionis, fit uxori præjudicium, et propterea hoc non potest licite fieri.

ARTICULUS II.

Utrum alter conjugum possit altero invito ante carnalem copulam, religionem intrare.

Pro negativa. = Videtur quod nec etiam ante carnalem copulam, possit unus conjugum, altero invito, religionem intrare.

1. Indivisibilitas matrimonii pertinet ad matrimonii sacramentum, inquantum scilicet significat perpetuam conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Sed ante carnalem copulam, post consensum expressum per verba de præsenti, est verum sacramentum matrimonii. Ergo non potest fieri divisio per hoc quod alter religionem ingreditur.

2. In ipso consensu per verba de præsenti expresso, unus conjugum in alterum potestatem sui corporis transfert. Ergo statim potest exigere debitum et alter tenetur reddere, et ita non potest unus, altero invito, ad religionem transire.

3. Conjunctio, quæ est ante carnalem copulam, post prædictum consensum, est divinitus facta. Ergo non potest humana voluntate separari.

Prob. conseq. quia Matt. 19. dicitur: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Secundum Hieron. in præfatione super Jo. in gloss. ordin. Dominus vocavit Joannem de nuptiis.

Determinatio.

CONCLUSIO. Potest unus conjugum, al-

tero invito, ante carnalem copulam, etiam post consensum per verba de præsenti expressum, religionem intrare.

Prob. Vinculum spirituale solvitur per mortem spiritualem, sicut vinculum corporale, per corporalem mortem. Sed ante carnalem copulam est inter conjuges tantum spirituale vinculum, et postea est inter eos vinculum carnale: et per religionis ingressum moritur homo spiritualiter. Est enim religio spiritualis mors, qua aliquis seculo moriens, Deo vivit. Ergo ante carnalem copulam potest alter conjugum, altero invito, religionem intrare.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod matrimonium, ante carnalem copulam, significat illam conjunctionem quæ est Christi ad animam per gratiam, quæ quidem conjunctio solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, idest per peccatum mortale: sed post carnalem copulam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quantum ad assumptionem humanæ naturæ in unitatem personæ, quæ omnino est indivisibilis.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod, ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius; sed sub conditione, nisi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolet. Sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc uterque intrat in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis. Unde ad formam argumenti neg. conseq. Nam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum, post matrimonium contractum per verba de præsenti; sed datur ei tempus duorum mensium, propter tria. Primo ut interim possint deliberare de transeundo ad religionem. Secundo ut præparentur quæ sunt necessaria ad celebrationem nuptiarum. Tertio ne *vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam.*

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod conjunctio matrimonialis ante carnalem copulam est quidem perfecta quantum ad esse primum; sed non consummata quantum ad actum, ut est operatio; et assimilatur tunc possessioni corporali: et ideo, etsi etiam hoc modo sit divinitus facta, non tamen habet omnimodam indivisibilitatem.

ARTICULUS III.

Utrum mulier possit nubere alteri viro, ante carnalem copulam, viro suo religionem ingresso.

Pro negativa.=Videtur quod mulier non possit nubere alteri viro, viro suo ante carnalem copulam religionem ingresso.

1. Quamdiu manet vinculum matrimoniale alicujus ad unum, non potest nubere alteri. Sed post ingressum religionis unius conjugis, manet vinculum matrimoniale ejus qui remansit in seculo, ad eum qui religionem ingressus est. Ergo remanens mulier non potest alteri nubere.

Minor prob., quia illud quod cum matrimonio stare potest, non solvit matrimoniale vinculum. Sed ingressus religionis potest stare cum matrimoniali vinculo; manet enim matrimoniale vinculum inter eos, qui pari voto religionem intrant. Ergo ex hoc quod unus religionem intrat, non absolvitur alter á matrimoniali vinculo.

2. Vir post ingressum religionis, potest ante professionem reddire ad seculum. Ergo si mulier possit alteri nubere, viro religionem intrante, et ipse posset rediens ad seculum alteram ducere; quod est absurdum. Unde et id, ex quo sequitur.

3. Per Decretalem novam, quæ habetur lib. 3. Decretal. tit. 31. de Regular. et transeunt ad relig. c. 16. Ad Apostolicam. Professio ante annum emissa, pro nulla reputatur. Ergo si vir post talem professionem ad uxorem redeat, tenetur eum recipere. Ergo neque per introitum viri in religionem, ne-

que per votum datur mulieri potestas alteri nubendi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullus potest alterum obligare ad ea quæ sunt perfectionis. Sed continentia est de his quæ pertinent ad perfectionem. Ergo mulier non arctatur ad continentiam ex hoc quod vir religionem ingreditur, et sic potest nubere.

Determinatio.

Conclusio. Mulier, post ingressum viri in religionem ante carnalem copulam, potest cui vult nubere.

Prob. corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apost. sententiam Rom. 7. et 1. Cor. 7. Ergo etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressum poterit mulier cui voluerit, nubere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod quando uterque pari voto continentiam vovet, neuter conjugali vinculo abrenuntiat, et ideo adhuc vinculum manet; sed quando unus tantum vovet, ille qui vovet, quantum in se est, abrenuntiat vinculo conjugali, et ideo alter absolvitur á vinculo.

Ad 2. Dicitur ad consequentiam, quod non intelligitur quis mortuus secundum religionis ingressum, quousque professionem emiserit. Unde usque ad illud tempus tenetur eum uxor sua expectare.

Ad 3. Dicitur ad primam consequentiam, quod de professione ante annum emissa, est idem judicium quod de voto simplici. Unde sicut post votum simplex viri mulier ei debitum solvere non tenetur, tamen ipsa non habet potestatem alteri nubere: ita est etiam in proposito, si vir ante tempus á jure determinatum professionem emittat, non potest mulier alteri nubere, nisi vir suus professionem secundum juris dispositionem emittat.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 151.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Alexandro III.* quod non licet uni conjugum, altero invito, religionem profiteri: et sic. " Quidam intravit monasterium invita uxore: qua ipsum repetente, coactus est ad eam redire. Ea mortua, quæris: an ipse cogatur reverti ad monasterium, an aliquam possit ducere in uxorem. Respondemus; quod votum non tenuit. Unde, ratione voti, ad monasterium non tenetur redire. Ulterius vero non poterit uxorem accipere. Promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat: et ideo quoad hoc votum tenuit. Non reddere autem non erat in ejus, sed mulieris potestate." Hæc ille de conver. conjuxat. Et quod non sine causa appositum fuerit in conclusione ly sine consensu ejus, confirmatur simul, et declaratur ab eod. Alexandro, dum inquit ibidem. Præterea, etc. Uxoratus de licentia, et permissione uxoris monasterium ingressus professionem fecit, uxore in seculi habitu remanente, nec perpetuam continentiam vovente. Dicimus, quod, nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest, et debet de monasterio revocari. » Ex quo patet, quomodo licentia uxoris sufficit, vel non sufficit, ad hoc, ut vir possit intrare monasterium. Nota ly nisi uxor; quoniam de illa, quæ non est senex, et sterilis, et sine suspicione, loquitur, ut patet per eumdem ibid. cap. cum sis præditus. Sufficere enim insinuat ibi; quod talis uxor senex remanens in seculo promittat castitatem. Item ab Innocentio III. ibid. Ad Apostolicam, etc. Cum vir, et uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad dominum, et altera in seculo remanere: profecto non est alter conjugum recipiendus ad obser-

vantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: sed et vitam debet mutare, nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo remanere. » Ex quibus quidem, et etiam á fortiori, patet, quod ipsi conjuges ex mutuo consensu possunt continentiam vovere remanendo in seculo. Videant tamen hi sibi ipsis juxta prudentiam Christianam, ne tentetur á Satana 1. Corinth. 7. idest, ne tentationi contrariae succumbant. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, pro quanto conjugem alterum posse, vel non posse religionem intrare altero invito, statuunt, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim Jo. Wicleff dicentis: quod nemo monachus salvari potest in religione privata, nisi apostataverit. Item blasphemiam Jo. de Rocsesana dicentis: monachos esse novos dæmones. Ex eo enim, quod per rationem D. Th. ostendit, quod uxoratus ante carnalem copulam potest transire ad religionem tamquam ad meliorem frugem, radicitus evellitur hæresis atque blasphemia prædicta: hoc idem et fecisse contra errores prædictos dicendi sunt Pontifices, et concilia per hoc, quod transitum hujusmodi approbaverunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito errores illos damnari á Conc. Constantiensi sess. 8. ubi damnat omnes hæreses Jo. Wicleff 45. inter quas et præmissa continetur. Hujus damnationem factam á Concil. vide supra q. 20. art. 3. append. et quoniam Jo. Huss ipsi Wicleff consentiebat in hoc; dicens, talem damnationem esse iniquam, et irrationabilem: ideo et damnationem Huss ab eodem factam sess. 15. vide supra q. 19. art. 5. append. Ex his quoque damnatus est implicite, ut patet, error Jo. de Rocsesana: quoniam, dum concilium ipsum sanxit, monachatum, seu religionem esse statum salutis: proculdubio per hoc negavit, religiosos esse novos dæmones. Item ab Alexandro III. de convers. conjug. Verum post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in seculo remanere.» Pro ly sicut sancti quidam, etc. nota dictum B. Hieronymi recitatum 27. q. 2. quia. " Scripsit nobis B. Macharius, inquit, præcipuus inter Christi eremitas, celebrato nuptiarum convivio, cum vespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit, et eremi solitudinem sibi elegit. Item B. Alexius Epiphanii clarissimi filius, similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit, et nudus Christo famulari cœpit.» Item ab Eusebio Papa, 27. q. 2. "desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere: licet tamen illi monasterium sibi eligere. » Ubi de viro idem dictum puta. Item et ex hoc abundantissime damnari, quod monachorum statum, tamquam redivivum Ecclesiæ primitivæ specimen admiratur Sanctus Hieronymus, ipsumque pro tali judicat: dum hæc verba in libro de viris illustribus profert. " Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est: non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis, esse memorans: et habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur, et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia gentibus dividantur, orationi vacetur, et psalmis, doctrinæ quoque, et continentiæ. Quales et Lucas refert, primum Hierosolymæ fuisse credentes. " Hæc B. Hieronymus ibi. *Tertio* habes: quomodo prædicta Patrum pro quanto conjugem, altero etiam reclamante, posse religionem intrare, insinuant, et intelligas et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Alex. III.* quod uxor, viro ingresso monasterium ante carnalem copulam, potest alteri nubere: quod autem dicitur de uxore, intelligitur etiam de viro, si uxor sola transierit ad monasterium et sic. " Licitum est alteri eligere monasterium: et alteri remanenti si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota

transire. » Hæc ille, de convers. conjug. verum. Ubi loquitur de conjugibus ante consummationem matrimonii: ut latius patet supra ar. 2. appen. Item ab Innoc. III. ibid. Ex parte tua, etc. "Nos nolentes á prædecessorum nostrorum vestigiis declinare: qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire: ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consulimus observandum. » Item á Conc. Trid. sess. 24. can. 6. " Si quis dixerit matrimonium, ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit. » Soluto autem vinculo illo, quis non videat, remanentem posse, quantum est ex hoc, licite nubere? *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa Pontificum, pro quanto remanentem in seculo posse nubere, altero conjugum monasterium ingresso, insinuant,et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SECUNDA,

DE IMPEDIMENTO QUOD SUPERVENIT MATRIMONIO CONSUMMATO, QUOD EST FORNICATIO, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de impedimento quod supervenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione, quæ impedit matrimonium præcedens quoad actum remanente vinculo matrimoniali.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum liceat viro dimittere uxorem causa fornicationis.

Secundo, utrum ad hoc teneatur.

Tertio, utrum proprio judicio eam dimittere possit.

Quarto, utrum vir, et uxor quantum ad hoc sint æqualis conditionis.

Quinto, utrum post divortium debeant manere innupti.

Sexto, utrum post divortium possint reconciliari.

ARTICULUS I.

Utrum propter fornicationem liceat viro, uxorem dimittere.

Pro negativa. = Videtur quod propter fornicationem non liceat viro uxorem dimittere.

1. Reddere malum pro malo, est illicitum. Sed vir dimittendo uxorem propter fornicationem, reddit ei malum pro malo. Ergo viro non licet uxorem fornicariam dimittere.

2. Si uterque conjux fornicetur, non poterit propter hoc fieri divortium. Ergo multo minus fierit poterit, uxore tantum fornicante.

Conseq. prob., quia maius peccatum est, si uterque fornicetur, quam si fornicetur alter tantum.

3. Fornicatio spiritualis et quædam alia peccata, sunt graviora, quam fornicatio carnalis, nec propter illa potest fieri separatio á toro. Ergo nec potest fieri propter fornicationem carnalem.

4. Vitium contra naturam est magis remotum á bonis matrimonii, quam fornicatio quæ modo naturæ fit, ergo vitium contra naturam magis debuit poni causa separationis, quam fornicatio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quia Matt. 5. dicitur, quod causa fornicationis potest uxor á viro dimitti.

2. Ei qui frangit fidem, non tenetur aliquis servare fidem. Sed conjux fornicando frangit viro fidem quam alteri conjugi debet. Ergo alter potest alterum, causa fornicationis, dimittere.

Determinatio.

Conclusio. Licet viro dimittere uxorem suam propter fornicationem, exceptis tamen quibusdam casibus.

Prob. prima pars quia Dominus Matt. 5. dimittere uxorem propter fornicationem concessit, in pœnam illius qui fidem fregit, et in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit astrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem.

Secunda pars manifestatur. Nam excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro dimittere uxorem fornicantem: in quibus vel uxor á culpa immunis est. Vel uterque est æqualiter culpabilis. 1. est. Si ipse vir etiam fornicarius fuerit. 2. Si ipse uxorem postituerit. 3. Si uxor probabiliter credens virum suum mortuum propter longam ejus absententiam, alteri nupsit. 4. Si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. 5. Si fuerit vi oppressa. 6. Si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens. 7. Si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit; tunc etiam si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod si vir dimittat uxorem fornicantem, livore vindictæ, peccat; si autem eam dimittit, ad famam propriam conservandam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandum prolis incertitudinem, non peccat. Non enim tunc malum pro malo reddit.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod divortium ex causa fornicationis fit uno accusante alium. Et quia nullus potest accusare, quando uterque in crimine eodem existit, divortium celebrari non potest, quamvis magis peccetur contra matrimonium, utroque fornicante, quam altero tantum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod etsi alia crimina forte sint graviora, quam carnalis fornicatio, tamen propter illa non fit separatio conjugum, sicut fit propter fornicationem carnalem et spiritualem, et hoc rationabiliter: nam fornicatio directe est contra bonum matrimonii, quia tollitur per eam certitudo prolis, fides frangitur, et significatio matrimonii non servatur dum unus conjugum pluribus carnem suam dividit. Infidelitas autem, quæ spiritualis fornicatio dicitur, est etiam contra bonum matrimonii quod est educatio prolis ad Dei cultum, etiam ipsa divortium facit, aliter tamen quam carnalis fornicatio. Quia propter unum actum fornicationis carnalis, potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis. Sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua pertinacia infidelitas perficitur.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod etiam propter vitium contra naturam potest procedi ad divortium; sed tamen non fit mentio de ipso inter impedimenta matrimonii tum quia est passio innominabilis, tum quia rarius accidit, tum quia non ita causat incertitudinem prolis.

ARTICULUS II.

Utrum vir teneatur ex præcepto uxorem fornicantem dimittere.

Pro affirmativa. = Videtur quod vir teneatur ex excepto, uxorem fornicantem dimittere.

1. Vir tenetur uxorem corrigere. Ergo vir tenetur uxorem fornicantem dimittere.

Antecedens prob., quia vir est caput uxoris.

Conseq. prob. quia separatio á toro est inducta ad correctionem uxoris fornicantis.

2. Qui consentit mortaliter peccanti, ipse etiam mortaliter peccat. Sed retinens uxorem fornicantem consentire ei videtur. Ergo peccat non ejiciens eam á se.

3. *Qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur*, ut dicitur 1. Cor. 6. et mortaliter peccat, quia non potest esse aliquis simul membrum Christi et meretricis, ut ibidem dicitur. Sed vir

adhærens uxori fornicanti, adhæret meretrici, et per hoc membrum Christi esse desinit. Ergo mortaliter peccat et illicite agit, eam non dimittendo.

4. Postquam vir noverit consanguinitatem sui ad uxorem, peccat mortaliter si eam carnaliter cognoscat. Ergo pari ratione mortaliter peccat, si carnaliter cognoscat uxorem sciens eam esse fornicatam.

¶ Conseq. prob., quia sicut cognatio tollit vinculum matrimonii, ita fornicatio separat á toro.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dominus permisit viro, causa fornicationis, dimittere uxorem, ut dicit Glos. interlin. super 1. Cor. 7. Ergo non est in præcepto.

2. Quilibet potest dimittere alteri quod in se peccavit. Sed uxor fornicando peccavit in virum. Ergo *vir potest ei parcere, ut non dimittat eam.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si mulierem fornicariam de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere.

Prob. Pœna corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præcessit. Sed dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum crimen uxoris per talem pœnam. Ergo si mulier jam sit emendata, non tenetur eam vir dimittere.

2.ª Conclusio. Si mulier de peccato non sit emendata, tenetur vir eam á se dimittere.

Manifestatur. Tenetur enim ad hoc vir, ne videatur peccata uxoris consentire, dum correctionem debitam non opponit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod peccatum fornicationis in uxore potest corrigi, non tantum tali pœna, sed etiam verbis et verbere; et ideo si alias ad correctionem sit parata, non tenetur vir pœnam expulsionis ad ejus correctionem adhibere.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod tunc vir uxori consentire videtur, quando eam tenet, non cessantem á peccato præterito, si autem emandata fuerit, non ei consentit.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod ex quo uxorem de peccato fornicationis pœnituit, meretrix appellari non potest; et ideo vir ei se conjungendo membrum meretricis non fit. Vel dicitur ad minorem quod non conjungitur ei ut meretrici, sed ut uxori.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est simile, quia consanguinitas facit ut non sit inter eos vinculum matrimonii, et ideo carnalis copula fit illicita. Sed fornicatio non tollit vinculum prædictum, et ideo actus, quantum est de se, remanet licitus, nisi per accidens illicitus fiat, in quantum vir videtur turpitudini uxoris consentire.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Dicitur negando conseq. Nam permissio illa non est distincta á præcepto. Permissio enim hæc est intelligenda de privatione prohibitionis, et sensus est quod Dominus non prohibuit dimittere uxorem causa fornicationis, quæ promissio vim præcepti potest habere. Unde vir tenetur dimittere mulierem non volentem emendari.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod uxor non solum peccat in virum, sed etiam in se ipsam, et in Deum, et ideo vir non potest totaliter pœnam dimittere, nisi sequatur emendatio.

ARTICULUS III.

Utrum vir propio judicio possit uxorem fornicantem dimittere.

Pro affirmativa.=Videtur quod proprio judicio possit vir uxorem fornicantem dimittere.

1. Sententiam latam á judice, absque alio judice, exequi licet. Sed Deus judex justus hanc sententiam dedit, ut propter fornicationem vir uxorem dimittere possit. Ergo non requiritur ad hoc aliud judicium.

2. Matt. 1. dicitur quod *Joseph, cum esset justus, cogitavit occulte dimittere Mariam.* Ergo videtur quod vir possit occulte divortium celerare absque judicio Ecclesiæ.

3. Si vir post cognitam fornicationem uxoris debitum ei reddit, amittit actionem quam contra fornicariam habebat. Ergo denegatio debiti quæ ad divortium pertinet, debet Ecclesiæ judicium præcedere.

4. Illud quod ad judicium Ecclesiæ adducitur, debet posse probari. Sed fornicationis crimen non potest probari; eo quod, *oculus adulteri observet caliginem*, ut dicitur Job 24. Ergo non debet prædictum divortium judicio Ecclesiæ fieri.

5. Accusationem debet præcedere inscriptio, qua accusans ad talionem se obligat, si in probatione deficiat. Sed hoc non potest esse in ista materia: quia qualitercumque res iret, vir consequetur suum intentum. Vel enim ipse uxorem dimitteret, si probaret. Vel ab ea dimitteretur, si non probaret. Ergo non debet hoc ad judicium Ecclesiæ per accusationem adduci.

6. Homo non debet Ecclesiæ deferre crimen, etiam extranei, nisi in secreto monitione præmissa, ut patet Matt. 19. Ergo multo minus potest vir crimen uxoris ad Ecclesiam deferre, si eam prius occulte non corripuerit.

Conseq. prob., quia plus tenetur homo uxori quam extraneo.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Nullus debet ipsum vindicare. Sed si vir uxorem fornicantem proprio arbitrio dimitteret, ipse se vindicaret. Ergo hoc fieri non debet.

2. Nullus in eadem causa est actor et judex. Sed vir est actor impetens uxorem de offensa in se commissa. Ergo ipse non potest esse judex, ut possit eam proprio arbitrio dimittere.

Determinatio.

Distinctio. Vir potest dimittere uxorem dupliciter. Uno modo, quantum ad torum tantum. Alia modo, quantum ad torum et cohabitationem.

1.ª Conclusio. Vir potest dimittere proprio judicio uxorem fornicantem, quantum ad torum tantum, statim ac sibi constat de fornicatione: nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, et taliter reddens, nullum sibi præjudicium facit. Hanc probat tertium argumentum pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Vir non potest proprio arbitrio dimittere uxorem fornicariam quantum ad torum et cohabitationem; sed solum Ecclesiæ judicio, et si aliter dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi posset vir in continenti fornicationem probare. Hanc probant argumenta pro negativa.

3.ª Conclusio. Divortium non potest sine judicio Ecclesiæ celebrari.

Prob. Quia divortium dicitur dimissio et separatio uxoris á viro quantum ad torum et cohabitationem, quæ separatio tantum Ecclesiæ judicio fieri potest, ut in secunda conclusione dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Deus commune jus promulgavit; per sententiam autem quæ in judicio particulari formatur, applicatur jus commune ad particulare factum; et propterea post Dei sententiam est necessaria sententia Ecclesiæ, quæ divinum commune jus ad hoc particulare factum applicat.

Ad 2. Dicitur ad antec. quod Joseph voluit virginem dimittere, non quasi suspectam de fornicatione; sed ob reverentiam sanctitatis ejus, timens cohabitare ei.

Dicitur secundo negando conseq. Non enim est simile de facto Joseph et de dimissione uxoris nunc: quia tunc ex adulterio, non solum ad divortium; sed ulterius ad lapidatiodem procedebatur; non autem nunc, quando fit Ecclesiæ

judicio. Et ideo non est eadem ratio dimittendi proprio arbitrio nunc et tunc uxorem.

Ad 3. Jam dictum est quod vir absque Ecclesiæ judicio potest denegare uxori, cujus fornicationem cognovit, debitum. Et quod debiti denegatio non est divortium, sed ad ipsum requiritur etiam separatio á communi cohabitatione.

Ad 4. Negatur minor. Quandoque enim vir, qui habet uxorem de fornicatione suspectam, potest ei insidiari, ut eam in crimine coram testibus comprehendat: et sic potest ad accusationem procedere. Et propterea dicitur ad eamdem minorem quod si de facto non constat, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis, quibus probatis videtur probata fornicatio. Ut si inveniantur solus cum sola, horis et locis suspectis, et nudus cum nuda.

Ad 5. Dicitur ad maiorem quod maritus potest accusare uxorem de adulterio dupliciter. Uno modo ad tori separationem coram judice spirituali, et tunc inscriptio non debet fieri cum obligatione ad pœnam talionis: quia sic vir semper consequeretur intentum suum, ut objectio probat. Alio modo ad punitionem criminis in judicio seculari, et sic oportet quod præcedat inscriptio, per quam ad pœnam talionis se obliget: et sic non probans non consequitur intentum, sed pœnam quæ mulieri debebatur.

Ad 6. Dicitur ad antecedens, quod sicut decretalis super his, de quibus l. 5. tit. de accusationib. et est c. 16. *Tribus modis in criminibus procedi potest.* Primo *per inquisitionem, quam debet præcedere clamosa insinuatio*, quæ locum accusatoris tenet. Secundo, *per accusationem, quam debet præcedere inscriptio.* Tertio, *per denunciationem, quam debet præcedere fraterna correctio.* Verbum ergo domini intelligitur, quando agitur per viam denunciationis, non quando agitur per viam accusationis, quia tunc non agitur solum ad correctionem delinquentis; sed ad punitionem, propter bonum commune conservandum, quo deficiente, justitia periret.

ARTICULUS IV.

Utrum vir et uxor in causa divortii possint ad paria judicari.

Pro negativa. = Videtur quod vir et uxor non debeant in causa divortii ad paria judicari.

1. In repudio vir et uxor non judicabantur ad paria. Sed divortium tenetur in lege nova loco repudii quod erat in lege veteri, ut patet Matt. 5. Ergo nec in divortio debent ad paria judicari.

Maior prob., quia vir poterat repudiare uxorem et non é converso.

2. Magis est contra legem naturæ quod mulier plures viros habeat, quam quod vir plures mulieres. Ergo plus peccat mulier in adulterio quam vir, et ita non debent ad paria judicari.

Maior prob., quia virum habere plures uxores, aliquando licuit. Mulierem autem plures habere viros, numquam licitum fuit.

3. Ubi est maius nocumentum proximi, ibi est majus peccatum. Sed plus nocet uxor adultera viro, quam vir adulter uxori. Ergo majus est peccatum uxoris, et sic non debent ad paria judicari.

Minor prob., quia adulterium uxoris facit incertitudinem prolis, non autem adulterium viri.

4. In eo quod inducitur ad correctionem uxoris, non sunt conjuges, ad paria judicandi. Sed divortium inducitur ad correctionem uxoris. Ergo in causa divortii vir et mulier non debent ad paria judicari; sed vir debet esse melioris conditionis.

Maior prob., quia magis pertinet ad virum qui est caput mulieris, ut ditur. Cor. 11. corrigere uxorem, quam é converso.

Pro altera aparte.

Videtur quod in hoc uxor debeat esse melioris conditionis.

1. Quanto maior est fragilitas in peccante, tanto magis peccatum est venia dignum. Sed in mulieribus est maior fragilitas quam in viris. Ergo mulieribus in pœna divortii debet magis parci.

Minor prob., quia Chris. dicit Hom. 86. in Jo. et Hom. 40. oper, impf. in Marth. quod *propria passio mulierum est luxuria*, et 7. Ethic. c. 5. dicitur quod *mulieres non dicuntur continentes proprie loquendo, propter facilem inclinationem ad concupiscentias*, quia nec bruta animalia possunt continere propter hoc quod non habent aliquid, per quod concupiscentiis obviare possint.

2. Vir ponitur caput mulieris, ut ipsam corrigat. Ergo magis peccat quam mulier, et sic debet magis quam mulier puniri.

Determinatio.

Conclusio. In causa divortii, vir et uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum et illicitum uni quod alteri. Non tamen pariter judicantur ad illa.

Conclusio. hæc habetur 32. quæst. 5. c. 33. Christiana religio. Unde solum est declaranda quantum ad secundam partem. Non enim vir et uxor æqualiter judicantur ad illa, quia causa divortii est maior in uno quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium: divortium enim est pœna adulterii, inquantum est contra matrimonii bona quantum ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius. Et hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quam viri, et ideo maior est causa divortii in uxore, quam in viro: et sic ad æqualia; sed non ex æquali causa, obligantur. Nec tamen injuste, et quia in utroque est sufficiens causa ad hanc pœnam, sicut est etiam de duobus qui damnantur ad ejusdem mortis pœnam, quamvis altero alius gravius peccaverit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod divortium non in omnibus tenet locum repudii. Repudium enim permittebatur tantum ad evitandum homicidium; et quia in viris magis erat de hoc periculum, quam in mulieribus, ideo viro per libellum repudii permittebatur dimittere uxorem, et non è converso. Divortium autem ordinatur in pœnam adulterii, et ideo conjux, qui adulterium committit, per divortium puniri potest.

Ad 2. Et ad tertium simul dicitur quod rationes illæ concludunt quod gravius peccet mulier contra bonum prolis quam vir, et per hoc quod sit maior causa divortii in uxore; ex quo non sequitur quod non sint ad paria judicandi, ut in corpore ostensum est.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis vir sit caput mulieris quasi gubernator, non tamen est ejus judex, sicut nec é converso; et ideo in his quæ per judicium facienda sunt, non plus potest vir in uxorem, quam possit uxor in virum.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod in adulterio invenitur id quod est de ratione peccati in fornicatione simplici, et adhuc quod gravius est, matrimonii læsio. Si ergo consideretur id quod est commune fornicationi et adulterio, peccatum viri et mulieris se habent sicut excedentia et excessa. In muliere enim est plus de humore, et ideo est magis ducibilis á concupiscentiis. In viro autem est plus de calore, qui concupiscentiam excitat, tamen simpliciter loquendo et cæteris paribus, vir in simplici fornicatione plus peccat quam mulier, quia vir habet plus de bono rationis, quod prævalet quibuslibet moribus corporalium passionum. Sed quantum ad læsionem matrimonii, quam adulterium fornica-

tionem addit, ex qua divortium causat, plus peccat mulier quam vir, ut ex dictis in corp. patet. Et quia hoc gravius est quam simplex fornicatio, ideo simpliciter loquendo, plus peccat mulier adultera, quam vir, cæteris paribus.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod quamvis regimen, quod datur viro in mulierem, sit quædam circumstantia aggravans; tamen ex illa circumstantia, quæ in aliam speciem trahit, magis aggravatur peccatum carnale mulieris, scilicet ex læsione matrimonii, quæ trahit ad speciem injustitiæ in hoc quod furtive aliena proles submittitur per adulterium.

ARTICULUS V.

Utrum post divortium, vir alteri nubere possit.

Pro affirmativa.=Videtur quod post divortium vir alteri nubere possit.

1. Vir tenetur in aliquo casu uxorem fornicantem á se in perpetuum separare, scilicet quando non vult emendari, ut art. 2. dictum est. Ergo ad minus in tali casu alteram ducere potest.

Conseq. prob., quia nullus tenetur ad perpetuam continentiam, nisi se ad hoc obligaverit.

2. Peccanti non est danda maior peccandi occasio. Sed si ei, qui propter culpam fornicationis dimittitur, non licet aliam copulam quærere, datur sibi maior occasio peccandi. Ergo videtur quod ei liceat ad aliam copulam transire.

Minor prob., quia non est probabile quod qui in matrimonio non continuit, postea possit continere.

3. Uxor non tenetur viro, nisi ad debitum reddendum et ad cohabitationem. Sed per divortium ab utroque horum solvitur. Ergo per divortium soluta est á lege viri et potest alteri nubere, et eadem erit ratio de viro.

4. Matt. 19. dicitur: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Ergo videtur quod si causa fornicationis dimissa uxore, aliam duxerit, non mœchetur: et ita erit verum matrimonium.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Primæ Cor, 7. dicitur. *Præcipio, non ego; sed dominus, uxorem á viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam.*

2. Nullus ex peccato debet commodum reportare. Sed si liceret adulteræ, ad alterum magis desideratum connubium transire, reportaret ex peccato commoditatem, et esset occasio adulterandi volentibus alia matrimonia quærere. Ergo non licet viro, nec uxori aliam copulam quærere.

Determinatio.

Conclusio. Non licet uni conjugum, altero vivente, ad aliam copulam transire.

Prob. Nihil adveniens matrimonio, potest ipsum dissolvere. Ergo adulterium non facit quod matrimonium non sit verum matrimonium.

Et confirmatur conclusio auctoritate Aug. lib. 1. de nup. et concupis. c. 7. 10. 15. et 21. dicentis: *manet* enim *inter viventes conjugale vinculum quod nec separatio conjugum ab invicem, nec conjunctio unius ipsorum cum alio, vel alia potest auferre.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis nullus per se obligetur ad continentiam, nisi se obligaverit ex propia voluntate, tamen per accidens potest esse quod obligetur: sicut si uxor incurabilem ægritudinem incurrat, et quæ carnalem non patiatur copulam. Et similiter etiam accidit, si uxor incorrigibiliter spirituali infirmitate fornicationis laboret.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ipsa confusio, quam adultera reportat ex divortio, debet eam á peccato cohibere: quod si hoc eam cohibere non potest, minus malum est quod ipsa sola peccet, quam quod vir sit particeps peccati illius.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis uxor post divortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum et cohabitandum, remanet tamen adhuc vinculum matrimonii, ex quo ad hoc tenetur; et ideo non potest ad aliam copulam, vivente viro, transire; potest tamen viro invito, continentiam vovere, nisi videatur Ecclesia decepta fuisse, per falsos testes sententiando de divortio, quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, et teneretur reddere debitum quod tamen non posset exigere.

Ad 4. Negatur conseq. Nam exceptio illa, quæ est in verbis domini, scilicet (excepta) refertur ad dimissionem uxoris, non ad acceptionem alterius. Et sensus est, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, propter quam permittitur uxoris expulsio, et aliam acceperit, etc. mœchatur. Et sic patet quod dominus docet quod expulsio uxoris, excepta causa fornicationis, est illicita: acceptio autem alterius uxoris, vivente prima, in nullo causa est illicita.

ARTICULUS VI.

Utrum post divortium vir et uxor possint reconciliari.

Pro negativa = Videtur quod vir et uxor non possint post divortium reconciliari.

1. *Quod semel definitum est nulla debet iteratione retractari.* Sed judicio Ecclesiæ definitum est quod debeant separari. Ergo non possunt amplius ad invicem reconciliari.

2. Si posset esse reconciliatio, præcipue videretur quod post pœnitentiam uxoris, vir teneatur eam recipere. Sed vir tunc non tenetur eam recipere. Ergo nullo modo potest fieri reconciliatio.

Minor prob., quia uxor non potest pro exceptione proponere in judicio suam pœnitentiam contra virum accusantem eam de fornicatione.

3. Si posset esse reconciliatio, videtur quod uxor adultera teneretur redire ad virum ipsam revocantem. Sed non teneretur talis mulier ad virum eam revocantem redire. Ergo non possunt ad invicem reconciliari.

Minor prob., quia jam separati sunt judicio Ecclesiæ.

4. Si liceret viro reconciliare uxorem adulteram, in illo casu præcipue deberet fieri, quando vir post divortium invenitur adulterium commississe. Sed etiam in hoc casu mulier non potest cogere eum ad reconciliationem, cum juste sit divortium celebratum. Ergo nullo modo possunt reconciliari ad invicem.

5. Si vir occulte adulter dimittat uxorem convictam de adulterio per judicium Ecclesiæ, non videtur juste fuisse factum divortium, et tamen tunc non tenetur uxori reconciliari: quia uxor non potest in judicio probare adulterium viri. Ergo multo minus potest vir cogi ad hanc reconciliationem, quando divortium est juste celebratum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 7. *Quod si discesserit, manere innupta, vel viro suo reconciliari debeat.*

2. Vir poterat eam post fornicationem non dimittere. Ergo eadem ratione potest eam, post divortium, sibi reconciliare.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si uxor post divortium, de peccato pœnitentiam agens fuerit emendata, potest eam sibi vir reconciliare. Hanc probant duo argumenta facta pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Si uxor in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam vir reassumere.

Manifestatur. Non debet enim vir reassumere uxorem in peccato adulterii perseverantem, eadem ratione, qua non licebat ei illam retinere nolentem á peccato desistere; ne scilicet videatur particeps criminis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior vera, est de sententia cogente. Tunc ad minorem dicitur quod sententia Ecclesiæ divortium celebrantis, non fuit cogens ad separationem; sed licentiam præbens, et ideo absque retractatione præcedentis sententiæ, potest fieri reconciliatio.

Ad 2. Neg. maior conditionalis. Si enim juste sit divortium celebratum, pœnitentia uxoris non cogit virum ad reconciliationem; sed solum debet ipsum inducere ut uxorem fornicantem non accusset, aut non dimittat, ut ipsam recipiat: licet enim egerit pœnitentiam, non tamen necesse est ut cesset pœna divortii, pro suo peccato sibi imposita. Nam cessante peccato et quantum ad actum et etiam quantum ad maculam, adhuc remanet aliquid de reatu: quo etiam cessante quoad Deum, adhuc remanet pœnæ reatus judicio humano inferendæ.

Ad 3. Neg. minor. Illud enim quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium. Unde cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere debitum, et ad ipsum redire, si fuerit revocata, nisi de viri licentia votum continentiæ emiserit.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod propter adulterium, quod vir prius innocens post divortium committit, secundum rigorem juris non debet cogi ad accipiendum uxorem adulteram prius; tamen secundum æquitatem juris, judex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus et scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod si adulterium viri sit occultum, per hoc non auferatur uxori adulteræ jus excipiendi contra accusationem viri, quamvis desit sibi probatio; et ideo peccat vir divortium petens, et si post sententiam de divortio uxor petat debitum aut reconciliationem, vir tenetur ad utrumque.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 152.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Anabaptistarum* dicentium, quod coire tenetur mulier cum quolibet viro eam petente et contra. Si enim uxor potest dimitti á viro propter fornicationem ita, quod non sit adstrictus reddere illi debitum: profecto á fortiori patet per hoc, quod multo minus respectu alterius mulieris adstringitur ad illud, et similiter é contra, idest de muliere respectu viri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari per Hier. 5. " Equi amatores in fœminas, et emissari facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui inniebat. Numquid super his non visitabo dicit Dominus: et in gente tali non ulciscetur anima mea?» Ubi similes Anabaptistis prædictis tractat ad instar equorum, emissariorum, et á simili, aliorum brutorum. Item per Ezec. 22. " Unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. Ego dominus dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam á te.» Item per Apostolum 1. Cor. 7. " Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat.» Propter fornicationem, scilicet vitandam. Item per illud Exod. 20. Non desiderabis uxorem proximi tui. Item per Matth. 5. "Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mechatus est eam, in corde suo.» Item per 1. Corinth. 10. " Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Item per Conc. Trid. sess.

24. cap. 8. de reform. matrim. " Grave peccatum est homines solutos concubinas habere: gravissimum vero, et in hujus magni sacramenti singularem contentum admissum, uxoratus quoque in hoc damnationis statu vivere. Quare statuit sancta Synodus hujusmodi concubinarios tam solutos, quam uxoratos, si ter admoniti concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse. Mulieres, sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum aldulteris, sive concubinariis, etc. graviter pro modo culpæ puniantur, et extra oppidum vel diœcesim, si ordinariis videbitur, ejiciantur. » *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum Matth. 5. *Qui dimisserit uxorem excepta fornicationis causa, facit eam mœchari,* et 19. et Marc. 10. et Luc. 16. simile quid. *Quarto* habes: quomodo, per rationem prædicta scripturarum, et patrum; pro quanto directe, vel virtualiter, virum posse dimitere uxorem ob fornicationem insinsinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apostolis, quod ex præcepto tenetur vir dimittere fornicariam uxorem: et sic mulier est vitæ consors, ac socia, in unum corpus á Deo conflata. Qui vero contra scindit in duo id, quod est in unum á Deo concretum, rationem rerum á Deo conditarum evertit, et illius providentiæ adversatur. Eodem modo retinens eam, quæ naturæ: legem violat, injuste facit, quoniam, qui adulteram retinet, insanus, atque impius est. *Abscinde enim eam*, inquit, *á carnibus tuis: non enim est adjutrix, sed insidiatrix, ad alium deflectens amorem.* Hæc ibi, lib. 6. constitut. Apostolicar. cap. 14. authore Clemente Papa, et martyre. Cum igitur de præcepto teneatur quilibet ad hoc, ut non sit injustus, vel impius, et secundum prædictam authoritatem injustus sit, et impius, tenens adulteram: patet, quod secundum eamdem vir tenetur de præcepto uxorem fornicariam dimittere. Ubi etiam notabis, quod adulterium est contra legem naturalem. Item á Concilio Elibertino cap. 65. " Si cujus clerici uxor fuerit mœchata, et sciat eam maritus suus mœchari, et eam non statim projecerit: nec in fine accipiet communionem. » Est autem idem judicium in proposito de clerico tunc uxorato, et de alio quolibet. Item ab eodem, cap. 70. " Si conscio marito mœchata uxor: placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam, cum scierit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuit. » Ubi ex magnitudine pœnæ patet, quod non tantum de præcepto tenetur vir dimittere ipsam, sed etiam statim. Item á Gregorio Papa 32. quæst. 1. Apud, etc. " Si in adulterio perseverare elegerit, patronus turpitudinis, et lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit. » Unde in 9. lib. C. de adult. et stupr. " Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio detinuerunt. » Hæc papa. Item á regul. jur. in 6. reg. 5, " peccati venia non datur, nisi correcto. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ad dimissionem uxoris ex præcepto teneri virum insinuant, et intelligas et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, et quidem á fortiori, per *Alexandro III.* quod proprio arbitrio vir non debet dimittere adulteram conjugem: et sic. " Porro decomite Pontini, qui B. uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctæ proponit: prudentia tua cognoscat, quod, si etiam parentela esset publica, et notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit. » Hæc ille: de divor. Unde patet: quod, si propter consanguinitatem noviter cognitam non potest absque judicio Ecclesiæ ab uxore separari, multo magis hoc non poterit propter uxoris fornicationem: quoniam consanguinitas majus quid importat respectu matrimonii, ut art. 2. ad 4. Item ab eodem ibid. Significasti, quod quidam, uxore sua sine judicio Ecclesiæ dimissa, pro eo, quod suggestum sibi fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, vinculo fuit propter hoc excommunicationis adstrictus. Verum mulire postulat viro restitui, asserens se ab ipso injuste dimissam, et eumdem sibi

materiam adulterandi dedisse. Respondemus: quod, si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse. » Unde inferas tu, ut supra. Et ulterius notabis: quod vir sine judicio Ecclesiæ uxorem adulteram dimittens potest per excommunicationem cogi ad cohabitandum cum illa, quousque per Ecclesiam videatur, quid jure faciendum sit. Notabis insuper inde: quod non excusatur á peccato, neque á pœna ejus, is, qui committit illud: etiam quod data sit sibi materia peccandi ab alio quocumque: id, quod monstravit Papa, quando adulterium prædictæ uxoris respondit esse puniendum per non redditionem viri, etiam quod uxor illa ratione dimissionis ab eodem habuisset materiam adulterandi. Item per Urbano III. ibid. " De illa, quæ, viro suo labente in haeresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reversus fuerit, est reddenda: quae etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiae ab eo recessit: ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. » Unde etiam á fortiori patet intentum: quoniam fornicatio spiritualis, idest, haeresis, major est, quam corporalis. Item á etc. ut in art. 2. app. de Concil. Elibertino; cujus dicta in cap. 65 et 70. si quantum ad cohabitationem glossentur, intellige, prout in juribus nunc dictis, quod sc. servatis servandis, idest non nisi judicio Ecclesiae, debent hujusmodi separationes fieri. Secus autem, si quantum ad separationem tori solummodo glossentur; quia tunc faciunt pro conclusione prima hujus corp. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, pro quanto á viro uxorem ex judicio tantum Ecclesiae ex causa fornicationis dimittendam insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apostolo 1. Cor. 7. quod conjuges in causa divortii ad paria judicantur; et sic. *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem á viro non discedere: et vir uxorem non dimittat.* Ubi patet, quod Apostolus supplevit id, quod dominus implicite tantum posuit Matth. 5. et 19. Nam ibi dominus de solo viro respectu uxoris dimittendae, facit mentionem; id, quod Apostolus, qui spiritum Christi habet, ut ibid. ait, exponit etiam de uxore respectu viri ob fornicationem dimittendi. Et sic eos ad patria in hoc judicari, demonstrat, tum ex sua expositione, tum ex sensu domini in Evangelio supra allegato. Item á, etc. ut ar. 3. aliqualiter in appen. Item ab Innocentio III. de divor. Gaudemus. Ibi enim, postquam allegavit Evangelium dicens, " quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, maechatur," subinfert verbaliter, quod non ad imparia judicantur circa matrimonium. Item á 32. quæst. 5. " Præcepit dominus, uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis. Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est; et vir mæchus retinendus est. Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur. » Item ibid. quæst. 1. " Si quis uxorem suam invenerit adulteram, abstineat se á matrimonio ejus. Similier, si virum suum uxor invenerit adulteram; non ad imparia judicabitur. » Item ab Innoc. Papa ibid. q. 5. " Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant; viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt. Cum per causa sit, interdum probatione cessante vindictae ratio conquiescit.» Ubi per ly sacerdotes intellige, quod ar. 3. dicebatur, quod sc. adulterantium conjugum divortium est judicandum ab Ecclesia. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta patrum pro quanto conjuges in causa divortii ad paria judicari insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errores recitatos supra qu. 59. a. 6. append. in quantum matrimonium dissolvi quoad vinculum, dicunt, ratione adulterii. Hi enim per hoc volunt, quod post divortium possint conjuges alteri nubere. Unde cum articulus praesens doceat, istud nubere non posse fieri, clarum est, quod per hoc illos errores et impetit, et expugnat. *Secundo* habes: quomodo per ra-

tionem ostendas, eosdem errores merito damnatos á, etc. ut supra ibid. Et advertas diligenter: quod in pluribus juvantur vicissim ille articulus, et iste. Item á 32. quæst. 7. " Licite dimititur uxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris matrimonii, propter quod fit reus adulterii, quicumque duxerit dimissam etiam ob causam fornicationis. » Item ibid. " Interveniente divortio, non aboletur confæderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati, cum illis autem committant adulterium, quibus fuerint post suum repudium copulati. Item á Conc. Eliberitano ibid. " fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum maritum duxit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem quam is, quem reliquit, de seculo exierit. » Item á Papa Gregorio ibidem. " Iis vero, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit, nec eum, nec eam, aliam uxorem accipere, vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, vir ejus, si vult, nubat, tantum in domino: adultera vero numquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus. » Ecce; quare sanctus doctor quæsivit tantum de viro, utrum possit nubere alteri: et non de uxore: quasi quod in suo titulo per hoc innuerit illud, quod nunc dixit pontifex. Vide glos. ibid. Item á Concil. Forojuliensi c. 10. Placuit, etc. " Non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere: sed nec adulteræ alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo marito, quem non erubuit defraudare. Nam, etsi legatur, sola fornicationis causa, dixisse dominum, dimittere virum uxorem suam, non tamen legitur concessisse aliam vivente illa, in conjugio sibi sociare: prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Qua de re ita definire prospeximus; ut juxto ejusdem domini mellifluam vocem, nemo hæc interdicta violator inculcare præsumat. Sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Unde, quamdiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune secundas contrahere nuptias. » Ecce, quod secundum concilium non sunt inculcanda illa evangelii interdicta, idest, illa, quæ dicuntur in medio, hoc est ly, nisi ob fornicationem, non sunt referenda ad utramque sententiam, quoniam tunc inculcarentur, idest, confunderentur adinvicem, et non distincte ponerentur sententiæ illæ, prout evangelii series requirit. *Tertio* habes: quomodo, per rationem prædicta patrum, pro quanto virum post divortium non posse alteri nubere, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam á fortiori, excludas errorem *Novatianorum* dicentium, quod in peccatum prolapsi non ad pœnitentiam, sed ad diaboli prædam, admittendi sunt. Dixi ly á fortiori, quia, si post pœnitentiam ut ostendit præsens articulus, potest reconciliare sibi uxorem, imo et laudabiliter reconciliat: multo magis post sufficientem pœnitentiam Deus poterit reconciliare sibi peccatorem, et de hoc ab ipso peccatore sperandum, atque ab aliis piis viris. Deus enim ad misericordiam pronior est in immensum quam homo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, pestiferum hunc errorem merito damnari á, etc. ut 1. par. quæst. 48. art. 4. append. Item et á fortiori ipsummet damnari á quibuscumque admittitur reconciliatio uxoris adulteræ post pœnitentiam á viro 1. Corinth. 7. quod, si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari. Super quo dicit August. ut recitatur 32. q. 7. Apostol., etc. " Si feminæ licet dimittere virum suum propter fornicationis causam: quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius: et vir uxorem suam non dimittat? Quare non addidit, excepta causa fornicationis nisi quod similem formam vult intelligi: ut si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori. » Item á Concil. Milevitano, ibid. " Placuit, ut neque dimissus ab uxore, neque dimimissa á marito alteri conjugantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. *Terttio* habes: quomodo per rationem prædicta, Patrum, pro quanto reconciliationem conjugum post poenitentiam approbant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA TERTIA,

DE SECUNDIS NUPTIIS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de secundis nuptiis.

Et circa hoc quæruntur duo.

Primo, utrum sint licitæ.

Secundo, utrum sint sacramentum.

ARTICULUS I.

Utrum secundæ nuptiæ sint licitæ.

Pro negativa. = Videtur quod secundæ nuptiæ non sint licitæ.

1. Illud quod secundum veritatem est fornicatio, est illicitum. Sed secundæ nuptiæ, secundum veritatem, sunt fornicatio. Ergo secundæ nuptiæ sunt illicitæ.

Maior, quia fornicatio est illicita. Illud igitur, quod secundum veritatem (secundum quam debet esse judicium de re) est fornicario, profecto illicitum est.

Minor prob., quia Chrisost. dicit Hom. 32. op. imp. in Matt. quod *secundum veritatem, accipere secundum virum, est fornicatio.*

2. Omne quod non est bonum, est illicitum. Sed Ambrosius in comment. ad cap. 7. epist. 1. ad Corinth. dicit, quod *secundum matrimonium non est bonum.* Ergo est illicitum.

3. Nuptiæ á quibus arcentur sacerdotes, ne assistant, sunt illicitæ. Sed á secundis nuptiis arcentur sacerdotes, ne eis assistant, ut Magister dicit in 4. dist. 42. Ergo secundæ nuptiæ sunt illicitæ.

Maior prob., quia nullus arceri debet, ne intersit his quæ sunt honesta et licita.

4. Illud pro quo aliquis reportat pœnam, est illicitum. Sed pro secundis nuptiis aliquis reportat pœnam irregularitatis. Ergo secundæ nuptiæ sunt illicitæ.

Maior prob., quia nullus reportat pœnam, nisi pro culpa.

ARTIC. I.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Abraham legitur secundas nuptias contraxisse. Gen. 25.

2. Primæ Tim. 5. dicit Apostolus: *volo ergo juniores,* scilicet viduas *nubere, filios procreare.* Ergo secundæ nuptiæ sunt licitæ.

Determinatio.

Conclusio. Secundæ nuptiæ sunt licitæ.

Prob. Moriente altero conjugum, vinculum matrimoniale cessat. Ergo propter præcedens matrimonium non impeditur aliquis á secundo matrimonio, mortuo conjuge; et sic non solum secundæ nuptiæ; sed et tertiæ, et sic deinceps erunt licitæ.

Antecedens prob., quia vinculum matrimoniale non durat, nisi usque ad mortem unius conjugis, ut dicitur Rom. 7.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod Chrysost. loquitur quantum ad causam, quæ aliquando solet ad secundas nuptias incitare, scilicet concupiscentiam, quæ etiam ad fornicationem incitat.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod secundum matrimonium dicitur, non esse bonum, non quia non sit licitum; sed quia caret illo honore significationis, qui est in primis nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo et Ecclesia.

Ad 3. Neg. maior. Homines enim divinis dediti, non solum ab illicitis; sed etiam ab illis quæ habent aliquam turpitudinis speciem, arcentur, et ideo etiam arcentur á secundis nuptiis quæ carent honestate, quæ erat in primis nuptiis.

Ad 4. Negatur maior. Irregularitas enim non semper inducitur propter culpam, sed propter defectum sacramenti. Unde ex hoc quod secundo nubens fit irregularis, vel quia jungitur mulieri quæ alium habuit virum, non sequitur

quod secundæ nuptiæ sint secundum se culpabiles.

ARTICULUS II.

Utrum secundum matrimonium sit sacramentum.

Pro negativa. = Videtur quod secundum matrimonium non sit sacramentum.

1. Si secundum matrimonium esset sacramentum, fieret injuria sacramento matrimonii, iterando ipsum. Ergo secundum matrimonium non est sacramentum.

Conseq. prob., quia qui iterat sacramentum, facit sacramento injuriam.

2. In omni sacramento adhibetur aliqua benedictio. Sed in secundis nuptiis non adhibetur benedictio: ut Magister dicit in 4. Sent. dist. 42. Ergo secundæ nuptiæ non sunt sacramentum.

3. Significatio est de essentia sacramenti. Sed in secundo matrimonio non salvatur significatio matrimonii. Ergo secundum matrimonium non est sacramentum.

Minor, quia in secundo matrimonio non est una unius, sicut Christus Ecclesiæ.

4. Quod impedit á susceptione ordinum, non est sacramentum. Sed secundum matrimonium impedit á susceptione ordinum, ut dicitur in Decretal. distinct. 33. Ergo non est sacramentum.

Maior prob., quia unum sacramentum non impedit á susceptione alterius.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod excusat coitum, est sacramentum. Sed secundum matrimonium excusat coitum. Ergo est sacramentum.

Minor prob., quia coitus excusatur per tria bona matrimonii, quæ sunt proles, fides et sacramentum.

2. In secunda conjunctione viri ad mulierem non sacramentali, non contrahitur irregularitas: ut patet de fornicatione. Sed in secundis nuptiis contrahitur irregularitas. Ergo secundæ nuptiæ sunt sacramentales.

Determinatio.

Conclusio. Secundum matrimonium est sacramentum.

Prob. Ubicumque inveniuntur illa quæ sunt de essentia sacramenti, ibi est verum sacramentum. Sed in secundis nuptiis inveniuntur omnia, quæ sunt de essentia sacramenti matrimonii. Ergo secundæ nuptiæ sunt sacramentum.

Minor prob., quia in secundis nuptiis invenitur debita materia sacramenti matrimonii, quæ constituitur per legitimitatem personarum, et vera forma, quæ est expressio consensus interioris per verba de presenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod illud intelligitur de sacramento quod inducit perpetuum effectum. Tunc enim si iteretur sacramentum, datur intelligi quod primum non fuerit efficax, et sic fieret primo injuria, sicut patet in omnibus sacramentis imprimentibus characterem. Sed illa sacramenta, quæ habent effectum non perpetuum, possunt sine injuria sacramenti iterari; sicut patet de pœnitentia. Et quia vinculum matrimonii non est perpetuum, sed per mortem tollitur, nulla fit injuria sacramento, si mulier post mortem viri iterato nubat.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de sacramento, quando habet in se omnem sacramenti perfectionem. Si autem caret aliqua sacramenti perfectione, non adhibetur in eo benedictio. Tunc ad minorem dicitur, quod secundum matrimonium, quamvis in se consideratum, sit perfectum sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiæ, et ratione hujus defectus, benedictio á secundis nuptiis subtrahitur; sed hoc est intelligendum,

quando secundæ nuptiæ sunt secundæ et ex parte viri et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contraheret cum viro qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur; salvatur enim aliquo modo significatio, etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi, quia alias cum dæmone fornicatur, non est ibi matrimonium spirituale; et propter hoc, quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter defectum sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod significatio perfecta invenitur in secundo matrimonio, secundum se considerato, non autem si consideretur in ordine ad præcedens matrimonium: sic enim habet defectum sacramenti, ut in præcedenti responsione dictum est.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod sacramentum matrimonii secundi impedit sacramentum ordinis, quantum ad id quod habet de defectu sacramenti, non autem in quantum est sacramentum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 153.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Novatianorum Montanistarum, et Græcorum*, (Prat. Ablabius: Græci, Montanistæ) dicentium, nuptias quidem primas admittendas, sed secundas damnandas. Bene dicunt in priori sententia, sed in secunda erronee. Item Cataphrygum (Prat. Cataphryges) qui nuptias secundas loco fornicationis habent. *Secundo* habes: quomodo, per rationem ostendas, prædictos merito damnari á facto Abrahæ Genes. 25. ubi post mortem Saræ primæ uxoris duxit aliam nomine Cethuram, de cujus facto sic recitatur 32. q. 4. "Iste Abrahæ etiam usque ad decrepitam ætatem senectutis fornicationis objicit crimen; profecto, quia et post mortem Saræ alteram duxit. Ubi, etsi nullum intelligerentur rei abditæ sacramentum, vel propter hoc solum id facere debuit Abraham, ne putarent hæretici adversus populum † Al. Apostol. † Dei, quibus etiam Tertullianus adstipulator assistit, post uxoris mortem crimen esse ducere uxorem.» Ubi per ly iste intelligitur adversarius legis, et prophetarum, contra quem ibi recensetur August. loquens. Item á facto Ruth c. 4. ubi secundum maritum duxit ipsum Booz. Item á facto Saræ uxoris Tobiæ junioris, c. 6. 8. 14. ubi post septem viros, quos habuerat mortuos, nupsit ipsi Tobiæ, et quidem interveniente suffragio Raphaelis Archangeli, qui profecto nuptiis his octonariis non præstitisset assensum, nisi licitas esse divinitus cognovisset. Non tantum ergo secundæ, et tertiæ aut quartæ, sed et deinceps, ut inquit conclusio articuli, declarantur licitæ per factum Raphaelis contra prædictos errores. Item á facto B. Annæ genitricis Deiparæ virginis: quæ tres maritos successive habuit, ut in Ecclesia legitur. Quod autem hujusmodi facta matrimonia post primum esse licita verissime convincant, patet per illam regulam ex Decretis sumptam, 9. q. 2. Lugdunensis, et 7. q. 1. omnis, et di. 37. qui de mensa. Quæ regula hæc est, quod illud, quod est á viro sancto factum, præsumitur sanctum. Item á Conc. Nicæno can. 8. "Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ante omnia hanc habeant ab eis confessionem, quam per scripturam exigi oportet, ut fateatur se cum omni consensu catholicæ Ecclesiæ statuta observaturos, idest communicaturos se, et his, qui forte secundas nuptias experti sunt.» Item ab Eugenio IV. in Decr. super unione Græcorum, ubi sacro approbante Concil. Flor. ait: "Quoniam non nullos asseritur quartas nuptias, tamquam condemna-

tas, respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur: cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab ejus lege soluta, et nubendi, cui vult in domino, habeat facultatem nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, ac tertias, sed et quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstet, licite contrahi posse. Comendatiores tamen dicimus, si ulterius á conjugio abstinentes in castitate permanserint. » Et 1. Tim. 5. " Adolescentiores viduas, etc. Volo autem juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. » Ecce, quod Apostolus, volendo viduas juniores nubere, approbat secundas nuptias; et hoc dicit esse nullam occasionem dare adversario maledicendi. In quo omnes maledicos in frontispicio appendicis positos aperte damnat. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto nuptias secundas, et deinceps licitas esse insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Conciliis, et scripturis, secundum matrimonium esse sacramentum, et á Concilio quidem Flor. sic. *Religua vero quatuor reiterationem admittunt.* Hæc illud, de sacram. Inter quæ quatuor matrimonium intelligit, ut ibi patet. Cum itaque sacramentum hoc matrimoni reiterari posse dicat, intelligendum relinquit, quod matrimonium reiteratum erit sácramentum. Alioquin sacramentum hoc non reiteraretur, ut patet etiam mediocriter instructis. Item á Concil. Trid. sess. 7. idipsum insinuatur per hoc, quod reiterationem sacramenti hujus admittit. Vide tu, et infer, ut supra ex Florentino. A scripturis autem 1. Corinth. 7. et Rom. 7. ubi licentiam nubendi pluries Apostolus concedit, ut legenti constat. Cum ergo de matrimonii sacramento loquatur, et in ipso reiterationem admittat, nulla diminutione quoad sacramentum facta, restat clarum ipsum sentire sacramentum esse etiam matrimonium sequens. Ex his rejicitur, et quidem á fortiori, multiplex error Erasmi (ut refert Jacobus Lop. Stunica post suum itinerarium inter Erasmi propositiones suspectas, vel scandalosas) dicentis, haud scio, an hoc sacramentum septimum, idest matrimonium, veteribus fuerit cognitum. Item dicentis: nullus est locus, unde liqueat græcos, et latinos connumerare conjugium inter septem sacramenta. Item dicentis: haud scio, an ætate D. Hieron. Ecclesia numerari matrimonium inter septem sacramenta. Item quasi per vilipensionem quamdam dicentis: Theologi faciunt matrimonium unum ex septem sacramentis. Dixi supra ly á fortiori quoniam, si secundum matrimonium, de quo aliqui forsan propter defectum significationis sacramenti aliquando dubitarunt esse sacramentum, revera sacramentum est; ut et ratione articuli, et authoritatibus præmissis patet, multo magis matrimonium absolute sumptum in sua nobilissima significatione (et hoc est primum) erit sacramentum, et de hoc vel minimum dubitare nefas est. Ad abundantiorem tamen doctrinam pro damnatione contra hujusmodi suspectas Erasmi propositiones vide supra ejus damnationem, qu. 42. art. 1. append. et art. 3. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, et scripturarum, pro quanto insinuant matrimonium sequens primum esse sacramentum, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUARTA,

DE ANNEXIS MATRIMONIO, ET PRIMO DE DEBITI REDDITIONE, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de annexis matrimonio: et primo de debiti redditione; secundo de pluralitate uxorum; tertio de bigamia; quarto de libello repudii; quinto de filiis illegitime natis.

Circa primum quæruntur septem.

Primo, utrum alter conjugum teneatur alteri debitum reddere.

Secundo, utrum debeat aliquando reddere non poscenti.

Tertio, utrum vir, et uxor in hoc sint æquales.

Quarto, utrum unus sine consensu alterius possit votum emittere, per quod redditio debiti impediatur.

Quinto, utrum tempus impediat debiti petitionem.

Sexto, utrum petens tempore sacro peccet mortaliter.

Septimo, utrum reddere teneatur tempore festivo.

ARTICULUS I.

Utrum alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti.

Pro negativa. = Videtur quod alter conjugum non teneatur alteri ad redditionem debiti ex necessitate præcepti.

1. Ad illud quod impedit sumptionem sacramenti Eucharistiæ, non tenetur aliquis ex præcepto. Sed ex redditione debiti, reddens impeditur á sumptione Eucharistiæ. Ergo conjuges non tenentur sibi invicem reddere debitum.

Maior prob., quia nullus prohibetur á sumptione Eucharistiæ propter hoc quod præceptum implet.

Minor prob., quia Hieron. in serm. de esu agni Paschal. qui incipit hodie: fratres chariss. populus Israel etc. et refertur in decret. 33. q. 4. c. sciatis, dicit quod ille, qui uxori debitum reddit, non potest carnes agni edere.

2. Quilibet potest licite abstinere ab his quæ sunt sibi nociva in persona. Sed aliquando reddere debitum poscenti esset personæ nocivum, vel ratione infirmitatis, vel ratione solutionis jam factæ. Ergo videtur quod tunc licite possit debitum poscenti negari.

3. Si aliquis ex necessitate præcepti teneretur ad reddendum debitum, videtur quod peccet jejunando, vel alias corpus suum attenuando, per quæ impotentem se reddat ad debiti solutionem quod tamen non videtur verum.

Conseq. prob., quia quicumque facit se impotentem ad faciendum id ad quod ex præcepto tenetur, peccat.

4. Matrimonium ordinatur ad procreationem et educationem prolis, et iterum ad communicationem vitæ. Sed lepra est contra utrumque matrimonii finem: quia, cum sit morbus contagiosus, mulier non tenetur cohabitare viro leproso. Similiter etiam morbus ille frequenter transmittitur in prolem. Ergo videtur quod viro leproso mulier debitum reddere non teneatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Servus tenetur ex necessitate præcepti reddere domino suo debitum servitutis. Ergo et unus conjugum ex necessitate præcepti, tenetur alteri reddere debitum.

Antecedens prob., quia Rom. 13 dicitur. Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum, etc.

Conseq. prob., quia sicut servus est in potestate domini sui, ita unus conjugum est in potestate alterius, ut patet 1. Cor. 7.

2. Matrimonium est ordinatum ad vitandam fornicationem, ut patet 1. Cor. 7. Ergo reddere debitum est de necessitate præcepti.

Conseq. prob., quia non posset per matrimonium vitari fornicatio, si unus alteri non teneretur reddere debitum.

Determinatio.

Conclusio. Vir tenetur reddere uxori debitum in his quæ ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personæ incolumitate.

Manifestatur. In actu matrimoniali servandus est naturalis ordo. Ergo vir tenetur reddere debitum uxori, salva tamen personæ viri incolumitate.

Antecedens prob., quia, matrimonium principaliter est institutum in officium

naturæ. Unde in actu ejus servandus est naturæ ordo.

Conseq. prob., quia ordo naturalis est ut prius aliquid in se ipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet, et hic est etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit. Unde uxor in viro potestatem non habet, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quæ sunt ad conservationem individui ordinata. Qui etiam ordo apparet in ipso nature motu, secundum quem nutritiva non ministrat generativæ, nisi illud quod superfluit ad conservationem individui. Ex hoc igitur quod in actu matrimoniali servandus est naturæ ordo, secundum quem prius unusquisque sibi, quam alteri debet; sequitur quod vir teneatur reddere debitum, salva tamen suæ personæ consistentia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, negando assumptum. Potest enim aliquis reddi inhabilis ad aliquod sacrum officium exequendum ex impletione alicujus præcepti. Sicut judex, qui hominem ad mortem condemnat, præceptum implens, efficitur irregularis. Similiter etiam qui implet præceptum de redditione debiti, redditur ineptus ad divina officia exequenda, non quod ille actus sit peccatum; sed ratione carnalitatis illius actus. Hieron. autem, ut dicit magister, loquitur tantum de ministris Ecclesiæ non autem de aliis, qui sunt suo judicio relinquendi, quia possunt et ex reverentia dimittere et ex devotione sumere corpus Christi absque peccato.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salva consistentia personæ ipsius, ut in corp. dictum est. Unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio, et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob., dicitur quod aliquis potest reddi impotens ad debitum solvendum vel ex causa ex matrimonio sequuta, puta cum prius debitum reddidit, et est impotens ad ulterius reddendum, et tunc mulier non habet jus petendi, et in petendo ulterius, se magis meretricem quam conjugem exhibet. Vel ex alia causa redditur impotens, quæ si est licita, ut jejunare diebus, quibus secundum Ecclesiæ præceptum est jejunandum, iterum non tenetur nec potest mulier exigere: si vero talis causa illicita est, puta quia cum meretrice fornicatus est, tunc peccatum uxoris, si in ipsum labatur propter hoc, aliquo modo viro imputatur, et ideo debet, quantum potest, dare operam ut uxor continentiam servet.

Ad 4. Dicitur quod lepra solvit sponsalia, sed non matrimonium. Unde uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare, quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis proles generetur infirma, tamen melius ei sic esse, quam pœnitus non esset.

ARTICULUS II.

Utrum vir teneatur reddere debitum uxori, non petenti.

Pro negativa.=Videtur, quod vir non teneatur debitum reddere uxori non petenti.

1. Præceptum affirmativum non obligat, nisi ad tempus determinatum. Sed præceptum de reddendo debitum uxori est præceptum affirmativum. Ergo non obligat nisi ad tempus determinatum. Sed tempus determinatum reddendi debitum est quando petitur. Ergo tunc tantum tenetur vir reddere debitum uxori, quando ipsa petit.

2. Melius est etiam conjugibus continere, quam matrimonio uti. Ergo nisi expresse uxor debitum petat, debet vir præsumere quod ei placeat continere: et sic non tenetur non petenti debitum reddere.

Conseq. prob., quia de quolibet debemus meliora præsumere.

3. Servus non tenetur domino servire, nisi quando sibi dominus imperat. Ergo nec vir tenetur uxori reddere debitum, nisi quando ab ea exigitur.

Conseq. prob., quia sicut uxor habet potestatem in virum, ita dominus habet potestatem in servum.

4. Vir potest aliquando uxorem exigentem precibus avertere, ne exigat. Ergo multo magis potest non reddere, si non exigatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Medicus, cui infirmus est commissus, tenetur morbo ejus subvenire, etiam si infirmus non petat. Ergo etiam vir uxori non petenti tenetur debitum reddere.

Conseq. prob., quia in redditione debiti præstatur medicamentum contra uxoris concupiscentiam.

2. Prælatus tenetur contra peccata subditorum, correctionis remedium etiam eis contradicentibus adhibere. Ergo et vir tenetur reddere debitum uxori non petenti.

Conseq. prob., quia redditio debiti in viro ordinata, est contra peccata uxoris.

Determinatio.

Conclusio. Vir tenetur reddere debitum uxori, etiam si non expresse, sed per aliqua signa petat sibi reddi.

Manifestatur. Nam petere dibitum contingit dupliciter. Uno modo, expresse, ut quando verbis invicem petunt. Alio modo interpretative, quando scilicet vir percipit per aliqua signa quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, et ita vir tenetur uxori reddere debitum, non solum quando uxor verbis expresse petit, sed etiam quando petit interpretative.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad id quod subsumitur quod tempus determinatum reddendi debitum est non solum quando petitur, sed etiam quando timetur ex aliquibus signis periculum, nisi tunc reddatur.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod vir non potest talem præsumptionem habere de uxore, quando in ea contraria signa videt.

Ad 3. Dicitur primo negando conseq. dominus enim non verecundatur petere á servo debitum servitutis, sicut uxor de viro. Secundo negatur antecedens. Servus enim tenetur servire etiam non jubente domino, quando imminet periculum aliquod domino, si non serviat.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod vir non debet avertere uxorem, ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam. Et tunc non cum magna instantia, propter imminentia pericula.

ARTICULUS III.

Utrum liceat mulieri menstruatæ debitum petere.

Pro affirmativa. = Videtur quod liceat mulieri menstruatæ, debitum petere.

1. Vir seminifluus potest debitum petere. Ergo et mulier menstruata poterit petere debitum.

Conseq. prob., quia sicut in lege mulier menstruata erat immunda; ita etiam vir, qui patiebatur seminis fluxum.

2. Leprosa potest debitum petere. Ergo et mulier menstruata.

Conseq. prob., quia maior infirmitas est lepra, quam passio menstruorum, et maiorem corruptionem causat in prole.

3. Si menstruatæ non licet petere debitum, hoc non est, nisi ratione defectus, qui timetur in prole. Sed si mulier sit sterilis, non timetur talis defectus. Ergo videtur quod saltem sterilis menstruata possit petere debitum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Levit. 18. dicitur. Ad mulierem, quæ patitur menstruum, non accedes. Ubi dicit glos. Aug. Cum sufficienter

prohibuisset sup. c. 15. hic etiam repetit, ne forte in superioribus videretur figurative accipiendum.

2. Super illud Esaiæ 64. omnes justitiæ vestræ, quasi pannus menstruatæ, dicit. Hieron. Tunc viri abstinere debent á mulieribus, quoniam concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi. Ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, eorum peccata pateant cunctis, et apertius redarguantur in parvulis.

Determinatio.

Conclusio. Mulier patiens fluxum menstruorum, secundum naturalem modum, non potest petere debitum.

Manifestatur. Nam accedere ad menstruatam, in veteri lege prohibitum erat propter duo. Scilicet propter immunditiam. Et proptet nocumentum quod in prole ex hujusmodi commixtione sequebatur. Et quoad primum præceptum erat cæremoniale; sed quantum ad secundum erat morale. Quia cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, inordinatus est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis impeditur. Et ideo hoc præceptum obligat etiam in novæ lege, propter secundam rationem, ne scilicet sequatur detrimentum prolis. Fluxus tamen menstruorum potest esse naturalis et non naturalis. Naturalis quidem est, quem mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanæ. In naturalis autem, quando inordinate et quasi continue ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur. In fluxo ergo menstruorum innaturali, non est prohibitum ad menstruatam accedere in nova lege. Tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest, et sic non sequitur aliquod detrimentum in prole. Tum quia, cum talis fluxus sit perpetuus, vel saltem diuturnus, oporteret quod vir perpetuo abstineret. Quando autem mulier naturaliter patitur fluxum menstruorum, prohibitum est ad eam accedere. Tum quia, tunc mulier potest concipere, et inde sequeretur prolis nocumentum; tum quia, talis naturalis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus, in quo vir potest facile continere absque periculo. Mulieri igitur patienti naturalem seminis fluxum, vir non tenetur nec debet reddere debitum, nec ipsa petere debet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. loquendo tamen de muliere patienter naturalem seminis fluxum. Si enim de innaturali sit sermo, potest petere et reddere, ut dictum est. Ad prob. dicitur, quod in nova lege cessavit illa cæremonialis ratio, et remanet tantum moralis. Et quia ex semine viri semini flui non sequitur conceptus, cum tale semen non sit aptum ad concipiendum, non imminet nocumentum proli. Et iterum, hæc viri infirmitas potest esse diuturna, vel etiam perpetua, unde potest reddere debitum, ad evitandum periculum adulterandi sibi et uxori.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod lepra est perpetua, et quamvis ex tali coitu proles infecta nascatur, tamen dicendum est, ut art. 1. ad 4. dictum est.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamdiu mulier menstrua patitur, non potest esse certum eam esse sterilem, quædam enim in juventute sunt steriles, quæ processu temporis sunt fœcundæ, et é converso, ut dicitur in 10. de animal.

ARTICULUS IV.

Utrum mulier menstruata debeat reddere debitum petenti.

Pro negativa.=Videtur quod mulier menstruata non debeat reddere debitum petenti.

1. Levit. 20. dicitur quod si aliquis ad menstruatam accesserit, uterque morte est puniendus. Ergo videtur quod tam reddens, quam exigens debitum, mortaliter peccet.

2. Rom. 1. Dicitur. Non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt, digni sunt

morte. Sed exigens debitum scienter á menstruata mortaliter peccat. Ergo et mulier consentiens ei in redditione debits, mortaliter peccabit.

3. Furioso non est gladibus reddendus, ne se vel alium interficiat. Ergo eadem ratione, nec uxor tempore menstruorum debet viro corpus suum exponere; ne se spiritualiter mortaliter peccando occidat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cor. cap. 7. dicitur. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Ergo viro petenti, mulier etiam menstruata debet reddere debitum.

2. Mulier menstruata non debet esse viro occasio peccandi. Sed si petenti debitum non reddere etiam tempore menstruorum, esset occassio viro peccandi: quia forte fornicaretur. Ergo mulier menstruata tenetur viro suo petenti reddere debitum.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod mulier menstruata, sicut non potest petere, ita nec potest reddere debitum viro suo petenti.

Et hoc ostendebant á simili. Sicut enim mulier non teneretur reddere debitum, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret; ita non tenetur reddere, ad vitandum periculum prolis.

Reprobatio.

Sed ista positio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris, quantum ad matrimonialem actum.

Ad rationem dictæ positianis.

Nec est simile de infirmitate corporis prolis, et periculo proprii corporis, quia si mulier infirmatur, certissimum est quod ex carnali actu periculum ei imminet: non autem ita certum est de prole, quæ forte nulla sequetur.

Vera sententia.

Conclusio. Mulieri menstruatæ numquam licet, petere debitum: si autem vir ejus petat, tenetur reddere.

Quæ conclusio probatur et declaratur. Probatur quidem, auctoritate inducta in argumento pro affirmativa, et ex ratione inducta ad reprobandam prædictam positionem.

Declaratur vero, quia vir potest á menstruata uxore petere debiti solutionem dupliciter, scilicet scienter, vel ignoranter. Si scienter petat, debet eum avertere precibus et monitis, non tamen ita efficaciter, ut possit esse ei occasio incidendi in alias damnabiles corruptelas, si ad id pronus credatur. Si autem petat ignoranter, scilicet ignorans quod mulier tunc menstrua patiatur, mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, no debitum reddat, nisi periculum viro timeatur. Tamen finaliter, si vir non desistat á petitione, debet uxor reddere debitum poscenti. Passionem vero suam non est tutum indicare, ne forte vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de ipsius viri prudentia præsumatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod lex illa habet locum, quando uterque voluntarie consentit, non autem si mulier involuntaria et quasi coacta debitum reddat. Tunc enim nec peccat, nec punitione aliqua digna redditur, cum viro suo in pertinentibus ad matrimonialem actum obedire teneatur.

Ad 2. Dicitur ad auctoritatem Apostoli, quod consensus non est nisi voluntarius, et ideo non intelligitur mulier consentire peccato viri, nisi voluntarie tempore menstruorum debitum ei reddat. Si autem involuntarie reddat, magis patitur, quam consentiat.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod etiam furioso reddendus esset gladius, si maius periculum timeretur, in non reddendo. Sic in proposito, si timeatur de incontinentia viri, si debitum ei non redderetur quod fornicaretur, potius ei

debitum reddendum est, non obstante menstruo, quam cum periculo fornicandi ei denegandum. Si tamen de hoc non timeatur, potest mulier patiens menstruum hortari virum, ut abstineat, ut in corpore dictum est.

ARTICULUS V.

Utrum vir et mulier in actu matrimoniali sint æquales.

Pro negativa.=Videtur quod vir, et mulier in actu matrimonii non sint æquales.

1. Agens est nobilius patiente. Sed in actu conjugali vir se habet ut agens, et fœmina ut patiens. Ergo non sunt in actu illo æquales.

2. Uxor non tenetur reddere debitum viro, nisi petat, vir autem tenetur reddere etiam non petenti, ut dictum est art. præced. Ergo vir et mulier non sunt pares in actu matrimonii.

3. Illud, propter quod est alterum, semper est principale. Sed in matrimonio mulier propter virum facta est: ut patet Gen;. 2. ubi dicitur: *faciamus ei adjutorium simile sibi*. Ergo in actu matrimonii est vir principalior, quam mulier.

4. In matrimonio vir est caput mulieris, ut dicitur 1. Cor. 7. Ergo in actu matrimonii vir et mulier non sunt æquales.

Conseq. prob., quia matrimonium ordinatur principaliter ad conjugalem actum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 7. *Vir sui corporis potestatem non habet*: et hoc idem dicitur de uxore. Ergo sunt æquales in actu matrimonii.

2. Matrimonium est relatio æquiparantiæ: cum sit conjunctio, ut dictum est quæst. 39. art. 3. Ergo vir et uxor in actu matrimonii sunt æquales.

Determinatio.

Duplex est æqualitas, scilicet quantitatis et proportionis. Æqualitas quantitatis est quæ attenditur inter duas quantitates ejusdem mensuræ, ut bicubitum ad bicubitum. Æqualitas autem proportionis est, quæ attenditur inter duas proportiones ejusdem speciei, ut dupli ad duplum.

1.ª Conclusio. Vir et mulier non sunt æquales in matrimonio, æqualitate quantitatis, neque quantum ad actum conjugalem, neque quantum ad dispensationem domus.

Manifestatur, quia in actu matrimoniali id quod nobilius est, viro debetur. In dispensatione vero domus vir regit et uxor regitur.

2.ª Conclusio. Vir et mulier sunt æquales in matrimonio, æqualitate proportionis et etiam in dispensatione domus.

Manifestatur, quia in actu matrimoniali, sicut tenetur vir uxori, ita uxor viro. Et in dispensatione domus, sicut tenetur vir ad id quod viri est, ita uxor ad id quod uxoris est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod quamvis agere nobilius sit quam pati, tamen eadem est proportio parentis ad ad patiendum, quæ est agentis ad agendum. Et sic vir et uxor sunt æquales proportionaliter.

Ad 2. Negatur conseq. Est enim per accidens quod mulier non teneatur reddere debitum viro non petenti. Vir enim, qui nobiliorem partem habet in actu conjugali, naturaliter habet quod non ita erubescat petere debitum, sicut uxor; et inde est quod uxor non ita tenetur reddere debitum viro non petenti, sicut vir uxori.

Ad 3. Dicitur quod ex hoc argumento ostenditur quod non sunt vir et uxor æquales absolute, non autem quod non sint æquales secundum proportionem.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod quamvis caput sit principalius membrum, tamen sicut membra tenentur capiti in officio suo, ita caput tenetur membris in

suo, et sic est inter caput et membra æqualitas proportionis.

ARTICULUS VI.

Utrum vir et uxor possint emittere votum, contra debitum matrimonii, sine mutuo consensu.

Pro affirmativa. = Videtur, quod vir et uxor possunt emittere votum, contra debitum matrimonii, sine mutuo consensu.

1. Licitum est viro, etiam uxore prohibente, accipere crucem in subsidium terræ sanctæ. Ergo etiam hoc licitum est uxori. Ergo potest alter conjugum, sine consensu alterius, votum contra debitum matrimonii emittere.

Prima conseq. prob., quia vir et uxor æqualiter ordinantur ad debiti solutionem. Unde sicut potest vir tale votum, etiam non consentiente uxore emittere: ita poterit uxor, non consentiente viro.

Secunda conseq. prob., quia per executionem talis voti impeditur redditio debiti.

2. Non est expectandus in aliquo voto consensus ejus, qui non potest sine peccato dissentire. Sed unus conjugum non potest, sine peccato, dissentire, quin alter continentiam voveat, vel simpliciter, vel ad tempus. Ergo unus conjugum potest sine consensu alterius, votum continentiæ emittere.

Minor prob., quia impedire profectum spiritualem alicujus, est peccatum in Spiritum Sanctum.

3. Unus conjugum potest, sine consensu alterius, vovere quod debitum non petat, cum hoc sit suæ potestatis. Ergo pari ratione potest vovere quod debitum non reddat.

Conseq. prob., quia sicut in actu matrimoniali requiritur debiti redditio; ita requiritur debiti petitio.

4. Nullus potest, ex præcepto superioris, cogi ad id quod non liceret sibi vovere et facere: in illicitis enim non est obediendum alicui. Sed prælatus superior potest præcipere viro, ut uxori ad tempus debitum non reddat, occupando illum in aliquo servitio. Ergo hoc ipsum posset vir per se facere et vovere, per quod á debiti solutione impediretur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

2. Nullus potest facere votum de alieno. Sed *vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor.* Ergo sine ejus consensu non potest vir facere continentiæ votum simpliciter, vel ad tempus.

Determinatio.

Conclusio. Non potest unus conjugum, sine consensu alterius, continentiam vovere.

Prob. De his, de quibus aliquis alteri tenetur, non potest votum emittere, sine consensu ejus cui tenetur. Sed conjuges de redditione debiti sibi invicem tenentur, per quam debiti redditionem continentia impeditur. Ergo non potest unus conjugum, sine consensu alterius, continentiam vovere, et si voverit, peccat et non debet servare votum, sed agere pœnitentiam de voto male facto.

Maior prob., quia vovere voluntatis est, ut etiam ipsum nomen ostendit. Unde de illis tantum potest esse votum, quæ nostræ subjacent voluntati, qualia non sunt ea in quibus unus alteri tenetur. Et ideo in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu ejus cui tenetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod quia satis probabile est quod uxor velit continere ad tempus, ut subveniatur necessitati Ecclesiæ generalis, ideo in favorem negotiorum, pro quibus crux sibi datur, institutum est quod vir possit sine consensu uxoris crucem accipere, sicut etiam posset pro domino suo terreno, á quo feudum tenet, absque uxoris consensu militare. Unde ad id quod

secundo infertur, scilicet quod ex hoc quod vir, non consentiente uxore potest accipere crucem, unus possit vovere aliquid contra debitum matrimonii. Negatur conseq. Stat enim quod possit hoc votum emittere, et non aliud. Et ad prob. dicitur, quod per hoc quod vir crucem accipit, non omnino subtrahitur uxori jus suum, quia, uxor potest eum sequi. Ad id etiam quod primo infertur, dicitur quod non est simile de uxore ad virum, quia cum vir debeat regere uxorem et non é converso, magis tenetur uxor sequi virum, quam vir uxorem. Et præterea uxor cum maiori periculo castitatis, discurreret per terras, quam vir, et cum minori Ecclesiæ utilitate: et ideo uxor nec predictum votum accipiendi crucem, sine viri consensu facere potest.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod unus conjugum dissentiens voto continentiæ alterius non peccat, quia non dissentit ut bonum ipsius impediat, sed ne sibi generet præjudicium.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod unus conjugum, absque consensu alterius, potest vovere quod non petet debitum, non autem quod non reddet; quia in primo uterque est sui juris, non autem in secundo. Sed quia si alter numquam peteret debitum, alteri nimis onerosum matrimonium redderetur, dum opporteret unum semper subire confusionem petendi debitum; ideo alii probabilius dicunt quod neuter potest sine consensu alterius continentiam, vel non petere debitum, vovere.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod sicut mulier accipit potestatem in corpore viri, salvo eo in quo vir tenetur corpori suo: ita etiam salvo hoc in quo tenetur Domino suo: et ideo sicut uxor non potest petere debitum á viro contra salutem sui corporis, ita non potest impedire virum suum in eo in quo domino suo tenetur. Sed propter hoc non potest dominus prohibere servo vel subdito, quin debitum solvat, ut alias dictum est.

ARTICULUS VII.

ALIAS V.

Utrum in diebus sacris impediatur petitio debiti.

Pro negativa. = Videtur quod temporibus sacris, non debeat aliquis impediri quin debitum petat.

1. Tunc subveniendum est morbo, quando invalescit. Sed possibile est quod in die festo concupiscentia invalescat. Ergo et tunc debet ei subveniri, per debiti solutionem.

2. Non est alia ratio, quare non sit petendum debitum in diebus festivis, nisi quia sunt orationi deputati. Sed in illis diebus sunt horæ determinatæ orationi. Ergo in aliis horis licitum est conjugi debitum petere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In loco sacro non licet petere debitum. Ergo nec in tempore sacro.

Conseq. prob., quia sicut aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris, ita aliqua tempora sunt sacra, propter eamdem rationem.

Determinatio.

Conclusio. In diebus sacris non licet petere matrimoniale debitum.

Prob. In diebus, in quibus præcipue est spiritualibus vacandum, non licet petere debitum. Sed in diebus sacris, præcipue spiritualibus est vacandum. Ergo in his diebus non licet conjugibus, matrimonii debitum petere.

Maior prob., quia actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit, propter carnalam delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in his diebus á carnali copula est abstinendum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod si concupiscentia in illis diebus invalescat, possunt alia remedia adhiberi, ad

concupiscentiam reprimendam ; sicut oratio, et multa hujusmodi, quæ adhibent illi qui perpetuo continent.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod etsi homo non teneatur tota die festi orare, debet tamen tota die se conservare idoneum ad orandum, quod tamen impedit debit redditio.

ARTICULUS VIII.

ALIAS VI.

Utrum petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet.

Pro affirmativa.=Videtur quod petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet.

1. Greg. narrat in 1. Dial. cap. 9. quod mulier, quæ nocte cognita est á viro, mane ad processionem veniens á diabolo est arrepta; quod non esset nisi mortaliter peccasset. Ergo petens debitum tempore sacro mortaliter peccat.

2. Quicumque facit contra præceptum divinum, mortaliter peccat. Sed Dominus præcepit Exod. 19. *Nec apropinquetis uxoribus vestris*, quando scilicet erant legem acceptori. Ergo magis peccant mortaliter, qui tempore quo sacris novæ legis intendendum est, cum uxoribus suis commiscentur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nulla circumstantia aggravat in infinitum. Sed indebitum tempus est quædam circonstantia. Ergo non aggravat in infinitum, ut faciat mortale quod alias esset veniale.

Determinatio.

CONCLUSIO. Non peccat mortaliter uxor vel vir, si in die festo debitum petat.

Prob. quia petere debitum die festivo, non est circumstantia trahens ad aliam speciam peccati: Unde non potest in infinitum aggravare: et ideo conjuges petentes debitum in die festo, non peccant mortaliter. Gravius tamen est eorum peccatum, si sola delectationis causa petant, quam si propter timorem, quo quis sibi cavet de lubrico carnis, debitum petat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod non fuit punita mulier illa propter hoc quod debitum reddidit, sed quia temere postmodum se ad divina ingessit contra conscientiam.

Ad 2. Dicitur quod ex illa auctoritate scripturæ non potest probari quod petitio debiti festivis diebus sit peccatum mortale, sed solum quod sit incongruum. Multa enim ad munditiam carnis pertinentia exigebantur de necessitate præcepti in veteri lege quæ carnalibus dabatur, quæ in nova lege quæ est lex spiritus, non exiguuntur.

ARTICULUS IX.

ALIAS VII.

Utrum conjux teneatur conjugi reddere debitum tempore festivo.

Pro negativa. = Videtur quod conjux non teneatur reddere debitum alteri conjugi in tempore festivo.

1. Ille, qui consentit peccanti, peccat. Sed qui reddit debitum, consentit peccanti. Ergo et ipse peccat.

Maior prob., quia peccantes et consentientes pari pœna puniuntur.

2. Ex præcepto affirmativo obligamur ad orandum, et ita ad aliquod tempus determinatum. Ergo pro tempore illo in quo quis orare tenetur, reddere debitum non debet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur. 1. Cor. 7. *nolite fraudare invicem, nisi communi consensu ad tempus.*

Determinatio.

CONCLUSIO. Tenetur unus conjugum alteri reddere debitum quocumque tempore et quacumque hora, salva debita honestate quæ in talibus exigitur.

Prob. quia mulier habet potestatem in corpore viri; quantum ad actum generationis spectat; et vir in corpore mulieris. Et ideo unus conjugum alteri

semper tenetur reddere debitum. Et ultima pars manifestatur, quia non oportet quod conjux reddat debitum conjugi in publico, et statim.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod conjux reddens debitum tempore festivo, quantum est in se, non consentit, sed illud quod ab eo exigitur, invitus et cum dolore reddit. Hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum: ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua peccati detur occasio.

Ad 2. Ad secundam antecedentis partem dicitur quod non est aliqua determinata hora ad orandum, quin possit compensari in aliis horis, et ideo omni hora est debitum reddendum petenti.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 154.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem, excludas errorem *Libertinorum*, qui nolunt, quod uxores reddant debitum maritis, non suæ sectæ. Item Pauperum de Lugduno, ut habetur in Summa Fratris Yconeti, 5. p. c. 2. in Bibliotheca Vaticana manuscripta dicentium: matrimonium esse fornicationem juratam, nisi continenter conjugati vivant. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas; hos errores merito damnari 1. Cor. 7. " Unusquisque uxorem habeat, et unaquæque suum virum. Uxori vir debitum reddat, similiter, et uxor viro. » Ubi non facit Apostolus exceptionem de secta Libertinorum, vel alterius. Non enim dicit uxori suæ talis, vel talis sectæ, nec dicit viro suæ, vel alterius sectæ: tamquam denotans, quod post matrimonium verum contractum tenentur conjuges, quicumque sint illi, ratione conjugii reddere sibi invicem debitum. Item á Papa Alexandro III. de secund. nupt. " Dominus, ac redemptor, etc. Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus, si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit; et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum: ei, cui nupsit, debitum non deneget postulanti, quod á se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur. » Unde á fortiori demonstrat quod conjugi certo, et indubitato debet reddere debitum alter conjux. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, et scripturarum, pro quanto teneri alterum cojugum alteri ad redditionem debiti, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errores recitatos art. 1. append. et quidem á fortiori. Si enim conjuges tenentur reddere debitum sibi invicem plus, vel minus interpretative exigentibus: multo magis illud sibi invicem expresse postulantibus reddere tenentur, ut patet: dixi ly sibi invicem plus, vel minus, etc. quia non tantum de marito respectu uxoris, sed etiam de uxore respectu mariti conclusio intelligenda est, cum ad paria judicentur in matrimonio, art. 3. sed tamen plus verecundatur uxro, et miuus maritus: ex quo fit, ut talis interpretativa requisitio magis attendatur ex parte uxoris quam mariti. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos merito damnari á, etc. ut inibi art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem authoritates easdem ibi recensitas demonstres intelligi etiam in hoc alio sensu, videlicet de redditione debiti ad petitionem interpretativam. Verbi gratia, quando dicitur: uxori vir debitum reddat, sumitur ly uxori interpretative etiam requirenti. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta ibi Scripturarum et Patrum, pro quanto uxori, etiam interpretative postulanti, teneri virum reddere

debitum, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum á Scripturis, quod vir et uxor in matrimonio sunt æquales; et sic: *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Gen. 2. Ecce, quod etiam ante peccatum, quantum ad actum generationis, conjuges erant æquales. Nam ibi matrimonium instituitur in paradiso, et in statu innocentiæ existentibus parentibus illis, ut habetur ex Papa Bonifacio VIII. de vot. et vot. redemp. in 6. quod votum: "Peccatum autem postea factum non tollit illam ipsorum æqualitatem: sicut nec matrimonialem actum generationis." Item ab eisdem scripturis merito insinuatum, quod sint dispares et quantum ad actum generationis, et quantum ad gubernationem domus. Quoad actum quidem generationis, Gen. 2. *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Cum ergo *propter quod unumquodque et illud magis*, 1. Poster sequitur, quod velit dicere per hoc scriptura illa, quod quantum ad actum generationis, de quo intelligitur ibi, vir sit nobilior, quam uxor. Quoad actum autem gubernationis domus, 1. Timoth. 2. "Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Mulieri non permitto dominari in virum: sed esse in silentio. Adam enim non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit." Ecce, quod Apostolus in gubernatione domus vult uxorem esse inferiorem viro: et rationem hujus affert convenientem, quia sc. mulier seducta fuit, Adam vero non, in prima utriusque prævaricatione. Quasi dicat aperte: mulier non habet tam magnum vigorem rationis, quantum habet vir, quod patet á signo, quia illa seducta fuit, iste vero non: unde et, cum gubernatio domus vigenti magis ratione debeatur, quam alteri: viro talis gubernatio debetur, non tamen uxori. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto pares, vel dispares in matrimonio conjuges insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errores *Abellaniorum* dicentium, quod conjugia sunt contemnenda sub prætextu superstitiosæ continentiæ. Ratione enim articuli demonstratur, quod propter continentiam servandam, etiam votivam; non debent se invicem fraudare conjuges á debito reddendo: id, quod esset contemnere conjugium jam contractum propter votum. Unde, si prætextu veri, non superstitiosi voti, contemnendum non est conjugium; á fortiori, idest multo magis, utique non est contemnendum prætextu superstitioso. Item errorem Vigilantii, qui continentiam damnabat. Tantum enim distat ab eo, quod possit damnari continentia: ut etiam conjuges ex mutuo consensus continentiam laudabiliter vovere possint, vel unus ex consensu alterius, secundum quod præsens art. ratione demonstrat. Item errorem Calvinistarum dicentium: voveri nihil posse Deo, nisi quod ab eo præceptum est. Ecce enim articuli ratio contra directe militat per hoc: quod vovere continentiam posse conjuges ex consensu dicit. Nam hoc, de quo tunc vovent conjuges neque absolute neque conjugibus ipsis, præceptum est. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores praedictos damnari a. 1. Cor. 7. ubi conjuges de debito sibi invicem reddendo alloquens Apostolus inquit: "Nolite fraudere invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, et iterum revertimini in idipsum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram." Haec ibi contra Abellanios. Item ibidem. "Bonum est homini mulierem non tangere. Item. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae domini sunt. Et mulier innupta, et virgo cogitat ut sit sancta corpore, et spiritu. Porro hoc ad utilitatem vestram dico. Item, qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit." Haec ibi omnia contra Vigilantium. Item contra eumdem Matth. 19. ubi discipulis dicentibus, quod, si sic est causa cum uxore, non expedit nubere, monstravit Dominus id, quod absolute expedit magis subdens. "Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum." Ubi sumit ly castraverunt quoad actum ipsorum genitalium, non quoad membra ipsa, ut exponunt sancti. Quasi dixerit: sunt, qui continentiam servare proposuerunt; ut regnum cœlorum expeditius adipiscantur. Item á Papa Innoc. III.

" Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo: usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire, » etc. Hæc ille, de vot. et vot. redempt. Ecce ergo, quod per ly *liberum sit arbitrium* contra Calvinistas votum posse fieri etiam de rebus non præceptis, approbat, et per consequens eodem tenore illos condemnat. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Conc. apud compendium, quod ex consensu tantum possunt vovere conjuges continentiam. " Mulier, si sine licentia mariti sui velum in capite miserit; si viro placuerit, recipiet eam iterum ad conjugium. Item illud 33. q. 5. Item á Concil. Rhemensi ibid. " Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat: sed similiter convertatur. » Item á Papa Alexandro II. ibid. Notificasti, etc. " Non violenta, sed ex pari voluntate, et consensu (sicut sancti Patres dicunt) hoc fieri debet, neque vir monasterium eligere, aut professa continentia habitum cum festinatione debet mutare. » Ubi loquitur de conjugatis quoad vovere: ut patet in contex. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum et scripturarum pro quanto conjuges vovere continentiam posse ex mutuo tantum consensu insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas á fortiori errorem Nicolaitarum, et Monasterien. (Prat. Communia habentes) ad invicem promiscue indiscriminatim dicentium*; concupiscit spiritus meus carnem tuam, veni itaque, faciamus mirabilia.* Si enim nec conjugatis licitum est, quamvis concupiscentia stimulet petere debitum, tempore festivo, alias honestum (ut præsens artic. monstrat) multo utique minus licebit communiter quamcumque et quocumque tempore, ad rem veneream invitare, ut prædicti verbis illis faciunt, etiamsi ad id concupiscentia stimulet. Item errorem Pseudoapostolorum (ut refert Card. Turrecremat. de eccles. lib. 4. p. 2. c. 37.) dicentium: quod quilibet vir, et mulier nudi possunt absque peccato jacere in eodem lecto, tangere se mutuo in omni sui parte, et osculari se invicem et conjungere ventrem ventri si sit carnis stimulus*;* ut cesset tentatio. Si enim ad stimulum carnis refrænandum, non licere conjugatis petere debitum tempore sacro, monstrat articulus præsens: per hoc idem utique multo magis declarat, quod non conjugatis ad carnis stimulum tollendum non licet illa brutalia facere. Item errorem Begardorum, et Beguinarum, et Pauperum de Lugduno (ut refertur in prima part. quæst. 81. art. 2. apend. ubi et damnatur) dicentium*:* Coitum carnalem, urente carnis libidine, quemcumque non esse peccatum. Si enim ad, etc. ut nunc supra. Item errorem ipsorummet Pauperum (ut refertur supra qu. 41. artic. 2. ubi et damnatur) dicentium, quod libidini satisfacere in quolibet actu turpi melius est, quam intus in corde tentari. Si enim ad stimulum, etc. ut nunc supra. Item errorem cujusdam Picardi (ut refertur sup. qu. 54. art. 3. ubi et damnatur) dicentis: connubia permixta, seu promiscua, urente carnis libidine, esse permittenda. Si enim ad stimulum carnis, etc. ut nunc supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas prædictos errores merito damnari á Roman. 3. " Non sunt facienda mala, ut veniant bona. Sive. Sicut ajunt quidam, nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona*:* quorum damnatio justa est. » Ubi aperte monstratur; quod ad tentationem propulsandam non sunt facienda mala, contra supradictos. Item á Matt. 5. " Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo. » Ubi nota*:* quod ly videris, accipitur communiter pro omni sensu, et etiam cogitatione, ita quod et videns, et audiens, et cogitans, mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est, etc. Hinc damnantur cogitationes morosæ et á fortiori supradicta errorum brutalia. Item á Papa Honorio IV. in extravagan. Olim felicis recordationis, in qua damnat sectam Pseudoapostolorum, et consequenter omnes eorum errores. Nam teste Augustino (ut alibi annotatum est) *quorum damnantur authores, quomodo eorum possunt capitula recipi*? Extravagans illa Honorii ponitur in Directorio Inquisitorum, secunda parte, quæstione duodecima. Nota*:* quod principales Pseudoapostolorum tempore Bonifacii Octavi combusti fuerunt, scilicet Gherardus, Dulcinus, et Margarita, tamquam hære-

tici: et finaliter pro majori parte cum magna diligentia Prælatorum Lombardiæ, et Inquisitorum ordinis Prædicatorum contra hæreticam pravitatem secta Pseudoapostolorum ipsorum fuit extirpata ex Lombardia, etiam congregato exercitu magno insignito crucis signaculo, et indulgentia generali collata per Papam Clem. 5. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas; merito insinuatum fuisse á 33. q. 4. quod tempore festivo impeditur petitio debiti: et sic. "Quotiescumque dies Natalis Domini, aut reliquae festivitates advenerint, á propriis etiam uxoribus abstinere debemus. » Item ibid. " Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum: quia et dies festi, et dies processionis, et ipsa ratio conceptus, et partus, cessare usum carnis debere his temporibus demonstrant. Item ibid. Christiano cum uxore sua aliquando convenire licet, aliquando non licet. Propter processionis enim dies, et jejuniorum, aliquando non licet convenire: quia á licitis etiam abstinendum est ad tempus, ut facilius impetrari possit, quod postulatur. Unde Apostolus ait, ex consensu abstinendum est ad tempus, ut expeditius vacetis orationi. » Ubi ex ratione hujus decreti reddita ostenditur, quod multo magis tempore festivo abstinendum est. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum et patrum, pro quanto sacros dies impedire petitionem debiti insinuant, et intelligas, et probes, et tûearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas haeresim *Catharorum*, ut refert. Card. Turrecremata de Ecclesia, l. 4. c. 35. dicentium; quod matrimonium carnale est peccatum mortale. Per hoc enim, quod articulus monstrat, non esse mortale reddere debitum conjugibus in festo, patet, quod multo magis non est peccatum mortale ipsum conjugium, neque uti actu conjugali absolute idest in alio tempore. *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori demonstres, illam merito damnari a. 1. Tim. 5. *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matres familias esse.* Ecce ab Apostolo persuasus et contractus matrimonii, et actus ejus carnalis, sine quo utique non possunt procreari filii: quem tamen Apostolum constat, numquam suasurum fuisse, si esset mortale peccatum. Per hoc ergo, quod matrimonium, ejusque carnalem actum probat, Catharorum haeresim appertissime damnat. Item á, etc. ut q. 41. art. 3. et q. 42. art. 3. Item á, etc. ut in 1. p. q. 72. Item á Gen. 1. Crescite et multiplicamini. Scimus autem, Deum non posse negare seipsum, 2. Tim. 2. quod esset, si approbaret, vel etiam, quod pejus est, juberet peccatum. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito á locis 33. qu. 4. in appendice art. 5. citatis insinuatum fuisse, quod hujusmodi petitio non est mortale peccatum. Ut enim ibi patet, illa decreta non adducuntur pro ratione talis abstinentiae, nisi ly *expeditius vacare orationi*, et ly, *ut facilius impetrari possit, quod postulatur*: quae non inferunt ut patet, peccatum mortale in non abstinente tunc á secundum se licitis, idest á petitione debiti. *Quarto* habes: quomodo per rationem praedicta ibi Patrum pro quanto talem nunc petitionem non esse mortalem insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem interimas brutalem errorem *Cynicorum* dicentium: quod coire cum feminis licet cuique, instar canum, omni pudore sublato, publicitus. Præsens enim articulus per hoc, quod honestatem debitam loci, etiam non sacri, defendit, aperte militat contra istos. Item errorem Fraticellorum dicentium: coitum promiscuum miscendo cum qualibet muliere licere congregatis in Ecclesia, extinctis luminibus post Solis occasum. Nota, quod propter ly in Ecclesia, adducitur hic error in præsenti: pro quanto sic excluditur per hunc articulum debitam honestatem loci Ecclesiæ tuentis. Ceterum propter ly promiscuum, et ly cum qualibet muliere pertinet ad articulos quosdam supradictos, á quibus et convincitur ut facile per se quisque prudens videre potest. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos errores merito damnari a. 1. Corinth. 14. *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis.* Ubi Apostolus, si de omnibus hoc dicit, etiam de honestate carnalis cognitionis; imo tanto magis de hac, quanto abundantiorem ho-

norem circumdamus naturaliter circa ea, quæ in nobis verecundiora sunt. 1. Cor. 12. Item a. 1. Thessal. 4. " Hæc est voluntas Dei, ut abstineatis vos á fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii, sicut gentes, quæ ignorant Deum. » Ecce, quod directe quasi tangens, imo confodiens Cynicos in passione desiderii ambulantes, loquitur. Item á Matth. 21. et Jo. 2. per hoc quod Dominus pro inconvenienti habens, mercatum in sacris locis fieri, ejecit inde vendentes, et ementes propriis manibus eos flagellando; latronesque jure vocando, tamquam eos, qui honorem divinum, qui in talibus locis maxime exigitur, furari contendebant. Per hoc igitur factum, tamquam á fortiori, damnavit Fraticellos prædictos; quanto magis sacrilegium per emissionem humani seminis, vel contrectationem veneream exercitam, est pejus, quam negotiationes illas in sacro exercuisse. Item á Papa Gregorio IX. ut supra exam. primo post conclus. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum a. 1. Corinth. 7. quod semper tenetur conjux reddere debitum, servatis servandis, et sic. " Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. » Ecce quod inter injustitiæ opera connumerat negare debitum per hoc; quod eos facere fraudem sibi invicem illud negando dicit. Item a. 33. q. 4. " Apostolus, nec ad tempus, ut vacent orationi, nisi ex consensu communi voluit, conjuges carnali invicem fraudari debito. » *Quarto* habes: quomodo, per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto conjuges teneri sibi invicem reddere debitum etiam tempore festivo, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUINTA.

DE PLURALITATE UXORUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de pluralitate uxorum.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum habere plures uxores sit contra legem naturæ.

Secundo, utrum aliquando fuerit licitum.

Tertio, utrum habere concubinas sit contra legem naturæ.

Quarto, utrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale.

Quinto, utrum aliquando licitum fuerit habere concubinam.

ARTICULUS I.

Utrum habere plures uxores, sit contra legem naturæ.

Pro negativa. = Videtur quod habere plures uxores, non sit contra legem naturæ.

1. Illud quod per consuetudinem potest fieri licitum non est contra legem naturæ. Sed habere plures uxores per consuetudinem potest fieri licitum. Ergo habere plures uxores non est contra legem naturæ.

Maior prob., quia consuetudo legi naturali non præjudicat. Et ideo, quod per consuetudinem fieri potest licitum, non est contra legem naturæ.

Minor prob., quia August. lib. de bono conjug. c. 15. dicit; et refertur in 4. Sent. dist. dist. 33. quod habere plures uxores, *peccatum non erat, quando mos erat.*

2. Quicumque; facit contra legem naturæ, facit contra aliquod legis præceptum. Sed qui olim habuerunt plures uxores, non faciebant contra aliquod præceptum. Ergo habere plures uxores, non est contra legem naturæ.

Maior prob., quia sicut lex scripta habet sua præcepta, ita et lex naturæ.

Minor prob., quia Aug. dicit in lib. de bon. conjug. c. quod *habere plures*

uxores, non erat contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum.

3. Matrimonium ordinatur principaliter ad prolis procreationem. Sed unus potest ex pluribus prolem accipere, plures fœcundando. Ergo non est contra legem naturæ habere plures uxores.

4. *Jus naturale est quod omnia animalia natura docuit*, ut dicitur in dig. vel. lib. 1. tit. 1. in intitio. Sed quod sit tantum una unius, non omnia animalia natura docuit: cum unus mas in multis animalibus, multis conjungatur. Ergo non est contra legem naturæ habere plures uxores.

5. Non est contra ordinem naturæ, quod unus agens in plura patientia agat, aut unus artifex in diversis materiis operetur. Ergo nec est contra legem naturæ, quod vir plures uxores habeat.

Conseq. prob., quia secundum Phil. in lib. 2. de generat. anim. cap. 4. In generatione prolis, mas se habet ad fœminam ut agens ad patiens, et ut artifex ad materiam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud, quod ex institutione naturæ humanæ est homini inditum, præcipue videtur esse de jure naturali. Sed quod sit una unius in ipsa naturæ institutione est homini inditum: ut patet Gen. 2. ubi dicitur: *erunt duo in carne una.* Ergo quod sit una unius, est de lege naturali, etc.

2. Quod homo obliget se ad impossibile, est contra legem naturæ, et quod uni datum est, alteri detur. Sed homo contrahens cum una uxore, tradit ei sui corporis potestatem, ut necesse sit reddere debitum, cum petierit. Ergo contra legem naturæ est, quod postea tradat alteri sui corporis potestatem, cum non posset utrique; simul reddere debitum, si peterent simul.

3. De lege naturæ est, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed vir nullo modo vellet, quod uxor alium virum haberet. Ergo contra legem naturæ faceret, si aliam superinduceret.

4. Quicquid est contra naturale desiderium, est contra legem naturalem. Sed zelus viri ad uxorem, et uxoris ad virum, est naturalis, cum in omnibus inveniatur. Ergo cum zelus sit *amor non patiens consortium in amato*, videtur quod contra legem naturæ sit, quod unus vir plures uxores habeat.

Determinatio.

Quid sit lex naturalis in homine.

Antequam respondeatur huic quæsito, declarandi sunt termini scilicet quid sit lex naturæ, et quid sit contra legem naturæ, et quod modis contingat.

Ad sciendum igitur, quid sit lex naturæ in homine, de qua proprie est sermo, est considerandum, quod omnibus rebus naturalibus insunt quædam principia, quibus non solum operationes proprias efficere possint, sed quibus etiam suo fini convenientes reddant, sive sint actiones consequentes rem ex natura sui generis, sive ex natura speciei: ut magneti competit ferri deorsum ex natura sui generis, et atrahere ferrum ex natura suæ speciei. Sicut autem in rebus agentibus ex necessitate, naturæ principia actionum sunt ipsæ formæ, á quibus proprie operationes prodeunt convenientes fini; ita in his quæ cognitionem participant, principia agendi sunt cognitio et appetitus: unde oportet quod in vi cognitiva sit naturalis conceptio, et in vi appetitiva naturalis inclinatio; quibus operatio conveniens generi sive speciei reddatur competens fini. Sed quia homo inter cætera animalia rationem finis cognoscit, et proportionem operationis ad finem; ideo naturalis conceptio ei indita, qua dirigitur ad operandum, convenienter lex naturalis sive jus naturale dicitur. In cæteris vero animalibus, æstimatio naturalis vocatur. Bruta enim ex vi naturæ impellantur ad agendum convenientes actiones, magis quam regulen-

tur, quasi non proprio arbitrio agentia. Lex ergo naturalis nihil aliud est quam conceptio indita homini naturaliter qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis; sine competentibus ei ex natura generis, ut sunt, generare, comedere, et similia; sive ex natura speciei, ut ratiocinari, et hujusmodi. Et sic patet quid sit lex naturalis in homine.

Quid sit esse contra legem naturæ, et quot modis contingat.

Contra legem autem naturæ dicitur esse omne illud, quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit. Potest autem aliqua actio esse contra finem sive principalem sive secundarium alicujus rei, dupliciter. Uno modo ex aliquo quod omnino impedit finem, ut nimia superfluitas aut defectus comestionis: impedit salutem corporis, quæ est principalis finis comestionis: et bonam habitudinem in negotii exercendis, qui est secundarius finis comestionis. Alio modo, ex aliquo quod faciat difficilem aut minus decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium, sicut inordinata comestio, quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem directe, per legem naturæ prohibetur primis ipsius legis naturæ præceptis, quæ in operabilibus sunt sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem hujusmodi actio sit incompetens fini secundario quocumque modo aut etiam principali, ut faciens difficilem vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis legis naturæ præceptis, sed secundis quæ ex primis derivantur. Sicut in speculativis, conclusiones habent fidem ex principiis per se notis; et sic dicta actio dicitur esse contra legem naturæ, quatenus per secunda legis naturæ præcepta prohibetur. Quæ autem sint præcepta principalia, et secundaria legis naturæ, dictum est 1. 2. quæst. 100. art. 3. et seq.

Conclusio. Pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturæ, et quoddammodo non est contra legem naturæ.

Prob. Illud, quod non tollit primum matrimonii finem, impedit tamen secundum et tertium omnino tollit, est quoddammodo contra legem naturæ, et quodammodo non. Sed pluralitas uxorum non impedit principalem matrimonii finem; impedit tamen secundum, et totaliter tollit tertium. Ergo pluralitas uxorum quoddammodo est contra legem naturæ, et quodammodo non est contra legem naturæ.

Maior patet ex dictis. Nam illud quod non tollit principalem finem rei, non est contra legem naturæ, ut debeat primis legis naturæ præceptis prohiberi.

Quod vero impedit vel tollit secundarium finem, est quoddammodo contra legem naturæ, et per secundaria præcepta prohibetur.

Minor manifestatur. Nam matrimonium habet triplicem finem, scilicet tria ejus bona, de quibus supra dictum est. Habet enim pro fine principali, prolis procreationem et educacionem. Qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis, unde et aliis animalibus est communis. Alterum habet matrimonium pro fine secundario, scilicet communicationem operum, quæ soli homini competit; et secundum hoc fidem sibi invicem conjuges debent, quæ est secundum matrimonii bonum. Habet ulterius alium finem, inquantum est inter fideles, scilicet significationem Christi et Ecclesiæ. Et sic bonum matrimonii dicitur sacramentum. Unde primus finis respondet matrimonio hominis inquantum est animal. Secundus in quantum est homo. Tertius, in quantum est fidelis. Pluralitas ergo uxorum non tollit totaliter neque aliqualiter impedit primum matrimonii finem. Quia unus vir sufficit pluribus uxoribus fœcundan-

dis et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, multum tamen impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur. Cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum. Et etiam, quia communicatio plurium in uno officio causat litem: sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, et Ecclesia una est. Ad quod significandum, debet esse tantum una unius. Et sic remanet probata minor quod scilicet pluralitas uxorum, quodammodo non est contra bonum matrimonii, quatenus scilicet non tollit primum ejus finem, nec secundum. Est tamen contra bona matrimonii, quatenus impedit secundum matrimonii bonum, ut non facile habeatur. Et totaliter tollit. Et sic pluralitas uxorum non est contra legem naturæ quantum ad ejus prima præcepta; est tamen contra legem naturæ quia est contra secundaria legis naturæ præcepta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod consuetudo non præjudicat legi naturæ, quantum ad prima præcepta ipsius, quæ sunt sicut communes animi conceptiones in speculativis, sed ea quæ ex istis trahuntur ut conclusiones, consuetudo auget, ut Tull. dicit in 3. ad Hieren. et similiter etiam minuit, et hujusmodi est preceptum legis naturæ, de unitate uxoris.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de his quæ sunt contra legem naturæ, ex hoc quod opponuntur principali fini alicujus rei. Hæc enim per prima naturæ præcepta prohibentur. Non autem est vera de his quæ sunt contra legem naturæ, per hoc quod opponuntur secundario fini rei. Hæc enim sunt prohibita per secundaria præcepta, quæ promulgantur divina, vel humana lege. Sicut enim Tull. dicit lib. 2. de Invent. *Res á natura profectas, est á consuetudine approbatas, legum virtus, et religio sanxit.* Unde patet quod illa quæ lex naturalis dictat quasi ex primis principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti absolute, nisi postquam lege divina, vel humana sancita sunt. Habere igitur plures uxores, est contra præceptum legis humanæ derivatum á lege naturæ: et sic negatur minor. Et ad prob. dicitur quod Aug. dicit quod non faciebant contra præceptum tunc, quia tunc non erat lege divina aut humana prohibitum habere plures uxores.

Ad 3. Jam dictum est in corp. quod habere plures uxores, non opponitur primo bono matrimonii, et ideo non est contra legem naturæ, quasi contra prima naturæ præcepta; est tamen contra legem naturæ, quatenus alia bona impedit, vel totaliter tollit, ut in corpore dictum est.

Ad 4. Dicitur ad maiorem quod jus naturale multipliciter accipitur. Primo enim dicitur aliquid jus naturale ex principio, quia scilicet á natura est inditum, et sic Tull. in 2. Rhetor, diffinit naturale jus, dicens. *Jus naturale est quod non opinio genuit, sed vis quædam innata inseruit.* Et sic de jure naturæ dicitur, sui ipsius defensio, patriæ, et suorum, et similia. Et quia, etiam in rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales, non quia sint ex principio intrinseco, sed quia sunt á principio superiori movente (sicut motus, qui sunt in elimentis ex impressione cælestium corporum, naturales dicuntur á commentatore in 3. de cælo et mundo. Ideo secundo modo ea quæ sunt de jure divino, dicuntur esse de jure naturali, cum sint ex impressione et infusione superioris principii, scilicet Dei, et sic jus naturale accipitur ab Isib. lib. 5. Etym. c. 3. qui dicit quod *jus naturale est quod in lege et Evangelio continetur*, ut

habetur in princ decreti. Tertio dicitur jus naturale, non solum ut á principio, sed etiam quia est de naturalibus: et quia natura contra rationem dividitur, á qua homo est homo; ideo strictissimo modo accipiendo jus naturale, illa quæ tantum ad homines pertinent, etiam si sint de dictamine naturalis rationis non dicuntur esse de jure naturali, sed illa tantum de jure naturali esse dicuntur, quæ sunt homini aliisque animalibus communia. Et sic de jure datur dicta definitio, scilicet *jus naturale est quod natura omnia animalia docuit.* Pluralitas ergo uxorum, quamvis non sit contra jus naturale tertio modo acceptum; est tamen contra jus naturale secundo modo acceptum, quia pluralitas uxorum jure divino prohibetur: et etiam contra jus naturale primo modo acceptum, ut patet ex dictis in corpore, quia scilicet natura dictat hoc cuilibet animali, secundum modum convenientem suæ speciei; unde etiam quædam animalia in quibus ad educationem prolis requiritur sollicitudo utriusque, scilicet maris et fœminæ naturali instinctu servant conjunctionem unius ad unum, sicut patet in turture et columba. Unde ad formam argumenti dicitur quod supponit quod jus naturale tantum uno modo dicatur; quod est falsum: dicitur enim pluribus modis, ut dictum est. Et si pluralitas uxorum non sit contra jus naturale illo modo acceptum, est tamen contra jus naturale aliis modis, ut dictum est.

Ad 5. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod mulier non solum se habet ut materia et patiens ad virum, sed etiam est ipsius socia, cum qua vir amicitiam conservare debet in domestica conversatione, quæ congrue stare non potest cum pluralitate uxorum, ut dictum est in corpore et ad 4.

Ad argumenta pro altera parte.

Sed quia rationes inductæ in contrarium, videntur ostendere quod pluralitas uxorum sit contra prima principia legis naturæ ideo ad eas etiam est respondendum. Et

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod natura humana absque omni defectu est instituta, et ideo non solum sunt ei indita illa sine quibus principalis matrimonii finis esse non potest, sed etiam illa sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset: et hoc modo homini in ipsa sui institutione habere unam uxorem sufficit. Non est igitur maior simpliciter vera.

Ad 2. Negatur minor. Vir enim per matrimonium non dat uxori potestatem sui corporis, quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa quæ matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, nisi quantum ad id ad quod matrimonium est institutum, scilicet ad bonum prolis, et hoc est quantum sufficit ad imprægnationem. Requirit autem hoc matrimonium, scilicet quod vir præsto sit ad reddendum debitum uxori quando ipsa requirit, in quantum est ad remedium institutum, quod est secundarius matrimonii finis. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato principali matrimonii fine; et propterea pluritas uxorum non est contra prima legis naturæ præcepta.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod illud præceptum legis naturæ, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, debet intelligi eadem proportione servata: non enim si prælatus non vult sibi resisti á subdito resistere subdito non debet: et ideo non oportet ex vi illius præcepti, quod sicut vir non vult quod uxor sua habeat plures viros vel alium virum, quod ipsa vellit virum aliam non habere uxorem, quia unumvirum habere plures uxores non est contra prima præcepta legis naturæ, ut in præcedenti responsione dictum est. Sed unam uxorem plures habere viros est contra prima præcepta legis naturæ, eo quod per hoc quantum ad

aliquid totaliter tolllitur, aliquantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis: in bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio: ipsa enim procreatio prolis, et si non totaliter tollatur, quia contingit post imprægnationem primam, iterum mulierem imprægnari, ut dicitur 7. de Hist. anim. cap. 4. tamen multum impeditur, quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterum: sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cujus cura necessaria est in educando: et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros, sicut permissum est quod unus vir habeat plures uxores.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod etsi in utroque conjugum inveniatur zelus respectu alterius, tamen maior est zelus viri ad mulierem quam mulieris ad virum: et ratio est, quia naturalis inclinatio in appetiva sequitur naturalem conceptionem in cognitione. Et quia non ita est contra conceptionem naturalem, quod vir habeat plures uxores, sicut quod mulier habeat plures viros, ideo affectus uxoris non tantum refugit consortium in viro, sicut é converso: et propterea tam in hominibus quam in aliis animalibus invenitur maior zelus maris ad fœminam, quam é converso.

ARTICULUS II.

Utrum aliquando licitum fuerit habere plures uxores.

Pro negativa==Videtur quod habere plures uxores non potuerit esse aliquando licitum.

1. Illud quod prohibetur jure naturali, non potuit esse aliquando licitum. Sed pluralitas uxorem prohibetur jure naturali, ut articulo præcedenti dictum est. Ergo numquam potuit esse licita.

Maior prob., quia secundum Phil. 5. Ethic. cap. 7. *jus naturale semper et ubique habet naturalem potentiam.*

2. Si aliquando licuit plures habere uxores, aut hoc fuit quia per se licitum erat, aut per aliquam dispensationem. Non primo, quia etiam nunc esset licitum: non secundo, quia *Deus qui est naturæ conditor, non facit aliquid contra rationes quas naturæ in seruit*, ut August. dicit lib. 26. contra Faustum cap. 3. Sed Deus naturæ nostræ inseruit quod una sit unius. Ergo videtur quod Deus numquam contra hoc dispensaverit.

3. Si aliquid est licitum ex dispensatione, hoc non licet nisi his quibus fit dispensatio. Sed non legitur aliqua communis dispensatio in lege cum omnibus facta, et tamen communiter omnes qui volebant, plures uxores accipiebant, in Testamento veteri, absque hoc quod á lege vel Prophetis reprehenderentur. Ergo non fuit licitum ex dispensatione.

4. Ubi est eadem causa dispensationis, debet eadem dispensatio fieri. Sed nunc est eadem causa dispensationis habendi plures uxores. Ergo nunc debet perseverare eadem dispensatio.

Minor prob., quia causa dispensationis habendi plures uxores, est multiplicatio prolis ad cultum Dei: quæ multiplicatio etiam nunc est necessaria, et maxime cum non legatur revocata.

5. Non debet in dispensatione prætermitti maius bonum propter minus bonum. Sed fides et sacramentum, quæ non videntur posse servari in matrimonio in quo unus pluribus uxoribus conjungitur, sunt maiora bona quam multiplicatio. Ergo intuitu hujus multiplicationis dispensatio prædicta fieri non debuisset.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud de quo vetus lex mentionem facit, sine ulla prohibitione, fuit quandoque licitum. Sed de pluralitate uxorum vetus lex absque una prohibitione mentionem facit. Ergo tunc erat licita.

Maior prob., quia dicitur ad Gal. 3.

quod *lex propter prævaricationes posita est*, ut scilicet eas prohiberet. Illud igitur de quo lex mentionem facit absque prohibitione, saltem illo tempore licitum fuit.

Minor prob., quia Deut. cap. 20. dicitur: *si habuerit homo duas uxores, etc.*

2. Hoc idem videtur exemplo ex Sanctis Patribus, qui plures leguntur habuisse uxores, cum Deo essent acceptissimi, sicut fuerunt Jacob, David et plures alii. Ergo aliquando fuit licitum.

Determinatio.

Conclusio. Pluralitas uxorum aliquando fuit licita per divinam dispensationem.

Prob. Illud quod prohibetur solum per secundaria præcepta legis naturalis, potuit aliquando esse licitum per divinam dispensationem. Sed pluralitas uxorum prohibetur solum per secundaria præcepta legis naturalis, ut art. præcedenti dictum est. Ergo pluralitas uxorum potuit aliquando esse licita, per divinam dispensationem.

Maior habet duas partes. Prima est quod illud prohibetur tantum per secundaria præcepta naturalis legis, possit quandoque esse licitum. Et quantum ad hanc partem, manifestatur: Nam præcepta secundaria naturalis legis procedunt á primis, sicut conclusiones á principiis in speculabilibus. Quæ secundaria præcepta sunt de humanis actibus. Et quia humani actus variari oportet secundum diversas conditiones personarum et temporum et aliarum circumstantiarum; ideo conclusiones sive præcepta prædicta non procedunt á primis naturæ legis præceptis, ut semper efficaciam habentia; sed ut habentia efficaciam in maiori parte. Talis est enim tota moralis materia, ut Phil. dicit in 1. Ethic. cap. 3. Et ideo ubi eorum efficaica defuit, licite prætermitti possunt. Et sic remanet probata et manifestata prima pars.

Altera ejusdem maioris pars est quod, pluralitas uxorum potest fieri licita, per divinam dispensationem: quæ ostenditur. Quia enim non est facile determinare prædictas humanorum actuum varietates, ideo ei, ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur ut facultatem prætermittendi legem in illis casibus concedat, ut ad eos legis efficacia non se extendat: et talis facultas dispensatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec umquam verbo, aut literis est tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent: et ideo á solo Deo in hoc potuit fieri dispensatio, per internam inspirationem, quæ quidem principaliter sanctis patribus facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata, eo tempore quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Et ratio hujus dispensationis factæ divinitus est, quia semper principalior finis magis observandus est, quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio erat necessaria, debuit ad tempus negligi impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur. Patet igitur quod in hujusmodi præcepto legis naturæ prohibente pluralitatem uxorum, potuit fieri dispensatio, et quod talis dispensatio á solo Deo fieri potest, per internam inspirationem, quæ convenienter fuit facta, quando multiplicatio prolis ad cultum Dei conservandum et propagandum erat necessaria.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod jus naturale semper et ubique, quantum est de se, habet eamdem potentiam, sed per accidens, propter aliquod impedimentum, quandoque, et alicubi potest variari, sicut Phil. dicit 5. Ethic. cap. 7. Et ponit exemplum

de aliis rebus naturalibus. Semper enim et ubique dextera melior est, quam sinistra secundum naturam; sed per aliquod accidens conjungit aliquem esse ambidextrum, quia natura nostra est variabilis, et similiter etiam est de naturali justo, ut ibidem dicitur.

Ad 2. Dicitur quod habere plures uxores fuit licitum per divinam dispensationem. Ut enim dicitur extra de divortiis, cap. Gaudemus. lib. 4. decret. tit. 19. Numquam licuit plures habere uxores sine dispensatione per divinam inspirationem habitam. Ad prob. dicitur, quod talis dispensatio non datur contra rationes quas Deus naturæ inseruit, sed præter eas, quia rationes illæ non sunt ordinatæ ad semper, sed ut in pluribus, ut dictum est. Sicut etiam, non est contra naturam, quando miraculose aliqua in rebus naturalibus accidunt, præter ea quæ frequenter solent evenire, sed præter naturam esse dicuntur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod qualis est lex, talis debet esse dispensatio legis, et quia lex naturæ est cordibus impressa, non oportet dispensationem eorum quæ ad legem naturæ pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri.

Ad 4. Neg. minor. Nam veniente Christo, fuit tempus plenitudinis gratiæ Christi, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est: et ideo non est eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi adventum, quando cultus Dei carnali tantum propagatione propagabatur et conservabatur.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod proles, secundum quod est bonum matrimonii, includit fidem ad Deum servandam, quia secundum quod proles expectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonii bonum. Fides autem ad Deum servanda potior est, quam fides servanda uxori, quæ ponitur bonum matrimonii: et potior est quam significatio, quæ pertinet ad sacramentum; Quia significatio ad fidei cognitionem ordinatur, et ideo non est inconveniens si propter bonum prolis detrahatur aliquid duobus aliis bonis. Nec tamen omnino hæc duo bona tolluntur, quia et fides manet ad plures, et sacramentum aliquo modo. Quia etsi non significaretur conjunctio Christi ad Ecclesiam, in quantum est una, significatur tamen distinctio graduum in Ecclesia per pluralitatem uxorum; quæ quidem distinctio, non solum est in Ecclessia militante, sed est etiam in triumphante, et illorum matrimonia aliquo modo significant conjunctionem Christi ad Ecclesiam, non solum militantem, ut quidam dicunt; sed etiam triumphantem, in qua sunt diversæ mansiones.

ARTICULUS III.

Utrum habere concubinam sit contra legem naturæ.

Pro negativa. = Videtur quod habere concubinam, non sit contra legem naturæ.

1. Illud quod prohibetur per cæremonialia, non est contra legem naturæ. Sed fornicatio simplex, quæ est per accessum ad concubinam, prohibetur per cæremonialia præcepta, ut patet Act. 15. Ubi fornicatio prohibetur inter cæremonialia, quæ ad tempus credentibus ex gentibus imponebatur. Ergo fornicatio simplex, quæ est accessus ad concubinam, non est contra legem naturæ.

2. Secundum jus positivum, fornicatio simplex non prohibebatur, immo potius in pœnam, secundum antiquas leges, mulieres lupanaribus tradendæ condemnabantur. Ergo habere concubinam, non est contra leges nature.

Conseq. prob., quia jus positivum á naturali profectum est.

3. Naturalis lex non prohibet quin illud quod datur simpliciter, possit dari ad tempus et secundum quid. Sed una mulier soluta potest dare viro soluto in

perpetuum sui corporis potestatem: ut fit in matrimonio, ut ea licite utatur, cum voluerit. Ergo non est contra legem naturæ, si dederit ei ad horam sui corporis potestatem.

4. Quicumque utitur re sua, ut vult, nemini facit injuriam. Sed ancilla est res domini. Ergo si ea dominus utatur ad libitum, nemini facit injuriam, et per hoc licite poterit ancillam pro concubina habere.

5. Quilibet potest dare alteri quod suum est. Sed uxor habet potestatem in corpore viri, ut patet 1. Cor. 7. Ergo si uxor vellit, vir poterit alteri mulieri conjungi, sine peccato.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Concubitus cujus proles est vituperabilis, est illicitus et contra legem naturæ. Sed proles, quæ ex concubina nascitur, secundum omnes leges, est vituperabilis. Ergo habere concubinam est contra legem naturæ.

2. Matrimonium est naturale, ut dictum est quæst. 133. art. 1. Ergo habere concubinam est contra legem naturæ.

Conseq. prob., quia non esset matrimonium naturale, si homo posset conjungi alteri mulieri, præter matrimonium.

Determinatio.

Conclusio. Accedere ad mulierem non junctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur, est contra legem naturæ.

Prob. Quicumque utitur concubitu propter delectationem quæ in ipso est, non referendo in finem á natura intentum, vel nisi sit talis concubitus qui ad illud finem convenienter ordinari possit, contra naturam agit. Sed accedens ad mulierem non conjunctam sibi matrimonio, utitur concubitu propter solam delectationem, non referendo eum ad finem á natura intentum, nec etiam talis concubitus ad talem finem convenienter potest ordinari. Ergo accedere ad mulierem non conjunctam sibi matrimonio, est contra legem naturæ.

Maior manifestatur, quia illa actio dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conveniens debito fini quem natura intendit, sive quia non ordinatur ad ipsum per actionem agentis, sive quia de se est illi fini improportionata. Finis autem quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda, et ut hoc bonum quæreretur, posuit natura delectationem in concubitu. Quicumque ergo in concubitu delectationem propter se ipsam quærit, non referendo ad finem intentum á natura, vel tali utitur concubitu, qui ad hujusmodi finem non possit convenienter ordinari, contra naturam facit. Et sic patet maior.

Minor manifestatur. Nam res á fine plurimum nominatur, tamquam ab optimo; ideo sicut conjunctio matrimonii á prolis bono nomen accepit quod bonum per matrimonium principaliter quæritur, ita concubinæ nomen illam conjunctionem exprimit, qua solus concubitus propter se ipsum quæritur: et si etiam aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quærat; non tamen est conveniens ad bonum prolis, et hoc ostenditur. Quia in bono prolis, non solum intelligitur ipsius prolis procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio et instructio, per quam accipit nutrimentum et disciplinam á parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur, scilicet in esse, educatione et instructione, ut dicitur 8. Ethic. c. 11. Cum autem educatio et instructio debeatur proli á parentibus per longum tempus, exigit lex naturæ, ut pater et mater in longum tempus commaneant, ad subveniendum communiter proli. Unde et aves quæ communiter pullos nutriunt, ante completam nutritionem non separantur á mutua societate, quæ incipit á concubitu. Hæc autem obligatio ad commanendum fœminam marito matrimonium facit, et ideo accedere ad

eam, quæ non est matrimonio juncta. est contra legem naturæ: cum hic concubitus non convenienter ordinetur ad bonum prolis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob dicitur, quod in gentilibus, quantum ad multa, lex naturæ offuscata erat; unde accedere ad concubinam, malum non reputabant, sed passim fornicatione, quasi re licita utebantur, sicut et aliis quæ erant contra cæremonias judæorum: quamvis illa non essent contra legem naturæ. Et ideo apostoli immiscuerunt prohibitionem fornicationis cæremonialibus, propter discretionem quæ erat in utroque inter judæos et gentiles.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod propter dictam obscuritatem, in qua ceciderunt gentiles Deo debitam gloriam non reddentes, ut dicitur Rom. 1. Lex illa processit, et non ex instinctu legis naturæ. Unde prævalente lege Christiana, lex illa est extirpata. Negatur igitur conseq. et ad prob. dicitur, quod tale jus positivum non á lege naturæ, sed ab obscuritate processit.

Ad 3. Negatur maior. Non enim est universaliter vera, et maxime in proposito. In aliquibus enim, sicut nullum inconveniens sequitur, si rem aliquam, quam quis in potestate habet, alteri simpliciter tradat, ita nec si tradat ad tempus: et sic in his neutrum est contra naturam. In proposito autem, potest mulier dare corpus suum simpliciter alicui viro per matrimonium, quia hoc est licitum et conveniens fini matrimonii; tradere autem ad tempus non convenit, propter inconvenientia de quibus dictum est in corpore, quia scilicet hujusmodi temporaria conjunctio non est convenienter ordinabilis ad bonum prolis, quod natura in concubitu intendit.

Ad 4. Dicitur dupliciter. Primo ad minorem, quod injuria opponitur justitiæ; lex autem naturalis non solum prohibet injustitiam, sed etiam opposita omnium virtutum: sicut contra legem naturæ est quod aliquis immoderate comedat, quamvis talis rebus suis utens nulli injuriam faciat. Et propterea ancilla, quamvis sit domini obsequium, non est tamen domini ad concubinatum. Unde dominus injuste agit, utens ancilla ad id in quo non habet potestatem in ea. Dicitur secundo quod maior, in proposito non est vera. Utens enim quis ancilla ad concubinatum, facit injuriam proli quæ ex tali concubitu nascitur. Vera tamen est illa maior de eo qui utitur re sua, ad id et quomodo et quando uti debet.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod mulier habet potestatem in corpore viri, non simpliciter quantum ad omnia, sed solum quantum ad matrimonium; et ideo non potest contra bonum matrimonii corpus viri sui alteri tradere.

ARTICULUS IV.

Utrum accedere ad concubinam, sit peccatum mortale.

Pro negativa.=Videtur quod accedere ad concubinam, non sit peccatum mortale.

1. Mendacium non semper est peccatum mortale. Ergo multo minus fornicatio est peccatum mortale.

Conseq. prob., quia maius peccatum est mendacium, quam fornicatio simplex: quod patet ex hoc quod Judas, qui fornicationem non horruit cum Thamar committere, recusavit mendacium, dicens: *certe mendacii arguere nos non potest.* Gen. 38.

2. Peccatum mortale morte puniri debet. Sed concubitum cum concubina lex vetus non puniebat morte, nisi in aliquo casu, ut patet Deuter. 24. Ergo non est peccatum.

3. Non omnis superbia aut avaritia, quæ sunt peccata spiritualia, est peccatum mortale. Ergo neque omnis fornicatio, quæ est peccatum carnale, est peccatum mortale.

Conseq. prob., quia secundum Greg.

peccata carnalia sunt minoris culpæ, quam spiritualia.

4. Actus, ad quem homo maxime incitatur, non semper est mortale peccatum; sed ad venerea maxime homo incitatur. Ergo actus venereus qui est simplex fornicatio, non erit semper mortale peccatum.

Maior prob., quia minus peccat, qui maiore tentatione vincitur. Unde sicut non quilibet actus gulæ est mortale peccatum, propter incitamentum magnum quod habet; nec fornicatio erit mortale peccatum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod excludit á regno Dei; est peccatum mortale sed fornicarii excluduntur á regno Dei: ut patet 1. Cor. 6. Ergo fornicatio simplex est peccatum mortale.

Maior patet, quia peccatum mortale solum á regno Dei excludit

2. Crimen est peccatum mortale; sola enim peccata mortalia crimina dicuntur. Sed fornicatio est crimen: dicitur enim Tob. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.*

Determinatio.

Conclusio. Fornicatio simplex, de sui ratione, est peccatum mortale.

Prob. Illi actus, per quos fœdus amicitiæ hominis ad Deum et hominis ad hominem violatur, ex suo genere sunt peccata mortalia: tales enim actus sunt contra duo præcepta charitatis, quæ est animæ vita. Sed per fornicarium concubitum tollitur fœdus amicitiæ hominis ad Deum, et debita ordinatio parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit. Ergo non est dubium, quin fornicatio simplex, de sui ratione, sit peccatum mortale, etiam si lex scripta fornicationem prohibens non esset.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod frequenter accidit quod homo qui non vitat peccatum mortale, vitat aliquod peccatum veniale, ad quod non habet tantum incitamentum. Et ita Judas mendacium vitavit, fornicationem non vitans. Etsi etiam possit dici quod illud mendacium perniciosum fuisset, habens annexam injuriam, si promissum non reddidisset.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod peccatum non dicitur mortale, quia temporali morte puniatur; sed quia punitur morte æterna. Unde etiam furtum quod est peccatum mortale et multa alia, non puniuntur interdum temporali morte per legem. Ex hoc igitur quod fornicatio simplex non punitur temporali morte, non sequitur quod non sit peccatum mortale.

Ad 3. Dicitur ad conseq. quod sicut non quilibet motus superbiæ est peccatum mortale, ita nec quilibet motus luxuriæ. Quia primi motus etiam luxuriæ sunt tantum peccata venialia: sicut etiam matrimonialis concubitus interdum peccatum veniale est. Sed tamen aliqui actus luxuriæ sunt peccata mortalia, existentibus aliquibus actibus superbiæ peccata venialia tantum. Unde negatur ipsa consequentia. Ex hoc enim quod aliqui actus superbiæ, quæ est spirituale peccatum, sunt tantum peccata venialia, sequitur quod actus aliqui luxuriæ non sint peccata mortalia, non autem quod hic actus, qui est concubinatus, non sit mortale. Ad prob. dicitur, quod in prædictis verbis Greg. intelligitur comparatio vitiorum secundum genus, non secundum quoslibet actus. Peccata enim spiritualia, secundum eorum genus graviora sunt carnalibus non tamen quilibet actus peccati spiritualis est gravius peccatum, quam sit quilibet actus peccati carnalis.

Ad 4. Dicitur quod maior est vera, quando materia actus non est talis quod actus indebitus circa illam non sit peccatum mortale; sed si materia circa quam est actus, talis sit quod operando inde-

bite circa illam, sit semper peccatum mortale; maior vera non est, etiam quod sit maximum motivum ad illum actum. Unde, etsi ad luxuriæ actum homo maxime incitetur; tamen quia materia hujus actus est id quod pertinet ad fovendum fœdus humanæ societatis, ideo stat quod ad ipsam sit magnum incitamentum, et tamen ratione materiæ sit peccatum mortale.

ARTICULUS V.

Utrum aliquando licitum fuerit concubinam habere.

Pro affirmativa.=Videtur quod aliquando licitum fuerit concubinam habere.

1. Aliquando licuit plures uxores habere. Ergo et habere concubinam.

Conseq. prob., quia sicut habere unam uxorem est de lege naturæ, ita non habere concubinam.

2. Aliqui, Deo amicissimi, leguntur ad suas ancillas accessisse: sicut Abraham et Jacob, ut habetur Gen. 16. et 30. Ergo aliquando licuit concubinam habere.

Conseq. prob., quia eadem non potest simul esse ancilla et uxor. Unde secundum legem ex hoc ipso quod ancilla in matrimonium ducebatur, libera reddebatur. Patres igitur illi, cum ad ancillas accederent, non ad uxores, sed ad concubinas accedebant.

3. Illa quæ in matrimonium ducitur non potest ejici, et ejus filius debet esse hæreditatis particeps. Sed Abraham ejecit Agar, et ejus filius non fuit hæres. Ergo Agar non suit uxor, sed concubina Abrahæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ea quæ sunt contra præcepta decalogi, numquam fuerunt licita. Sed habere concubinam, est contra præceptum decalogi, scilicet *non mœchaberis*. Ergo numquam licitum fuit.

2. Numquam licuit mulieri ad alium virum accedere præter proprium. Ergo nec viro umquam licuit concubinam habere.

Conseq. prob., quia *viro non licet quod non licet mulieri*, ut Amb. dicit lib. 1. de Abraham cap. 4.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Raby Moyses dicit quod ante tempus legis fornicatio non erat peccatum. Quod probat ex hoc quod Judas cum Thamar concubuit. Gen. 38.

Reprobatio.

Sed ista ratio non cogit. Non enim est necesse filios Jacob á peccato mortali excusare, cum accusati fuerint apud patrem de crimine pessimo, et consenserint in necem Joseph et venditionem ejusdem. Gen. 37.

Vera sententia.

Conclusio. Nullo tempore licitum fuit secundum se, concubinam habere, nec etiam per dispensationem.

Prima pars prob. Illud quod est contra legem naturæ, nullo tempore, secundum se, licitum fuit. Sed habere concubinam est contra legem naturæ, ut art. 3. dictum est. Ergo habere concubinam, nullo tempore, secundum se, licitum fuit.

Altera pars prob. Illud, quod est contra prima præcepta legis naturæ, nullo tempore, etiam per dispensationem, fuit licitum. Sed habere concubinam, est contra prima præcepta legis naturæ. Ergo numquam fuit dispensatum in hoc quod liceret habere concubinam.

Maior patet, ex differentia eorum, quæ contrariantur primis præceptis et secundariis, quæ inducta est art. 1. hujus quæst. In istis enim quandoque, in illis numquam dispensatum fuit.

Minor prob., quia concubinatus non est actio conveniens ad bonum prolis quod est principalis finis matrimonii, ut art. 3. hujus quæst. dictum est. Et ideo est contra prima legis naturæ præcepta.

AD ARGUMENTAS

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod habere plures uxores, non est contra prima præcepta legis naturæ, sicut habere concubinam, et ideo, ex hoc quod fuit aliquando licitum dispensative: habere plures uxores; non sequitur quod fuerit licitum habere concubinam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ubicumque legitur in veteri testamento aliquos habuisse concubinas (quos necesse sit á peccato excusare) oportet eas fuisse matrimonio junctas, et tamen concubinas dici. Quia aliquid habebant de ratione uxoris, et aliquid de ratione concubinæ. Secundum enim quod matrimonium ordinator ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro insolubili conjunctione conjungitur, vel saltem diuturna, ut ex dictis patet; et circa hoc non est aliqua dispensatio, ut etiam dictum est. Sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio et gubernatio familiæ et communicatio operum (uxor enim conjungitur viro, ut socia) deerat his quæ concubinæ nominabantur ratio uxoris. In hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonii finis. Et in hac parte habebant aliquid simile concubinis, propter quod concubinæ nominabantur. Antiqui igitur patres ea dispensatione, qua plures habebant, ad ancillas accedebant uxorio affectu: Erant enim uxores, quantum ad primarium et principalem finem matrimonii. Sed non quantum ad illam conjunctionem quæ respicit secundarium finem, cui conditio servitutis opponitur: cum non posset esse simul socia et ancilla. Quando autem ducebantur in uxores, quantum ad utrumque matrimonii finem, ancilla ex hoc ipso libera fiebat.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod sicut in lege Moysi, per dispensationem licebat dare libellum repudii ad evitandum uxoricidium, ut dicetur in quæst. 159. Eadem dispensatione licuit Abrahæ, ejicere Agar, ad significandum mysterium quod Apost. explicat ad Gal. 4. Quod etiam ille filius hæres non fuerit, ad mysterium pertinet, ut ibidem patet. Et quod Esau filius liberæ hæres non fuerit, etiam ad mysterium pertinet, ut dicitur Rom. 9. Similiter etiam propter mysterium factum fuit, ut filii Jacob ex Ancilis et liberis nati hæredes essent: quia «Christo nascuntur in bap«tismo filii et hæredes tam per bonos «ministros, quos libera significat; quam «per malos, qui per ancillas signan«tur,» ut Aug. dicit tract. 11. in Joan.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 155.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem excludas errorem *Poligamistarum* dicentium: quod unus vir licite potest habere eodem tempore plures uxores. *Secundo* habes: quomodo ostendas, prædictum errorem merito damnari á Concil. Martini Papæ, ut recitatur 33. qu. 7. *Si quis fuerit multis nuptiis copulatus, pœnitentiam agat.* Ubi loquitur de copulatione tali eodem tempore, ut etiam annotat glossa. Nota super ly pœnitentiam agat, quod pœnitentia non datur, nisi pro peccato: et consequenter, quod per hoc insinuat manifeste, non esse licitum plures uxores habere eodem tempore; id, quod intellexit per ly multis nuptiis copulatus. Item ab Innocentio III. de divortiis, gaudemus, etc. "Quia pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel aliquam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitasti. Verum absonum videtur hoc, et inimi-

cum fidei Christianæ: cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa, et scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: non dixit tres, vel plures, sed duo: nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori. Veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in evangelio. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Si ergo, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur circa matrimonium, reprodandam. » Ubi nota super ly cum ab initio una costa, etc. et super ly propter hoc relinquet homo, etc. quod Pontifex non tantum ostendit, quod habere plures uxores est illicicitum, sed etiam quod est contra legem naturæ. Tunc enim nulla lex adhuc scripta reperiebatur, nisi in cordibus nostris: de qua Roman. 2. Rursum super ly quicumque dimiserit uxorem, etc. nota; quod hoc monstrat Papa, talem uxorum pluralitatem esse contra legem Evangelicam, ut patet. Quomodo autem cum hoc stet, quod nulla lege esset prohibitum tale conjugium cum pluribus; dictum est in notat. post ad secundum. Item a. 31. quæst. 1. quomodo, etc. Primus Lamech sanguinarius, atque homicida unam carnem in duas divisit uxores. Fratricidium, et bigamiam eadem pœna cataclysmo delevit. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum pro quanto bigamiam talem esse contra legem naturæ aliqualiter insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas errorem *Davidicorum* dicentium: uxori uni non debere virum adstringi, sed alias plures posse simul habere uxores ad augendam prolem. Per articulum, enim hunc aperte convincitur, maxime cum de dispensatione aliqua nullam faciat mentionem. Consequenter, cum etiam sit contra legem naturæ hujusmodi error, potest per art. 1. excludi. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem merito damnari, etc. ut art. 1. append. Item a. 32. qu. 4. " Sicut satius est fame mori, quam idolothytis vesci: ita satius est de fungi sine liberis, quam illicito concubitu stirpem quærere. » Illicitum autem concubitum esse cum pluribus uxoribus sine dispensatione divina, monstratum est supra, et hic. Item a. 32. qu. 4. sic: " Non sunt facienda adulteria etiam voluntate filios generandi: quemadmodum nec furta sunt facienda, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos, quod tamen faciendum est, non perpetrando furta, sed bene utendo mammona iniquitatis. » *Tertio* habes: quomodo, per rationem ostendas merito dictum fuisse ab Innocentio III. de divort. cap. Gaudemus, etc. " Nec ulli umquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum: qui mos quandoque interdum etiam fas censetur. Per quem, sicut Jacob á mendacio, Israelitæ á furto, Sampson ab homicidio: sic et Patriarchæ, et alii viri justi qui plures simul leguntur habuisse uxores, ab adulterio excusantur. » Ubi nota ly justi, pro intelligentia meliori responsionis ad argum. 3. Item merito dictum 32. qu. 4. " Objiciuntur Jacob quatuor uxores, quod, quando mos erat, crimen non erat. Sicut Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed providentia propagandæ successionis: sic Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed caritate seminandæ veritatis. » Ubi nota ly providentiæ propagandæ successionis, quod ista intentio non sufficiebat, nisi abjuncta divina dispensatione de pluralitate uxorum, quæ dispensatio vocabatur mos, ut annotavit Innocentius nunc adductus in cap. Gaudemus. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta, Patrum pro quanto numquam licuisse, virum plures uxores habere, nisi dispensatione divina, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim *Guilhermi Cornelii* dicentis, quod meretrix publica pauper melior est continente, quæ sibi retineat aliquid in sui subsidium, quia paupertate sola omnia consumuntur peccata. Cum enim hic ostendatur, quod accedere ad concubinam est contra

legem naturæ, monstratur per hoc á fortiori, quod meretrix illa non est melior continente, imo quod ipsa contra naturam agit, quod non facit continens. De hoc eni dicitur 1. Corinth. 7. " Dico autem non nuptis, et viduis, bonum est illis, si sic permanserit, sicut et ego, quod si non se continent, nubant. » Ubi clare monstratur intelligenti, quod continere melius est, quam nubere; et consequenter á fortiori, quod melius est, quam meretricari, quamvis hæc sit comparatio abusiva, cum meretricari sit peccatum, et continere sit magnum bonum. Nec obstat prætextus paupertatis á Guilhermo adductus, quoniam paupertas iniquitati juncta salvare non potest, testante Scriptura Eccl. 25. *Tres species odivit anima mea, pauperem superbum*, etc. Cum ergo in omni peccato reperiatur superbia, patet per hoc, quod pauper iniquus, ut sic, paupertate sola non salvatur. Unde et dixit aliquando Dominus Exod. 23. *Pauperis in judicio non misereberis.* Vult ergo per hoc justitiam anteponi paupertati. Guilhermumque damnare, ostendens, quod paupertate sola non consumuntur peccata. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a. 32. qu. 4. quod accedere ad concubinam est contra legem naturæ, et sic: «Meretrices esse et ad meretrices accedere, prohibet Dominus, quarum publice venalis turpitudo est. Si furti nomine bene intelligitur omnis usurpatio illicita rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed utique á parte totum intelligere vouit, quidquid illicite rerum proximi aufertur,) profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi. » Unde patet, quod per ly non mœchaberis, Exod. 20. prohibita est etiam simplex fornicatio. Cum autem ly non mœchaberis sit præceptum morale, et mores sint de dictamine naturalis rationis, Rom. 2. ipsi sibi sunt lex, patet, quod mœchia omnis est contra legem naturæ. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta, pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Græcorum*, ut refert Guido, dicentium: quod coitus soluti cum soluta, quod simplex dicitur fornicatio, non est peccatum. *Secundo* habes: quomodo per rationem, ostendas prædictam hæresim damnari 1. Corinth. 6. " Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. » Ecce quod fornicatio species luxuriæ singularis distincta contra alias species, etsi non omnes exprimantur, est peccatum mortale, utpote á regno Dei excludens. Item á Domino Matthæi 15. " De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes. » Ubi patet: quod fornicatio, cum distinguatur contra adulterium, significat conjunctionem soluti cum soluta. Item á Galat. 5. " Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. quæ prædico vobis: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. » Ubi expresso genere per ly luxuria exprimi intelliguntur species per ly fornicatio, etc. et consequenter sumitur ly fornicatio, ut est soluti cum soluta. Item á Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. de reform. matrim. " Grave peccatum est homines solutos concubinas habere. Quare ut huic tanto malo sancta Synodus provideat, statuit hujusmodi concubinarios cujuscumque status, et conditionis existant, si, postquam ab ordinario ter admoniti ea de re fuerint, et concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, á qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab ordinario servere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres solutæ, quæ cum concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non patuerunt ab ordinariis locorum pro modo culpæ puniantur, et extra oppidum, vel diœcesim (si id eisdem ordinariis videtur) invocato, si opus fuerit, seculari brachio, ejiciantur; aliis pœnis contra concubinarios inflictis in suo robore permanentibus. » Ex quibus omnibus patet apertissime, rationabiliter damnari propositionem erroneam Martini cujusdam de magistris, ut refert Alfonsus Castr. dicentis: quod ille, qui credit, fornicationem simplicem non esse peccatum, non est hæreticus. Manifestum enim est

illum esse hæreticum, qui sententia contra scripturam apertam tuetur, et, ut patuit aperta sententia est scripturæ, quod fornicatio simplex est peccatum mortale. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto concubinam habere, esse peccatum mortale insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas spurcissimum dogma *Lutheri* dicentis: *uxor si nolit, ancilla venito:* Ubi de dispensatione nullam mentionem faciens monstrat per hoc: viros licite posse aliquando habere concubinas. Unde in quit, uxor si nolit, etc. Quasi dicat apertius. Si vir habeat uxorem, et ancillam in domo, et uxor nolit cognosci carnaliter, potest ad ancillam accedere cognoscendam. Cum ergo articulus monstret; numquam, nisi ex dispensatione divina, fuisse licitum habere concubinam, et matrimonio quidem junctam, patet, quod contra dogma illud militat, ipsumque expugnat. Item errorem Almarici (Direct. Inquisit. 2. par. q. 7.) dicentis: quoscumque actus carnales, struprum, adulterium, etc. si fiant ex caritate, non esse peccatum. Cui errori adjunxit alium, quasi pro signo, quod hujusmodi non sint peccata, dicens: adulteria, stupra, etc. Deus, ut bonus, non punit (ut ibid.) Contra hunc enim Almaricum, cum non faciat mentionem de dispensatione, sed tantum de caritate, quam fingit, concludit præsens articulus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari errores prædictos á lege divina Exod. 20. Non mœchaberis. Ubi per mœchiam intelligitur prohiberi quilibet actus luxuriosus extra matrimonium. Quod confirmatur trigesimasecunda, q. 4. Meretrices esse, etc. " Si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed utique á parte totum intelligere voluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur) profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus, debet intelligi. Item á Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. Cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, et sub pœna peccati mortalis necessario evitandum; monemus omnes laicos, tam uxoratos, quam solutos, ut similiter á concubinatu abstineant. Pro hujusmodi autem divini observantia præcepti hi, ad quos pertinet tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent. Item á constitutionibus Apostolicis lib. 6. cap. 28. Prava actio, adulterium, et fornicatio: quorum factorum aliud est injustitia, ultimum est peccatum: nullum vero impunitum relinquitur pro suo genere. Item á Deuter. 23. Non erit, qui fornicetur in filiis Israel. Non erit, qui fornicetur de filiabus Israel. Non offeres mercedem meretricis domino Deo tuo ad altere. » Ubi vides, Deum loqui pro tempore testamenti veteris, et consequenter per hoc ipsum attestari, quod nec tunc erat licitum habere concubinam. intellige semper non matrimonio junctam: et hanc ex dispensatione divina tunc quando alia habebatur uxor. Item a. 32. qu. 2. " Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec, etiamsi causa filiorum concumbant, justum faciunt concubinatum suum. » Item á Concil. Lateran. ubi Innoc. III. de sum. Trin. et fid. cathol. Damnamus, etc. " Reprobamus etiam, et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana. Et vere patet in proposito esse insana: quandoquidem caritatem fingebat esse posse, ubi, et dum mortale peccatum actualiter est: et Deum bonum non punire talia peccata: quod prorsus insanissimum hominem sonat. Nec obstat, quod concilium dicit in singulari ly dogma: quoniam nomen dogmatis generale est, et totam ejus doctrinam complectens. Ac si dixisset: se omnem Almarici doctrinam damnare. Hoc autem satis indicant illa sequentia verba, scilicet, ut ejus doctrina non tam hæretica, et cæt. Damnarunt et facto catholici prælati Almaricum tamquam hæreticum, et consequenter doctrinam ejus, quando ipsum combusserunt Lutetiæ de anno 1208 (ut refert Dominus Franciscus Pegna super Direct. Inquisi.) Vide ar. 4. appen. et 1. par. q. 39. ar. 3. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto numquam licuisse habere concubinam, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEXTA,

DE BIGAMIA, ET IRREGULARITATE EX EA CONTRACTA, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de bigamia, et irregularitate ex ea contracta.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum illi bigamiæ quæ est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuerit, sit irregularitas annexa.

Secundo, utrum irregularitatem contrahat qui simul duas uxores habuit.

Tertio, utrum irregularitas contrahatur ex hoc quod quis uxorem non virginem accipit.

Quarto, utrum bigamia per baptismum solvatur.

Quinto, utrum cum bigamo, liceat, dispensare.

ARTICULUS. I.

Utrum bigamiæ sit annexa irregularitas.

Pro negativa. = Videtur quod illi bigamiæ, quæ est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuit, non sit annexa irregularitas.

1. Vir unius uxoris non est irregularis. Sed qui unam uxorem, altera mortua ducit, est vir unius uxoris. Ergo non efficitur irregularis.

Maior patet. quia Apost. dicit 1. Tim. 3. quod Episcopus sit unius uxoris vir.

Minor prob. Non ens non facit aliquam multitudinem seu pluralitatem: quia multitudo et unitas consequuntur ens. Sed quando qui accipit secundam uxorem mortua prima, jam prior non est amplius ejus uxor. Ergo remanet vir unius tantum uxoris, scilicet ejus quæ vivit.

2. Ex hoc quod aliquis plures mulieres fornicarie cognoscit, non efficitur irregularis. Ergo multo minus ex hoc quæ plures uxores successive habet, debet effici irregularis.

Conseq. prob., quia maius signum incontinentiæ apparet in eo qui plures fornicarie cognoscit, quam in eo qui plures uxores successive habet.

3. Si bigamia causat irregularitatem, aut hoc est ratione sacramenti, aut ratione carnalis copulæ: non ratione primi, quia sic, si aliquis cum una contraxisset per verba de præsenti, et ea mortua ante carnalem copulam subsecutam duceret aliam, efficeretur irregularis quod est contra Decretalem Innoc. 3. extra de Bigam lib. 1. tit. 21. cap. Debitum. Nec iterum ratione secundi, quia secundum hoc, etiam qui plures fornicario concubitu cognosceret, irregularis esset, quod est falsum. Ergo nullo modo bigamia causat irregularitatem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est tit. 21. extra de bigamis lib. 1. per totum, et in decretis dist. 26. per totam.

Determinatio.

Conclusio. Bigamia, quantum ad omnes ejus modos, irregularitatem inducit.

Declaratur deinde prob. Sunt enim quatuor modi bigamiæ. Primus est, cum aliquis plures habet uxores de jure successive, scilicet quando aliquis accepit primam uxorem, et ea mortua, accipit aliam. Secundus, cum simul habet plures uxores, unam de jure, et aliam de facto: ut si ducat unam uxorem, et ipsam cognoscat, deinde priore dimissa, aliam ducat et eam retineat. Tertius, cum habet plures successive, unam de jure, et aliam de facto: putu si ducat uxorem, quæ postea moriatur, et post ejus mortem vir accipiat aliquam ejus consanguineam in gradu prohibito dissolvente matrimonium: tunc prior fuit uxor de jure, et secunda non est de jure; sed tantum de facto. Quartus modus est, quando quis duxit viduam in uxorem. Tunc probatur conclusio, dupliciter.

Primo. Illud quod tollit sacramenti

integritatem, inducit irregularitatem. Sed bigamia, quantum ad omnes ejus modos, tollit sacramenti matrimonii integritatem. Ergo bigamia inducit irregularitatem.

Maior prob., quia per sacramentum ordinis, ille qui ordinatur, constituitur minister sacramentorum. Ille autem qui sacramenta debet aliis ministrare, nullum defectum in sacramentis pati debet, et ideo illud quod tollit integritatem sacramenti, inducit irregularitatem, reddendo incapacem ad suscipiendum sacramenti ordinis executionem eum, in quo est sacramentum aliquod sine sua integritate.

Minor manifestatur. Nam defectus in sacramento est, quando sacramenti significatio non invenitur integra. Significat autem sacramentum matrimonii conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam: et ideo ad perfectam significationem sacramenti requiritur quod vir sit tantum unius vir, et uxor sit tantum unius uxor, quod tollitua per omnes modos bigamiæ prædictos; sed præcipue per primum.

Secundo probatur conclusio alia ratione, quæ est. Illud per quod signum permanentis concupiscentiæ in aliquo apparet, inducit irregularitatem. Sed per bigamiam apparet in bigamo signum permanentis concupiscentiæ, qui una uxore contentus esse noluit. Ergo bigamia irregularitatem inducit.

Maior manifestatur quia in illis qui accipiunt sacramentum ordinis, maxime debet spiritualitas apparere. Tum quia spiritualia ministrant, scilicet sacramenta. Tum quia spiritualia docent et in spiritualibus occupari debent. Et cum concupiscentia, per quam totus homo caro efficitur, spiritualitati repugnet; sequitur quod illud, per quod apparet in aliquo signum permanentis concupiscentiæ, irregularitatem seu inhabilitatem ad sacramenta ministranda inducat. Prima tamen ratio est melior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod etsi mulier quæ obiit, non sit amplius ejus uxor; fuit tamen ejus uxor: quia igitur cum utraque successive contraxit, uterque contractus fuit verum sacramentum, secundus tamen deficit á sacramenti perfectione, quæ non debet esse in eo qui sacramenta debet dispensare.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis in fornicario sit maioris concupiscentiæ signum, non est tamen in eo signum concupiscentiæ ita adhærentis, quia per fornicationem non alligatur in perpetuum unus alteri, et ideo non accidit ibi defectus sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod causat irregularitatem bigamia respectu utriusque simul. Causat enim bigamia irregularitatem, in quantum tollit perfectam significationem matrimonii, quæ quidem consistit et in conjunctione animorum, quæ fit per consensum, et in conjunctione corporum; et ideo ratione utriusque simul oportet esse bigamiam, quæ irregularitatem faciat. Unde per Decretalem Innocentii III. obviatur ei quod Magister sententiarum dicit in 4. dist. 27. quod solus consensus per verba de præsenti cum pluribus, sufficit ad irregularitatem in ducendam.

ARTICULUS II.

Utrum irregularitas sit annexa bigamiæ, quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores, unam de jure et alteram de facto.

Pro negativa. — Videtur quod irregularitas non sit annexa bigamiæ, quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores simul, vel successive, unam de jure et aliam de facto.

1. Ubi nullum est sacramentum, nullus potest esse sacramenti defectus. Sed quando aliquis de facto contrahit cum aliqua et non de jure, non est ibi sacramentum: cum talis conjunctio non significet conjunctionem Christi cum

Ecclesia. Ergo hanc bigamiam non consequitur aliqua irregularitas.

2. Dividere carnem suam in plures per fornicationem, vel per adulterium, non causat irregularitatem. Sed ille qui accedit ad eam cum qua contraxit de facto et non de jure, committit fornicationem, si non habeat aliam legitimam uxorem; vel adulterium, si habeat. Ergo talis bigamia non inducit irregularitatem.

3. Contingit quod antequam aliquis cognoscat carnaliter illam cum qua de jure contraxit, cum alia contrahat de facto, non de jure, et eam carnaliter cognoscat, sive prima sit mortua, sive non. Talis contraxit cum pluribus, vel de jure, vel de facto, et tamen non est irregularis: cum carnem suam non diviserit in plures. Ergo ex prædicto modo bigamiæ non contrahitur irregularitas.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est Decretalis Innocentii III. extra de bigamis, cap. Nuper.

Determinatio.

Conclusio. Bigamia, quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores, unam de jure et alteram de facto simul vel successive, habet annexam irregularitatem.

Manifestatur. Quia etsi in illis modis bigamiæ, in uno non sit vere sacramentum, est tamen quædam sacramenti similitudo; et propter hoc irregularitatem causant, ut dicitur in citata Decretali de bigamis cap. Nuper. Unde isti duo modi sunt secundarii in causanda irregularitate. Primus vero, quo scilicet aliquis duas uxores successive et de jure et de facto habuit, est principalis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis ibi non sit sacramentum, est tamen ibi aliqua significatio sacramenti, quæ non est in fornicario, nec in adulterio concubitu.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis ille qui contraxit cum aliqua de facto et non de jure, secundum veritatem, committat adulterium, vel fornicationem: quia tamen hujusmodi concubitus speciem quamdam et similitudinem sacramentalis concubitus habet, ideo habet irregularitatem annexam.

Ad 3. Dicitur quod in tali casu non reputatur quis bigamus: quia primum matrimonium perfectam significationem suam non habuit, tament si per judicium Ecclesiæ compellatur ad primam redire et eam cognoscat, statim efficitur irregularis, quia irregularitatem non facit peccatum; sed imperfectio significationis.

ARTICULUS III.

Utrum contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis ducit uxorem non virginem.

Pro negativa. = Videtur quod non contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis ducit uxorem non virginem.

1. Si ille qui contrahit non sit virgo, non efficitur irregularis. Ergo multo minus si contrahat cum non virgine.

Conseq. prob., quia plus impeditur aliquis defectu proprio, quam impediatur defectu alieno.

2. Potest esse quod aliquis defloraverit virginem, et postea ducat eam in uxorem, qui non videtur fieri irregularis: quia non divisit carnem suam in plures, nec etiam uxor ejus. Et tamen ducit corruptam in uxorem. Ergo talis modus bigamiæ non causat irregularitatem.

3. Nullus potest contrahere irregularitatem, nisi voluntarius. Sed aliquis quandoque ducit uxorem non virginem involuntarius: ut quando credit eam virginem esse, et postea invenit eam fuisse corruptam, cognoscens eam. Ergo talis modus non semper facit irregularitatem.

4. Si uxor post consummatum matrimonium, ab alio cognoscatur; vir ejus non efficitur irregularis. Ergo multo mi-

nus, si accipit in uxorem eam quæ fuit corrupta ante matrimonium, efficitur irregularis.

Antecedens prob., quia alias vir pro peccato uxoris puniretur.

Conseq. prob., quia corruptio sequens matrimonium est vituperavilior, quam præcedens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. in Regist. lib. 2. ead. 35. dicit, et refertur dist. 34. c. « Præcipimus, ne umquam illicitas ordinationes « facias, ne bigamum, aut qui virginem « non est sortitus in uxorem, aut ignorantem literas, aut habentem quamlibet partem corporis vitiatam, vel pœnitentiæ, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium ad sacros ordines permittas accidere. »

Determinatio.

Conclusio. Ducens uxorem non virginem, efficitur irregularis.

Manifestatur, quia in conjunctione Christi et Ecclesiæ unitas ex utraque parte invenitur, et ideo, sive divisio carnalis inveniatur ex parte viri, sive ex parte uxoris, est defectus sacramenti habens irregularitatem annexam. Sciendum tamen quod aliter requiritur indivisio carnis in viro, et aliter in muliere. Ex parte enim viri non requiritur quod sit virgo; sed quod aliam in uxorem non duxerit. Ex parte viro uxoris, non solum requiritur quod alium virum non habuerit: sed quod etiam sit virgo.

Rationem hujus diversitatis, scilicet quare ad cabendam irregularitatem necessarium sit quod uxor sit virgo, non autem vir, assignant decretistæ, quæ est quia sponsus significat Ecclesiam militantem, cujus curam gerit Episcopus, in qua, quia sunt multæ corruptiones, potest signari per sponsum corruptum. Sponsa autem significat Christum, qui virgo fuit. Et ideo ex parte sponsæ requiritur virginitas, non autem ex parte sponsi, ad hoc quod aliquis Episcopus constitui possit.

Reprobatio rationis decretistarum.

Sed hæc ratio est expresse contra Apostulum ad Ephes. 5. dicentem: *viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Ex quibus verbis apparet quod uxor significat Ecclesiam, et sponsus significat Christum. Et iterum, *quia vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.*

Aliorum ratio ad idem.

Et ideo alii dicunt quod per sponsum significatur Christus, per sponsam Ecclesia triumphans, in qua non est aliqua macula. Christus autem habuit primo synagogam tamquam concubinam, et sic non tollitur aliquid de perfectione significationis sacramenti, si habuit sponsus concubinam.

Reprobatio.

Sed hoc est valde absurdum, quia sicut est una fides antiquorum et modernorum, ita una est Ecclesia. Unde illi qui tempore synagogæ Deo serviebant, ad unitatem Ecclesiæ, in qua modo Deo servimus, pertinebant. Et præterea, hoc est expresse contra illud quod habetur Hierem. 3. Ezech. 16. et Oseæ 2. In quibus locis expresse fit mentio de sponsatione synagogæ. Unde non fuit sicut concubina; sed sicut uxor. Et præterea, secundum hoc, forni atio esset sacramentum, significans co ijunctionem viri corrupti cum muliere virgine, quod est absurdum. Et ideo gentilitas, priusquam desponsaretur á Christo in fide Ecclesiæ, corrupta fuit á Diabolo per idololatriam.

Vera ratio.

Et ideo dicendum est quod defectus in ipso sacramento, causat irregularitatem. Corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præcessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento, ex parte illius in qua est corruptio; sed facit defectum ex parte alteterius, quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed

supra alterum; et ideo ex termino specificator, qui terminus est respectu illius, quasi materia sacramenti. Unde si mulier esset susceptiva ordinis, non efficeretur irregularis ex hoc quod ipsa corrupta extra matrimonium virum acciperet; sed vel ex hoc quod habuisset alium virum, vel ex hoc quod acciperet virum jam in alio matrimonio, vel etiam extra matrimonium corruptum. Et ita vir modo non efficitur irregularis ex hoc quod est extra matrimonium corruptus, sed ex hoc quod duas uxores de jure et facto habuit et cognovit: vel ex hoc quod jam corruptam ducit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, ut modo dictum est, quod cum actus matrimonii sit ad alterum; tamquam ad terminum á quo specificatur, magis obest sponso defectus alterius, scilicet conjugis, quam proprius.

Ad 2. Dicitur quod in tali casu sunt diversæ opiniones, probabilius tamen est quod non sit irregularis, quia talis carnem suam non divisit in plures.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod irregularitas non est pœna inflicta; sed defectus quidam sacramenti. Unde non oportet quod semper sit voluntaria bigamia, ad hoc quod irregularitatem causet. Et ideo ille qui uxorem corruptam ducit, quam virginem \ edit, irregularis efficitur cognoscens ea.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod si mulier fornicetur, post matrimonium contractum, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem adulterinam, eam iterato cognoscat; quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri. Sed si vir etiam per jus compellatur ei reddere debitum, vel etiam ex conscientia propria, illa petente debitum reddat, ante condemnationem adulterii, irregularis efficitur. Quamvis de hoc sint variæ opiniones. Sed hoc quod dictum est, probabilius est, quia hic non requiritur quod coitus sit peccatum, sed significatio tantum.

ARTICULUS IV.

Utrum bigamia solvatur per baptismum.

Pro affirmativa.=Videtur quod bigamia per baptismum solvatur.

1. Hieron. dicit in primum caput Epistolæ ad Titum, quod si quis ante baptismum plures uxores habuit, vel unam ante et aliam post, non est bigamus. Ergo bigamia per baptismum solvitur.

2. Baptismus tollit omne peccatum quod est gravius irregularitate. Ergo tollit etiam bigamiæ irregularitatem.

Conseq. prob., quia qui facit quod maius est, facit etiam quod minus est.

3. Omnis pœna ex actu proveniens, tollitur per baptismum. Sed irregularitas est pœna ex actu proveniens. Ergo irregularitas tollitur per baptismum.

4. Illud per quod plene Christo conformatur tollit irregularitatem bigamiæ. Sed per baptismum plene Christo conformatur. Ergo baptismus tollit irregularitatem.

Maior prob., quia bigamus est irregularis, in quantum deficit á repræsentatione Christi.

5. Sacramenta veteris legis solvebant irregularitates: ut Magister dicit in principio 4. lib. Senten. dist. 1. Ergo multo magis baptismus irregularitates ex bigamia contractas tollit.

Conseq. prob. quia sacramenta novæ legis sunt magis efficacia, quam fuerint sacramenta veteris legis. Et inter ipsa, sacramentum baptismi est efficacissimum novæ legis sacramentum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

3. August. dicit in lib. de bon. conjug. cap. 18. et refertur dist. 26. cap. *Acutius intelligunt, qui nec eum qui catechumenus aut paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt, quia de sacramento agitur, non de peccato.*

2. Quia idem August. ibidem dicit. *Fœmina, si catechumena vel pagana vi-*

tiata est, non potest inter Dei virgines post baptismum consecrari. Ergo eadem ratione, nec bigamus ante baptismum ordinari potest.

Determinatio.

Conclusio. Bigamia et ejus irregularitas non solvitur per baptismum.

Prob. Baptismus solvit culpas et non conjugia, ut August, ibidem dicit. Ergo per baptismum non tollitur bigamia, nec irregularitas consequens ipsam.

Conseq. prob., quia irregularitas sequitur ex ipso conjugio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod in casu isto non tenet Hieronymi opinio: nisi forte velimus eum exponere quod loquitur ad superioris dispensationem.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, non oportere quod id quod facit majus, faciat minus, nisi illud quod facit majus, sit ad aliud minus ordinatum; et hoc deficit in proposito, quia baptismus ad irregularitatem tollendam non ordinatur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod est vera de pœnis, quæ sunt inflictæ vel infligendæ ad punitionem peccati; non autem de pœnis quæ non consequuntur actum quia peccatum est; sed ratione significationis, ut est irregularitas.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod baptizatus conformatur Christo, quantum ad virtutem mentis; sed non quantum ad statum carnis, qui consideratur in virginitate vel in divisione carnis.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod illæ irregularitates ex levibus causis non perpetuis erant contractæ, ut ex tactu corporis mortui et similibus: et ideo per illa sacramenta auferri poterant. Et iterum erant ad illa ordinata, baptismus autem ad hoc non ordinatur ut tollat irregularitatem.

ARTICULUS V.

Utrum cum bigamo liceat dispensare.

Pro negativa. — Videtur quod cum bigamo non liceat dispensare.

1. Extra de bigamus, cap. Nuper: lib. et decret. tit. 21. c. 4. dicitur. *Cum clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis, non licet dispensare.*

2. Contra jus divinum non licet dispensare. Sed quod episcopus non sit bigamus, est de jure divino. Ergo non licet in hoc dispensare.

Minor prob., quæ in canonica scriptura dicuntur pertinent ad jus divinum, Sed quod episcopus non sit bigamus, dicitur in canonica scriptura, scilicet 1. Tim. 3. *oportet Episcopum unius uxoris verum esse.* Ergo hoc ad jus divinum pertinet.

3. In his quæ sunt de necessitate sacramenti, nullus potest dispensare. Sed non esse irregularem, est de necessitate sacramenti ordinis. Ergo non potest in hoc dispensari.

Minor prob., quia in eo qui est irregularis deficit significatio, quæ est essentialis sacramento, quod est signum.

4. Illud quod est rationabiliter factum non potest rationabiliter mutari. Sed bigamiæ rationabiliter est adjuncta irregularitas. Ergo non potest in hoc dispensatio fieri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Lucius Papa dispensavit cum Episcopo Panormitano; qui erat bigamus: ut refert Glos. in dist. 34. cap. Lector.

2. Martinus Papa, ut dicitur; 34. cap. Lector, dicit. *Lector, si viduam uxorem accipiat, in lectoratu permaneat, aut si necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra: similiter si bigamus fuerit.* Ergo ad minus usque ad subdiaconatum dispensari potest.

Determinatio.

Conclusio. Cum bigamo licet dispensare.

Prob. Bigamiæ non est adjuncta irregularitas de jure naturali, sed de jure positivo: nec iterum est de essentiali-

bus ordinis quod aliquis non sit bigamus: quod patet ex hoc quod si aliquis bigamus ad ordines accedat, characterem recipit. Ergo cum bigamo licet dispensare.

Declaratur conclusio. Nam totalis dispensatio ad solum Papam pertinet. Papa enim, quoad omnes ordines, et etiam quoad Episcopatum, potest cum bigamo dispensare. Episcopus autem potest tantum, quantum ad minores ordines. Et quidam dicunt quod etiam quantum ad maiores, cum illis qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum religiosorum discursum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod per illam decretalem ostenditur eamdem esse difficultatem dispensandi cum illis qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de jure contraxissent; et non quod subtrahatur simpliciter Papæ potestas cum talibus dispensandi.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ea quæ habentur in doctrina apostolorum, sunt in duplici differentia. Quædam sunt de jure naturali, vel de necessitate sacramentorum fidei, et hæc sunt de jure divino, et non licet in his dispensare per Ecclesiam. Quædam vero sunt de institutione apostolorum, quæ nec ad jus naturale, nec ad necessitatem sacramentorum fidei pertinent, puta quod mulier in Ecclesia sit cooperto capite, vel quod non in tortis crinibus, auro, vel margaritis incedat, et his similia; et in his potest Ecclesia dispensare, cum nunc habeat eamdem potestatem statuendi et destituendi. Et in his est quod episcopus sit unius uxoris vir.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod non quælibet significatio est de essentia sacramenti: debet enim de necessitate significare invisibilem gratiam. Quod autem significet conjunctionem Christi, et unius Ecclesiæ, non est de essentia sacramenti. Irregularitas non tollit primam significationem; sed tantum secundam.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod in particularibus non potest inveniri ratio, quæ omnibus æqualiter competat, propter eorum diversitatem, et ideo quod universaliter est rationabiliter institutum, consideratis his quæ in pluribus accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter removeri, in aliquo casu determinato.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 156.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Conc. *Aurelian.* quod bigamiæ irregularitas est annexa et sic. *Ad bigami ad sacerdotium non ascendant.* Hæc illud, de bigam. non ordinand. Item á Cœlestino III. " De bigamis, presbyteris, et viduarum maritis, idem sancimus omnino, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis, ad divinorum debeant celebrationem admitti, maxime cum á doctrina sit Apostoli, et institutionibus Ecclesiæ alienum. » Item á distinct. 26. una tantum, etc. " Bigami dicuntur, non solum qui post baptisma conjugia frequentant sed etiam qui ante baptismum unam, et post baptismum alteram habuissse probantur. Bigamus vero in sacerdotem ordinari non debet, non quia deliquerit secundam accipiendo uxorem, sed quia prerogativa exutus est sacerdotii. » Item á dist. ead. cap. Acutius, etc. " Sicut femina catechumena vitiata non potest post baptisma inter Dei virgines consecrari: ita non absurdum visum est, bigamum non peccasse, sed normam sacramentum amisisse, non ad vitæ meritum, sed ordinationis signaculum. Unius uxoris vir Episcopus significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro Christo subdi-

tam. » Item ab Innocentio III. de bigam. non ordin. cap. Debitum, etc. " Cum propter sacramenti defectum inhibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros canones promoveri: quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius: profecto, ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum sacramenti. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum pro quanto bigamiæ irregularitatem annexam esse insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Innocentio III.* quod matrimonialiter juncti de facto pluribus uxoribus irregularitatem contrahunt: et sic: " Cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur: unde illum comitatur infamia, qui duas simul uxores habet, quod partim ad factum convenit retorqueri. Eadem censura tales videntur inter bigamos reputandi, qui, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. » Hæc ille, de bigam. non ordin. cap. Nuper. Ubi per ly affectum intentionis cum opere subsecuto, datur intelligi similitudo sacramenti illa, de qua in textu loquutus est Divus Thomas. Denotat ergo Pontifex, quod propter similitudinem facti aliquis numeratur inter eos quandoque, de quorum numero non est; ut habes exemplum 27. quæst. 1. cap. Quotquot. Et universaliter nota hic, et in pluribus locis, adduci litteras Pontificum Conciliorum, et Canonum non totas, sed plerumque pro partibus tantum illis, quæ faciunt ad propositum, fideliter tamen litteras ipsas sic referendo. Hoc dixerim, ne quando erres, putando casu quodam intermissa fuisse plura ipsarum litterarum: sicut et quidam in D. Thoma allegante plurima Doctorum, consulto quædam plus, vel minus relinquente, erraverunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificis, pro quanto bigamiam contrahi ex pluralitate uxorum habitarum de factopartim insinuant, et intelligas et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum á Papa *Hilario*, ut recitatur distin. 34. quod irregularis fit aliquis ducens non virginem, et sic. " Curandum in primis est: ne ad sacros ordines (sicut gestis prioribus ante scriptum est) quisquam, qui uxorem non duxit virginem, aspiret. Item á Papa Syricio. Qui ex laico ad sacram militiam pervenire festinat desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, etc. si tamen cum unam habuisse, et hanc virginem accepisse, constet uxorem.» Hæc ille dist. 77. Quicumque. Intellige ly si tamen, etc. de illo, qui habuit uxorem. Nam etiam, si nulla habuerit, potest liberius ordinari. Item á Leone Papa. " Qualis debeat uxor esse, quæ habenda est secundum legem, virgo casta, et desponsata in virginitate, et, si fornicata fuerit, dimittenda, sed, illa vivente, altera non ducenda. » Hæc ille 30. qu. 5. Intellige ly secundum legem, scilicet promotionis ad ordines. Et nota, quod sufficit, illam esse virginem, quamvis aliquando fuerit alterius conjux. In signum hujus D. Thom. in titulo non dixit de vidua, sed de virgine meminit, et Innocent. Papa de bigam. non ordinan. cap. Debitum, dicit. " Is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad sacerdotium promoveri. » Unde ex ly nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, confirmari potest illa opinio, quæ á Sancto Doctore probabilior dicta est in ad secundum. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto irregularitatem causari ex contractu cum non virgine insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab *Innocentio*, ut recitatur dist. 26. quod per baptismum non tollitur irregularitas contracta per bigamiam; et sic: Deinde, etc. Crimina tantum dimittuntur in baptismo: an et illa quæ secundum Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo erit author in culpa, qui, ut crimina committerentur

in Paradiso præcepit cum ipse eos benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus instituit, nefas est crimen appellare, et Salomon addidit: á Deo præparatur viro uxor quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo authore legitur consummatum? Nuptiarum ergo copula, quia Dei, mandato perficitur, non potest dici peccatum, et quod peccatum non est, solvi inter peccata credi non debet. Eritque integrum, et salutare existimare aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non sit dimissum pro peccato, quod ex Dei voluntate est completum. » Ubi disputat Papa contra illos qui nolebant pro bigamo haberi eum, qui unam uxorem ante baptismum habuisset, et alteram post baptisimum. Item ibidem: " Acutius intelligunt, qui nec eum, qui catechumenus, vel paganus habuerit unam ante baptismum, et post baptismum habuerit alteram, ordinari censuerunt; quia de sacramento agitur, non de peccato. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto bigamiam non tolli per baptismum insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Pontificibus, quod potes dispensari cum bigamo: et sic. Si subdiaconus secundam uxorem duxerit, inter lectores et ostiarios habeatur, ita ut epistolam non legat. Necessitate tamen exigente, bigamus usque ad subdiaconatum potest promoveri. » Hæc Martinus Papa; ut recitatur distinct. 34. Item á facto Papæ lucii, qui dispensavit cum Panormitano Episcopo, qui fuerat bigamus. Quod et adducitur ibid. á glossa cap. lector. At, si dicatur, quod non jure hoc factum sit; temerarium videtur: quoniam nemo judicabit primam sedem, 9. q. 3. Addæ, quod et in Gangrensi Concilio monstratur illius temerarii dicti oppositum sic. Presbyter, si fornicationem fecerit, quamquam secundum canones Apostolorum debeat deponi: tamen juxta authoritatem Beati Silvestri, si in vitio non perseveraverit, si sua sponte confessus adjecit, ut resurgat decem annis in hunc modum pœniteat. Deinde episcopus in pristinum honorem, juxta B. Calixti Papæ authoritatem, eum revocare poterit. » Hæc illud distinct. 82. Ubi patet ex facto duorum beatorum Pontificum Silvestri et Calixti posse dispensari, legitima causa accedente, in pœnis á canonibus etiam Apostolorum taxatis. Quod èt hic ad secundum annotavit S. Doctor. Ex quibus dictis ad Innocentium Papam de bigam. non ord. cap. nuper, et cap. nobis, et ad Lucium ibid. cap. super eo, dicendum, est, quod ibi regulariter loquuntur, non autem in casu legitimæ causæ in contrarium accedentis, ut hic. Quod et insinuavit Martinus Papa nunc supra ly necessitate exigente. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum pro quanto posse dispensari cum bigamo, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEPTIMA,

DE LIBELLO REPUDII. IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de libello repudii.

Circa quod quæruntur septem.

Primo, utrum inseparabilitas matrimonii sit de lege naturæ.

Secundo, utrum repudiare uxorem possit esse licitum per dispensationem.

Tertio, utrum sub lege Moysi fuerit licitum.

Quarto, utrum liceat uxori repudiatæ alium virum accipere.

Quinto, utrum liceat viro repudiatam á se iterum ducere.

Sexto, utrum causa repudii fuerit odium uxoris.

Septimo, utrum causæ repudii deberent in libello scribi.

ARTICULUS I.

Utrum inseparabilitas uxoris sit de lege naturæ.

Pro negativa.=Videtur quod inseparabilitas uxoris non sit de lege naturæ.

1. Illud quod nulla lege (præter legem Christi) fuit prohibitum, non est de lege naturæ. Sed nulla lege (præter legem Christi) fuit prohibitum uxorem dimittere. Ergo inseparabilitas uxoris non est de lege naturæ.

Maior prob., quia lex naturæ communis est apud omnes.

2. Sacramenta non sunt de lege naturæ. Sed inseparabilitas matrimonii ad bonum sacramenti pertinet. Ergo non est de lege naturæ.

3. Conjunctio viri et fœminæ in matrimonio ordinatur principaliter ad generationem prolis, et ad educationem et instructionem ejusdem, quæ aliquo certo tempore finiuntur. Ergo post illud tempus licet dimittere uxorem, sine aliquo præjudicio legis naturæ.

4. Inseparabilitas matrimonii est contra bonum prolis. Ergo magis est contra legem naturæ, quam sit de lege naturæ.

Antecedens prob., quia, ut tradunt Philosophi, aliquis vir non potest ex aliqua fœmina prolem suscipere, qui tamen ex alia accipere posset, et quæ etiam ab alio viro imprægnaretur.

Conseq. prob., quia ex matrimonio quæritur principaliter bonum prolis, propter quod est naturale.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod natura bene instituta accepit in sui principio, est de lege naturæ. Sed inseparabilitas matrimonii est hujusmodi; ut patet Matt. 19. Ergo est de lege naturæ.

2. Quod homo Deo non contrarietur. est de lege naturæ. Sed si homo matrimonium separaret, esset quodammodo Deo contrarius: Deus enim inseparabilitatem matrimonii ordinavit, ut patet Matt. 19. Ergo inseparabilitas hæc est de lege naturæ.

Determinatio.

Conclusio. Inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ.

Prob. Illud quod ordinatur ad bonum prolis, est de lege naturæ. Sed inseparabilitas matrimonii ordinatur ad bonum prolis. Ergo inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ.

Minor manifestatur, quia matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis, quæ est commune bonum viri et uxoris, et propterea de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, et filii sint parentum hæredes; quæ esse non possunt, nisi vir et uxor in perpetua et indivisa societate permaneant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod lex naturalis est quidem communis apud omnes: sed tamen imperfecta et depravata per humani generis ad malum pronitatem. Et ideo non potuit per legem Moysi, nec per humanas leges auferri totum quod irrepserat contra legem naturæ; inter quæ erat conjugum separatio. Christi autem sola lex ad perfectum humanum genus adduxit, et ideo, soli legi Christi, quæ est lex spiritus et vitæ, hoc fuit reservatum ut separationem matrimonii prohiberet.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod inseparabilitas convenit matrimonio secundum quod est signum perpetuæ conjunctionis Christi et Ecclesiæ, et secundum quod est in officium naturæ ad bonum prolis ordinatum, ut dictum est in corp. Sed quia separatio matrimonii magis directe repugnat significationi, quam bono prolis, cui ex consequenti repugnat, ut etiam dictum est; ideo inseparabilitas matrimonii magis in bono sacramenti intelligitur, quam in bono prolis, etsi in utroque intelligi possit. Erit ergo de lege naturæ secundum quod

pertinet ad bonum prolis, non autem secundum quod pertinet ad bonum sacramenti.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ea quæ pertinent ad parentes erga prolem, non finiuntur nisi in morte parentum, ut in corpore dictum est; et ideo numquam debent separari.

Ad 4. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune, ratione principalis finis, qui est bonum prolis, quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum personæ matrimonium contrahentis, prout est in remedium concupiscentiæ. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur, quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inséparabilitas impedire possit bonum prolis in aliquo homine; tamen est inconveniens ad bonum prolis simpliciter.

ARTICULUS II.

Utrum potuerit esse licitum per dispensationem, uxorem dimittere.

Pro negativa. = Videtur quod uxorem dimittere non potuerit per dispensationem esse licitum.

1. In eo quod est contra prima præcepta legis naturæ, non potest dispensari. Sed dimittere uxorem, est contra prima præcepta legis naturæ. Ergo dimittere uxorem, non potuit per dispensationem esse licitum.

Minor prob. Quod est contra bonum prolis, est contra prima præcepta legis naturæ. Sed dimissio uxoris est contra bonum prolis: ut art. præced. dictum est. Ergo est contra prima præcepta legis naturæ.

2. Habere concubinam fuit indispensabile, ut quæst. 157. dictum est. 5. Ergo et dimittere uxorem non est dispensabile.

Conseq. prob., quia concubina differt ab uxore, præcipue in hoc quod non est inseparabiliter juncta, sicut uxor.

3. Nunc non potest dispensari cum aliquo, ut uxorem dimittat. Ergo nec olim potuit dispensari.

Conseq. prob., quia homines ita sunt modo receptibiles dispensationis, sicut olim fuerunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Abraham absquæ nota peccati dimisit Agar, quam uxorio affectu cognoverat. Ergo per dispensationem potuit esse licitum, uxorem dimittere.

Determinatio.

Conclusio. Potuit esse licitum per dispensationem, uxorem dimittere.

Prob. Illud quod pertinet ad secundaria legis naturæ præcepta, potuit esse licitum per divinam dispensationem. Sed inseparabilitas matrimonii pertinet ad secundaria legis naturæ præcepta. Ergo inseparabilitas matrimonii potuit sub dispensatione cadere.

Maior patet ex differentia, quæ est inter prima legis naturæ præcepta et secundaria. Illa enim sub dispensatione non cadunt, utpote quæ ipsum commune bonum principaliter attendunt. Secundaria vero dispensabilia sunt: ut habes 1. 2. quæst. 95. artic. 2. et 5.

Minor manifestatur. Nam inseparabilitas matrimonii non ordinatur ad bonum prolis quod est principalis matrimonii finis, nisi quantum ad hoc quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam, per debitam preparationem eorum quæ sunt necessaria in vita. Hujusmodi autem præparatio non est de prima intentione naturæ, secundum quam omnia sunt communia, et ideo non videtur esse contra prima præcepta naturæ dimissio uxoris, ac per hoc sub dispensatione cadere potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod in homo prolis, secundum quod est de prima intentione naturæ, intelligitur procreatio, nutritio, et instructio, quousque proles ad perfectam perveniat ætatem; sed quod ei provideа-

tur imposterum, per hæreditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturæ intentionem; ac per hoc, post perfectam prolis ætatem, potest divinitus in inseparabilitate matrimonii dispensari.

Ad 2. Negatur conseq. Habere enim concubinam, est contra bonum prolis, quantum ad id quod natura in ea, prima intentione intendit, scilicet educationem et instructionem, quæ requirit diuturnam commansionem parentum quod non est in concubina, quæ ad tempus assumitur. Negatur igitur assumptum in probatione. Concubina enim, non solum differt ab uxore per separibilitatem et inseparabilitatem, sed per hoc quod habere concubinam, est contra principale bonum prolis, separatio autem uxoris est tantum contra secundarium bonum.

Ad 3. Negatur conseq. Inseparabilitas enim, quamvis sit de secunda intentione naturæ, quatenus matrimonium est in officium naturæ: et tamen de prima intentione, ut est sacramentum Ecclesiæ. Et ideo ex quo institutum est quod sit Ecclesiæ sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere. Non cadit igitur nunc sub dispensatione; sicut olim, quia olim non erat Ecclesiæ sacramentum sicut tempore legis gratiæ.

ARTICULUS III.

Utrum sub lege Moysi fuerit licitum, uxorem dimittere.

Pro affirmativa = Videtur quod sub lege Moysi fuerit licitum uxorem dimittere.

1. Illud cui potest licite quis consentire, est licitum. Sed separationi matrimonii lex vetus licite consensit. Ergo separatio matrimonii tempore legis veteris fuit licita.

Maior prob., quia consentire illicito est illicitum. Unde illud cui potest quis licite consentire, est licitum.

Minor prob. Ei, quod lex vetus non prohibuit, cum posset prohibere, consensit: unus modus consentiendi est, non prohibere cum prohibere possit. Sed lex vetus separationem hanc non prohibuit, cum prohibere posset. Ergo huic separationi consensit. Quod autem lex licite consenserit, ostenditur. Quia lex sancta, ut dicitur Rom. 7. Unde his, quæ lex vetus consensit, sub illa lege licita videntur fuisse.

2. Illud quod Spiritus Sanctus inspirat, est licitum. Sed repudium uxoris Spiritus Sanctus, sub lege Moysi, inspirabat. Ergo erat tunc licitum.

Minor prob., quia Malach. 2. Qui Spiritu Sancto inspirante, sicut cæteri prophetæ, locutus est, ut dicitur 2. Pet. 1. habetur: *Cum odio habueris, dimitte.*

3. Secundæ nuptiæ non sunt peccatum. Ergo non repudium uxoris sub lege Moysi.

Conseq. prob., quia Chrysost. dicit Hom. 32. oper. imperf. super Matt. quod sicut Apostoli permiserunt secundas nuptias; ita Moyses permisit libellum repudii.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod *Judæis fuit permisum propter duritiam cordis eorum*, non fuit licitum sub veteri lege. Sed libellus repudii fuit permissus judæis, propter duritiam cordis eorum, ut patet Matt. 19. Ergo repudium uxoris tunc non fuit licitum.

Maior prob., quia duritia cordis non excusabat eos á pecato.

2. Chrysost. dicit. Hom. 32. in Matt. quod «Moyses dando libellum repudii, «non justitiam Dei ministravit, ut quasi «per legem agentibus, peccatum non «videretur esse peccatum.»

Determinatio.

Prima de hoc quæsito positio.

Circa hoc quæsitum est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod illi qui in veteri lege uxorem, dato libello repudii, dimittebant, non excusabantur á peccato, quamvis excusarentur á pœna se-

cundum legem infligenda. Et hoc ostendunt, quia non dicitur quod Moyses præceperit repudium, sed solum quod permisit repudium. Ponunt autem quatuor modus permissionis. Unam per privationem præceptionis, et sic quando maius bonum non præcipitur, minus bonum dicitur permitti, sicut Apostulus non præcipiendo virginitatem, quæ est maius bonum, permisit matrimonium quod est minus bonum, 1. Cor. 7. Secundum, per privationem prohibitionis, sicut venenialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertium, per privationem cohibitionis, et sic peccata omnia dicuntur permitti á Deo, in quantum ea Deus non impedit, cum possit impedire. Quartum per privationem punitionis, et sic repudium uxoris in lege permissum fuit, non quidem propter aliquod maius bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis, sed propter maius malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod judæi proni erant, propter corruptionem irascibilis: sicut et eis permissum fuit extraneis fœnerari, propter aliquam corruptionem in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis fœnerarentur. Et sicut etiam propter corruptionem suspicionis in rationali, fuit permissum sacrificium Zelotypiæ, ne sola suspicio apud eos judicium corrumperet.

Aliorum positio.

Aliis autem videtur quod quia lex vetus, etsi gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, ut communiter sancti dicunt, si repudiando uxorem peccassent, hoc eis per legem aut prophetas indicari debuisset, juxta illud Esai. 58. *Annuncia populo meo scelera eorum.* Alias viderentur nimis esse neglecti, si ea quæ necessaria sunt ad salutem, quæ non cognoscebant, numquam eis nunciata fuissent; quod non potest dici, cum justitia legis tempore suo observata vitam mereretur æternam. Et propter hoc dicunt, quod quamvis repudiare uxorem, per se sit malum, tamen ex divina permissione licitum fiebat. Quod etiam confirmant auctoritate Chrysostomi, qui Hom. 32. op. imperf. in Matt. dicit quod *á peccato abstulit culpam Legislator, quando permisit repudium.*

Quæ harum positionum sit probabilior.

Et quamvis hæc secunda positio probabilis sit, prima tamen est probabilior. Quam valde firmant duo argumenta pro negativa superius inducta. Sed ut salvetur utriusque positionis probabilitas, ad rationes utriusque partis respondendum est.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. negatur maior. Ad cujus probationem dicitur, quod ille qui potest prohibere aliquid non peccat, si á prohibitione abstineat non sperans correctionem, sed æstimans maius malum ex prohibitione occasionem sumere. Et sic accidit Moysi. Unde divina auctoritate fretus libellum repudii non prohibuit.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod Prophetæ Spiritu Sancto inspirati non dicebant esse uxorem dimittendam, quasi hoc Spiritus Sancti præceptum esset sed quasi permissum, ne peiora mala fierent.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod illa permissionis similitudo non est intelligenda quantum ad omnia, sed solum quantum ad eamdem causam, quia utraque permissio facta est, ad vitandam turpitudinem.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis duritia cordis non excusaret á peccato, tamen permissio ex ex duritie facta, excusat, quædam enim prohibentur sanis corporaliter, quæ non prohibentur infirmis, nec tamen infirmi utentes permissione eis facta peccant.

Ad 2. Dicitur, quod aliquod bonum potest intermitti dupliciter. Uno modo, ad consequendum aliquid maius bonum:

et tunc intermissio illius minoris boni, ex ordine ad maius bonum accipit honestatem. Sicut á Jacob Patriarcha, honeste intermittebatur singularis uxor propter bonum prolis. Alio modo, bonum aliquod intermittitur ad vitandum maius malum: et tunc si hoc fiat auctoritate ejus qui dispensare potest, intermissio talis boni non habet reatum, sed tamen honestatem ex dispensatione non acquirit. Et sic indivisibilitas uxoris intermittebatur in lege Moysi, propter vitandum maius malum, scilicet uxoricidium. Et ideo Chrys. tit. dicit in auctoritate inducta in fine corporis quod Legislator *á peccato abstulit culpam*: quamvis enim inordinatio maneret in repudio, ex qua inordinatione repudium dicitur peccatum; tamen reatum pœnæ temporalis, aut æternæ non habebat, in quantum hoc divina dispensatione fiebat. Et sic erat á repudio culpa ablata. Es ideo etiam ipse Chrys. ibidem dicit quod *permissum est repudium malum quidem, sed licitum.* Quod quidem illi qui sunt de prima opinione, referunt ad hoc tantum quod erat licitum, quia non habebat reatum temporalis pœnæ.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat uxori repudiatæ, alium virum habere.

Pro affirmativa.=Videtur quod liceret uxori repudiatæ alium virum habere.

1. Vir poterat (sine peccato) aliam uxorem, prima repudiata, ducere. Ergo et uxor repudiata alium virum ducere poterat.

Conseq. prob., quia in repudio magis erat iniquitas viri repudiantis, quam uxoris repudiatæ.

2. Tempore veteris legis erat consuetudo quod repudiata alium virum ducebat, ut patet Deuter. 24. *Cum egressa, alterum virum duxerit*, etc. Ergo uxor repudiata non peccabat alteri viro se jungendo.

Conseq. prob., quia Aug, dicit in lib. de bon. conjug. cap. 18. de duabus uxoribus loquens quod *quando mos erat, peccatum non erat.*

3. Dominus Matt. 5. docet quod justitia novi testamenti debet abundare plus quam justitia veteris testamenti, et inter alia in quibus abundare debet, hoc unum ponit quod mulier repudiata alium virum non accipiat. Inquit enim Dominus: dictum est autem (scilicet in veteri lege) Deut. 24. quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: qui dimissam duxerit, adulterat. Erat ergo pertinens ad justitiam veteris testamenti, dimittere uxorem, et quod uxor alium virum acciperet; alioquin justitia novi testamenti non esset superabundans, sed prohibens tantum mala permissa in veteri.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Mœchia numquam fuit in veteri lege licita. Sed Matt. 5. dicitur quod *dimissam ducere, est mœchia.* Ergo non licebat dimissam ab uno, alium accipere virum.

2. Deut. 24. dicitur quod mulier repudiata, quæ alium virum duceret, *polluta erat et abominabilis facta coram domino.* Ergo peccabat alium virum ducendo.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si sustineatur prima positio, in præcedenti articulo, tamquam probabilior accepta, scilicet quod in lege Moysi non esset licitum uxorem, sine peccato dimittere, dicendum est quod mulier dimissa ab uno non poterat alium ducere.

Et hoc manifestatur, quia primum matrimonium per repudium non solvebatur. *Mulier* enim *quanto tempore vivit, alligata est legi viri.* Rom. 7. Et non habet potestatem, simul plures viros habere.

2.ª Conclusio. Si secunda positio in eodem articulo recitata, scilicet quod non peccaret vir dimittendo uxorem ex legitima causa, ex divina dispensatione, sustineatur, erat licitum uxori alterum virum ducere, sicut viro alteram uxorem.

Manifestatur, quia inseparabilitas matrimonii, quæ impediebat mulierem, ne alterum acciperet virum, per divinam dispensationem tollebatur.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob., dicitur, quod viro licebat, secundum divinam dispensationem, plures simul uxores habere; et ideo una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere. Uxori autem numquam licuit plures viros simul habere, et ideo dimissa non poterat alium virum ducere.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in illis verbis Aug. mos, non ponitur pro consuetudine, ut sit sensus quod quando aliquid est consuetum, non sit peccatum: nam consuetum est tolerare meretrices, et tamen meretricari est peccatum. Sed, mos, accipitur pro honesto, secundum quod á more dicitur aliquis morigeratus, quia est bonorum morum: sicut á more, moralis philosophia dicitur. Sensus ergo est quod *quando mos, idest honestum erat habere duas uxores, non erat peccatum*: quod autem repudiata alium virum duceret; consuetum quidem quandoque fuit, non autem honestum.

Ad 3. Dicitur quod dominus Matt. 5. ostendit novam legem abundare per consilia ad veterem, non solum quantum ad ea quæ lex vetus licite faciebat, sed etiam quantum ad ea quæ in veteri lege illicita erant, quæ tamen á multis licita putabantur, per non rectam præceptorum expositionem, sicut patet de odio inimici, et etiam de repudio uxoris. Justitia igitur novæ legis debet abundare supra justitiam antiquæ legis, non solum non faciendo aliquid quod in veteri licite poterat fieri, sed etiam in hoc quod non faceret quædam, quæ tunc ab aliquibus licita putabantur, cum tamen secundum veritatem essent illicita. In antiqua enim lege licitum erat jurare, de consilio autem in nova lege est quod omnino non debeamus jurare. In veteri dicebatur oculum pro oculo, etc. In nova vero quod debeamus præbere alteram maxillam percutienti, Arbitrabantur, judæi esse licitum odio habere inimicos, et in nova præcipitur dilectio inimicorum. Ex quibus patet quod «lex «evangelica abundat in justitia supra, «veterem, prohibendo mala, quæ tunc «bona existimabantur, et consulendo «maiora bona.»

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod verbum domini intelligitur, quantum ad tempus novæ legis, in quo dicta permissio dimittendi uxorem, est sublata.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quædam glosa interlinearis dicit, *polluta est et abhominabilis*, sed illius judicio qui quasi pollutam prius dimisit: et sic non oportet quod sit polluta simpliciter. Vel dicitur polluta, eo modo quodo immundus dicebatur, qui mortuum tangebat vel leprosum, non immunditia culpæ, sed cujusdam irregularitatis legalis. Unde et sacerdoti non licebat viduam aut repudiatam ducere in uxorem.

ARTICULUS V.

Utrum liceat viro accipere á se repudiatam.

Pro affirmativa. = Videtur quod liceret viro á se repudiatam iterum accipere.

1. Quod male factum est, licitum est corrigere. Sed quod vir uxorem repudiabat, male factum erat. Ergo licebat hoc corrigere, reducendo ad se uxorem.

2. Peccanti indulgere semper licitum fuit. Sed vir accipiendo uxorem á se repudiatam, ei peccanti indulgebat. Ergo hoc licitum erat.

3. Deuter. 24. ponitur pro causa

quare uxor repudiata non possit iterum accipi, *quia polluta est*. Sed repudiata non polluitur, nisi alterum virum ducendo. Ergo saltem antequam alium virum duceret, licebat eam accipere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Deuter. 24. dicitur: *non poterit prior maritus accipere eam, etc.*

Determinatio.

Conclusio. Non licebat viro, á se repudiatam iterum accipere.

Manifestatur quia in lege de libello repudii duo erant permissa, scilicet dimittere uxorem et dimissam alteri jungi. Et duo erant præcepta, *scilicet scriptura libelli repudii, et quod maritus eam repudians recipere iterum non posset*: ut patet in inducta auctoritate. Causa autem quare lex ordinaverit quod vir non posset transumere á se dimissam, secundum eos qui primam opinionem positam in art. 3. sustinuerunt: scilicet quod fuerit semper illicitum dimittere uxorem, factum fuit in pœnam mulieris quæ alteri nupsit, et in hoc peccato polluta est. Sed secundum alios, hoc factum fuit, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam nullo modo recuperare posset.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod ad corrigendum et ad impediendum illud malum quod committebatur repudiando uxorem, divinitus ordinatum fuit quod vir repudiatam non posset iterato assumere.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod semper licitum fuit indulgere peccanti, quantum ad rancorem cordis, sed non quantum ad pœnam taxatam divinitus.

Ad 3. Dicitur quod circa hoc, scilicet an viro repudianti liceret iterato repudiatam assumere, duplex fuit opinio. Quidam enim dicunt quod licuit uxorem repudiatam viro reconciliari, nisi esset alteri viro matrimonio juncta. Tunc enim (inquiunt) propter adulterium; cui mulier se voluntarie subdidit, in pœnam dabatur ei quod ad priorem virum non rediret. Sed quia lex universaliter prohibet, ideo alii dicunt quod etiam antequam alteri nuberet, non poterat revocari, ex quo erat repudiata; quia pollutio non intelligitur, quantum ad culpam, sed solum quantum ad quamdam legalem immunditiam, ut dictum est. Unde juxta primam positionem conceditur id quod argumentum concludit, scilicet quod licebat viro repudianti repudiatam iterato assumere: si tamen repudiata alteri viro non nupserit, de qua ajunt intelligendam esse conclusionem hujus quæsiti. Sed juxta secundam positionem, negatur minor. Polluebatur enim mulier repudiata ex ipso repudio pollutione legali, propter quam illicitum erat viro repudianti eam reassumere.

ARTICULUS VI.

Utrum causa repudii fuerit odium uxoris.

Pro affirmativa.=Videtur quod causa repudii fuerit odium uxoris.

1. Malach. 2. dicitur: *cum odio habueris, dimitte.* Ergo.

2. Deuter 24. dicitur. *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem*, scribat libellum repudii et dabit in manu ejus, et dimittet eam de domo sua.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sterilitas, et fornicatio magis contrariantur matrimonio, quam odium. Ergo illa potius, quam odium debuerunt esse causa repudii.

2. Si odium erat causa sufficiens repudiandi uxorem; sequeretur quod mulier potuisset repudiari propter virtutem suam, quod est absurdum.

Conseq. prob., quia odium potest causari ex virtute ejus qui odio habetur.

3. Deuter. 22. dicitur: «si duxerit «vir uxorem, et postea odio habuerit «eam, quæ sieritque occasiones quibus «dimittat eam, objiciens ei stuprum an«te conjugium; si in probatione defece«rit, verberabitur, et centum siclis ar-

« genti condemnabitur. et non poterit « dimittere eam omnibus diebus vitæ « suæ.» Ergo odium non est sufficiens causa repudii.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Proxima causa repudii fuit odium uxoris.

Prob. Causa permissionis repudiandi uxorem fuit, ut vitaretur uxoricidium, ut sancti communiter dicunt. Sed proxima causa homicidii est odium. Ergo proxima causa repudii est odium.

2.ª Conclusio. Oportet ponere aliquas causas remotas repudii, quæ erant causa odii.

Manifestatur, quia Glos. ex August. lib. 1. de serm. domini in monte cap. 25. super Deut. 24. dicit: «multæ erant « in lege causæ dimittendi uxorem, so- « lam Christus fornicationem excepit, « cæteras vero molestias jubet pro fide « et castitate conjugii sustinere.» Hæ autem causæ intelliguntur fœditates in corpore, puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula, vel in anima sicut fornicatio et alia hujusmodi quæ in moribus inhonestatem faciunt.

Aliqui tamen dictas causas, satis probabiliter, magis coarctant, dicentes quod non licebat repudiare, nisi propter aliquam causam, post matrimonium supervenientem, nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum quæ possunt bonum prolis impedire, vel in corpore, ut sterilitas, aut lepra, aut aliquid hujusmodi; vel in anima, ut si esset malorum morum, quos filii, ex conversatione cum ipsa, imitarentur.

Sed quædam glosa interlin. super illud Deut. 24. Si non invenerit gratiam, etc. Videtur magis has causas arctare, scilicet ad peccatum, cum dicit quod ibi per (fœditatem) peccatum intelligitur. Peccatum tamen hæc Glos. nominat, non solum in moribus animæ, sed etiam in natura corporis.

Ad argumenta pro affirmativa.

Duo argumenta pro affirmativa probant quod odium sit causa proxima repudii, cum quo tamen stat quod sint aliæ causæ remotæ.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Dicitur quod sterilitas et alia hujusmodi sunt causa odii, et sic sunt causæ remotæ repudii.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod propter virtutem non est aliquis odibilis, per se loquendo, quia bonitas est causa amoris. Unde negatur assumptum.

Ad 3. Dicitur quod in pœnam viri ordinabatur quod in perpetuum non posset repudiare uxorem in casu illo, sicut etiam in alio casu quando puellam defloraverat.

ARTICULUS VII.

Utrum causæ repudii deberent in libello scribi.

Pro affirmativa. = Videtur quod causæ repudii deberent in libello scribi.

1. Per libellum repudii scriptum, vir á pœna legis absolvebatur quod videtur injustum, nisi causis sufficientibus repudii assignatis. Ergo illas oportebat scribere in libello.

2. Ad nihil aliud illa scriptura valere videbatur, nisi ut causæ repudii ostenderentur. Ergo si non scribebantur, frustra tradebatur sibi libellus.

3. Magister hoc dicit in 4. Sent. dist. 33. parag. C.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Causæ repudii, aut erant sufficientes, aut non. Si erant sufficientes, precludebatur mulieri via ad secundas nuptias quæ ei secundum legem concedebantur. Si autem erant insufficientes, ostendebatur injustum repudium, quod propterea fieri non poterat. Ergo nullo modo ibi causæ repudii in speciali scribebantur.

Determinatio.

Conclusio. Causæ repudii in speciali non scribebantur in libello, sed tantum in generali.

Manifestatur. Nam secundum aliquod scribebatur libellus, ut ostenderetur justum repudium, secundum Josephum lib. 4. Antiq. c. 6. Ut mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset: alias enim ei creditum non fuisset. Unde in eo erat scriptura talis, ut idem Josephus dicit. Promitto tibi quod numquam tecum conveniam. Sed secundum Aug. lib. 19. contra Faustum. c. 26. Ideo libellus scribebatur, ut mora interveniente et consilio scribatum dissuadente, vir á proposito repudiandi desisteret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod libellus repudii non scribebatur ad absolvendum virum vel mulierem á pœna, sed propter dictam causam.

Ad 2. Dicitur, quod illa scriptura valebat ad ea de quibus in corpore dictum est. Etsi propter primum sufficeret eas in generali scribere.

Ad 3. Dicitur quod magister intelligendus est quod scribebatur libellus, exprimendo causas repudii in generali.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX RÆCED. 157.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas errorem *Libertinorum* (Prat. *Libertini*) dicentium: matrimonia posse disolvi, ubi uxorem mariti sui tædium ceperit. Demonstrat enim articulus præsens, quod hujusmodi separabilitas est contra legem naturæ per hoc, quod ostendit inseparabilitatem matrimonii esse de lege naturæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem merito damnari á Concil. Trid. sessio. 24. canon. 5. "Si quis dixerit: propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam á conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum anathema sit." Ecce, quod á fortiori convincit, et damnat Libertinos, cum nec propter hæresim, quæ profecto pejor est, quam tædium mariti dissolvi matrimonia sanxit. Ex quo etiam, á fortiori, damnatur Melancthon, qui propter adulterium voluit matrimonia dissolvi, ut supra q. 59. art. 6. append. Et Calvinus, qui facto suo Melancthoni ipsi subscripsit. Ut enim tefert. Prateolus titul. Judæorum hæreses; quidam intra semiannum tres duxit Genevæ uxores, eo quod secundum Evangelium duas probaret adulteras, Calvino judice. En, quanta mala profluunt ex ignorantia, vel etiam extorsione, recti sensus Evangeliorum, et (universaliter á simili) aliarum scripturarum sanctarum. Item á Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Item á Rom. 7. *Mulier alligata est legi, quandiu vir ejus vivit.* Item a. 1. Corint. 7. per verba similia. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, pro quanto virtualiter insinuant inseparabilitatem matrimonii esse de lege naturæ et intelligas, et probes, et defendas. Dixi ly virtualiter: quia id, quod ab initio creaturæ institutum fuit, videtur esse de lege naturæ, et hoc ipsum per prædicta insinuatur. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apostolo Gal. 4. quod per dispensationem, dictum fuit dimittere uxorem, et sic. "Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera." Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam. Item Genes. 21. "Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua. Omnia, qœ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus." Licet ergo ly ejice ancillam sit verbum Saræ, tamen á Deo est confirmatum, et consequenter per dispensationem divinam factum licitum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto insinuant, licitam esse dimissionem uxoris per dispensationem divinam, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem dupliciter intelligas dictum Matth. 19. " Moyses, ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. » Item illud Mar. 10. " Ad duritiam cordis vestri Moyses scripsit vobis præceptum illud. » Ubi ly præceptum sumitur large. Item Deuter. 24. " Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam; et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. » Hæc enim omnia, et singula, et si quæ similia sunt, possunt intelligi ita, ut ibi non interveniret peccatum, et ita, ut interveniret. *Secundo* habes: quomodo per rationem utrumque sensum scripturarum illarum, et probes, et in adversis defendas. Quoniam autem sensus utervis sanctos Doctores sibi faventes habet: quos prædictis modis sustentando scripturam per articulum hunc, simul sustentas: ideo, etc. *Tertio* habes: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Montanistarum Armenorum* (Prat. eorum tit.) dicentium; nuptiarum fœdus, et vinculum posse pro conjugum arbitrio dissolvi. Si enim, dispensatione, seu permissione divina accedente, vix poterat vinculum hoc dissolvi, in cujus signum repudiata uxor alteri viro nubere vix sine peccato poterat: multo magis absque dispensatione tali dissolvi non potest, et consequenter nec pro conjugum arbitrio. Dixi ly vix: quoniam duplex opinio circa hanc repudiatam fuit, an scilicet vinculum matrimonii dissolveretur, necne, ut in corp. art. patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori ostendas, prædictam hæresim merito damnari á Concilio Florent. in decret. Armen. dato: " Tertium bonum matrimonii est ejus indivisibilitas propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit. » Item á, etc. ut supra quæst. 59. art. 6. append. et qu. 49. art. 2. et 3. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Innocent. III. de div. c. Gaudemus, quod indivisibilitas matrimonii non tollebatur per dationem libelli repudii; et sic: " Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio, reprobaverit, numquam ea vivente licite poterit aliam etiam ad fidem Christi conversus habere. » Ubi, licet ad litteram loquatur de tempore novæ legis, inquo numquam dispensatur de dimissione uxoris, art. 2. ad 3. et hoc 4. ad 4. tamen per illa verba multum favere videtur etiam inseparabilitati antiquorum conjugum per dationem libelli prædicti. *Quarto* habes: quomodo per rationem Scripturas á Doctoribus circa hoc dupliciter expositas, simul et Doctores ipsos intelligas, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias legem cujusdam *Picardi* infamem (Prat. Picardi, Adamiani) statuentis connubia permixta, seu promiscua ob carnis libidinem esse permittenda. Ecce enim, quod vir uxorem á se repudiatam iterum accipere non potest, quamvis libidine carnis ad hoc moveatur quandoque, nec tale connubium á Deo permissum est. Item hæresim Almarici (Director inquisit. 2. par. qu. 7.) dicentis: quoscumque actus carnales, stuprum, adulterium, etc. commissos ex caritate non esse peccatum. Ecce enim, quod propter adulterium commissum ab uxore repudiata cum altero viro, quamvis in matrimonio juncto secundum opinionem unam, punitur ipsa uxor á Deo juste, per hoc, quod ad priorem virum redire non potest. Unde á fortiori patet, quod adulteria sine prætextu matrimonii, etiam quod ex caritate illa ficta committantur, peccata sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos errores merito damnari á, etc. ut q. 54. art. 3. append. et qu. 60. art. 2. app. Item á, etc. ut quæst. 64. art. 5. append. et qu. 65. art. 5. app. *Tertio* habes: quomodo per rationem Deuteron. 24. Scripturam de hac re loquentem, ut in textu, et intelligas, et defendas *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem quorumdam *Gentilium*, ut colligitur ex Gen. cap. 20. dicentium, quod adulterium erat majus

peccatum, quam homicidium. Ex Genesis, inquam, cap. illo colligitur error talis illorum per hoc, quod, si scivissent, Saram esse uxorem Abrahæ, occidissent ipsum Abraham, ut postea fornicarentur cum Sara. Non enim adulterium commitere audebant, sed ad ejus, tamquam majoris mali vitationem, homicidium cojugis eligebant. Hac de re Abraham persuasit Saræ, ut diceret, se esse sororem suam. Cogitavi, inquit " Abraham, mecum dicens: forsitan non est timor Dei in loco isto, et interficient me propter uxorem meam. » Hic ergo error, ut dixi, rejicitur per articulum præsentem. Hic enim ostendit, quod causa repudii uxoris ex parte legis fuit intentio vitandi uxoricidium tamquam permissio minoris mali ad vitandum majus. Sciebat autem Deus: quod uxor repudiata nuptura erat alteri, cum quo manens adulterium secundum aliquos supra, committebat. Cum ergo adulterium tale permiserit Deus ad uxoricidium vitandum juxta dicta in articulo, patet: et quod judicavit, adulterium esse minus malum quam homicidium, et quod per articulum præsentem ostenditur falsitas erroris illorum Gentilium. *Secundo* habes: quomodo, per rationem ostendas prædictum errorem merito damnari ab Exod. 20. *Non occides, non mœchaberis.* Pro quo sciendum, quod á majoribus præceptis incœpit ibi Deus descendendo ad minora in genere illo, puta affirmativorum, seu negativorum præceptorum. Unde prima præcepta fuerunt de seipso, scilicet: *Non abebis Deos alienos coram me*, et sic descendendo. Per hoc igitur, quod anteponit ly occides ad ly non mœchaberis, ostendere vult: quod homicidium est majus peccatum, quam adulterium. Item á Matth. 5. ubi idem ordo servatur. *Tertio* habes: quomodo per rationem multa dicta scripturarum, puta Malach. 3. Deut. 21. et 24. de causa repudii loquentia in sensu vero, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse virtualiter insinuatum á *Bonifacio VIII.* quod ad puniendum uxorem requirebatur aliqua causa: et sic. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hæc ille: de regul. jur. in 6. regula 23. Quasi dicat in proposito, si punienda est uxor manifeste per repudium, etiam manifeste debet explicari causa, et maxime quando non apparet notorie culpa uxoris. Tunc autem manifeste causa explicatur absentibus, quando in scriptis fit: quoniam scriptura et publica est, et ad absentes loquitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictam regulam Pontificis, pro quanto in generali saltem causas repudii scribendas esse virtualiter innuit, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc

---

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA OCTAVA,

DE FILIIS ILLEGITIME NATIS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de filiis illegitime natis.

Et circa hoc quæruntur tria.

Primo, utrum qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi.

Secundo, utrum illegitimi filii debeant ex hoc damnum reportare.

Tertio, utrum possint legitimari.

ARTICULUS I.

Utrum filii, qui nascuntur extra verum matrimonium, sint legitimi.

Pro affirmativa.=Videtur quod filii qui nascuntur extra verum matrimonium, sint legitimi.

1. Qui nascitur secundum legem, dicitur legitimus. Sed quilibet nascitur secundum legem, saltem naturæ. Ergo quilibet filius dicitur legitimus.

Maior prob., quia legitimus dicitur, quasi secundum legem natus.

2. Communiter dicitur quod filius le-

gitimus est qui est de legitimo matrimonio natus vel de eo quod in facie Ecclesiæ legitimum reputatur. Sed contingit quandoque quod aliquod matrimonium legitimum reputetur in facie Ecclesiæ, quod tamen habet impedimentum, ne sit verum matrimonium. Ergo filii extra verum matrimonium nati sunt legitimi.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Qui nascuntur contra legem, non sunt legitimi. Sed qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Ergo non sunt legitimi.

Maior prob., quia illegitimum dicitur quod est contra legem.

Determinatio.

Conclusio. Filii, qui nascuntur extra matrimonium, non sunt legitimi naturales.

Manifestatur. Nam quadruplex est status filiorum. Quidam enim sunt naturales et legitimi, sicut illi qui nascuntur ex vero et legitimo matrimonio. Quidam sunt naturales, et non legitimi, ut filii qui nascuntur ex simplici fornicatione. Quidam legitimi, sed non naturales, ut filii adoptivi. Quidam sunt, nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio vel de stupro. Tales enim nascuntur et contra legem positivam, et contra legem naturæ expresse. Et sic patet quod soli qui nascuntur ex vero et legitimo matrimonio, sunt legitimi naturales.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis illi qui nascuntur ex illicito coitu, nascantur secundum naturam quæ communis est homini et brutis; tamen nascuntur contra legem naturæ, quæ est propria hominibus. Quia fornicatio, adulterium, et hujusmodi sunt contra legem naturæ, et ideo tales secundum nullam legem sunt legitimi.

Ad 2. Dicitur quod ignorantia excusat illicitum coitum, nisi sit affectata. Unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignoretur non pecant, nec filii sunt illegitimi. Si autem sciant, etiamsi Ecclesia sustineat quæ ignorat impedimentum, non excusantur á peccato, nec filii ab illegitimitate.

ARTICULUS II.

Utrum filii illegitimi debeant ex hoc damnum reportare.

Pro negativa. ==Videtur quod illegitimi filii non debeant ex hoc aliquod damnum reportare.

1. Filius non debet puniri pro peccato patris, ut patet Ezech. 18. Sed quod iste nascatur ex illicito coitu, non est peccatum proprium, sed patris. Ergo ex hoc non debet aliquod damnum incurrere.

2. Deus æqualiter largitur bona naturalia legitimis et illegitimis filiis. Ergo et secundum jure humana, filii illegitimi debent legitimis æquiparari.

Conseq. prob., quia justitia humana á divina dependet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Genesis 25. legitur quod Abraham dedit omnia bona sua Isaac, et filiis concubinarum largitus est munera: qui tamen non erant ex illicito coitu nati. Ergo multo magis debent illi qui ex illicito coitu nascuntur, hoc damnum reportare, quod in bonis paternis non succedant.

Determinatio.

Distinctio. Aliquis dicitur damnum ex aliquo reportare dupliciter. Uno modo, per hoc quod ei subrahitur quod erat ei debitum. Alio modo, per hoc quod ei aliquid non est debitum, quod alias poterat esse debitum. Exemplum primi. Si aliquis esset parricida, et ex hoc privaretur hæreditate paterna, reportaret ex parricidio damnum primo modo. Et si quis non succedit in hæreditate alicujus possessionis, quam pater

poterat emere, sed non emit, diceretur ex hoc quod pater ejus possessionem non emerat, filius damnum reportare, non habendo possessionem.

1.ª Conclusio. Filii illegitimi nullum damnum incurrunt, per hoc quod eis subtrahatur aliquid ei debitum.

Hanc probant duo priora argumenta.

2.ª Conclusio. Filii illegitimi, ex hoc quod sunt illegitimi, reportant damnum, in quantum eis subtrahitur id quod eis non est debitum; quod tamen alias, si essent legitimi, esset eis debitum.

Manifestatur. Nam illegitimi duplex damnum incurrunt. Primum, quia non admittuntur ad actus legitimos, sicut ad officia, vel dignitates quæ requirunt aliquam honestatem in illis qui hoc exercent. Aliud damnum incurrunt, quia non succedunt in hæreditate paterna; naturales tamen succedere possunt in septima parte tantum. Spurii vero in nulla parte, quamvis ex jure naturali parentes in necessariis providere eis teneantur. Unde pertinet ad solicitudinem Episcopi, ut utrumque parentem cogat ad hoc quod eis provideat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod incurrere damnum secundo modo, non est pœna, et ideo non dicimus quod sit pœna alicui quod non succedit in regno aliquo, per hoc quod non est filius regis. Et similiter, non est pœna quod alicui, qui non est legitimus, non debentur ei, quæ sunt legitimorum filiorum. Unde filius illegitimus non punitur per hoc, pro peccato patris.

Ad 2. Neg. conseq. Quia enim coitus illegitimus non est contra legem, in quantum est actus generativæ virtutis, sed in quantum ex prava voluntate procedit; ideo filius illegitimus non incurrit damnum in his quæ acquiruntur per naturalem originem, sed in his quæ per voluntatem fiunt vel possidentur, quod est etiam divinæ justitiæ conforme.

ARTICULUS III.

Utrum filius illegitimus possit legitimari.

Pro negativa. = Videtur quod filius illegitimus non possit legitimari.

1. Filius legitimus non potest fieri illegitimus. Ergo illegitimus numquam potest fieri legitimus.

Conseq. prob., quia quantum distat legitimus ab illegitimo, tantum distat illegitimus á legitimo.

2. Coitus illegitimus numquam fit legitimus. Ergo nec filius illegitimus potest legitimari.

Conseq. prob., quia coitus illegitimus creat illegitimum filium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod per legem inducitur, per legem revocari potest. Sed illegitimitas filiorum per legem positivam est inducta. Ergo potest filius illegitimus legitimari ab eo qui habet auctoritatem legis.

Determinatio.

Conclusio. Filius illegitimus non potest legitimari sic, ut fiat de legitimo coitu natus.

Manifestatur. Quia coitus ille transivit, et numquam potest fieri legitimus, ex quo semel illegitimus fuit.

2.ª Conclusio. Filius illegitimus potest legitimari, in quantum damna quæ incurrit, per legis auctoritatem subtrahuntur.

Manifestatur. Nam sex modis legitimari potest: duobus secundum canones: et quatuor secundum leges.

Primus, secundum canones, est. Cum aliquis ducit in uxorem illam ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium. Secundus, per specialem indulgentiam et dispensationem Domini Papæ. Tertius, qui est primus secundum leges, est. Si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat, ex hoc enim ipso legitimatur propter curiæ honestatem. Quartus, si pater in testamento nominet eum legitimum hæredem et filium postmodum per testamentum im-

peratori offerat. Quintus, si nullus sit filius legitimus, et ipsemet filius se ipsum principi offerat. Sextus, si pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione, eum legitimum nominet, nec adjiciat naturalem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Alicui enim potest sine injustitia gratia fieri; sed non potest aliquis damnificari, nisi pro culpa, et ideo magis potest illegitimus fieri legitimus; quam é converso. Et si est legitimus, aliquando hæreditate privatur pro culpa, non tamen dicitur illegitimus filius; quia generationem legitimam habuit.

Ad 2. Negatur conseq. Actus enim illegitimus habet in se defectum inseparabilem, qui legi opponitur: et ideo non potest fieri legitimus. Filius autem, qui ex illegitimo coitu nascitur, non habet talem defectum, sed solum ex legis statuto: et ideo per legis auctoritatem potest legitimari.

Et hæc de sacramento matrimonii, et aliis sacramentis dicta sufficiant.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 158.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam ab effectu, interimas hæresim *Tatianorum* dicentium, quod matrimonium nihil aliud est, nisi occultum meretricium, sive, quod matrimonium nihil differt á scortatione, sed idem est. Cum enim illegitimos filios sciamus differre á legitimis: per hoc, quod articulus probat, illegitimos esse, qui extra matrimonium nascuntur, non qui intra: ostendit simul, quod matrimonium differt á meretricio quocumque. Unde non solum contra legem divinam esse praedictam haeresim per hoc ostenditur, sed etiam contra legem naturalem, et positivam, tum Pontificiam, tum Caesaream; quoniam sic sentiunt et istae leges. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tamquam ab effectu ostendas, eamdem merito damnari á, etc. ut qu. 41. art. 2. append. et qu. 42. art. 3. append. Item 1. par. qu. 72. append. *Tertio* habes: quomodo per Sanctum Thomam ostendas, merito insinuatum ab Alexandro III. quod nati extra matrimonium verum, sunt illegitimi: et sic. Causam quae, etc. Eam non fuisse legitimam ejusdem R. filiam judicetis: quia non potuit esse uxor, quae viri sui thorum maculans, alii dum ille viveret, copulari praesumpsit. » Haec ille, qui filii sunt legitimi. Ecce, quod Papa judicat: filiam natam ex adulterio, esse illegitimam. Item á Cœlestino III. et universalius quidem, ibidem Referente, etc. " Publicae honestatis justitia prohibente, matrimonium inter eos contrahi non potuit et contractum debuit separari: ac per hoc, cum filii nec per Ecclesiae permissionem, nec per paternam ignorantiam excusentur ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi. » Unde patet, quare dixi ly universalius: quia scilicet Papa ex matrimonio contracto, sed non vero, nec per ignorantiam contrahentium excusabili judicat filios esse illegitimos. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam á simili, seu fortiori, interimas errorem quorumdam, ut ex Conc. Trid. sess. 5. dicentium, quod sine baptismo potest quis salvari. Cum enim habeat articulus praesens, quod illegitimi non succedunt in haereditate patris, et omnes sine baptismo sint illegitimi quoad Deum, seu quoad ad vitam spiritus: patet, quod praesens articulus per hoc ipsorum errorem condemnat, quasi diceret apertius: illegitimi per jura humana non possunt succedere in paterna haereditate: ergo multo fortius non baptizati ad haereditatem paternam coelestem tamquam illegitimi in ordine spiritus, pervenire non poterunt jure

divino. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari errorem prædictum á regulis fidei Catholicæ positis ab August. in lib. de fid. ad Petr. ut recitatur de consec. dist. 4. " Firmissime tene, et nullatenus dubites: omnem hominem, qui per concubitum viri, et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci: et ob hoc naturaliter iræ nasci filium de quo dicit Apostolus: eramus filii iræ, sicut et ceteri: á qua ira nullus liberabitur, nisi per fidem mediatoris hominis Jesu Christi, idest, ut subdit, sine sacramento baptismi, quod datur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Item á Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. " Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, quæ quidem translatio post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest: sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Unde patet, quod et filiis iræ non debetur hæreditas Dei: nisi nascantur legitimi. *Tertio* habes: quomodo per sanctum Thomam ostendas, merito insinuatum á Decret. qui fil. sint legit. quod illegitimi reportant damnum. Vide tu ibi passim. Item insinuatum merito á fortiori hoc idem Gen. 25. " Dedit Abraham cuncta, quæ possederat Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera. » Et tamen quamvis hereditatem non habuerint ab eo, non erant illegitimi. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum et patrum, pro quanto illegitimos reportare damnum insinuant, et intelligas, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, *Alexandro III.* merito insinuare, illegitimos posse legitimari, et sic. " Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab hæreditate repellendus. » Hæc ille: qui filii sunt legitim. ex quo vides, legitimationem ab articulo intentam verificari de aliis á spuriis. Quod annotavit et sanctus Doctor art. 2. corp. quando dixit: quod spurii in hæreditatis nulla parte succedere possunt. Item ab eod. Alexandro ibid. cap. conquestus, habetur idem de genitis ex soluto, et soluta, antequam postmodum contraherent. Item per Innocentio III. ibid. " Ex tenore, etc. Cum vidua G. hæreditatem quondam R. mariti sui sibi, et pupillo filio restitui postularet, pars adversa petionem ejus nitebatur excludere, pro eo, quod maritum ipsius viduæ de adulterio genitum asserebat. Intelligentes, quod pater prædictam G. matrem ipsius in facie Ecclesiæ ignaram, quod ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerit in uxorem, et, dum ipsa conjux ipsius legitima putaretur, dictum R. suscepit ex eadem; in favorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.» Ecce: quod, si conjugatus vivente prima uxore contrahit in facie Ecclesiæ cum secunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles. Item per eumdem ibi. Gaudemus, etc. " Prolem de infidelium conjunctionibus secundo, tertio, vel ulteriori gradu secundum opinionem illorum natam, post fidem receptam, legitimam volumus reputari. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Pontificum, pro quanto illegitimum posse legitimari insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Tractatus de fine immortalis vitæ.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA NONA,

DE HIS QUÆ SPECTANT AD RESURRECTIONEM ET PRIMO DE LOCO ANIMARUM POST MORTEM, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Post hæc agendum est de his quæ spectant ad statum resurrectionis. Postquam enim dictum est de sacramentis, quibus homo liberatur á morte culpæ consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur á morte pœnæ.

Circa tractatum autem resurrectionis tria consideranda sunt, scilicet præcedentia resurrectionem, concomitantia, et sequentia. Et ideo primo, dicendum est de his quæ pro parte, quamvis non ex toto, resurrectionem præcedunt. Secundo, de ipsa resurrectione, et circumstantibus eam. Tertio, de his quæ eam sequuntur. Præcedentium autem resurrectionem prima consideratio est de receptaculis animarum post mortem eis assignatis. Secunda, de qualitate, et pœna animarum separatarum, eis ab igne inflicta. Tertia, de suffragiis, quibus animæ defunctorum á vivis adjuvantur. Quarta, de orationibus Sanctorum in patria existentium. Quinta, de signis judicium generale præcedentibus. Sexta, de igne ultimæ conflagrationis mundi, qui faciem judicis præcedet.

Circa primum quæruntur septem.

Primo, utrum animabus post mortem receptacula assignentur.

Secundo, utrum statim post mortem ad ipsa animæ deducantur.

Tertio, utrum de ipsis locis egredi valeant.

Quarto, utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ.

Quinto, utrum limbus sit idem quod infernus damnatorum.

Sexto, utrum limbus patrum sit idem quod limbus puerorum.

Septimo, utrum tot receptacula debeant distingui.

ARTICULUS I.

Utrum animabus post mortem receptacula assignentur.

Pro negativa.=Videtur quod animabus post mortem accceptacula non assignentur.

1. His quibus assignantur receptacula, competit esse in loco. Sed animabus á corpore separatis non competit esse in loco. Ergo animabus separatis non debent aliqua receptacula assignari.

Minor prob. Incorporalia non indigent loco, ut dicunt Boet. in lib. de Hebdom. Et Aug. 12. super Gen. ad lit. c. 32. Sed anima separata á corpore, non habet aliquod corpus, ut Aug. ibidem dicit. Ergo anima separata non indiget loco.

1. His quæ indifferenter se habent ad omnia loca, non debent aliqua receptacula assignari. Sed animæ separatæ, sicut etiam quælibet aliæ spirituales substantiæ, indifferenter se habent ad omnia loca. Ergo animabus separatis non sunt aliqua receptacula assignanda.

Maior prob., quia omne quod habet locum determinatum, magis convenit cum illo, quam cum alio loco.

Minor prob., quia non potest dici quod cum aliquibus corporibus conveniant, et ab aliquibus differant: cum ab

omnibus conditionibus corporabus sint pœnitus remotæ.

3. Ea quæ assignantur animalibus separatis post mortem, cedunt eis in pœnam, vel in præmium. Sed corporalis locus non potest eis cedere in pœnam, vel in præmium. Ergo non sunt eis assignanda certa receptacula.

Minor prob., quia á corporibus nihil recipiunt animæ separatæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Angelis assignatur quidam corporalis locus. Ergo etiam animabus separatis aliqua receptacula sunt assignanda.

Antecedens prob., quia cœlum empireum quod est corporalis locus, mox factum, fuit angelis repletum.

Conseq. prob., quia angeli sunt incorporei, sicut et animæ á corporibus separatæ.

2. Hoc patet per id quod Greg. in 4. Dial. c. 25. 28. 30. et 40. narrat, scilicet animas post mortem ad diversa loca corporalia esse deductas: ut patet de Paschasio, quem Germanus Capuanus Episcopus in balneis invenit. Et de anima Theodorici Regis, quam dicit ad gehennam esse deductam.

Determinatio.

Conclusio. Animabus, post mortem convenienter receptacula assignantur.

Manifestatur á simili, ad spirituales substantias. Quamvis enim substantiæ spirituales, quas angelos dicimus, secundum suum esse á corporibus non dependeant; quia tamen corporalia mediantibus spiritibus á Deo gubernantur, ut Aug. dicit in 3. de Trin. c. 4. et 5. et Greg. in 4. Dial. c. 3. Ideo est quædam convenientia spiritualium substantiarum ad corporales substantias, per quamdam congruentiam: ut scilicet dignioribus substantiis spiritualibus, digniora corpora adaptentur ad gubernandum. Unde etiam Philosophi, secundum ordinem mobilium, posuerunt ordinem substantiarum separatarum. Ita etsi animabus post mortem non assignentur aliqua corpora quorum sint formæ vel determinati motores; determinantur tamen eis quædam corporalia loca, per congruentiam quamdam, secundum gradus dignitatis earum, in quibus sint quasi in loco, eo modo, quo incorporalia esse possunt in loco, secundum quod magis vel minus accedunt ad primam substantiam, quæ est Deus, cui locus superior per congruentiam, deputatur: ipsius enim sedes cœlum est, ut scriptura denunciat. Sic igitur animas, quæ sunt in perfecta deitatis participatione, in cœlo esse ponimus. Animas vero quæ ab hujusmodi participatione, impediuntur, loco contrario dicimus deputari. Convenienter igitur assignantur animabus receptacula.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad maiorem probationis dicitur, quod incorporalia non sunt in loco, modo aliquo nobis noto et consueto, secundum quod dicimus corpora proprie in loco esse; sunt tamen in loco, modo convenienti substantiis spiritualibus, qui modus nobis plene notus esse non potest.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob dicitur, quod duplex est convenientia, vel similitudo. Una est per participationem ejusdem qualitatis, sicut calida adinvicem dicuntur convenire. Et talis convenientia incorporalium ad corporalia esse non potest. Alia est, per quamdam proportionalitatem, secundum quam in scripturis metaphorice corporalia ad spiritualia transferuntur. Quo modo in scripturis Deus dicitur esse sol, quia Deus est principium vitæ spiritualis, sicut sol est principium vitæ corporalis. Et secundum hanc convenientiam, quædam animæ cum quibusdam locis magis conveniunt, quam cum aliis: sicut animæ spiritualiter illuminatæ conveniunt cum corporibus luminosis, animæ vero obtenebratæ per culpam magis conveniunt cum corporibus tenebrosis.

Ad 3. Negatur min. Ad prob. dicitur, quod anima separata nihil directe recipit á locis corporalibus, per modum quo corpora recipiunt, quæ conservantur á suis locis. Sed ipsæ animæ ex hoc quod cognoscunt se talibus locis deputari, sibi gaudium ingerunt vel mœrorem, et sic locus cedit in eis pœnam vel præmium.

ARTICULUS II.

ALIAS VII.

Utrum sint quinque receptacula animarum.

Pro negativa. = Videtur quod non sint quinque receptacula animarum, scilicet paradisus, infernus, purgatorium, limbus patrum, et limbus puerorum.

1. Ratione meriti non debetur nisi unum receptaculum, scilicet paradisus. Ergo nec ratione peccatorum debetur, nisi unum receptaculum quod erit infernus, et sic erunt tantum duo receptacula.

Conseq. prob., quia sicut receptacula debentur animabus post mortem pro peccato; ita et pro merito

2. Unus est locus, in quo animæ merentur et demerentur, scilicet locus præsentis vitæ. Ergo unum tantum receptaculum debet eis assignari post mortem.

Conseq. prob., quia receptacula assignantur animabus post mortem, ratione meritorum vel demeritorum.

3. Non sunt nisi tria genera culparum scilicet originalis, venialis, et mortalis. Ergo non debent esse nisi tria receptacula pœnalia.

Conseq. prob., quia loca pœnarum debent ipsis culpis respondere.

Pro altera parte quod sint plura quinque.

1. Aer iste caliginosus est locus pœnalis, dæmonum, ut patet. 2. Per. 2. Qui tamen non computatur inter quinque dicta receptacula. Ergo sunt plura receptacula, quam quinque.

2. Quidam post statum hujus vitæ, in paradisum terrestrem, qui alius á cœlesti est, sunt translati; ut de Enoch et Elia dicitur. Ergo sunt plura receptacula quam quinque.

3. Si ponatur aliquis in originali peccato, cum solo veniali decedere, nullum receptaculorum assignatorum ei competeret. Ergo oportet sextum receptaculum assignare.

Conseq prob., quia cuilibet statui peccantium debet aliquis locus pœnalis respondere.

Antecedens manifestatur. Constat enim quod talis sic decedens non esset in paradiso; quia careret gratia. Nec in limbo patrum eadem ratione. Nec in limbo puerorum; cum in ipso non sit pœna sensibilis, quæ huic deberetur ratione actualis venialis peccati. Nec in purgatorio; quia ibi non est nisi pœna temporalis, huic autem deberetur pœna perpetua, quia esset absque gratia. Et tandem, nec esset in inferno damnatorum; quia esset sine mortali.

4. Infiniti sunt gradus meritorum et culparum. Ergo infinita debent distingui receptacula, in quibus animæ puniantur vel præmientur post mortem.

Conseq. prob., quia quantitates præmiorum et pœnarum diversæ sunt, secundum diversitatem meritorum, et culparum.

5. Animæ quandoque puniuntur in locis, in quibus, dum essent in hac vita, peccaverunt: ut patet per Greg. in 4. Dial. cap. 30. 31. 32. et 40. Ergo hic locus, in quo habitamus, debet computari inter receptacula, et præcipue cum aliqui in hoc mundo pro peccatis suis puniantur, ut magister sententiarum in 4. dicit.

6. Sicut aliqui in gratia decedentes habent aliqua peccata venialia, pro quibus digni sunt pœna; ita aliqui in peccato mortali decedentes habent aliqua bona, pro quibus essent digni præmio. Sed decedentibus in gratia cum peccatis venialibus assignatur aliquod receptaculum, in quo poniantur antequam

præmia consequantur, scilicet purgatorium. Ergo eadem ratione debet esset aliquis locus, pro illis qui in mortali, cum aliquibus bonis operibus decedunt, ut in eo præmientur.

7. Sicut patres veteris testamenti retardabantur á plena gloria animæ ante Christi adventum; ita et nunc á gloria corporis. Ergo sicut distinguitur receptaculum sanctorum ante Christi adventum, ab eo in quo nunc recipiuntur; ita nunc debet distingui receptaculum, in quo recipiuntur ante resurrectionem, ab eo in quo recipientur post resurrectionem.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter assignantur animabus post obitum quinque receptacula, scilicet Paradisus, infernus, limbus patrum, limbus puerorum et purgatorium.

Manifestatur. Quod sunt status animarum ex hac vita decedentium, tot debent receptacula animarum assignari. Sed quinque sunt status separatarum, animarum. Ergo quinque receptacula convenienter assignantur.

Maior prob., quia receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum.

Minor manifestatur. Nam sicut præsens vita est status merendi; ita status futuræ vitæ est status recipiendi ultimam retributionem. Animæ igitur separatæ á corpore mortali, aut sunt in statu recipiendi finalem retributionem, vel sunt in statu in quo impediuntur á receptione finalis retributionis. Si sunt in statu recipiendi finalem retributionem sine impedimento; vel hoc est, quantum ad bonum, et sic est paradisus. Vel quantum ad malum, et sic ratione actualis culpæ, est infernus: et ratione originalis, est limbus puerorum. Si vero sunt in statu in quo impediuntur á retributione finali: vel hoc est propter defectum personæ: et sic est purgatorium, in quo detinentur animæ, ne statim præmium consequantur, propter peccata quæ commiserunt. Vel propter defectum naturæ, et sic est limbus patrum, in quo detinebantur patres á consecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, quæ nondum poterat expiari.

Sunt igitur quinque receptacula animarum post mortem. s. Paradisus pro his qui in gratia, sine aliqua culpa et reatu pœnæ decedunt. Infernus pro his qui in mortali percato decedunt. Limbus puerorum, pro decedentibus cum originali. Limbus patrum, pro his qui ante Christi adventum in gratia cum solo peccato originali, prout inficit naturam, moriebantur. Et purgatorium, pro his qui in gratia, sed cum reatu pœnæ ab hac vita discedunt.

Ad priora argumenta.

Ad 1. Neg. conseq. Nam *bonum contingit uno modo, malum vero multifarie*, ut patet per Dion. 4. c. de Div. nom. parte 4. et per Philosoph. lib. 2. Ethicor. cap. 6. Et propter hoc non est inconveniens, si locus beatæ retributionis sit unus, loca vero pœnarum sint plura.

Ad 2. Neg. conseq. Nam status merendi et demerendi est unus status, cum ejusdem sit posse mereri et demereri: et ideo convenienter omnibus debetur unus locus. Sed eorum qui recipiunt pro meritis, sunt status diversi, et ideo eis debentur diversa receptacula.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod originalis culpa in quibusdam inficit naturam et personam, ut in pueris decedentibus sine baptismo, et antiquitus sine circumcisione. In quibusdam vero inficit tantum naturam, expiata persona per circumcisionem, vel per aliquod aliud remedium, ut in antiquis patribus. His igitur qui infecti sunt ratione naturæ et non personæ assignatum fuit receptaculum quod dicitur limbus patrum. Habentibus vero infectam etiam personam, assignatur limbus puerorum. Et

sic sunt duo receptacula ratione eorum qui cum originali decedunt.

Ad argumenta pro altera parte.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod aer iste caliginosus non assignatur dæmonibus quasi locus in quo recipiant retributionem pro meritis, sed quasi competens oficio eorum, in quantum deputantur nobis ad exercitium, ut dictum est 1. par. q. 64. art. 4. Et ideo inter receptacula, de quibus nunc agitur, non computatur: simpliciter tamen locus pœnalis eorum est ignis inferni. Matt. 25.

Ad 2. Dicitur ad anteced. quod paradisus terrestris pertinet magis ad statum viatoris, quam ad statum recipientis pro meritis, et ideo inter receptacula animarum á corporibus mortalibus separatarum non computatur.

Ad 3. Dicitur quod casus ille est impossibilis, ut probatum est 1. 2. quæst. 89. art. 6. Et si casus est possibilis, talis in inferno puniretur: quia decederet cum peccato actuali, sine gratia.

Ad 4. Neg. conseq. Graduum enim diversitas in pœnis et præmiis non diversificant statum, secundum cujus diversitatem receptacula distinguuntur.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod licet animæ separatæ aliquando in loco nostræ habitationis puniantur, non est tamen propter hoc locus iste proprius locus pœnarum, sed hoc fit ad nostram instructionem, ut pœnas eorum videntes retrahamur á culpis. Quod autem animæ hic existentes adhuc in mortali corpore puniantur pro peccatis, non pertinet ad propositum: quia talis pœna non trahit hominem extra statum merentis, vel demerentis. Nunc autem agimus de receptaculis, quæ debentur animæ post statum meriti, vel demeriti.

Ad 6. Neg. conseq. Non enim eadem ratio de his qui decedunt in gratia, cum aliquo reatu pœnæ, et de his qui decedunt in peccato, cum aliquo bono. Malum enim non potest esse purum absque omni commixtione boni, ut prob. est 1. p. q. 48. art. 4. Sicut bonum summum est absque omni commixtione mali; et ideo illi qui ad beatitudinem, quæ summum bonum est, transferendi sunt debent esse ab omni malo purgati, et propter hoc oportet esse locum, in quo tales purgentur, si hinc non omnino purgati exeant. Sed illi qui in infernum detrudentur, non erunt privari omni bono: recipiunt autem præmium suorum bonorum operum, in quantum bona præterita eis valent ad mitigationem pœnæ.

Ad 7. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de carentia gloriæ animæ et corporis. Nam in gloria animæ consistit præmium essentiale, gloria autem corporis, cum redundet ex anima, tota consistit in anima quasi originaliter: et ideo carentia gloriæ animæ diversificat statum, non autem carentia gloriæ corporis, et propter hoc etiam idem locus, scilicet cœlum empyreum debetur animabus sanctis, corporibus exutis, et animabus conjunctis corporibus gloriosis. Non autem idem locus debetur animabus patrum, ante et post gloriæ perceptionem.

ARTICULUS III.

ALIAS V.

Utrum limbus sit idem quod infernus damnatorum.

Pro affirmativa.=Videtur quod limbus sit idem quod infernus damnatorum.

1. Christus dicitur infernum momordisse, non absorbuisse, per hoc quod inde extraxit eos qui erant in limbo, et non alios. Ergo limbus est idem quod infernus vel pars inferni.

Conseq. prob., quia non diceretur momordisse infernum, si illi quos liberavit, non fuissent pars multitudinis in inferno contentæ.

2. In Symbolo dicitur, Christum ad inferos descendisse. Sed Christum non descendit nisi ad limbum patrum. Ergo limbus patrum est idem quod infernus.

3. Job. 17. dicitur. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Sed Job, cum esset sanctus et justus, ad limbum descendit. Ergo limbus est idem quod profundissimus infernus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Locus in quo est redemptio, non est idem quod infernus. Sed á limbo fuerunt partes redempti. Ergo limbus non est infernus.

Maior prob., quia *in inferno nulla est redemptio.*

2. Aug. super Gen. ad lit. lib. 12 c. 33 dicit: *quomodo illam requiem, quam Lazarus accepit, apud inferos esse credamus, non video.* Sed anima Lazari ad limbum descendit. Ergo *limbus non est idem quod infernus.*

Determinatio.

Distinctio. Receptacula animarum post mortem, dupliciter possunt distingui. Uno modo, secundum situm. Alio modo, secundum locorum qualitatem, prout scilicet in aliquibus locis præmia, vel pœnas recipiunt animæ.

1.ª CONCLUSIO. Limbus patrum et infernus damnatorum, secundum qualitatem, absque dubio distinguuntur.

Prob. primo, quia in inferno est pœna sensibilis, non autem in limbo patrum. Secundo, quia in infermo est pœna æterna; in limbo vero patrum detinebantur sancti temporaliter tantum.

2.ª CONCLUSIO. Limbus patrum et infernus damnatorum, si considerentur secundum situm, probabile est quod idem locus, vel quasi continuus sit infernus et limbus; ita tamen quod quædam superior pars inferni limbus; patrum dicatur.

Manifestatur. Nam existentes in inferno, secundum diversitatem culpæ diversam sortiuntur et pœnam: et ideo, secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, obscuriorem locum et profundiorem obtinent in inferno. Unde et sancti patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, supremum et minus tenebrosum locum habuerunt præ omnibus puniendis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christus dicitur momordisse infernum, secundum hoc quod limbus et infernus sunt idem secundum situm: liberando enim patris de limbo, qui est pars inferni, de inferno eos liberasse dicitur.

Ad 2. Similiter dicitur, quod Christus descendit ad infernum, idest ad limbum patrum, qui est, secundum situm, pars inferni.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod Job non descendit ad infernum damnatorum, sed ad limbum patrum, qui quidem dicitur profundissimus locus, non quidem respectu locorum pœnalium; sed in comparatione ad alia loca, secundum quod sub eodem includitur omnis locus pœnarum. Vel sicut Aug. solvit 12. super Gen. ad lit. cap. 33. de Jacob. dicens. «Illud quod Jacob dicit ad filios «suos, deducetis senectutem meam cum «tristitia ad inferos, videtur hoc magis «timuisse, ne nimia tristitia, sic per«turbare, ut ad requiem bonorum non «iret, sed ad inferos peccatorum.» Et hoc modo potest exponi verbum Job: ut sit verbum magis timentis, quam asserentis.

ARTICULUS IV.

Utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ.

Pro negativa. = Videtur quod limbus inferni non sit idem, quod sinus Abrahæ.

1. Illud quod accipitur in homo, non est idem, quod limbus inferni. Sed sinus Abrahæ accipitur in bono. Ergo sinus Abrahæ non est limbus inferni.

Maior prob., quia Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. c. 35. *Nondum inveni inferos alicubi in bono posuisse scripturam.*

Minor prob., quia idem Aug. dicit ibidem. cap. 33. «Non in bono acci-

« piendum sinum Abrahæ, et illam re-« quiem in qua ab angelis pius pauper « oblatus est, nescio utrum quisquam « possit audire.»

2. Existentes in limbo inferni, non vident Deum. Sed existentes in sinu Abrahæ vident Deum. Ergo sinus Abrahæ non est idem quod limbus inferni.

Minor prob., quia Aug. 9. conf. c. 3. loquens de Nebridio dicit: «quicquid « illud est quod sinus Abrahæ vocatur, « ibi Nebridius meus vivit: et infra. Jam « non ponit aurem ad eos meum; sed « spiritale os, ad fontem tuum, et bibit « quantum potest sapientiam, pro avidi-« tate sua, sine fine fœlix.»

3. Ecclesia orat ut angeli deferant animam defuncti in sinum Abrahæ. Ergo sinus Abrahæ non est idem quod limbus.

Conseq. prob., quia Ecclesia non orat, ut anima mortui ad infernum, vel ad limbum inferni deducatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Lazarus pauper ductus est ad limbum inferni. Sed sinus Abrahæ dicitur, ubi ductus est Lazarus pauper. Ergo sinus Abrahæ est limbus inferni.

Maior prob., quia Glos. ordin. super illud Job. 30. *Ubi constituta est domus omni viventi*, dicit: infernus erat domus omnium viventium, ante Christi adventum.

2. Gen. 42. dicit Jacob filiis suis: *deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Ergo Jacob, ante mortem faciebat ad inferos se transferendum. Ergo et eadem ratione Abraham ad inferos translatus fuit post mortem; et ita sinus Abrahæ videtur esse alia pars inferni.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Sinus Abrahæ, ante adventum Christi, idem fuit quod limbus inferni.

Manifestatur, quia animæ sanctorum ante Christi adventum habebant quietem per immunitatem pœnæ, sed non habebant quietem desiderii per consecutionem finis, et ideo status sanctorum, ante Christi adventum, poterat considerari. Et secundum id quod habebat de requie: et sic locus in quo animæ recipiebantur, dicitur sinus Abrahæ. Et poterat considerari, quantum ad id quod ei deerat de requie: et sic dicitur limbus inferni. Erat igitur ante Christi adventum sinus Abrahæ et limbus inferni, unus et idem locus: sed secundum duplicem considerationem, duplici nomine nominabatur.

2. Conclusio. Post Christi adventum, limbus inferni est omnino diversus á sinu Abrahæ.

Manifestatur, quia sancti post Christi adventum, ex hac vita migrantes, habent plenam quietem, divina visione perfruentes. Unde eis convenit locus omnino diversus á limbo inferni, in quo plena quiete non fruebatur. Nec est inconveniens aut imposibile quod locus, qui ante Christi adventum erat unus, post Chrisi adventum sit omnino diversus. Nam sinus Abrahæ et limbus inferni erant unum per accidens, quia limbus inferni animas patrum continebat, quatenus carebant perfecta quiete desiderii, qua adveniente, jam eis non convenit limbus inferni, sed paradisus.

Ratio autem, quare locus quietis, et ante Christi adventum et post, dicitur sinus Abrahæ, est quia animæ sanctorum post mortem non possunt ad quietem pervenire, nisi merito fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere, ut dicitur Heb. 11. Primum autem exemplum credendi datur hominibus in Abraham, qui primus se á cœtu infidelium segregavit, et speciale signum fidei accepit. Et ideo requies illa, quæ hominibus post mortem datur, sinus Abrahæ dicitur quod etiam patet per Aug. 12. super Gen. ad lit. c. 34.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Potest enim illud quod accipitur in bono, esse idem secundum rem, per accidens tamen, cum eo

quod accipitur in malum: et sic est in proposito. Nam ante Christi adventum unus erat locus, sinus Abrahæ et limbus inferni: sed tantum ad id quod habebat de bono status sanctorum sinus Abrahæ dicebatur; sed quantum ad id quod habebat de defectu, dicebatur infernus et sic nec sinus Abrahæ in malum, nec infernus in bonum accipitur, licet tunc essent unus locus.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ante Christi adventum non erat vera, post Christi autem adventum vera est. Sicut enim requies sanctorum patrum, ante Christi adventum, dicebatur sinus Abrahæ; ita et post Christi adventum, sed diversimode. Nam ante adventum Christi, sanctorum requies habebat defectum requiei adjunctum, et ideo idem erat infernus et sinus Abrahæ. Unde ibi non videbatur Deus. Sed quia post Christi adventum sanctorum requies est completa, cum Deum videant; sanctorum requies dicitur sinus Abrahæ et nullo modo infernus. Et ad hunc sinum Abrahæ Ecclesia orat fideles perduci. Et per hoc patet responsio ad tertium. Concludit enim quod locus in quem orat Ecclesia perduci animas fidelium, non sit limbus inferni quod verum est.

ARTICULUS V.

ALIAS VI.

Utrum limbus puerorum sit idem quod limbus patrum.

Pro affirmativa.—Videtur quod limbus puerorum sit idem quod limbus patrum.

1. Pro eadem culpa detinebantur in limbo patres, et pueri, scilicet pro peccato originali. Ergo idem debet esse utrorumque locus pœnæ.

Conseq. prob. quia pœna debet respondere culpæ.

2. *Mitissima est pœna puerorum, qui cum solo originali decedunt*, ut Aug. dicit in Echir. cap. 93. Sed nullo est pœna mitior ea quam sancti patres habebant. Ergo idem est locus pœnæ utrorumque.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Infernus, et purgatorium non sunt idem. Ergo nec limbus patrum et limbus puerorum sunt idem.

Conseq. prob., quia sicut actuali peccato debetur pœna temporalis in purgatorio et æterna in inferno; ita peccato originali debetur pœna temporalis in limbo patrum et æterna in limbo puerorum.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Limbus patrum et limbus puerorum, secundum qualitatem præmii vel pœnæ, absque dubio differunt.

Manifestatur. Quia pueris non adest spes beatæ vitæ, quæ patribus in limbo aderat, in quibus etiam lumen fidei et gratiæ refulgebat.

2.ª Conclusio. Probabiliter creditur quod quantum ad situm, locus patrum et puerorum fuerit idem, nisi quod requies patrum adhuc erat in superiori loco, quam limbus puerorum; sicut de limbo et inferno art. 3. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod ad culpam originalem, non eodem modo se habebant patres et pueri. In patribus enim originalis culpa expiata erat, secundum quod erat infectiva personæ; remanebat tamen impedimentum ex parte naturæ, pro qua nondum erat plene satisfactum. In pueris autem est impedimentum, ex parte personæ, et ex parte naturæ: et ideo pueris et patribus diversa receptacula assignantur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod Aug. loquitur de pœnis, quæ debentur alicui ratione personæ suæ, inter quas mitissimam pœnam habent illi qui solo peccato originali gravantur. Sed adhuc est mitior pœna eorum, quos non impedit á perceptione gloriæ defectus personæ, sed solum defectus naturæ: ut erant

sancti patres, quorum pœna erat solum dilatio gloriæ.

ARTICULUS VI.

ALIAS. II.

Utrum statim post mortem animæ deducantur in cœlum, vel in infernum.

Pro negativa.=Videtur quod nullæ animæ deducantur statim post mortem ad cœlos vel ad infernum.

1. Glos. ordin. ex d. Agust super illud Psal. 36. *adhuc pusillum non erit peccator*, dicit quod sancti liberantur in fine vitæ; post hanc tamen vitam non ibi erunt, ubi erunt sancti, quibus dicetur: venite benedicti patris mei. Ergo sancti post hanc vitam non statim ascendunt in cœlum.

Conseq. prob., quia sancti, quibus dicetur: venite benedicti patris mei, erunt in cœlo.

2. Aug. in Enchir. c. 109. dicit quod «tempus inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est requie vel «ærumna.» Ergo animæ usque ad diem judicii non erunt in cœlo nec in inferno, sed in illis abditis receptaculis.

Conseq. prob., quia hæc abdita receptacula non possunt intelligi cœlum et infernus, quia in illis etiam post resurrectionem ultimam, animæ cum corporibus erunt. Unde pro nihilo distingueret Aug. tempus ante, et post resurrectionem.

3. Gloria corporum reddetur omnibus simul in fine mundi hujus, ut in communi gaudio maior sit singulorum lætitia, ut Glos. interlin. dicit super illud Heb. 11. *Melius Deo pro nobis aliquid providente.* Ergo multo fortius gloria animarum debet differri usque ad finem mundi, ut simul omnibus reddatur, ad maiorem omnium lætitiam.

Conseq. prob., quia maior est gloria animæ, quam corporum. Unde maior singulorum lætitia esset, si omnibus simul infine mundi gloria animæ daretur.

4. Pœna et præmium, quæ per sententiam judicii redduntur, judicium præcedere non debent. Sed ignis inferni et gaudium paradisi dabuntur omnibus per sententiam Christi judicantis, in ultimo juditio, ut patet Matt. 25. Ergo ante diem judicii nullus ascendit in cœlum, vel ad infernum descendit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicit Apostulus 2. Cor. 5. «scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod «ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, conservatam in «cœlis.» Ergo disoluta carne, anima habet mansionem quæ ei in cœlis fuerat conservata.

2. Apost. dicit ad Philip. 1. *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Ex quo sic arguit Greg. 4. dial. c. 25. *Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec Pauli animam in cœlo esse negat:* sed non est negandum Christum esse in cœlo; cum sit articulus fidei. Ergo nec dubitandum est animas sanctorum ad cœlos deferri.

Quod etiam aliquæ animæ ad infernum descendant, statim post mortem, patet Luc. 16. ubi dicitur. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.*

Determinatio.

Conclusio. Statim quod anima dissolvitur á corpore, vel in infernum demergitur, vel ad cœlos evolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri: ut prius anima purgetur.

Prob. Sicut in corporibus est gravitas, vel levitas, qua ad sua loca, qui est finis motus ipsorum, feruntur; ita in animabus est meritum, vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium, vel ad pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum. Ergo sicut corpus per gravitatem, vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita animæ statim soluto vinculo carnis, per quod in statu viæ detinebantur, statim præmium

consequuntur vel pœnam, nisi aliquid impediat receptionem præmii, quod impedimentum fit per veniale peccatum, quod prius purgati oportet. Et quia locus pœnæ est infernus, locus vero præmii est paradisus, locus vero purgandi id quod impedii præmii perceptionem subitam, est purgatorium; sequitur, quod animæ statim solutæ á corporibus, vel demergantur in infernum, si in mortali decedant; vel ad celum evolent, si nullum habeant mortale peccat nec veniale purgandum; vel in purgatorio detineantur, quousq. perfecte fuerint per purgatorium ignem purgatæ.

Et confirmatur conclusio, quia huic veritati, auctoritates canonicæ scripturæ manifeste attestantur, et documenta sanctorum Patrum. Unde contrarium pro hæresi est habendum, ut patet ex Gregor. 4. dial. c. 25. et Augustino in lib. de Ecclesiast. dogmatibus. c. 79.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad auctoritatem inductam quod Glos. se ipsam exponit: quod enim dicit, *nondum eris, ubi erunt sancti. etc.* statim exponit subdens, *idest non habebis geminam stolam, quam habebunt sancti in resurrectione.*

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. Negatur assumptum. Inter illa enim abdita receptacula, de quibus Aug. loquitur, sunt etiam computanda infernus et paradisus, in quibus aliquæ animæ ante corporum resurrectionem continentur. Ad prob. quæ innuitur, dicitur quod ideo distinguitur tempus ante resurrectionem, et post. Tum quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem erunt ibi cum corpore. Tum etiam, quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animæ, scilicet quæ purgantur, in quibus post resurrectionem non erunt.

Ad 3. Neg. conseq. Homines enim secundum corpora habent quamdam continuationem adinvicem, quia secundum corpora verum est quod dicitur Act. 17. quod *Deus ex uno fecit omne genus hominum*: animas autem sigillatim finxit. Unde non est tanta congruentia quod homines simul glorificentur in anima, quanta ut simul glorificentur in corpore, quamvis gloria animæ maior sit, quam corporis. Et propterea gloria corporis non est ita essentialis, sicut gloria animæ. Unde maius detrimentum esset sanctis, si gloria animæ differretur, quam de dilatione gloriæ corporis: nec posset hoc detrimentum recompensari, propter ampliationem gaudii singulorum de gaudio communi, quia gloria animæ excedit quodcumque aliud gaudium.

Ad 4. Dicitur quod eamdem objectionem Greg. in 4. dial. c. 25. proponit et solvit. *Si igitur* (inquit) *sunt in cælo animæ justorum, quid est quod in die judicii pro justitiæ suæ retributione recipient*: et respondet. « Hoc eis nimi-« rum crescit in judicio quod, nunc ani-« marum sola, postmodum vero etiam « corporum beatitudine perfruuntur, ut « in ipsa quoque carne gaudeant, in qua « dolores per domino cruciatusque per-« tulerunt. » Et eodem modo dicendum est de damnatis. Unde ad formam dicitur ad minorem, quod gloria animæ datur in particulari judicio uniuscujusque sicut et pœna; sed per universale judicium dabitur quod anima cum corpore gaudeat, vel pœnas luat.

ARTICULUS VII.

ALIAS III.

Utrum animæ in Paradiso, vel in inferno existentes egredi valeant.

Pro negativa. = Videtur quod animæ in paradiso, vel in inferno existentes, egredi non valeant.

1. Animæ defunctorum rebus viventium non intersunt. Ergo de suis receptaculis non exeunt.

Antecedens prob., quia Aug. in lib. de cura agenda pro mortuis; c. 13. dicit. « Si rebus viventium uterentur ani-« mæ mortuorum, ut de aliis taceam, « me ipsum pia mater nulla nocte de-

« sereret, quæ terra marique secuta est, « ut mecum viveret. » Ex quo concludit animas defunctorum, rebus viventium non interesse.

Conseq. prob., quia interesse possent, si de suis receptaculis exirent, rebus viventium.

2. In Psal. 26. dicitur. *Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et Job. 7. *Qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Ergo nec boni, nec mali á suis receptaculis exeunt.

3. Post mortem, nec præmia sanctorum, nec pœnæ damnatorum minuentur. Ergo nec sancti, nec damnati exeunt de receptaculis suis.

Conseq. prob., quia receptacula dantur animabus post mortem in premium vel in pœnam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Hieron. contra Vigilantium Epist. quæ incipit multa in orbe monstra, dicit, sic eum alloquens. « Ais enim, vel « in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, « vel subter Aram Dei animas Apostulo- « rum et Martyrum consedisse, nec posse « suis tumultis, et ubi voluerint adesse « presentes, et ita tu Deo leges pones, « tu Apostolis vincula injicies. ut usque « ad diem judicii teneantur in custodia, « nec sint cum domino suo, de quibus « scriptum est, secuntur Agnum quo- « cumque jerit. Si Agnus ubique. Ergo « et hi qui cum agno sunt, ubique esse « credendi sunt. » Rediculum ergo est dicere quod animæ mortuorum á suis receptaculis non recedant.

2. Hieron. ibidem arguit sic. « cum « diabolus, et dæmones toto vagentur in « orbe et celeritate nimia usque præ- « sentes sint, quare Martyres post effu- « sionem sanguinis sui, arca operen- « tur inclusi, et inde exire non pote- « runt? » Ex quo potest concludi, non solum de bonis, sed etiam de malis quod á suis receptaculis quandoque exeant: cum non habeant maiorem damnationem, quam dæmones, qui ubique discurrunt.

3. Hoc idem probari potest per Greg. 4. Dial. c. 36. et 40. ubi narrat de multis mortuis, qui vivis apparuerunt.

Determinatio.

Distinctio. Aliquem exire de inferno, vel paradiso potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut simpliciter inde exeat, ut jam locus ejus non sit paradisus, vel infernus. Alio modo, ut exeat inde ad tempus.

1.ª Conclusio. Nullus finaliter paradiso vel inferno deputatus potest simpliciter inde exire. Hanc probant argumenta duo ultima pro negativa inducta.

2.ª Conclusio. Animæ separatæ, secundum naturalem cursum, suis receptaculis non egrediuntur.

Prob. Animæ separatæ secundum naturalem cursum suis receptaculis deputatæ, á conversatione viventium penitus segregantur. Ergo á suis receptaculis non egrediuntur.

Antecedens manifestatur, quia homines in mortali carne viventes, substantiis separatis immediate non conjunguntur; cum omnis eorum notitia á sensu oriatur. Ergo animæ separatæ á sensibili et mortali corpore, rebus viventium interesse non possunt.

Conseq. prob., quia non propter aliud á suis receptaculis animas exire contingeret; nisi ut rebus viventium interessent.

3.ª Conclusio. Secundum dispositionem divinæ providentiæ animæ separatæ, á suis receptaculis egressæ conspectibus hominum præsentantur.

Manifestatur: nam Augustinus in lib. de cura agenda pro mortuis, cap. 16. narrat de Fælice martyre, quod civibus Nolanis visibiliter apparuit, cum á barbaris civitas eorum oppugnaretur. Et hoc idem credi potest quod damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum et terrorem permittuntur viventi-

bus apparere: aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur: ut per multa, quæ á Greg. 4. dialog. narrantur, patet. Sed hoc interest inter sanctos et damnatos quod sancti cum voluerint, apparere possunt viventibus; non autem damnati. Sicut enim sancti viventes in carne, dona gratiæ gratis datæ accipiunt, ut sanitates et signa perficiant, quæ non nisi divina virtute rationabiliter fiunt; quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perficii non possunt; ita non est inconveniens, ut ex virtute gloriæ, aliqua potentia animabus sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus, cum volunt quod alii non possunt, nisi interdum permissi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod secundum naturæ cursum, mortui rebus viventium non intersunt; secundum vero dispositionem divinæ providentiæ, quandoq.; interesse possunt. Unde ab prob. dicitur, quod Aug. (ut per ea; quæ subjungit patet) loquitur secundum communem cursum naturæ: nec tamen sequitur, quod si mortui possunt et volunt viventibus apparere, toties appareant quoties apparent in carne viventes, quia separati á carne omnino conformantur divinæ voluntati, ita quod non liceat eis, nisi quod secundum divinam dispositionem congruere invenitur. Vel ita sunt pœnis oppressi; ut de sua miseria magis doleant, quam curent aliis apparere.

Ad 2. Dicitur quod auctoritates illæ loquuntur quantum ad hoc quod nullus de paradiso vel inferno egreditur simpliciter, cum quo stat quod aliquis egrediatur secundum divinæ providentiæ dispositionem, ad tempus.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod secundum hoc, locus animæ cædit in præmium vel pœnam quod anima afficiatur ex hoc quod tali loco deputatur, vel gaudendo, vel dolendo. Hoc autem gaudium, sive dolor de hoc quod talibus locis deputatur, manet in anima etiam quando fuerit extra prædicta loca. Sicut pontifici, cui datur pro honore ut in cathedra sedeat in Ecclesia, non minuitur gloria quando á cathedra recedit, quia etsi actu ibi non sedeat, locus tamen ille sibi est deputatus.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad 1. Dicitur quod Hieron. loquitur de apostolis et martyribus, secundum hoc quod eis accrescit ex potestate gloriæ, ex qua habent quod quocumque voluerint ire possint; non autem secundum hoc quod eis congruit ex debito naturæ, ex quo non habent quod ex suis receptaculis discedere possint. Quod autem dicit eos ubique esse, non est intelligendum quasi simul sint in omnibus locis, aut ubique, sed quia esse possunt ubi volunt.

Ad 2. Dicitur quod non est simile de dæmonibus et angelis ex una parte; et animabus sanctorum et damnatorum ex altera. Angeli enim boni vel mali hoc officium sortiuntur ut hominibus præsint, vel ad custodiam vel ad exercitium quod de animabus hominum dici non potest. Sed tamen secundum potestatem gloriæ, animabus sanctorum hoc congruit quod possint esse ubi voluerint: et hoc est quod Hieron. intendit.

Ad 3. Dicitur quod quamvis aliquando animæ sanctorum vel damnatorum præsentialiter adsint ubi apparent; non tamen credendum est hoc semper accidere. Aliquando enim hujusmodi apparitiones fiunt, vel in dormiendo, vel in vigilando operatione bonorum vel malorum spirituum: ad instructionem, vel destructionem, vel deceptionem viventium. Sicut etiam vivi homines quandoque aliis apparent, et eis multa dicunt in somnis; cum tamen constat eos non esse præsentes, sicut Aug. per multa exempla probat, in lib. de cura agenda pro mortuis c. 11. et 12.

«Adverte hic prudens lector Hieroni-

« num Medicem hic consulto omisisse duos « primos articulos quæstionis 70. de « statu animæ separatæ, quia de hac ma- « teria abunde egit d. 28. 1. p. q. 77. « per totam et 78. doctrinam ergo ho- « rum articulorum hic omissorum repe- « tes 1. p. q. 77. art. 8. 0. 3. vero art. « quæstionis. 70. quia unicus et de ea- « dem agit materia huic præced. qu. « author subnexuit.»

ARTICULUS VIII.

ALIAS III QUÆSTIONIS LXX. SUPLEMENTI.

Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo.

Pro negativa. = Videtur quod anima separata pati non possit ab igne corporeo.

1. Aug. 12. lib. super Gen. ad lit. c. 32. dicit. *Non sunt corporalia, sed corporalibus similia, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu male.* Ergo anima separata igne corporeo non punitur.

2. Quod est nobilius igne corporeo, non potest ab igne corporeo, pati. Sed anima separata est nobilior igne corporeo. Ergo anima separata non potest pati ab igne corporeo.

Minor prob., quia *agens est nobilius patiente*, ut Aug. dicit eodem lib. 12. super Gen. ad lit. cap. 16.

Minor prob. quia impossibile est aliquod corpus esse nobilius anima separata.

3. Illud quod potest pati ab igne corporeo, convenit in materia cum igne corporeo. Sed anima separata non convenit in materia cum igne corporeo. Ergo anima separata non potest pati ab igne corporeo.

Maior prob., quia secundum Phil. 1. de Gen. t. 87. et Boet. in lib. de duabus naturis, illa solum agunt, et patiuntur adinvicem, quæ in materia conveniunt.

Minor prob., quia spiritualium et corporalium non est una materia communis. Unde nec possunt ad invicem transmutari, ut Boet. in eodem lib. dicit.

4. Si anima patiatur ab igne corporeo: sequitur quod anima aliquid ab igne recipiat. Ergo hoc quod anima ab igne recipit, est in anima non corporaliter, sed spiritualiter. Ergo si ponatur quod anima patiatur ab igne corporeo, hoc non erit in ejus pœnam, sed magis in ejus perfectionem.

Prima conseq. prob. quia omne quod patitur, recipit aliquid ab agente. Secunda: quia omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur. Tertia, quia formæ rerum spiritualiter in anima existentes, sunt perfectiones ipsius animæ.

5. Si dicatur quod anima per ignem punitur, per hoc quod ignem videt, ut Greg. in 4. Dial. c. 29. dicere videtur. Arguitur. Visio intellectualis non potest esse causa tristitiæ. Sed si anima separata ignem videt, visione intellectuali tantum potest illum videre. Ergo anima separata non patitur ab igne corporeo per hoc quod eum videt.

Minor prob., quia *delectationi quæ est in considerando, non est tristitia contraria*, ut dicit Phil. 1. lib. Tob. c. 13. et dictum est 1. 2. q. 35. art. 5. Minor. quia anima separata non habet organa, quibus visio sensitiva, vel imaginaria perficitur.

6. Si dicatur quod anima patitur ab igne corporeo, quia tenetur ab eo sicut nunc tenetur á corpore, dum in corpore vivit, arguitur. Anima, dum in corpore vivit, tenetur á corpore, in quantum exea et corpore fit unum, sicut ex materia et forma. Sed anima non erit forma illius ignis corporei. Ergo non poterit dicto modo teneri ab igne corporeo, et ab eo sic pati.

7. Omne agens corporeum agit per contactum. Sed ignis corporei ad animam non potest esse aliquis contactus. Ergo anima ab illo igne non patitur.

Minor prob., quia contactus est solum

inter corpora, quorum extrema possunt esse simul.

8. Agens organicum non agit in remota, nisi per hoc quod agit in media. Unde potest agere tantum per determinatam distantiam suæ virtuti proportionatam. Sed animæ, vel ad minus dæmones (de quibus est eadem ratio) quandoque sunt extra locum inferni; cum quandoque etiam in hoc mundo hominibus appareant; nec tamen tunc sunt á pœna immunes: quia sicut gloria sanctorum numquam interrumpitur, ita nec pœna damnatorum. Et tamen non videmus quod omnia intermedia ab igne inferni patiantur. Nec iterum est credibile, aliquod corporeum esse tantæ virtutis, ut ad tantam distantiam actionem suam diffundat. Ergo non videtur quod pœnas, quas animæ damnatorum sustinent, ab igne corporeo patiuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dæmones patiuntur ab igne corporeo. Ergo et animæ separatæ ab igne corporeo pati possunt.

Antecedens prob., quia dæmones patiuntur ab illo igne, in quem corpora damnatorum sunt projicienda post resurrectionem, ut patet per sententiam Domini, Matt. 25. *Discedite á me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Quem ignem oportet esse corporeum.

Conseq. prob., quia eadem est (quantum ad hoc) ratio de animabus separatis et dæmonibus.

2. Anima per culpam corpori se subjecit per pravam concupiscentiam. Ergo justum est ut in pœna, rei corporeæ subjiciatur, per passionem.

Conseq. prob., quia pœna debet culpæ respondere.

3. Diversitas naturæ spiritualis et corporalis non impedit quin anima sit forma corporis. Ergo nec impedit quin possit á corpore pati.

Conseq. prob., quia maior est unio formæ ad materiam, quam agentis ad patiens.

Determinatio.

Conclusio. Anima separata potest pati ab igne corporeo.

Prob. Ignis inferni est corporeus. Sed anima separata pati potest ab igne inferni. Ergo anima separata pati potest ab igne corporeo.

Maior patet, supponendo quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec imaginarius, sed verus corporeus ignis, ut probabitur in sequentibus q. 186. art. 5.

Minor prob., quia animæ patientur ab eodem igne á quo dæmones, qui et ipsi incorporei sunt, cruciantur, ut patet Matt. 25. Qui est ignis inferni.

De modo, quo animæ separatæ ab igne corporeo possunt pati, diversæ positiones.

Prima positio.

Sed quomodo anima separata ab igne corporeo pati possit, multipliciter á diversis assignatur. Quidam enim dixerunt quod animæ separatæ ab igne corporeo patiuntur, ex hoc quod ignem illum vident. Et quod illum ignem videre, est animam ab illo igne pati. Unde Greg. Dial. c. 26. dicit: *ignem eo tempore patitur anima, quo videt.*

Reprobatio.

Sed hoc non videtur sufficere, quia quodlibet visum, ex hoc quod videtur, est perfectio videntis. Unde non potest in ejus pœnam cedere, in quantum est visum: sed quandoque est punitivum, vel contristans per accidens, in quantum scilicet apprehenditur ut nocivum. Unde oportet quod præter hoc quod anima illum ignem vidit, sit aliqua alia comparatio animæ ad ignem, secundum quam ignis animæ noceat.

Secunda positio.

Unde alii dixerunt, quod quamvis ignis corporeus non possit animam exurere; tamen anima apprehendit ipsum, ut nocivum sibi, et ad talem apprehen-

sionem afficitur timore et dolore, ut in eis impleatur id, quod dicitur Psal. 13. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Unde Greg. 4. dial. c. 29. dicit. *quod quia anima cremari se conspicit, crematur.*

Reprobatio.

Sed hoc iterum non videtur sufficere, quia secundum hanc positionem passio anime ab igne non esset secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum. Quamvis enim possit esse vera passio tristitiæ vel doloris ex aliqua falsa imaginatione, ut Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. c. 19. Tamen non potest dici quod secundum illam passionem vere patiatur á re, sed á similitudine rei quam concipit. Et iterum, iste modus passionis magis recederet á reali passione, quam ille, qui ponitur per imaginarias visiones: cum ille dicatur per veras imagines rerum esse; iste per falsas conceptiones, quas anima errans fingit. Et iterum, non est probabile quod animæ separatæ vel dæmones, qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur.

Tertia positio.

Unde alii dicunt quod oportet ponere animam, etiam realiter ab igne corporeo pati. Unde etiam Greg. 4. Dial. c. 29. dicit. *Colligere ex dictis evangelicis possumus, quod incendium, non solum anima videndo, sed etiam experiendo patiatur.* Sed hoc tali modo fieri ponunt. Dicunt enim, quod ignis ille corporeus potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum quod est quædam res corporea. Et hoc modo non habet quod in animam agere possit. Alio modo, secundum quod est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis.

Hoc enim ordo divinæ justitiæ exigit ut anima quæ peccando se rebus corporalibus subdidit, eis in pœna subdatur. Instrumentum autem non solum agit in virtute propriæ naturæ sed etiam in virtute principalis agentis, et ita non est inconveniens, si ignis ille cum agat in virtute spiritualis agentis, in spiritum agat hominis vel dæmonis, per modum etiam quo de sacramentis superius dictum est quod animam sanctificant.

Reprobatio.

Sed istud etiam non videtur sufficere, quia omne instrumentum in id, circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, et non solum illam actionem, secundum quam agit in virtute principalis agentis. Immo exercendo primam actionem, oportet quod efficiat hanc secundam; sicut aqua lavando copus in baptismo, sanctificat animam. Et sera secando lignum, producit formam scamni. Unde oportet dare igni aliquam actionem in animam, quæ sit ei connaturalis, ad hoc quod sit instrumentum divinæ justitia peccata vindicantis.

Vera sententia.

Et ideo dicendum, quod corpus naturaliter in espiritum agere non potest, nec ei aliquo modo obesse vel ipsum gravare, nisi secundum quod aliquo modo corpori unitur. Sic enim invenimus quod *corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Sap. 9. Spiritus autem unitur materiæ, ut ex eis fiat unum simpliciter. Et sic spiritus unius corpori et vivificat corpus, et á corpore aliqualiter aggravatur. Sic autem spiritus hominis vel dæmonis igni corporeo non unitur, ut sextum argumentum probat. Alio modo, sicut movens mobili, vel sicut locatum unitur loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco. Et secundum hoc, spiritus incorporei creati in loco diffiniuntur, ita in uno loco existentes quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco diffiniat, non tamen ex sua natura habet quod spiritum incorporeum loco diffinitum detineat, ut ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non possit; cum spiritus non sit ita in loco na-

turaliter, quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum instrumentum est divinæ justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum, et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult. Et hunc modum ponit Greg. 4. Dial. c. 28. et 29. Exponens enim, quomodo anima incendium experiendo patiatur, sic dicit. « Cum veritas peccatorem divitem damnatum in igne perhibeat; quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? » Et hoc etiam Julianus Ecclesiæ Toletanæ Episcopus lib. 2. prognostic. de fut. sec. c. 17. ut Magister refert in 44. dist. 4. Sent. parag. Cum autem dicit. « Si (inquit) viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur etiam non tenetur post mortem corporeo igne? » Aug. etiam 21. lib. de civ. Dei. c. 10. dicit quod sicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale et hoc corporale, et ex illa conjunctione vehementem concipit amorem ad corpus; sic ligatur igni ut accipiens ab eo pœnam, et ex illa conjunctione concipit horrorem.

Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut perfecte videatur quomodo anima ab igne corporeo patiatur, ut scilicet dicamus quod ignis ex natura sua habet quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum. Sed in quantum est instrumentum divinæ justitiæ habet ut ipsum retineat quodammodo alligatum. Et in hoc veraciter ignis ille est spiritibus nocivus: ut sic anima ignem, ut sibi nocivum videns, ab igne crucietur. Unde Greg. in 4. Dial. c. 29. Omnia ista per ordinem tetigit, ut ex præmissis ejus auctoritatibus patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Dicitur vel quod Aug. loquitur inquirendo, Unde etiam alium modum ponit determinando in lib. de civ. Dei 22. c. 19. Vel quod Aug. lib. 21. de civit. Dei. cap. 10. intelligit quod ea, quibus proxime anima afficitur ad dolorem, vel tristitiam, sunt spiritualia, non enim affligeretur, nisi ignem ut nocivum sibi apprehenderet. Ignis ergo apprehensus est proximum affligens, sed ignis corporeus extra animam existens, est affligens remotum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis anima simpliciter sit igne nobilior; ignis tamen, secundum quid, est anima nobilior, in quantum scilicet est instrumentum divinæ justitiæ.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod Philosophus, et Boet. loquuntur de actione illa, per quam patiens transmutatur in naturam agentis; talis autem non est actio ignis in animam.

Ad 4. Neg. prima conseq. Ignis enim agit in animam, non per modum influentis, sed per modum detinentis, ut patet ex dictis. Unde assumptum in probatione habet veritatem de eo quod patitur ab agente aliquid influente.

Ad 5. Dicitur ad maiorem, quod in visione intellectuali non est tristitia ex hoc ipso quod aliquid videtur; cum illud quod videtur, nullo modo intellectui possit esse contrarium, in quantum videtur. In sensu autem hoc quod videtur, ex ipsa actione, qua agit in sensu, ut videatur, potest esse corruptivum visus per accidens, in quantum corrumpit harmoniam organi: sed tamen visio intellectualis potest esse contristans, in quantum id quod videtur, apprehenditur ut nocivum, non quasi noceat eo ipso quod videtur, sed alio quocumque modo, et sic anima videndo ignem, affligitur.

Ad 6. Dicitur quod modus, quo tenetur anima á corpore in vita præsenti; non est quoad omnia simili modo, quo tenetur ab afflictivo igne, ut patet ex dictis in corpore. Et ideo ratio non sequitur.

Ad 7. Dicitur, ad minorem quod quamvis non sit tactus corporalis inter

animam et corpus; est tamen inter ea aliquis tactus spiritualis: sicut etiam motor cœli, cum sit spiritualis, spirituali tactu tangit cœlum, ipsum movens, et per modum quo dicitur contristans tangere, ut dicitur, in 1. de Gen. et hic modus tangendi sufficit ad actionem.

Ad 8. Dicitur quod spiritus damnati numquam sunt extra infernum, nisi ex dispensatione divina, vel ad instructionem, vel ad exercitium electorum. Ubicumque autem extra infernum sint, semper tamen inferni ignem vident, ut eis in pœnam præparatum. Unde, cum ista visio sit immediate affligens, ubicumque sint, ab igne inferni affliguntur. Sicut captivi, etiam extra carcerem existentes, á carcere affliguntur, dum vident se ad carcerem damnatos. Unde sicut gloria electorum non minuitur, nec quantum ad præmium essentiale, nec quantum ad accidentale, si aliquando extra cœlum empyreum sint; sed quomodo in eorum gloriam cedit; ita etiam in nullo minuitur pœna damnatorum, si extra infernum ex divina dispensatione ponantur ad tempus. Et ideo Glos. ordin. super Jac. 3. ait: *diabolus ubicumque sit, sive sub aere, sive sub terra, secum trait tormenta suarum flammarum.* Ad formam argumenti igitur dicitur ad maiorem quod est vera de actione, qua corpus in corpus agit; non autem de actione, qua corpus agit in spiritum modo dicto.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 159.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem rejicias errorem *Albigensium* (Prat. Albigenses) dicentium: animam hominis secundum ejus meritum per diversa transire corpora, etiam animalium, et serpentum, si male vixisset; si vero probe in alicujus principis, vel alterius illustris personæ corpus. Cum enim animabus receptacula post mortem corporis assignentur ab articulo præsenti, negando simul per hoc, quod animæ ipsæ sint corporum formæ, vel determinati motores: patet, quod contra illorum errorem militat. Item errorem Libertinorum (Prat. Gnostici, in calce) simili ratione interimas dicentium; animam omnem morientem ad Deum redire, illique reuniri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari Albigenses prædictos á regulis fidei catholicæ (has recitat B. Athanasius in lib. 6. de beatitudine filii Dei) dicentibus: " Si quis confitetur animas hominum in revolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in serpentibus verti, anathema illi. Item ab Eccl 11. *In quocumque loco ceciderit lignum ibi erit.* Clarum autem est in scripturis 2. Machab. 9. et Luc. 16. et alibi. quod nonnulli extra gratiam Dei cadunt, idest, moriuntur: quorum utique animas redire ad Deum, illique reuniri, constat per hoc esse falsum. *Tertio* habes: quomodo, per rationem ostendas, merito insinuatum Lucæ 16. quod animabus post hanc vitam assignantur receptacula diversa: et sic. " Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno. » *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, et scripturarum, pro quanto directe, vel indirecte assignari receptacula animabus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Armenorum*, et *Græcorum* (Directo Inquisit. 2. par. quæst. 8.) dicentium, quod animae justorum decedentium secundum communem Dei ordinationem nec sunt, nec erunt in cœlorum regno, sanctorum Angelorum consortio aggregatae ante resumptionem suorum corporum, et judicium generale. Idem dicunt de iis, quae purgationem peccatorum ex toto peregerunt: et morientibus statim post baptisma: adeo, quod secundum istos,

nec ante, nec post baptismi tempus sunt aliqui justi recepti in Paradisum. Idem dicunt de animabus decedentium in mortali peccato, quod scilicet mox post mortem suam, secundum communem Dei ordinationem, non descendunt ad inferna, nec pœnis infernalibus cruciantur. *Secundo* habes: quomomodo per rationem ostendas, has omnes merito damnari á Benedicto Papa XL in extravag. " Ac in perpetuum valitura constitutione authoritâte Apostoli definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit, tamen post mortem suam purgaverunt, atquæ animæ puerorum renatorum, et baptizandorum, mox post mortem suam etiam ante resumptionem suorum corporum, et judicium generale, post ascensionem Salvatoris nostri fuerunt, sunt, et erunt in cœlorum regno cum Christo, sanctorum Angelorum consortio aggregatæ. Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur. Item á Concil. Florent. sess. ultim. Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, eisdem exute corporibus sunt *p*urgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere.. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto animas separatas statim in locum suis meritis convenientem recipi, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem rejicias errorem *Philosophorum* Direct. Inquisit. 2. par. q. 4.) dicentium: quod animæ defunctorum post multorum annorum curricula circulariter in diversa corpora revertuntur. Item hæresim Arabicorum. Sadducæorum, et cujusdam Hermani, dicentium: animam hominis simul cum corpore in ipsius morte corrumpi. Per hoc enim, quod ostenditur per articulum, et authoritates art. 2. numquam illas exire simpliciter ex suis receptaculis, rejiciuntur Philosophi: per hoc vero, quod apparere viventibus probatur, interimuntur alii animarum immortalitatem negantes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, primos merito damnari á regulis fidei, etc. ut art. 1. append. Item merito damnari reliquos á, etc. ut 1. par. q. 75. art. 2. append. et qu. 117. art. 4. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á scripturis, animas defunctorum quandoque ad tempus exire de locis suis. Ut Matth. 17. Apparuerunt Moyses, et Elias. Ecce, quod anima Moysi exivit ad tempus á limbo sanctorum patrum. Et 2. Machab. 15. " Erat autem hujuscemodi visus, Oniam, qui fuerat sumus sacerdos virum bonum, et benignum, verecundum visum, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui á puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. » En duo mortui apparentes de locis suis. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto defunctos exore quandoque é locis suis, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum á Zachariæ 9. " Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. » Ubi loquitur Propheta de descensu Christi ad inferos, unde sanctos Patres liberavit, ut colligitur ex 3. p. q. 52. a. 5. Appellat igitur limbum sanctorum lacum, in quo non est aqua. Inquantum lacus dicitur, est infernus: in quantum ibi non est aqua, et sinus Abrahæ. Aqua enim in scripturis dicitur multoties afflictiones pœnales, ut in Psalmo 68. " Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Et 87. Circumdederunt me, sicut aqua. » Zacharias itaque per hoc monstrat sinum Abrahæ. et infernum, seu limbum sanctorum Patrum, ante Christi descensum ad inferos, fuisse unum, et eumdem locum. Item: quomodo merito insi-

nuatum ab Ecclesia sancta, quod post Christi adventum, in quantum etiam descencensum ad inferos comprehendit, sic et textus intelligit sinus Abrahæ est omnino diversus á limbo: et sic: " Creator omnium rerum Deus, qui me de limo terræ, etc. exaudi, exaudi me; ut animam meam in sinu Abrahæ Patriarchæ tui jubeas collocari.» Hæc illa, in ultimo versiculo officii matutinali defunctorum. Ibi enim per ly in sinu Abrahæ, non intelligit limbum, sed regnum cœlorum. Quod et modo dixit Beatus Martinus diabolo, ut legit Ecclesia in vita ejus. " Quid hic astas cruenta bestia? Nihil in me funestum reperies: sed sinus Abrahæ me suspiciet.» *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto, quæ diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem evertas hæresim *Seleucianorum* dicentium: infernum esse mundum istum, et nullum alium superesse. Per hoc enim, quod ostenditur hic, infernum quoad situm convenire cum limbo, imo esse profundiorem partem, patet, quod articulus militat contra Seleucianos. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Jo. 1. *In mundo erat:* clarum enim est, quod verbum incarnatum non habitavit in inferno damnatorum, cum tamen conversatum fuerit in mundo. Item á Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Qui tamen discedent é mundo isto nunc habitabili. Item á Job. 17. ut in 3. arg. Item á Symbolo fidei per ly descendit ad inferos. Ergo per hoc aperte monstratur, quod infernus est non mundus iste, sed aliquid aliud infra mundum. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Ecclesia, infernum esse quid differens á limbo Patrum, et sic *in inferno nulla est redemptio*, in offic. mortuor. Et de Christo Domino, postquam limbum spoliaverat, ascendente in cœlum ait: " Redit turmis cum duabus, angelis et animabus. Hic est fortis qui de mortis victor portis introit cum gloria.» Hæc illa, in seq. Ascens. Item á Psal. 67. *Ascendisti in altum, cæpisti captivitatem.* Quod exponit Apost. Ephes. 4. de Christo domino dicens: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.*» Hæc autem captivitas ducta captiva fuerunt illæ animæ Patrum, de quibus nunc dixit Ecclesia, quas utique ipse *descendens primum in inferiores partes terræ*, ut ibi subdit Apostolus, eduxerat de lacu in sanguine, idest virtute sanguinis testamenti sui. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto infernum esse quid aliud á limbo Patrum insiuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim *Pelagii* (Alphons. Castr.) dicentis: parvulos sine baptismo decedentes fore nihilominus beatos, extra tamen regnum Dei: non enim baptizantur ob peccatum originale delendum, sed, ut recipiantur in gratiam filiorum Dei. Radicitus namque destruit hunc errorem articulus, dum limbum puerorum in originali decedentium monstrat differre á limbo Patrum, secundum qualitatem præmii, vel pœnæ: quod utique Pelagius non concederet: cum ipse per illam hæresim limbum istum puerorum destruat. *Secundo* habes: quomodo per rationem tamquam in radice, ostendas, merito damnari Pelagium á Concil. Trident. sess. 5. Decr. de pec. orig. " Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse: acceptam á Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam, eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, et pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ: anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.» Nec intelligas ly in quo omnes peccaverunt, ut docuit Erasmus in annotationibus suis super novum testamentum declarans ista verba, sc. ideo Paulum dixisse omnes in Adam peccasse, quia peccando omnes illum imitantur. Est enim hoc dictum Erasmi contra Concilium idem idem ibid. ubi subdit. " Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est: et propagatione, non imitatione,

transfusum omnibus, inest unicuique proprium, » etc. Item merito damnari hæresim illam Pelagii á Concil. Milevitano cap. 2. " Placuit, ut, quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut quidem in remissionem peccatorum eos baptizari, sed mihi ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit. » *Tertio* habes: quomodo per rationem merito insinuatum ostendas á scripturis quod limbus puerorum in originali decedentium differt ab illo patrum: et sic: *Non est homo, qui non peccet*, 3. Reg. 8. Et clarius Job. 25. *neque infans unius diei.* Hoc autem de peccato tantum originali intelligi potest, ut consideranti patet. *In requiem autem beatam nihil coinquinatum intrabit*, Apoc. 21. Per hæc igitur monstrat scriptura, quod locus beatitudinis non est locus puerorum, qui tamen cum esset quodammodo Patrum, fatendum est, quod per hoc etiam illum á loco patrum secernit. *Quartó* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quæ diximus insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Hermani Hissuich* dicentis: infernum prorsus, vel nullum esse, vel nihil esse. Item Abbatis Joachim, et Petri Joannis (ut refert Alphonsus Castr.) dicentium: nullum hominem ab Adam usque ad Christum placuisse Deo, sed omnes fuisse damnatos. Per hoc enim tollunt limbum Patrum. Item Grecorum, et Waldensium (ut refert Alphon. Castr. Apostoli) dicentium: purgatorium nullum esse locum, in quo animæ secundum culparum exigentiam ab hac luce migrantes á sordibus purgentur, antequam recipiantur in æterna tabernacula. Item Almarici (ut refert cæsarius lib. dialog. dist. 5.) dicentis: paradisum non esse. Secundum enim istorum quemlibet tollitur unum receptaculum animarum: et ideo militat articulus contra omnes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: prædictos meritos damnari á Luc. 16 *Ut portaretur mendicus in sinum Abrahæ.* Et *dives sepultus est in inferno.* Ubi nota ly inferno distingui á sinu Abrahæ, idest, limbo sanctorum Patrum, et stare pro inferno proprie damnatorum. Item á Matth. 2. *Ibunt justi in vitam æternam.* Et Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Item á Concil. Glor. sess. ult. in liter. sanct. union. " Definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, et suscipiatur, quia, si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari. » Item á Concil. Trid. sess. 25. decret. de purga. " Cum catholica Ecclesia à Spiritu Sancto edocta ex sacris literis, et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac æcumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, præcipit sancta Synodus Episcopis: ut sanam de purgatorio doctrinam á sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam á Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique prædicari diligenter studeant. Et sess. 6. can. 30. Si quis cuilibet peccatori poenitenti reatum æternæ poenæ deleri dixerit ita, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit: anathema sit. Item ad Heb. 11. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus. Fide Enoch translatus est, ante translationem testimonium habuit placuisse Deo Fide Noe, etc. Fide, qui vocatur Abraham, Fide Jacob. etc. Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Sampson, Jephte, David, Samuel, et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Vide totum cap. ubi, plurimis sanctis enarratis antiquis, tamdem concludit: " hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consumerentur. " Ergo, secundum hanc conclusionem Apostoli, sancti praenarrati omnes jam animae glorificationem repromissam acceperunt, per hoc, quod supra dixit: *adepti sunt repromissiones, et in fine seculorum cum aliis repromissionem consummatam quoad gloriam corporis simul accipient.* Ergo secundum conclusionem

hanc Patres supradicti omnes placuerunt Deo; et damnati non sunt, nec damnabuntur. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum (adde pro limbo puerorum illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*) pro quanto receptacula illa insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA,

DE SUFRAGIIS MORTUORUM, IN QUATUORDECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de suffragiis mortuorum.

Et circa hoc quæruntur quatuordecim.

Primo, utrum suffragia quæ per unum fiunt, aliis prodesse possint.

Secundo, utrum mortui juvari possit ex operibus vivorum.

Tertio, utrum suffragia per peccatores facta mortuis prosint.

Quarto, utrum suffragia pro mortuis facta facientibus prosint.

Quinto, utrum suffragia existentibus in inferno prosint.

Sexto, utrum possint existentibus in purgatorio.

Septimo, utrum valeant pueris existentibus in limbo.

Octavo, utrum aliquo modo prosint existentibus in patria.

Nono, utrum oratio Ecclesiæ, et sacramentum altaris, et eleemosynæ prosint defunctis.

Decimo, utrum indulgentiæ quas Ecclesia facit eis prosint.

Undecimo, utrum cultus exequiarum defunctis prosint.

Duodecimo, utrum suffragia quæ fiunt pro uno defuncto, magis illi prosint quam aliis.

Decimotertio, utrum suffragia pro multis facta valeant tantum singulis, ac si pro unoquoque singulariter fierent.

Decimoquarto, utrum valeant tantum communia suffragia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt, valent specialia, et communia simul.

ARTICULUS I.

Utrum suffragia per unum facta, aliis prodesse possint.

Pro negativa.=Videtur, quod suffragia per unum facta, aliis prodesse non possint.

1. Nullus potest metere, quæ ab aliis seminantur. Ergo nullus consequitur fructum ex sufragiis aliorum.

Antecedens prob., quia dicitur ad Galat. 6. *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.*

Conseq. prob., quia si unus, ex suffragiis alterius consequeretur fructum; meteret ab aliis seminata.

2. Justitia Dei, ad quam pertinet, ut unicuique tribuatur pro meritis, secundum quod dicitur Psal. 61. *Tu reddes unicuique juxta opera sua*, deficere non potest. Ergo impossibile est quod unus ex operibus alterius juvetur.

3. Ex opere unius, alter non laudatur. Ergo nec opus unius potest esse alteri meritorium et fructuosum.

Conseq. prob., quia ex eodem habet opus quod sit laudabile et meritorium, in quantum scilicet est voluntarium.

4. Nullus punitur pro malo alterius. Ergo nec aliquis juvatur per bona alterius.

Antecedens prob., quia dicitur Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Conseq. prob., quia ad justitiam divinam pertinet reddere bona pro bonis, et mala pro malis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Psal. 118. dicitur: *particeps ego sum omnium timentium te, etc.*

2. Unum membrum per alterum juvatur. Sed omnes fideles per charitatem uniti, sunt membra unius corporis Ecclesiæ. Ergo unus potest ex alterius meritis juvari.

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Actus noster ad duo valere potest. Primo, ad aliquem statum acquirendum: sicut per opus factum in gratia, homo meretur statum beatitudinis. Secundo, ad aliquid consequens statum: sicut homo per aliquem actum meretur aliquod præmium accidentale, vel dimissionem pœnæ.

2.ª *Distinctio.* Actus noster potest valere ad utrumque horum, scilicet ad acquirendum statum, vel aliquid consequens statum, dupliciter. Uno modo, per viam meriti. Alio modo, per viam orationis. Et est differentia inter istas duas vias, quia meritum innititur justitiæ; oratio autem misericordiæ: orans enim impetrat petitum ex sola liberalitate ejus qui oratur.

1.ª Conclusio. Opus unius, nullo modo potest alteri valere, ad statum gloriæ consequendum, per viam meriti, ut scilicet ex his quæ ego facio, alius mereatur vitam æternam.

Manifestatur, quia sors gloriæ accipitur secundum dispositionem et mensuram accipientis. Unusquisque autem ex actu suo disponitur, et non ex alieno, et dico, dispositione dignitatis ad præmium.

2.ª Conclusio. Opus unius potest alteri valere, per modum orationis, quantum ad statum consequendum, dum est in præsenti vita; sic quod unus homo impetret alteri primam gratiam.

Manifestatur, quia cum impetratio orationis sit secundum liberalitatem Dei qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere, quæ potestati divinæ subsunt ordinate.

3.ª Conclusio. Opus unius potest valere alteri, ad id quod est consequens, vel accessorium ad statum, non solum per viam orationis, sed etiam meriti.

Manifestatur. Dupliciter enim hoc potest contingere. Vel propter communicationem merentis, et ejus pro quo meretur, in radice operis, quæ est in operibus meritoriis, charitas. Et ideo omnes, qui sibi invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant. Secundum tamen mensuram status uniuscuiusque, quia etiam in patria unusquisque gaudebit de bonis alterius et inde est quod articulus fidei ponitur, *sanctorum communionem.* Alio modo ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint. Unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis á faciente collata, et ideo possint eis valere vel ad impletionem satisfactionis, vel ad aliquid hujusmodi quod statum non mutat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Missio enim, de qua in antecedente, et in ejus prob. est sermo, est perceptio vitæ æternæ, sicut habetur Jo. 4. *Et qui metit congregat fructum in vitam æternam.* Sors autem vitæ æternæ, non datur alicui, nisi pro operibus propriis: quia etsi aliquis alteri impetret, ut ad vitam æternam perveniat, numquam tamen hoc fit, nisi mediantibus operibus propriis; dum scilicet precibus alicujus datur alicui gratia, per quam operatur, et meretur vitam æternam. Unde ad prob. consequentiæ negatur assumptum. Per hoc enim quod aliquis aliorum suffragiis adjuvatur, non metit ab aliis seminata, sed accipit et ipse vim seminandi, idest meritorie operandi, ut dictum est.

Ad 2. Neg. conseq. Opus enim quod pro aliquo fit, efficitur ejus pro quo fit, et similiter opus ejus qui mecum est

unum, est quodammodo et meum. Unde non est contra divinam justitiam, si unus percipit fructum de operibus factis ab eo qui est unum cum eo in charitate: vel de operibus pro se ab alio factis. Hoc enim, etiam secundum humanam justitiam, contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi opus ab eodem habeat quod sit meritorium et laudabile; plus tamen requiritur, ad hoc quod aliquis ex aliquo opere laudetur quam quod mereatur ex actu illo: potest enim aliquis habere meritum ex aliquo opere, absque hoc quod ex eo laudetur. Et ratio horum est, quia laus non datur alicui, nisi secundum ordinem ejus ad actum, ut dicitur 1. Ethic. c. 12. Unde secundum quod aliquis bene se habet ad actum, ex eo laudatur. Et quia ex opere alterius nullus, efficitur, vel ostenditur bene, vel male dispositus ad aliquid, inde est quod nullus ex opere alterius laudatur, nisi per accidens, secundum quod ipse est, aliquo modo, operum illorum causa, consilium, vel auxilium præbendo, seu inducendo, vel quocumque alio modo adjuvando. Opus autem est meritorum alicui, non solum considerata ejus dispositione, sed etiam quantum ad aliquid consequens dispositionem, vel statum ejus, ut ex dictis patet.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, auferre alicui quod sibi debetur, directe repugnat justitiæ. Dare autem alicui aliquid, quod sibi non debetur, non est justitiæ contrarium, sed metas justitiæ excedit; est enim liberalitatis. Non autem posset aliquis lædi ex malis alterius, nisi ei aliquid de suo subtraheretur: et ita non convenit, quod aliquis puniatur pro peccato alterius, sicut quod emolumentum ex bonis alterius percipiat.

ARTICULUS II.

Utrum mortui possint juvari ex operibus vivorum.

Pro negativa. ═Videtur quod mortui non possint juvari ex operibus vivorum.

1. Apost. 2. Corinth. 5. dicit. « omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque « propria corporis, prout gessit. » Ergo ex his, quæ post mortem hominis geruntur, quando extra corpus anima erit, nihil ei accrescere poterit.

2. Apoc. c. 14. dicitur: « beati mortui, qui in Domino moriuntur: opera « enim illorum sequuntur illos. »

3. Proficere ex aliquo opere, est tantum viatorum. Sed homines post mortem non sunt amplius viatores. Sed de his intelligitur illud Job. 19. *Semitam meam circumsepsit, et transire non possunt.* Ergo mortui suffragiis juvari non possunt.

4. Nullus juvatur ex opere alterius, nisi sit aliqua communicatio ad eum. Sed vivorum ad mortuos nulla est communicatio: ut dicitur 1. Ethic. cap. 10. Ergo suffragia vivorum non prosunt mortuis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Mach. 2. c. 12. dicitur: sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut á peccatis solvantur. Ergo suffragia vivorum, mortuis prossunt.

2. Aug. dicit in lib. de cura agenda pro mortuis c. 1. « Non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetu« dinem clarat, auctoritas, ut in præci« bus sacerdotis, quæ Domino Deo ad « ejus altare fundantur, locum suum « etiam habeat commendatio mortuo« rum: » quæ quidem consuetudo ab ipsis Apostolis incepit, ut dicit Dam. in quodam sermone pro mortuorum suffragiis, sic dicens: « Mysteriorum cionscii « Discipulis Salvatoris, et sacri Apostoli « in tremendis, et vivificis mysteriis me« moriam fieri eorum, qui fideliter dor« mierunt, sanxerunt. » Quod etiam patet per Dion, c. 7. Eccles. Hierarc. ubi commemorat ritum, quo in primitiva Ecclesia pro mortuis orabatur, ubi etiam

asserit, suffragia vivorum mortuis prodesse: Ergo hoc indubitanter est credendum.

Determinatio.

Conclusio. Suffragia vivorum mortuis prodesse possunt.

Prob. Illi, ad quos se extendit vinculum charitatis, et ad quos potest vivorum intentio dirigi, possunt ex operibus vivorum juvari. Sed ad mortuos, qui in charitate decedunt, se extendit charitas, quæ est vinculum uniens Ecclesiæ membra. Et ad eosdem vivorum intentio potest dirigi. Ergo mortui ex vivorum operibus juvari possunt.

Minor prob., quia charitas, quæ est vita animæ, sicut anima est vita corporis, non finitur. 1. Corint. 13. *Charitas numquam excidit.* Similiter mortui in memoriis hominum viventium vivunt: propter quod ad eos intentio viventium dirigi potest. Et sic suffragia vivorum dupliciter mortuis prosunt, sicut et vivis. Et propter unionem charitatis et propter intentionem viventium in eos directam.

Ad quid mortuis valeant vivorum suffragia.

Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia, ut eorum status mutetur de miseria ad felicitatem, vel é converso. Sed valent ad diminutionem pœnæ, vel ad aliquid hujusmodi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod homo, dum in corpore vixit, meruit, ut hæc sibi valerent post mortem; et ideo si post hanc vitam juvatur, hoc procedit ex his quæ in corpore gessit. Vel dicendum, secundum Jo. Damasc, in Serm. prædicto. quod hoc est intelligendum, quantum ad retributionem, quæ fiet in finali judicio. quæ erit æternæ gloriæ, vel æternæ miseriæ, in qua quilibet recipiet solum secundum quod ipse in corpore gessit, interim autem juvari potest vivorum suffragiis, ad satisfaciendum pro debitis pœnis.

Ad 2. Dicitur, quod auctoritas illa expresse loquitur de sequela æternæ retributionis, quod patet ex hoc, quod præmittitur. *Beati mortui*, etc. Vel dicendum quod opera pro eis facta sunt etiam quodammodo eorum, ratione vinculi charitatis, vel intentionis ad eos directæ.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis animæ post mortem non sint simpliciter in statu viæ, tamen quantum ad aliquid, adhuc sunt in statu viæ, in quantum scilicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione: et ideo simpliciter eorum via est circumsepta, ut non possint ulterius per aliqua opera transmutari, secundum statum felicitatis et miseriæ. Non est autem circumsepta, quantum ad hoc, quin in quantum detinentur ab æternæ ultimæ retributionis consequutione, possint ab aliis juvari; quia secundum hoc adhuc sunt in via.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod quamvis vivorum ad mortuos non sit civilium operum de quibus Ppilosophus loquitur, communicatio, quia mortui extra civilem vitam sunt. Potest tamen ad eos esse communicatio spiritualium operum, quæ sunt per charitatem ad Deum, cui mortuorum spiritus vivunt

ARTICULUS III.

Utrum suffragia per peccatores facta, mortuis prosint.

Pro negativa. ==Videtur quod suffragia per peccatores facta mortuis non prosint.

1. Quorum sufragia prosunt mortuis, orationes á Deo exaudiuntur. Sed orationes peccatorum non exaudiuntur. Ergo peccatorum suffragia mortuis non prosunt.

Minor prob., quia Joan. 9. dicitur. *Peccatores Deus non audit.*

2. Suffragia ejus qui Deo displicet, mortuis, prodesse non possunt. Sed peccator Deo displicet. Ergo per pecca-

torum suffragia, Deus non flectitur ad misericordiam.

Maior prob., quia Greg. dicit in Past. par. 1. cap. 11. quod *cum is qui displicicet, ad interpellandum mittitur; irati animus ad deteriora provocatur.*

3. Peccator, per sua opera nihil meretur sibi. Ergo multo minus potest alteri mereri.

Conseq. prob., quia opus alicujus videtur esse magis fructuosum facienti, quam alteri. Unde opus, quod non prodest facienti, minus alteri prodesse potest.

4. Omne opus meritorium debet esse vivificatum, idest charitate informatum. Sed opera per peccatores facta, sunt mortua. Ergo non possunt mortui per hujusmodi opera juvari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si tantum illa suffragia prodessent, quæ fiunt per eos, qui sunt in gratia; non posset homo scire, per quæ suffragia subveniret suis defunctis, et ita multi retraherentur á procurandis suffragiis.

Conseq. prob., quia nullus potest scire de altero, pro certo, utrum sit in statu culpæ, vel gratiæ.

2. Aug. dicit in Enchir. c. 109. Secundum hoc juvatur aliquis mortuus ex suffragiis, secundum quod dum viveret, meruit ut juvaretur post mortem. Ergo valor suffragiorum mensuratur secundum conditionem ejus, pro quo fiunt. Non ergo differt, an per bonos vel malos fiant.

Determinatio.

Distinctio. In suffragiis quæ per malos fiunt, duo possunt considerari. Primo ipsum opus operatum: sicut sacrificium altaris, secundo, opus operantis.

2. *Distinctio.* Operatio peccatoris suffragia facientis, potest considerari dupliciter. Uno modo, prout est ejus, scilicet peccatoris. Alio modo, in quantum est alterius.

3. *Distinctio.* Et hoc dupliciter contingit. Uno modo, in quantum peccator suffragia faciens, gerit personam totius Ecclesiæ: sicut sacerdos dum in Ecclesia celebrat exequias mortuorum. Alio modo, quando agit ut instrumentum alterius.

1.ª Conclusio. Suffragia, quæ fiunt pro mortuis per sacrificium altaris, ex opere operato prosunt, etiamsi per malos fiant.

Manifestatur, quia nostra sacramenta ex se ipsis efficaciam habent, absque opere operantis, quam efficaciam æqualiter explent per quoscumque fiant.

2.ª Conclusio. Suffragia per peccatores, ut sunt ab ipsis peccatoribus facta, ex opere operantis non prosunt facientibus nec aliis.

Hanc probant argumenta pro negativa inducta.

3.ª Conclusio. Suffragia facta per peccatores, ut gerunt personam totius Ecclesiæ, possunt defunctis prodesse.

Manifest. quia ille intelligitur facere aliquid, cujus nomine, vel vice illud fit: ut patet per Dion. in lib. Eccles. Hierarch. cap. 7. Inde est, quod suffragia mali sacerdotis, vice Ecclesiæ orantis, defunctis prosunt.

4.ª Conclusio. Suffragia facta per peccatores, ut sunt instrumentum alterius charitatem habentis, mortuis prodesse possunt.

Manifestatur, quia opus instrumenti est magis principalis agentis, quam ipsius instrumenti. Unde etsi ille qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi; actio tamen ejus potest esse meritoria, ratione principalis agentis. Sicut si servus in peccato existens, quodcumque opus misericordiæ facit, ex præcepto Domini sui charitatem habentis, est meritorium. Unde si aliquis ex hac vita in charitate decedens, præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius charitatem habens præcipiat illa suffragia, valent defuncto, quamvis illi per quos fiunt, in peccato existant. Magis tamen

valerent, si illi per quos fiunt, essent in charitate; quia tunc ex duobus partibus, scilicet facientis et imperantis, et ex opere operantis et operati essent meritoria.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem dupliciter. Primo, quod orationes peccatorum, ut sunt ipsorum peccatorum, non exaudiuntur. Sed quia oratio per peccatorem facta, quandoque non est peccatoris, sed alicujus alterius charitatem habentis digna est secundum hoc quod á Deo exaudiatur. Secundo dicitur, quod Deus exaudit aliquando etiam peccatores, quando scilicet peccatores petunt aliquid Deo acceptum; non enim solis justis, sed etiam peccatoribus Deus bona sua impartitur, ut patet Matt. 5. Non ex eorum meritis, sed ex sua clementia. Unde negatur ipsa minor. Ad prob. dicitur, quod Glos. ordin. super dictum locum dicit, quod loquitur cæcusille ut in nuctus, non ut plene videns: ut dictum est etiam 2. 2. quæst 83. artic. 16. ad 1.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis oratio peccatoris ut est peccatoris, Deo displiceat; tamen ex parte alterius, nomine cujus fit potest esse Deo accepta.

Ad 3. Negatur conseq. Hoc enim quod peccator faciens hujusmodi suffragia, nullum reportat commodum, contingit ex hoc quod ipse non est capax talis profectus, propter propiam indispositionem; tamen alteri qui est dispositus, tale opus valere potest, ut dictum est.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod etsi opus peccatoris non sit vivum, in quantum peccatoris est; potest tamen esse vivum, in quantum est ab altero imperatum, vel ejus nomine aut vice factum.

Ad argumenta pro affirmativa.

Sed quia duo argumenta pro affirmativa videntur concludere quod non differat utrum quis suffragia procuret per bonos vel per malos, ideo ad ea etiam est respondendum.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis aliquis pro certo scire non possit de altero, an sit in statu salutis, potest tamen probabiliter æstimare de his, quæ exterius de homine videt: ex fructu enim suo cognoscitur arbor. Matt. 7.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod ad hoc quod suffragium alicui valeat, requiritur ex parte ejus pro quo fit, capacitas hujusmodi valoris, et hanc homo per pria opera, dum viveret, acquisivit; et de hac capacitate Aug. loquitur. Requiritur etiam qualitas operis quod prodesse debet, et hæc non pendet ex eo pro quo fit; sed magis ex eo qui facit vel exequendo vel imperando.

ARTICULUS IV.

Utrum suffragia, quæ á vivis pro mortuis fiunt, prosint facientibus.

Pro negativa. — Videtur quod suffragia, quæ pro mortuis fiunt, non prosint vivis facientibus:

1. Si aliquis pro altero debitum solveret, secundum humanam justitiam, ipse á debito proprio non solveretur. Ergo per hoc quod aliquis suffragia faciens debitum solvit illius pro quo facit, á debito proprio non absolvitur.

2. Si ille qui per suffragia debitum mortui solvit, á proprio debito liberatur videtur quod numquam deberet pro se ipso satisfacere, sed semper pro alio.

Conseq. prob., quia unusquisque quod facit, facere debet meliori modo, quo potest. Melius autem est, juvare duos, quam unum. Cum igitur satisfaciendo pro alio, pro se etiam satisfaciat: melius est quod pro alio quam pro se satisfaciat.

3. Si satisfactio alicujus, satisfacientis pro alio, æqualiter prodesset sibi et ei pro quo satisfacit; eadem ratione æqualiter valebit et tertio, si pro eodem satisfaciat simul. Et similiter quarto, et sic deinceps. Ergo unus una satisfaccio-

ne, posset pro omnibus satisfacere; quod est absurdum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Psal. 3. dicitur. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Ergo eadem ratione suffragia, quæ pro aliis fiunt, satisfacientibus prosunt.

2 Damasc. dicit in serm. pro mortuis, de his: qui in fide dormierunt. *Quemadmodum unguento, vel alio oleo sancto circumlinire volens infirmum; primo ille,* scilicet liniens *participat unctionem, et sic postea per ungit laborantem: sic et quicumque pro proximi salute agonizet, primum sibi ipsi prodest, deinde proximo.*

Determinatio.

Distinctio. Opus suffragii quod pro altero fit, potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est expiativum pœnæ, per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur. Alio modo, in quantum est meritorium vitæ æternæ quod habet ut procedit ex radice charitatis.

1.ª Conclusio. Opus suffragii quod á vivis pro mortuis fit, ut est pœnæ expiativum, ita absolvit eum pro quo fit á debito pœnæ quod non absolvit facientem á debito pœnæ propriæ.

Manifestatur, quia in tali recompensatione consideratur æqualitas justitiæ. Opus autem illud satisfactivum ita potest adæquari uni reatui, quod alieri non adæquetur. Reatus enim duorum peccatorum maiorem satisfactionem requirit, quam reatus unius. Et hoc idem probant, argumenta pro negativa.

2.ª Conclusio. Opus suffragii, ut est meritorium vitæ æternæ, non solum prodest ei pro quo fit, sed facienti magis.

Hanc probant duo argumenta pro affirmativa. Unde non oportet solvere aliter argumenta inducta, cum utraque verum probent in suo sensu.

ARTICULUS V.

Utrum suffragia prosint existentibus in inferno.

Pro affirmativa.=Videtur quod suffragia prosint existentibus in inferno.

1. Machab. 2. cap. 12. dicitur quod «invenerunt sub tunicis interfectorum «donaria idolorum, á quibus lex pro«hibebat Judæos.» Et tamen postea subditur quod «Judas duodecim milia «drachmas argenti misit Hierosolymam «offerri pro peccatis mortuorum.» Constat autem illos milites pecasse mortaliter, contra legem agentes, et ita in peccato mortali decessise. Ergo suffragia prosunt existentibus in inferno.

In forma. Suffragia prosunt his qui in peccato mortali decesserunt, ut dicitur in auctoritate prædicta. Ergo et damnatis.

2. Aug. in Enchir. cap. 110 dicit, ut refert magister in 4. dist. 45. quod «quibus prosunt, suffragia, vel ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, vel ad hoc ut «tolerabilior sit ipsa damnatio.» Ergo etiam existentibus in inferno suffragia possunt.

Conseq. prob., quia tantum illi, qui sunt in inferno, damnati esse dicuntur.

3. Suffragia prosunt esse etiam his qui in peccato mortali existunt: cum quotidie Ecclesia oret pro peccatoribus, ut convertantur ad Deum. Ergo etiam et mortuis in peccato mortali suffragia valent.

Conseq. prob., quia suffragia valent magis mortuis, quam vivis, ut habetur ex verbis Dionysii in lib. Eccles. Hierarch. cap. ultimo.

4. In vitis patrum legitur quod etiam dam. in suo sermone de defunctis refert quod Macharius inventa in via calvaria cujusdam defuncti, oratione præmissa, quæsivit cujus caput fuisset, et caput respondit quod fuerat sacerdotis gentilis, et tamen confessus est, oratione Macharii, se et alios juvari.

5. Damasc. in eodem sermone narrat quod Greg. pro Traiano orationem fun-

dens, audivit vocem sibi divinitus dicentem: « vocem tuam audivi, et veniam « Traiano do. » Cujus rei, ut Dam. dicit in dicto sermone, « testis est omnis oriens et occidens. » Ergo suffragia Ecclesiæ valent etiam existentibus in inferno.

Conseq. patet, quia constat Traianum, qui « multorum martyrum amaram « necem instituit, » in inferno fuisse.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dion. dicit in 7. cap. Eccles. Hierar. « Summus sacerdos pro immundis « non orat, quia in hoc averteretur á divino ordine. » Et consequenter ibidem dicit quod " pro peccatoribus non orat « remissionem, quia non audiretur pro « illis. » Ergo suffragia non valent in inferno existentibus.

2. Greg. dicit in 34. lib. Moral. cap. 12. *Eadem causa est, cur non oretur tunc* (scilicet post diem judicii) « pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc causa est, quare non oretur pro diabolo et angelis ejus æterno supplicio deputatis, quæ etiam nunc causa est quare sancti non orent pro hominibus infidelibus impiisque defunctis. Quia eis utique, quos æterno damnatos suplicio jam noverunt, ante illum Judicis justi conspectum orationis suæ meritum cessari refugiunt. » Ergo suffragia non valent in inferno positis.

3. Aug. in Enchir. cap. 67, 68. et 110 dicit, ut refert magister in 4. dist. 45. « Qui sine fide operante per dilectionem ejusque sacramentis, de corpore exeunt, frustra illis á suis, hujusmodi officia impenduntur. » Sed omnes damnati sine fide per dilectionem operante, decesserunt. Ergo eis suffragia vivorum non prosunt.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Circa damnatos fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, in hoc distinguendum esse dupliciter. Uno modo, quantum ad tempus: dicentes quod post diem judicii nullus in inferno existens aliquo suffragio juvabitur. Sed ante diem judicii aliqui juvantur suffragiis Ecclesiæ. Alio modo distinguebant, quantum ad personas in inferno detentas, inter quas aliquos dicebant esse valde malos, quia scilicet sine fide et sacramentis decesserunt et talibus, quia de Ecclesia non fuerunt nec merito nec numero, suffragia Ecclesiæ prodesse non possunt. Alii vero sunt non valde mali, qui scilicet de numero Ecclesiæ fuerunt, et fidem habentes et sacramentis ablati et aliqua opera de genere bonorum facientes vixerunt, et talibus suffragia Ecclesiæ prodesse dixerunt.

Sed occurrebat eis dubitatio quædam eos perturbans. Quia scilicet videbatur ex hoc sequi, cum pœna inferni sit finita secundum intensionem, quamvis duratione infinita existat quod multiplicatis suffragiis, pœna totaliter auferretur: quod est error origenis.

Evatio præpositivi.

Et ideo hoc inconveniens multipliciter evadere voluerunt. Præpositivus enim dixit quod tantum possunt suffragia pro damnatis multiplicati quod á tota pœna totaliter reddantur immunes, non quidem simpliciter, ut posuit Origenes, sed ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. Tunc enim animæ iterato corporibus conjunctæ, in pœnas inferni sine spe veniæ, detrudentur.

Reprobatio.

Sed ista positio videtur divinæ providentiæ repugnare, quæ nihil in rebus inordinatum relinquit. Culpa autem non potest ordinari, nisi per pœnam. Unde non potest esse quod pœna tollatur, nisi culpa expietur. Unde cum culpa continue maneat in damnatis; eorum pœna nullatenus potest interrumpi.

Porretanorum positio.

Et ideo porretani alium modum invenerunt, dicentes quod hoc modo proceditur in diminutione pœnarum per suffragia, sicut proceditur in divisione li-

nearum, quæ cum sint finitæ, in infinitum tamen dividi possunt, et numquam per divisionem consumuntur, dum sit subtractio, non secundum eamdem quantitatem, sed secundum eamdem proportionem. Velut si primo auferatur pars quarta totius, et secundo quarta pars illius quartæ, et sic deinceps in infinitum. Et similiter dicunt quod per primum suffragium diminuit aliquota pars pœnæ et per secundum, pars aliqua remanentis, secundum eamdem proportionem.

Reprobatio.

Sed iste modus dicendi est multipliciter defectivus. Primo, quia infinita divisio quæ convenit continuæ quantitati, non videtur posse transferri ad spiritualem quantitatem. Secundo, quia non est aliqua ratio, quare secundum suffragium minus de pœna diminuat, quam primum, si sit æqualis valoris. Tertio, quia pena diminuit non potest, nisi diminuatur et culpa; sicut nec auferri, nisi ea ablata. Quarto quia in divisione lineæ, tandem pervenitur ad hoc quod non est sensibile; corpus enim sensibile non est in infinitum divisibile. Et sic sequeretur quod post multa suffragia, pœna remanens, propter sui parvitatem non sentiretur. Et ita pœna nequaquam esset.

Positio Altisiodorensis.

Et ideo, alii alium invenerunt modum. Altisiodorensis enim lib. 4. suarum sententiarum Tract. 14. quæst. 1. dixit quod suffragia prosunt damnatis, non quidem per diminutionem pœnæ, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis: sicut si homo portaret grave onus, et faciem suam perfunderet aqua, confortaretur ad melius portandum, cum tamen onus suum in nullo levius fieret.

Reprobatio.

Sed hoc iterum esse non potest, quia aliquis plus, vel minus æterno igne gravatur, ut dicit Greg. lib. 9. Moral. c. 47. Secundum meritum culpæ. Et inde est, quod eodem igne, quidam, plus quidam minus cruciantur. Unde cum culpa damnati immutata remaneat, non potest esse quod levius pœnam ferat. Nihilominus, et prædicta opinio præsumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria. Et vana, nulla auctoritate fulta. Et est irrationabilis. Tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis; secundum quam opera vivorum continuantur defunctis. Tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de pœna, vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non præbet: cum gloria essentialiter et radicaliter consistat in anima, et similiter miseria damnatorum. Et ideo non potest eorum pœna diminui, sicut nec gloria sanctorum augeri, quantum ad premium essentiale.

Quorumdam aliorum positio.

Est alius modus, qui á quibusdam ponitur, quod suffragia prosunt damnatis, non quidem quantum ad diminutionem pœnæ, vel interruptionem, nec quantum ad diminutionem sensus pœnæ; sed quia ex hujusmodi suffragiis aliqua eis doloris materia subtrahitur, quæ eis esse posset, si ita se objectos conspicerent, quod de eis nulla cura haberetur: quæ materia doloris eis subtrahitur, dum suffragia pro eis fiunt.

Reprobatio.

Sed istud etiam non potest esse, secundum communem legem. Quia ut Aug. dicit in lib. de cur. agenda pro mortuis, cap. 13. quod præcipue de damnatis est verum. "Ibi sunt spiritus « defunctorum: ubi non vident quæcum« que aguntur, aut eveniunt in ista vita « hominibus.„ Et ita non cognoscunt, quando pro eis suffragia fiunt, nisi supra communem legem, hoc remedium divinitus detur aliquibus damnatis: quod est omnino incertum.

Vera sententia.

Conclusio. Totius est simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit.

Hanc probant auctoritates inductæ in tribus argumentis pro negativa, et rationes, quibus reprobatæ sunt suprapositæ positiones.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo quod donaria idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ut ex eis signum accipi posset quod in reverentiam idolorum deferrent; sed acceperunt jure belli, quæ eis jure belli, debebantur, et tamen per avaritiam venialiter peccaverunt: unde non fuerunt in inferno damnati, et sic suffragia eis poterant prodesse. Vel dicendum est secundum quosdam quod in ipsa pugna, videntes sibi periculum imminere, de peccato eos pœnituit, secundum illud Psal. 77, *Cum occideret eos, quærebant eum*; et hoc probabiliter potest æstimari, propter quod fuit pro eis oblatio Judæ facta.

Ad 2. Dicitur ad sententiam Aug. quod in verbis illis, damnatio large accipitur pro quacumque punitione, ut sic includat etiam pœnam purgatorii, quæ per suffragia quandoque totaliter expiatur, quandoque autem solum diminuitur.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quantum ad hoc magis acceptatur, suffragium pro mortuo, quam pro vivo, quia mortuus magis indiget, cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest. Sed quantum ad hoc vivus est melioris conditionis, quia potest transferri de statu culpæ mortalis, ad statum gratiæ; quod de mortuis dici non potest. Et ideo non est eadem causa orandi pro mortuis, et pro vivis.

Ad 4. Dicit quod illud adjutorium non erat in hoc quod eorum pœna minueretur; sed in hoc solo, ut ibidem dicitur quod eo orante concedebatur eis, ut mutuo se viderent, et in hoc aliquod gaudium non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc quod desiderabant: sicut et dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur, sicut nec minuitur angelorum gaudium, per hoc quod malis nostris comparati dicuntur.

Ad 5. Dicitur quod de facto Traiani, hoc potest probabiliter æstimari quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita consecutus sit gratiam, per quam remissionem peccatorum habuit; et per consequens immunitatem á pœna, sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose á mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse. De omnibus enim talibus similiter dici oportet quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam; secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi erat aliter de eis disponendum. Vel dicendum secundum quosdam quod anima Traiani non fuit simpliciter á reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii: nec tamen oportet quod hoc fiat communiter per suffragia. Quia alia sunt quæ lege communi accidunt, et alia quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur. Sicut « alii sunt humana- « rum limites rerum, et alia divinarum « signa virtutum: » ut Aug. dicit in lib. de cur. agenda pro mort. cap. 16.

ARTICULUS VI.

Utrum suffragia prosint existentibus in purgatorio.

Pro negativa.=Videtur quod suffragia non prosint existentibus in purgatorio.

1. His qui sunt in inferno non prosunt suffragia. Sed qui sunt in purgatorio, sunt in inferno. Ergo his qui sunt in purgatorio non prosunt suffragia.

Maior prob., quia *in inferno nulla est redemptio*. Et in Psal. 6, dicitur.

In inferno autem quis confitebitur tibi?

Minor prob., quia purgatorium est pars inferni.

2. Si per suffragia aliquid de pœna purgatorii minuitur sequitur quod tantum poterunt multiplicari suffragia quod tota pœna tolletur. Ergo ulterius sequitur quod peccatum remanebit totaliter impunitum: quod videtur divinæ justitiæ repugnare.

Prima conseq. prob. quia pœna purgatorii est pœna finita. Secunda vero, quia remittitur existenti in purgatorio pœna, absque hoc quod ille qui peccavit eam patiatur.

3. Ad hoc animæ sunt in purgatorio, ut ibi purgatæ, puræ ad regnum perveniant. Ergo suffragia facta per vivos, pœnam purgatorii non diminuunt.

Conseq. prob., quia nullus potest purgari, nisi aliquid circa ipsum fiat.

4. Si sufragia existentibus in purgatorio valerent, maxime ea viderentur valere, quæ sunt facta ad eorum imperium. Sed hæc non semper valent. Ergo nec alia illis valebunt.

Minor ostenditur. Si enim aliquis decedens disponat tot suffragia pro se fieri, quæ si facta essent, sufficerent ad totam pœnam abolendam. Posito autem quod hujusmodi suffragia differantur, quousque ille pœnam persolverit in purgatorio, ista suffragia nihil ei proderunt; cum non possit dici quod ei prosint antequam fiant: postquam autem sunt facta, eis non indiget; quia jam pœnas evasit. Ergo suffragia non valent existentibus in purgatorio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. *His, qui sunt mediocriter boni vel mali, suffragia prosunt*, ut Aug. dicit in Euch. cap. 110. Sed qui sunt in purgatorio, sunt mediocriter boni vel mali. Ergo eis suffragia prosunt.

2. Dion. dicit in 7. c. Eccles. Hierar. quod "divinus sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat, qui sancte vixerunt, et tamen aliquas maculas ex infirmitate humana contractas habuerunt.„ Sed tales sunt, qui in purgatorio detinentur. Ergo eis suffragia prosunt.

Determinatio.

Conclusio. Non est dubium quin suffragia per vivos facta, existentibus in purgatorio prosint.

Prob. opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus, sive mortuus fuerit, ut ex pluries dictis patet. Sed pœna purgatorii est in suplementum satisfactionis, quæ non fuerat plene in corpore consummata. Ergo suffragia vivorum mortuis in purgatorio detentis, prosunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod nomine inferni, duo possumus intelligere. Vel infernum damnatorum, vel communiter omnes inferni partes, prout comprehendit quinque loca, de quibus in quæst. præced. dictum est. Maior igitur et sua probatio vera est de inferno damnarum, non autem de purgatorio.

Ad 2. Conceditur prima conseq. Non enim est inconveniens quod multiplicatis suffragiis, pœna existentium in purgatorio annihiletur. Negatur autem secunda, non enim sequitur quod peccata remaneant impunita; quia pœna unius pro altero suscepta alteri computatur.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod purgatio animæ per pœnas purgatorii, non est aliud quam expiatio reatus impedientis á perceptione gloriæ. Et quia per pœnam, quam unus suffert pro alio, potest reatus alterius expiari, ut dictum est; non est inconveniens, si per unius satisfactionem alius purgetur: et quod unus purgetur absque hoc quod ipse operetur ad sui purgationem.

Ad 4. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod sufragia ex duobus valent scilicet ex opere *operante*, et ex opere *operato*. Et dico *opus operatum*, non solum Ecclesiæ sacramentum; sed effectum

accidentem ex operatione: sicut ex collatione eleemosynarum, consequitur pauperum relevatio, et eorum oratio ad Deum: quæ relevatio et oratio in proposito dicitur opus operatum. Similiter opus operans potest accipi, vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo quod quam cito moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, præmium suffragiorum plene consequitur, etiam antequam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quæ est ex opere operante principalis agentis; sed quantum ad efficaciam suffragiorum quæ est ex opere operato vel ex opere operante exequentis, non consequitur fructum antequam suffragia fiant. Et si prius contingat, ipsum á pœna purgari, quantum ad hoc fraudabitur fructu suffragiorum quod redundabit in illos, quorum culpa defraudatur. Non enim est inconveniens quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus, qualis est pœna purgatorii. Quantum autem ad æternam retributionem nullus, nisi per culpam propriam fraudari potest.

ARTICULUS VII.

Utrum suffragia valeant pueris in limbo existentibus.

Pro affirmativa.=Videtur quod suffragia valeant pueris in limbo existentibus.

1. Pueri in limbo existentes, non detinentur ibi, nisi pro peccato alieno. Ergo maxime decens est ut ipsi suffragiis alienis juventur.

2. *Suffragia Ecclesiæ pro non valde malis propitiationes sunt*, ut Aug. dicit. Sed pueri in limbo existentes, non computantur inter valde malos: cum sit mitissima eorum pœna. Ergo suffragia Ecclesiæ eis prosunt.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

« His, qui sine fide operante per dilectionem, ex hac vita exierunt, Ecclesiæ suffragia non prosunt, » ut Aug. dicit, et Magister refert in 4. dist. 45. Sed pueri sine fide per dilectionem operante, ex hac vita exierunt. Ergo eis suffragia non prosunt.

Determinatio.

Conclusio. Suffragia vivorum, pueris in limbo existentibus, non possunt prodesse.

Prob. Mortuis, qui non sunt in estatu gratiæ, non possunt suffragia vivorum prodesse. Sed pueri in limbo existentes, non sunt in statu gratiæ. Ergo eis suffragia Ecclesiæ non possunt prodesse.

Maior prob., quia per suffragia vivorum non potest mutari status mortuorum, maxime quantum ad meritum essentialis præmii, vel pœnæ: et cum suffragia non prosint nisi qui sunt in statu gratiæ; sequitur quod pueris extra statum gratiæ existentibus non prosint.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. quod quamvis peccatum originale tale sit quod pro eo possit aliquis ab alio juvari; tamen animæ puerorum in limbo existentium in tali statu sunt quod juvari non possunt; quia post hanc vitam, non est tempus acquirendi gratiam.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod August. loquitur de non valde malis, baptizatis tamen, quod patet ex hoc quod ibi præmittit, dicens. « Cum ergo « sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis « omnibus offeruntur, etc. »

ARTICULUS VIII.

Utrum suffragia prosint sanctis in patria existentibus.

Pro affirmativa.=Videtur quod suffragia prosint sanctis, in patria existentibus.

1. Sacramentum altaris, quod est præcipuum inter suffragia, prodest existentibus in patria. Ergo suffragia prosunt sanctis qui sunt in patria.

Antecedens prob., quia in collecta missæ dicitur: *sicut sanctis tuis prosunt*

ad gloriam, scilicet sacramenta, *ita nobis proficiant ad medelam*.

2. Sacramenta efficiunt quod figurant. Sed tertia pars hostiæ, in calicem missa, signat eos qui beatam vitam in patria ducunt, ut dictum est 3. part. quæst. 83. art 5. Ergo suffragia Ecclesiæ prosunt sanctis existentibus in patria.

3. Sancti gaudent in patria non solum de propriis bonis, sed etiam de bonis alienis. Unde Luc. 15. dicitur. «Gaudium est Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.» Ergo ex bonis operibus viventium, sanctorum qui sunt in patria, gaudium crescit: et ita eis etiam nostra suffragia prosunt.

4. Damasc. dicit in serm. de dormientibus, inducens verba Chrysost. «Si enim Gentiles (inquit) cum his qui obierunt, sua comburunt; quanto magis te fidelem mittere convenit, cum fideli ipsus propria, non ut favilla fiant, velut illa, sed ut maiorem huic circumponas gloriam etsi quidem peccator fuerit qui mortuus est, ut peccamina solvas. Si autem justus, ut appositio fiat mercedis et retributionis.» Et sic nostra suffragia justis defunctis prodesse possunt.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. August. serm. 17. de Verb. Apos. et serm. 42. ad fratres de Eremo, dicit, et refertur á Magistro in 45. dist. 4. *Injuria est pro martyre orare in Ecclesia, cujus nos debemus orationibus commendari.*

2. Ejus est juvari, cujus est indigere. Sed sanctorum, in patria existentium non est indigere. Ergo eis non competit juvari.

Determinatio.

Conclusio. Suffragia non prosunt sanctis existentibus in patria.

Prob. Eis, qui ab omni indigentia sunt immunes, non competit per suffragia juvari. Sed sancti, in patria existentes, sunt ab omni indigentia immunes. Ergo eis non competit per suffragia juvari.

Maior prob., quia suffragium Ecclesiæ de sui ratione, subventionem quamdam sive auxiliationem importat; quæ non competit ei qui defectum non patitur: nulli enim competit juvari, nisi ei qui indigens est

Minor prob., quia sancti, existentes in patria, inebriati sunt ab ubertate domus Dei.

AD ARGUMENTA.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod hujusmodi locutiones non sunt sic intelligendæ, quasi sancti in gloriam proficiant; quantum ad se, quod eorum festa recollimus; sed quia nobis, qui de eorum gloria sollemnia celebramus, proficit. Sicut ex hoc quod Deum cognoscimus vel laudamus, et per hoc ejus gloria quodammodo in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis aliquid accrescit.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod quamvis sacramenta efficiant, quod figurant; non tamen effectum suum ponunt circa omne id quod figurant: alias, cum figurent Christum, in ipso Christo aliquid efficerent, quod est absurdum. Sed efficiunt circa suscipientem sacramentum, ex virtute ejus quod per sacramentum significatur; et sic non sequitur quod sacrificia pro fidelibus defunctis oblata sanctis prosint; sed quod ex meritis sanctorum, quæ recolluntur vel significantur in sacramento, prosint aliis pro quibus offeruntur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod quamvis sancti, qui sunt in patria, de omnibus bonis nostris gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris bonis, eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum. Et ratio est, quia omnis passio formaliter augetur ex ratione sui objecti. Ratio autem gaudendi in sanctis, de quibuscumque gaudeant, et ipse Deus, de quo non possunt magis et minus gaudere;

quia sic essentiale eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc quod de Deo gaudeant. Unde ex hoc quod bona multiplicantur, de quibus Deus est eis ratio gaudendi; non sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant, et ideo non sequitur quod nostris operibus juventur.

Ad 4. Dicitur dupliciter. Primo quod non est intelligendum quod fiat appositio mercedis vel retributionis illi beato, per suffragia ab aliquo facta, sed facienda. Vel dicendum quod ex suffragiis potest fieri appositio mercedis beato defuncto, in quantum adhuc vivens, de suffragiis sibi faciendis posuit, quod ei meritorium fuit.

ARTICULUS IX.

Utrum orationes Ecclesiæ, sacrificium altaris, et eleemosyna, prosint defunctis.

Pro negativo. — Videtur quod non solis orationibus Ecclesiæ, sacrificio altaris, et eleemosynis, animæ defunctorum juventur, vel quod his non præcipue juventur.

1. Opus magis pœnale, magis prodest defunctis, quam minus pœnale. Sed jejunium est magis pœnale, quam eleemosyna et oratio. Ergo jejunium magis prodest defunctis, quam aliquid prædictorum.

Minor prob., quia pœna per pœnam debet recompensari.

2. Gregorius istis tribus enumerat jejunium, ut refertur 13. quæst. 2. c. Animæ, dicens. « Animæ defunctorum « quatuor modis solvuntur, aut oblatio- « nibus sacerdotum, aut charorum elee- « mosynis, aut præcibus sanctorum, aut « jejunio cognatorum. » Ergo insufficienter numerantur tria prædicta.

3. Baptismus est potissimum sacramentorum, maxime quantum ad effectum. Ergo baptismus, vel etiam alia sacramenta, deberent vel similiter vel magis pro defunctis fieri, sicut sacramentum altaris.

4. Hoc videtur ex hoc quod habetur 1. Cor. 15. *Si omnino mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur pro illis?* Ergo etiam baptismus valet ad suffragia defunctorum.

5. Si sacrificium computatur inter suffragia et non missa; videtur quod tantumdem valeat, quæcumque missa pro defuncto dicatur, sive de Spiritu Sancto, sive de Beata Virgine, vel quæcumque alia. Quod videtur esse contra Ecclesiæ ordinationem quæ specialem missam pro defunctis instituit.

Conseq. prob. quia idem sacrificium altaris est in diversis missis.

6. Damasc. in serm. de dormientibus docet, oleum et hujusmodi pro defunctis offerri. Ergo non solum oblatio sacramenti altaris, sed etiam aliæ oblationes debent inter suffragia mortuorum computari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit, et refertur á Magistro in 45. dist. 4. Sent. Orationibus ergo sanctæ Ecclesiæ et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus offerantur, non est dubium mortuos adjuvari.

Determinatio.

Conclusio. Sacrificium altaris, eleemosynæ, et orationes Ecclesiæ, præcipue defunctis prosunt, quamvis quæcumque alia bona, in charitate facta, eis valere credenda sint.

Prob. Ea, quæ maxime ad communionem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis ad alterum, præcipue nata sunt mortuis suffragari. Sed sacramentum Eucharistiæ et eleemosynarum largitio, maxime ad communionem charitatis pertinent, et oratio ad directionem intentionis ad alterum. Ergo prædicta tria præcipue nata sunt mortuis suffragari.

Maior prob., quia suffragia vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus in charitate: et secundum

quod intentio viventis ferror in mortuos.

Minor prob. Ad charitatem enim præcipue sacramentum Eucharistiæ pertinet, quia est sacramentum Ecclesiasticæ unionis continens illum, in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scilicet Christum: unde Eucharistia est quasi quædam charitatis origo, vel vinculum. Eleemosynarum autem opus est præcipuum inter charitatis effectus, et ideo ista duo ex parte charitatis, præcipue mortuis suffragantur. Ex parte autem intentionis in mortuos directæ præcipue valet oratio, quia oratio secundum suam rationem, non solum dicit respectum ad orantem, sicut et cætera opera dicunt respectum ad operantem, sed directius ad illum pro quo oratur, et ideo ex hac parte oratio præcipue mortuos juvat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. In eo enim qui satisfacit pro altero, magis est considerandum illud, quo satisfactio unius transit in alterum, quam satisfactionis pœna, quamvis ipsa pœna magis sit expiativa reatus satisfacientis, in quantum est quædam medicina. Et ideo tria prædicta magis quam jejunium valent defunctis.

Ad 2. Dicitur quod quia jejunium prodesse potest defunctis ratione charitatis, et intentionis in defunctos directæ, Gregorius inter ea, quæ defunctis prosunt numeravit. Quia vero jejunium in sui ratione non continet aliquid quod ad charitatem, vel intentionis directionem pertineat; sed hæc sunt ei quasi extrinseca, Aug. inter præcipua suffragia non numeravit.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod baptismus est quædam spiritualis regeneratio: Unde sicut per naturalem generationem non acquiritur esse, nisi generato; ita baptismus non habet efficaciam, nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato, quamvis ex opere operante baptizantis vel baptizati possit, sicut alia opera meritoria, mortuis prodesse. Unde negatur conseq. Non enim sequitur ex hoc quod baptismus est potissimum sacramentorum, quantum ad effectum; quod prosit mortuis, sicut Eucharistia: quia Eucharistia est signum Ecclesiasticæ unionis, et ideo ex ipso opere operato, ejus efficacia in alterum transire potest: quod de aliis sacramentis non contingit.

Ad 4. Dicitur quod Glos. exponit auctoritatem illam dupliciter. Uno modo sic. « Si mortui non resurgunt, nec " Christus resurrexit, ut quid et bap- " tizantur pro illis ? idest peccatis, cum " ipsa non dimittantur, si Christus non " resurrexit. Quia in baptismo, non " solum Christi passio, sed etiam resur- " rectio operatur: quæ est nostræ re- " surrectionis quodammodo causa. » Alio modo sic. « Fuerunt quidam imperiti, " qui baptizabantur pro his qui de hac " vita sine baptismo decesserant, pu- " tantes illis prodesse. Unde apostolus " non loquitur hoc in loco, nisi secun- " dum errorem, » volens eos ex eorum errore convincere, ad confitendam resurrectionem Christi et aliorum mortuorum.

Ad 5. Dicitur ad conseq. quod in officio missæ est, non solum sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes, et ideo suffragium missæ continet duo ex tribus quæ Aug. enumerat, scilicet sacrificium et orationes. Ex parte ergo sacrificii oblati quod est præcipuum quod fit in missa; æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur. Ex parte vero orationum, magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel ejus qui dicit missam: vel ejus qui jubet dici. Vel iterum, per intercessionem sancti, cujus suffragium in missa imploratur.

Ad 6. Dicitur quod hujusmodi oblatio candelarum, vel olei potest prodesse defunctis, in quantum sunt eleemosynæ

quædam: dantur enim ad cultum Ecclesiæ, vel etiam in usum fidelium.

ARTICULUS X.

Utrum indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis.

Pro negativa.—Videtur quod indulgentiæ, quas Ecclesiæ facit, non prosint defunctis.

1. Ex parte defuncti nulla potest esse conveniens causa, faciendi indulgentias. Ergo mortuis non prosunt indulgentiæ.

Anteced. prob., quia defunctus non potest facere aliquid quod sit in utilitatem Ecclesiæ, pro qua causa præcipue indulgentiæ dantur.

Conseq. prob., quia ad hoc quod indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens, pro qua indulgentiæ dantur.

2. Si indulgentiæ defunctis possent prodesse, esset in potestate facientis indulgentias, ut defunctum omnino liberaret á pœna: quod videtur absurdum.

Conseq. prob., quia indulgentiæ terminantur secundum arbitrium eas facientis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Hoc patet per consuetudinem Ecclesiæ, quæ facit prædicari crucem, ut aliquis indulgentiam habeat pro se, et duabus, vel tribus, et quandoque etiam decem animabus, tam vivorum, quam mortuorum. Quod esset deceptio, nisi mortuis prodessent.

2. Meritum personale suffragatur defunctis, ut patet in largitione eleemosinarum. Ergo multo fortius meritum Ecclesiæ, cui indulgentiæ innituntur, defunctis suffragari possunt.

Conseq. prob., quia meritum totius Ecclesiæ est efficacius, quam meritum unius personæ.

3. His, qui sunt de foro Ecclesiæ, prosunt indulgentiæ. Sed illi, qui sunt in purgatorio, sunt de foro Ecclesiæ. Ergo eis indulgentiæ prosunt.

Determinatio.

Distinctio. Indulgentia potest alicui dupliciter prodesse. Uno modo, principaliter. Alio modo, secundario. Principaliter prodest ei, qui id, pro quo datur indulgentia, facit: puta, qui visitat talem Ecclesiam. Secundario prosunt ilis, pro quibus aliquis facit id, pro quo dantur indulgentiæ.

1.ª Conclusio. Indulgentiæ non valent defunctis principaliter.

Prob. Illi, quibus indulgentiæ valent, facere possunt id, pro quo indulgentiæ dantur. Sed defuncti non possunt facere id, pro quo indulgentiæ dantur. Ergo eis principaliter indulgentiæ non possunt prodesse.

2.ª Conclusio. indulgentiæ possunt prodesse defunctis secundario, non tamen semper, sed secundum indulgentiæ formam.

Manifest. Si enim sit talis indulgentiæ forma. *Quicumque facit hoc vel illud, habebit tantum de indulgentia*: ille, qui hoc facit, non potest fructum indulgentiæ transferre in alium. Quia ejus non est applicare ad alium intentionem Ecclesiæ per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiæ, valent. Si autem indulgentia sub hac forma fiat. « Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse « et pater ejus vel quicumque alius ei ad- « junctus in purgatorio detentus tantum « de indulgentia habebit:» talis indulgentia, non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio, qua Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentia innituntur, in vivos et non in mortuos.

AD ARGUMENTA.

Primum argumentum probat primam conclusionem.

Ad 2. Dicitur quod non sequitur quod faciens indulgentias possit omnino absolvere defunctum á pœna; sed solum, quando adest conveniens causa faciendi indulgentias.

Argumenta pro affirmativa probant secundam conclusionem.

Utrum cultus exequiarum defunctis prosit.

Pro affirmativa.=Videtur quod cultus exequiarum defunctis prosit.

1. Damasc. in serm. de dormientibus inducit verba Athanasii sic dicentis. «Licet, qui in pietate consummatus est, «dispositus fuerit, ne renuas oleum, et «ceras Deum invocantes in sepulchro accendere; accepta enim ista sunt Deo et «multam ab eo recipientia retributionem.» Hujusmodi autem ad cultum exequiarum pertinent. Ergo cultus exequiarum prodest defunctis.

2. Aug. dicit in 1. lib. de Civ. Dei c. 13. «Antiquorum, justorum funera, «officiosa pietate curata sunt, et exequiæ «celebratæ, et sepulchra provisa, ipsique dum viverent, de sepeliendis, vel «etiam transferendis suis corporibus, fiiis mandaverunt.» Quod non fecissent, nisi sepulchra, et alia hujusmodi, aliquid mortuis conferrent. Ergo hæc aliquid prosunt defunctis.

3. Nullus facit eleemosynam circa aliquem, nisi ei proficiat. Sed sepelire mortuos, computatur inter opera eleemosynarum, ut dictum est 2. 2. quæst. 32. art. 2. Ergo sepulturæ cultus prodest defunctis.

4. Aliqui ex devotione se in locis aliquibus religiosis sepeliri disponunt. Ergo cultus sepulturæ defunctis prodest.

Conseq. prob., quia inconveniens est dicere quod devotio fidelium frustretur.

5. Aliquibus nocet loci sacri sepultura, si indigni sunt. Ergo multo amplius dicendum est quod sepulturæ cultus prosit bonis.

Antecedens prob., quia Greg. 4. Dial. c. 50. dicit. «Peccata gravia deprimunt «ad maiorem damnationis cumulum, potius quam ad solutionem, dum eorum «corpora in Ecclesiis ponuntur.

Conseq. prob., quia Deus promptior est ad miserendum, quam ad condemnandum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit in lib. de Cur. pro mort. agenda. c. ult. *corpori humano quicquid impenditur, non est præsidium vitæ æternæ, sed humanitatis officium.*

2. Greg. dicit in 4. Dial. *Curatio funeris conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia defunctorum,*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Sepultura prodest vivis et mortuis.

Manifest. Vivis quidem prodest, ne eorum oculi, ex turpitudine cadaverum offendantur, et corpora fœroribus inficiantur: et hoc quantum ad corpus. Sed spiritualiter etiam prodest vivis, inquantum per hoc astruitur fides resurrectionis. Mortuis vero prodest ad hoc quod inspicientes sepulchra, memoriam retinent defunctorum et pro defunctis orant. Unde et *monumentum* á memoria nomen accepit. Dicitur enim *monumentum*, quasi monens mentem; ut Aug. dicit. de civit. Dei, et lib. de cura agenda pro mortuis cap. 4.

Paganorum error.

Paganorum error fuit quod sepultura mortuo prosit, ut ejus anima quietem accipiat; non enim credebant animas posse prius quietem accipere, quam corpus sepulturæ datetur. Quod omnino ridiculum est et absurdum.

2. Conclusio. Sepultura in loco sacro quodammodo mortuo prodest.

Manifest. Prodest enim sepultura in loco sacro, non ex ipso opere operato, sed magis ex opere operante, dum scilicet vel ipse defunctus vel alius corpus ejus tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicujus sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendum est adjuvari. Et etiam patrocinio eorum qui loco sancto deserviunt, qui pro tumulatis apud se, frequentius et specialius orant.

3.ª Conclusio. Quæ ad ornatum se-

pulturæ adhibentur prosunt vivis et possunt prodesse defunctis.

Manifest. Prosunt quidem vivis, inquantum sunt vivorum solatia. Defunctis autem prodesse possunt; non quidem per se, sed per accidens, in quantum scilicet homines per hujusmodi excitantur ad compatiendum et per consequens ad orandum. Vel etiam in quantum ex sumptibus sepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur: sic enim sepultura inter cæteras eleemosynas computatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad auctoritatem inductam quod oleum, et cera ad sepulchrum defunctorum perlata, per accidens defuncto prosunt. Vel in quantum Ecclesiæ offeruntur, sive pauperibus dantur. Vel in quantum hæc in Dei reverentiam fiunt. Unde et verbis præmissis, subjungitur. *Oleum enim, et cera holocaustum sunt.*

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ideo sancti patres de suis corporibus tumulandis curaverunt; ut ostenderent «corpora mortuorum ad Dei providen-«tiam pertinere: non quod mortuis cor-«poribus insit aliquis sensus sed prop-«ter fidem resurrectionis astruendam,» ut patet per Aug. in lib. 1. de Civ. Dei. cap. 13. Unde etiam voluerunt in terra promissionis sepeliri, ubi credebant Christum nasciturum et moriturum: cujus resurrectio nostræ resurrectionis est causa.

Ad 3. Dicitur ad min. quod quia caro est pars naturæ hominis, naturaliter homo ad carnem suam afficitur, secundum illud ad Ephes. 5. *Nemo umquam carnem suam odio habuit.* Unde secundum istum naturalem affectum inest viventi quædam solicitudo, quid etiam post ejus mortem de corpore sit futurum, doleret q.; si aliquid indignum suo corpori evenire præsentiret. Et ideo illi qui hominem mortuum diligunt, ex hoc quod affectui ejus quem diligunt, conformantur; circa ejus carnem curam humanitatis impendunt. Ut enim dicit Aug. in 1. lib. de Civ. Dei, c. 13. «Si pater-«na vestis et annulus ac si quid hujus-«modi tanto carius est posteris, quan-«to erga parentes maior extitit affectus; «nullo modo ipsa spernenda sunt corpo-«ra, quæ utique multo familiarius atque «conjunctius, quam quælibet indumenta «gestamus.» Unde et inquantum affectui hominis satisfacit, sepeliens ejus corpus, cum ipse hoc sibi satisfacere non possit, eleemosynam ei facere dicitur.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod fidelium devotio, ut Aug. dicit in lib. de cur. agen. pro mort. c. 4. suis caris in sacris locis providens sepulturas, in hoc non frustratur quod defunctum suum, suffragio sanctorum committit.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod sepultura in loco sacro, impio defuncto non nocet, nisi quatenus hanc sepulturam sibi indignam, propter humanam gloriam procuravit.

ARTICULUS. XII.

Utrum suffragia, quæ fiunt pro uno defuncto, magis proficiant ei, pro quo fiunt, quam aliis.

Pro negativa. == Videtur quod suffragia, quæ fiunt pro uno defuncto, non magis proficiant ei, pro quo fiunt, quam aliis defunctis.

1. Lumen corporale candelæ, quæ accenditur pro uno, æqualiter omnibus prodest, qui simul commorantur. Ergo multo magis suffragia, quæ sunt spiritualia quædam lumina pro uno specialiter facta, non magis valent ei, quam aliis in purgatorio existentibus.

Conseq. prob., quia lumen spirituale est magis communicabile, quam corporale.

2. Aliqui in purgatorio existentes magis meruerunt, dum essent in hac vita, ut suffragia sibi prodessent, quam illi pro quibus fiunt. Ergo eis magis prosunt.

Conseq. prob., quia sicut Aug. dicit

in lib. de Cur. agen. pro mort. cap. 4. quod suffragia prosunt eis, qui *dum viverent hic, sibi ut postea possent prodesse, meruerunt.*

3. Si suffragia facta pro aliquibus eis solum vel magis quam aliis valerent, sequeretur quod pauperes essent peioris conditionis, quam divites: quod est contra sententiam Domini, Luc. 6. *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei.*

Conseq. prob., quia pro pauperibus non fiunt tot suffragia, quot fiunt pro divitibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Justitia humana, si aliquis pro aliquo debitum solvit, eum solum á debito absolvit, pro quo debitum solvitur. Ergo suffragia, per quæ unus pro altero debitum solvit, ei soli pro quo fiunt, prosunt.

Conseq. prob., quia justitia humana á divina exemplatur.

2. Quando aliquis satisfacit per suffragia pro vivo, satisfactio illa non computatur nisi illi, pro quo facta est. Ergo et suffragia pro mortuo faciens, ei soli prodest, pro quo facit.

Conseq. prob., quia sicut homo faciens suffragia, quodammodo pro mortuo satisfacit. Ita etiam interdum potest pro vivo satisfacere.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Circa hoc fuit duplex positio. Quidam enim (ut Præpositivus) dixerunt, quod suffragia pro uno aliquo facta, non magis prosunt ei pro quo fiunt; sed eis qui sunt magis digni. Et ponebant exemplum de candela, quæ accenditur pro aliquo divite, quæ non minus prodest aliis qui cum illo sunt, quam ipsi diviti, et forte magis prodest aliis, si habeant oculos clariores. Ponebant etiam exemplum de lectione, quæ non magis prodest ei pro quo legitur, quam aliis qui simul cum eo audiunt, et forte aliis magis, si sint in sensu capaciores.

Et si eis objiceretur quod secundum hoc, ordinatio Ecclesiæ, quæ pro aliquibus specialiter orationes instituit, esset vana; dicunt quod hoc Ecclesia fecit, ad excitandam devotionem fidelium qui proniores sunt ad facienda specialia suffragia quam communia: et frequentius etiam pro suis propinquis orant, quam pro extraneis.

Alii vero é contrario dixerunt quod suffragia magis valent eis, pro quibus fiunt.

Judicium de his positionibus.

Utraque autem positio, secundum aliquid veritatem habet; valor enim suffragiorum pensari potest ex duobus; valent enim uno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia. Et secundum hoc, suffragia magis valent ei, qui magis, est charitate plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant. Et sic valor suffragiorum magis attenditur, secundum quamdam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate existens, de bonis alterius post mortem delectatur, quam quantum ad diminutionem pœnæ. Alio modo valent suffragia, ex hoc quod per intentionem unius, alteri applicantur; et sic satisfactio unius alteri computatur: et hoc modo non est dubium, quin magis valeant ei pro quo fiunt, immo sic ei soli valent: satisfactio enim proprie ad remissionem pœnæ ordinatur. Unde quantum ad remissionem pœnæ, precise valent suffragia ei pro quo fiunt. Unde secunda opinio plus habet de veritate, quam prima.

Vera sententia.

Conclusio. Suffragia pro uno defuncto facta, prosunt aliis ratione charitatis, ratione vero intentionis, magis ei, pro quo fiunt prosunt, immo soli, si ratio dimissionis pœnæ attendatur.

Et sub aliis verbis. Suffragia facta pro uno prosunt omnibus quantum ad hoc, quod existens in charitate, unus gaudet

de bono alterius. Sed ad dimissionem pœnæ, prodest tantum ei, pro quo fiunt. Quæ conclusio ex dictis est manifesta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. quod suffragia prosunt per modum luminis, in quantum á mortuis acceptantur, et ex hoc quamdam consolationem accipiunt, et tanto maior est consolatio, quanto maiore charitate sunt præditi. Sed inquantum suffragia sunt quædam satisfactio per intentionem satisfacientis translata in alterum, non sunt similia, lumini, sed magis solutioni alicujus debiti assimilantur. Non autem est necesse ut si debitum pro uno solvitur, ex hoc aliorum debitum solvatur.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod illud meritum est conditionale, hoc enim modo sibi meruerunt ut sibi prodessent, si pro eis fierent, quod nihil aliud fuit quam reddere se habiles ad recipiendum. Unde patet quod non directe meruerunt illud juvamen suffragiorum, sed per merita præcedentia se habilitaverunt, ut fructum suffragiorum susciperent: et ideo non sequitur quod eorum meritum frustretur.

Ad 3. Dicitur ad conseq., quod nihil probibet divites, quantum ad aliquid esse melioris conditionis, quam pauperes; sicut sunt, quantum ad expiationem pœnæ: sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni regni cœlorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur per inductam auctoritatem.

ARTICULUS XIII.

Utrum suffragia facta pro multis, tantundem, valeant singulis, ac si pro unoquoque specialiter fierent.

Pro affirmativa.=Videtur quod suffragia facta pro multis, tantundem valeant singulis, ac si pro unoquoque specialiter fierent.

1. Videmus, quod ex lectione, quæ uni legitur, nihil ei deperit, si simul et aliis legatur. Ergo eadem ratione nihil deperit ei, pro quo fit suffragium, si ei aliquis connumeretur; et ita si pro pluribus fiat, tantum valet singulis, ac si pro unoquoque singulariter fieret.

2. Secundum communem usum Ecclesiæ videmus, quod cum missa pro aliquo defuncto dicitur, simul etiam orationes adjunguntur pro aliis defunctis. Hoc autem non fieret, si ex hoc defunctus, pro quo missa dicitur, aliquod detrimentum reportaret.

3. Apud Deum, sicut non differt juvari per multos, vel paucos, ita non differt juvare multos, vel paucos. Ergo quantum juvaretur unus ex una oratione, si pro eo tantum fieret; tantum juvabuntur singuli, si eadem oratio pro multis fiat.

Conseq. prob., quia suffragia, præcipue orationum, innituntur divinæ virtuti.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si suffragium pro multis factum, valet singulis, tantum, ac si pro uno tantum fieret; videtur quod Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo fieret singulariter oratio, vel missa diceretur, sed quod semper diceretur pro omnibus defunctis fidelibus: quod patet esse absurdum.

Conseq. prob., quia melius est juvare plures, quam unum.

2. Suffragium habet finitam efficaciam. Ergo destributum in multos, minus prodest singulis, quam si fieret pro uno tantum.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si valor suffragiorum consideretur, secundum quod valent ex virtute charitatis, unientis membra Ecclesiæ; suffragia pro multis facta, tantum singulis prosunt, ac si pro uno tantum fierent.

Manifestatur, quia charitas non minuitur, si distribuatur effectus in multos, immo magis augetur. Et similiter etiam gaudium, quanto pluribus est commune, fit maius. Et sic de uno bono

facto, non minus lætantur multi in purgatorio; quam unus.

2.ª Conclusio. Si consideretur valor suffragiorum, ut sunt satisfactiones quædam, per intentionem facientis translatæ in mortuos, magis valet suffragium, ei pro quo singulariter fit, quam suffragia pro multis facta.

Manifestatur quia sic effectus suffragiorum dividitur ex divina justitia, inter eos pro quibus suffragia fiunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur negando conseq. Suffragia enim, ut sunt satisfactiones, non prosunt per modum actionis, sicut doctrina, sed valent per modum solutionis debiti, ut dictum est art. præced. ad 1.

Ad 2. Dicitur, quod quia suffragia pro uno facta, aliquo modo prosunt etiam aliis, ut dictum est art. 1. Ideo cum pro uno missa dicitur, non est inconveniens, ut etiam pro aliis orationes fiant. Non enim ad hoc dicuntur aliæ orationes, ut satisfactio unius suffragii determinetur ad alios principaliter; sed ut illis oratio specialiter pro eis fusa prosit.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod oratio consideratur et ex parte orantis et ex parte ejus qui oratur, et ex utroque ejus effectus dependet: et ideo quamvis divinæ virtuti non sit magis difficile absolvere multos, quam unum; tamen hujusmodi orantis oratio non est ita satisfactoria pro multis, sicut pro uno.

ARTICULUS XIV.

Utrum tantum valeant suffragia communia illis, pro quibus specialia non fiunt, quantum illis, pro quibus fiunt, specialia et communia simul.

Pro affirmativa. = Videtur quod tantum valeant suffragia communia illis, pro quibus specialia non fiunt, quantum illis, pro quibus fiunt, prosunt specialia et communia simul.

1. Ille, pro quo non fiunt suffragia specialia, meruit ut tantum juvaretur post mortem, quantum ille, pro quo fiunt specialia. Ergo tantum juvabitur per communia, quantum ille juvatur per specialia et communia.

Conseq. prob., quia unicuique redditur, secundum propria merita.

2. Eucharistia, quæ est præcipuum Ecclesiæ suffragium, habet quoddammodo infinitam efficaciam, cum contineat totum Christum. Ergo una oblatio Eucharistiæ, quæ communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum qui sunt in purgatorio: et ita tantum juvant communia suffragia sola, quantum juvant specialia et communia simul.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Duo bona sunt magis quam unum bonum tantum eligenda. Ergo suffragia specialia et communia magis prosunt ei pro quo fiunt, quam communia tantum.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Si suffragia pro uno facta, indefferenter omnibus prosint, ut Præpositivus dixit, omnia suffragia sunt communia, et magis prosunt magis dignis, sive sint communia, sive sint pro aliquo specialiter facta.

2.ª Conclusio. Si suffragia pro aliquo facta non prosint omnibus indifferenter, tunc non est dubium quod communia suffragia et specialia simul plus valent alicui, quam communia tantum. Ambæ conclusiones ex dictis patent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod sicut dictum est art. 12. ad 2. Juvamen suffragiorum non cadit directe sub merito, et simpliciter, sed quasi sub conditione, ut dictum est ibidem: et ideo ex hoc quod aliqui meruerunt ut sibi prodessent suffragia, non sequitur quod eis debeant prodesse, nisi communia et specialia, si pro eis fiant.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quamvis virtus Christi, qui in sacramento Eucharistiæ continetur, sit infinita; tamen est determinatus effectus ad quem sacramentum ordinatur. Unde non opor-

tet quod per altaris sacrificium, semel oblatum tota pœna eorum qui sunt in purgatorio, expietur: sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur á tota satisfactione debita pro peccatis. Unde quandoque in satisfactione unius peccati, plures missæ injunguntur. Credibile tamen est quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant; dispensentur aliis, pro quibus non fiunt: ut patet per Dam. in sermone de dormientibus.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 160.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Pelagii* dicentis; orationum prorsus esse inutilem, nulliusque virtutis. Item ejusdem ibidem dicentis, orationes, quas facit Ecclesia pro infidelibus, et aliis peccatoribus, ut convertantur, sive pro fidelibus, ut perseverent, frustra fieri. Item Joan. Wicleff dicentis; orandum non esse aliqua particulari persona. Cum enim in hoc articulo efficaciter ostendatur, quod suffragia per unum facta aliis possunt prodesse, intelligentibus patet, et applicantibus, quod contra praedictas feliciter militat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á, etc. ut supra q. 15. art. 3. appen. Item á Matth. 6. " Sic ergo orabitis; Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, etc. » Item Matth. 17. Hoc genus daemoniorum non ejicitur, nisi per orationem, et jejunium. » Item Matth. 26. " Orate, ne intretis in tentationem. Procidit in faciem suam orans, et dicens: pater mi, si possibile est," etc. Impiissimum vero est dicere Christum fecisse aliquid frustra. Item Jacob. 5. Tristatur quis in vobis? oret æquo animo, et psallat. Unde contra tristitiam valet oratio. Item ibidem. Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valeat deprecatio justi assidua. » Item quoties Paulus Apost. licet sanctissimus, postulat in suis epistolis orationes fieri pro semetipso? Item collecta. " Deus, cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur. Et: Deus, qui abundantia pietatis tuæ, et merita supplicum excedis, et vota. » Item á Concil. To. 4. cap. 9. " Delet ergo hæc Dominica quotidiana oratio, quotidiana peccata: delet illa, á quibus vita fidelium etiam scelerate gesta pœnitendo in melius discedit, mutata. Ergo sicut Christus præcepit, sic Apostolus monuit; et quemadmodum doctores ecclesiastici instituerunt: quia quotidie vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie et hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. » *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Deo Job. 42. quod suffragia per unum facta aliis tum singulis, tum omnibus prodesse possunt, et sic: " Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes: et ite ad servum meum Job. et offerte holocaustum pro vobis. Job. autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia. Abjerunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldach Suites, et Sophar Naamathites, et fecerunt, sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Job. » Item ab Acto 7. *Positis genibus clamabat dicens: domine ne statuas illis hoc peccatum.* Ubi ly illis intelligitur etiam de aliqua particulari persona. Unde super hoc verbo B. Aug. in serm. Joannes filius, sic inquit. « Ut noveritis, fratres, quantum valuerit oratio sancti martyris: recurrite nobiscum ad illum adolescentem, qui omnium vestimenta servabat, et tamquam manibus omnium lapidabat. Cui dictum est: Saule Saule, cur me persequeris? Ob hoc quidem debui perdere te, sed Stephanus meus oravit pro te. Nam, si martir Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed

ideo de terra erectus est Paulus: quia in terram inclinatus exauditus est Stephanus.« Item Luc. 4. " Et regaverunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febri, et dimisit eam. » Item á mille locis scripturarum, et Patrum. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, ac scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis: quod orationes factæ pro defunctis non eis prosunt. Item Publicanorum emersorum anno 1274. dicentium: orandum non esse pro mortuis. Item Vigilantii dicentis: quod orare pro nobis mutuo, dum vivimus, possumus; postquam vero mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio. In primo dicto sapit, in secundo desipit, et adeo, ut, unum dictum conjungendo alteri, se ignorare propriam vocem demonstrat. Quare enim exaudiantur orationes unius pro altero? Ratione caritatis, et intentionis, ut in corpore. Hæc autem duo in vivis, et ad invicem, et ad mortuos usque possunt extendi, ut in corpore. Vide et corollarium post probat. conclus. 1. Item Aerii dicentis: quod suffragia, orationes eleemosynæ, missæ, etc. nihil possunt defunctis á vivis pro illis facta. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas merito damnari a 2. Machab. 12. " Fortissimus Judas (collatione facta) duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorum in sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod bi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam baberent repositam gratiam. Sancta ergo, et salutaris est cogitatio pro defunctis exorare, ut á peccatis solvantur. » Item á vetustissima consuetudine Ecclesiæ sanctæ, quæ est orare pro mortuis; ut patet. Ad cujus propositum inquit Chrisost. hom. 69. " Non temere ab Apostolo hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. » Et ad idem propositum Augustinus libro de cura pro mortuis agenda, cap. 1. " In Machabeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed, etsi numquam in scripturis veteribus omnino legeretur; non parva est universæ Ecclesiæ; quæ in hoc consuetudine claret, authoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. » Ubi nota ly non parva, idest magna, imo maxima. Quod utique monstravit Apostolus 1. Corinth. 11. per hoc, quod contra quosdam protervos ajebat; " Si quis contentiosus videtur esse inter vos, nos talem consuetudinem non habemus, sed neque Ecclesia Dei. Et D. Th. 2. 2. qu. 10. a. 12. Maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia aucthoritatem habet. Unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quam authoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. » Et Athanasius in Symbolo super hoc (compendiosa regula fidei vocatur á Concilio Florentino in decreto Armenis dato) ubi concludens universaliter de omnibus credibilibus fundamentalem rationem invictissimam ad portas inferorum obstruendas, inquit; " Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Domino christiana confiteri veritate compellimur; ita tres Deos, aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.» Ecce, quod et pro affirmatione credibilium, et pro negatione incredibilium, maximam præ omnibus rationem esse demonstrat stabiliri super consuetudine Ecclesiæ catholicæ dum hanc pro amplectendis credibilibus, et refellendis incredibilibus adducit. Et merito. Nam hæc est firma petra, saxumque durissimum, de quo Catholici mel sugunt, et oleum, Deuter 32. Item merito damnari á Concilio Carthaginensi IV. per hoc quod mandat, eos, qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores, excommunicari, ut recitatur 13. qu. 2. *Qui oblationes, in primo.* Item á Concilio Valen. dum mortuorum fraudatores: ut infideles habendos, magna ratione sanxit, ut recitatur 13. qu. 2. *qui oblationes, in secundo. Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et Patrum, pro

quanto suffragia vivorum prodesse defunctis insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori excludas errorem *Algazelis*, et *Avicennæ* (ut refert Director. Inquisit. 2. part. qu. 4.) dicentium, quod precibus, et sacrificiis Deus non placatur. Item; quomodo directe excludas erroneam propositionem deductam ab hæreticis falso ex Habacuch 3. ut notat censura generalis in Bibliam, dicentem, quod peccator, sive impius, ubique perfide agit. Item á fortiori illum Lutheri (Alphons. Castr. Peccatum) dicentis; justum peccare semper in omni opere bono. Item et illum ejusdem (Alphons. Castr. ibid.) dicentis; peccatum esse omne opus, quantumlibet recte factum. Ex hoc enim, quod articulus præsens monstrat, suffragia etiam á peccatoribus exhibita quandoque esse et Deo grata, et proximo tam vivo, quam defuncto proficua, patet vel mediocriter sapienti, quod Sanctus Thomas per hanc doctrinam militat efficaciter satis, superque contra omnes prædictos ac similes. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos errores merito damnari ab Isa. 19. *Revertentur ad Dominum, et placabitur Deus.* Item á Bonifacio Papa de regul. jur. in 6. reg. 72. *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.* Ubi monstrat, quod etiam peccator, ut repræsentat Ecclesiam, vel alium existentem in gratia, placat Deum precibus suis. Item á Jonæ 3. " Videns Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, misertus est super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. » Hæc ibi, de operibus Ninivitarum. Item á Ps. 105. *Stetit Phinees, et placavit, et cæssavit quassatio.* Hæc ibi, de opere ipsius Phinees, quando ex zelo Dei occidit Israëlitam coeuntem cum scorto. Deus autem non placatur peccato, sed irritatur, sed neque peccator, ut sic, eum placat: quoniam *similiter odio sunt impius Deo, et impietas ejus.* Sap. 14. Item á Leone X. in bulla contra Luth. errores, ubi totam ejus doctrinam universaliter damnat, ut sup. qu. 1. art. 1. append. simul cum qu. 42. art. 1. append. Item á Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuo conservaverunt, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus ut, obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Nolite admittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Et can. 7. Si quis dixerit: opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odio Dei mereri: anathema sit. Et can. 21. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri: anathema sit. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto virtualiter saltem peccatores quandoque opera Deo grata facere, ac per hoc defunctis prodesse per suffragia, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem excludas á fortiori hæresim *Amsdorphianorum* dicentium: opera bona perniciosa esse ad salutem. Adeo enim perniciosa illa non esse ad salutem, monstrat articulus, ut et facienti, et alteri, proficua esse dicat. Item Pelagii, et Machometis dicentium: opera aliena nihil prodesse, etiam sanctorum. Videns enim hic, quod ipsa prosint. Item Lutheri dicentis: opera propria etiam bona, ut á Spiritu Sancto piorum corda inhabitante, esse peccata. Quod enim peccata non sint, monstrat articulus: dum hæc et placere Deo tamquam præsupositive, et nobis prodesse tamquam directe probat. *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori ostendas, illas merito damnari á, etc. ut qu. 13. a. 2. et qu. 14. a. 5. app. et 1. parte, q. 102. art. 3. app. Item á Psal. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Item á, etc. ut ex art. 1. 2. et 3. elici potest. Item á Matth. 10. " Qui dederit calicem aquæ frigidæ alicui in nomine meo, non perdet mercedem suam. Item á Jacob. 5. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, scire debet, quod animam ejus liberabit á morte, et operit multitudinem peccatorum. » Per ly liberabit animam ejus, vide, quod bona aliena prosunt alteri, et per ly operit multitu-

dinem peccatorum vide, quod prosunt sibimet facienti. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Eccl. 29. quod suffragia pro altero sive vivo, sive mortuo facta etiam facienti prosunt, et sic. " Conclude eleemosynam in corde pauperis: et hæc pro te exorabit ab omni malo. » Ubi nota ly hæc, scilicet eleemosyna: quoniam per hoc significatur, opus ipsum pro alio factum adeo prodesse facienti; ut, etiamsi beneficiatus ex illo opere non recordetur benefactoris, opus illud pro benefactore clamet ad Deum. Item á Matth. 10. " Dicite: pax huic domui. Et, si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem: revertetur ad vos. » Ubi simul ostenditur, et quod opus bonum unius prodest alteri, et quod ad hoc, ut prosit, requiritur dispositio in altero; ut dictum est not. post omnia argumenta. Nota ly *sin autem revertetur ad vos:* quoniam per hoc declaratur, opus ipsum etiam quantum ad id, quod ex intentione facientis debuerat pervenire ad alterum in casu, quo alter esset dispositus ad recipiendum illud, reverti ad facientem, hoc est, quantum ad esse satisfactorium: quando faciens indiget satisfactione. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto suffragia, seu opera facta pro aliis prodesse etiam facienti, insinuant, et intelligas, et probes et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á fortiori insinuatum ab Ezech. 14. quod suffragia vivorum non prosunt in inferno existentibus; et sic. " Si fuerit Daniel, Job, et Noe in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus; quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur. Ubi propheta ostendit á fortiori, quod damnati in inferno á suffragiis vivorum non juvantur, ut patet intelligenti. Item a. 1. Jo. ult. " Qui scit fratrem suum peccare peccato ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. » Quis autem magis peccat peccato ad mortem, quam damnatus jam in inferno? Ergo á fortiori, pro ipsis rogare nobis non suadetur. Item á Psal. 58. " Non miserearis omnibus operantibus iniquitatem. Damnati vero præ quibuscumque aliis operantur iniquitatem, et, si vivorum suffragia eis prodessent, Deus per hunc modum illis misereretur. Item á Ps. 68. " Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. » Tanti valet istud demergi in profundum, et puteum urgere os suum super aliquem: quanti valet dicere, existentes in illo profundo, et puteo, non posse á quopiam juvari. Quod sane monstrat simul, et addit confirmationem ad prædicta dives in inferno positus multa instantia guttam solummodo aquæ pro cruciatus sui refrigerio postulans, nec tamen ab Abraham misericordia pleno impetrans, Luc. 16. Item ab authoritatibus in arg. sed contra. Ex his nota, opiniones reprobatas in textu non esse tutas. Pro quo et vide supra qu. 16. a. 3. app. et 1. par. qu. 62. a. 8. et qu. 64. a. 2. quoniam ad origenis errorem in textu natratum declinare quoquo modo videtur. Licet enim et Præpositivus et Gilbertus natione Gallus cognomento autem Porretanus, et quidam alii ab illo errore Origenis declinare contendant: tamen non totaliter immunes evadere videntur, ut apparet ex littera. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto suffragia damnatis in inferno non prodesse insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas haeresim *Aerii* dicentis: suffragia, orationes, eleemosynas, missas, etc. nihil prodesse defunctis á vivis pro illis facta. Intellige per ly defunctis, existentes in purgatorio: alioquin neque hæresis, neque error esset. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concil. Florent. sess. ult. in liter. sanct. union. Definimus, etc. " Si vero pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, animas eorum poenis purgatoriis post mortem purgari. Et, ut á poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosinas, ac alia pietatis officia, quæ á fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. » Item á Conc. Trid. sess. 25. decr. de purgat. «Cum catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex

sacris litteris, et antiqua patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hac Oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari: præcipit sancta synodus,» etc. Item ab eod. sess. 22. c. 2. de sacrificio missæ " Pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem, offeratur. » Ubi nota ly Apostolorum traditionem. Item ab eodem, ibid. cap. 3. Si quis dixerit: missæ sacrificium soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit. » His tamen visis cave, ne sensum Lutheri immisceas, qui dixit, quod animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent. Hic enim ejus error, postquam recitatus est, damnatur á Leone X. in bulla contra errores Lutheri: quam universaliter damnationem vide quæst. 1. art. 1. adjuncta quæst. 24. art. 1. append. Idem á, etc. ut artic. 3. append. Vide Roffensem ar. 40. valide disputantem contra Luth. *Tertio* habes: quomodo per rationem praedicta patrum, et scripturarum, pro quanto suffragia prodesse in purgatorio existentibus insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides; quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Concil. *Senonensi* in decretis fidei, decret. 12. quod pueri in originali defuncti non juvantur suffragiis vivorum: et sic. «¡Cum autem poenæ temporalis, aut venialis peccati tantum reus repente nonnumquam intereat, nec illi pateat aditus in coelestem illam Hierusalem, in quam nihil intrat coinquinatum, nec item gehennæ subjaceat, quippe qui gratiæ sit particeps: fit, ut primum purgetur ex iis, quæ gessit in corpore: salvus tandem aliquando futurus, sic tamen quasi per ignem: de sua interim salute, ex remanentibus in eo fide, spe, charitate, securus.» Ubi ab oppositis insinuat, ut patet intelligenti, quod extra caritate defuncti existentes non juvantur suffragiis, de quibus loquitur in illo decreto, et consequenter, quod nec pueri existentes in limbo. Ex ejusdem etiam concilii verbis ultimis profligatur hæresis Lutheri dicentis, quod animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes. Quæ et damnatur post ejus recitationem á Leone X. in bulla sua contra errores Lutheri. Hanc damnationem vide supra qu. 1. art. 1. simul cum qu. 24. art. 1. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta concilii Senon. pro quanto virtualiter, quod diximus insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab *Innocentio III.* quod suffragia non prosunt sanctis existentibus in patria, et sic. " Cum sacræ scripturae dicat authoritas quod injuriam facit martyri, qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de aliis sanctis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent: pro eo, quod, dum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt. Unde, quod in plerisque orationibus continetur, prosit, vel proficiat huic sancto vel illi talis oblatio ad gloriam, et honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc prosit quod magis, ac magis á fidelibus glorificetur in terris. » Haec ille de celebratione miss. c. Cum Martha. Ubi Papa ipse corrigere intendit collectam prius dicentem. " Annue nobis Domine, ut animae famuli tui Leonis haec prosit oblatio, ut dicat sic. Annue nobis quaesumus, Domine, ut intercessione B. Leonis haec nobis prosis oblatio. » Vide et ad primum cum sua not. quoniam illa per Papam hoc in loco firmantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Pontif. pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Lutheri* dicentis; missam cantari pro defunctis, impium est. Et causam exposuit idem Lutherus dicens, defunctis non prodest missae sacrificium. Item ejusdem dicentis: defunctis orationes non prosunt. Item Arnoldi (Direct. inquis. par. secunda, quaest. 11.) dicentis: quod opus misecordiae magis placet Deo, quam sacrificium altaris. Monstrat enim praesens articulus efficaciter totum oppositum: licet et eleemosynam dicat esse gratam Deo. Item Arnoldi dicentis: quod sacrificio altaris opus medicinae gratius est

Deo. Hæc enim phantasia á fortiori confutatur hic. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á, etc, ut art. 6. app. et art. 2. appen. Item á Concil. Trident. sess. 25. decret. de purg. "Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero altaris sacrificio, juvari. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacraficia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ á fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt secundum ecclesiæ instituta, pie, et devote fiant, et quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed á sacerdotibus, et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter, et accurate persolvantur." Item ab eodem session. vigesimasecunda, capitulo quarto. "Cum sancta sancte administrari conveniat; sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium etc. Et c. 1. Hæc illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ, et legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummátio, et perfectio complectitur. Unde patet á fortiori, quod sacrificium altaris est Deo gratius, quam opus misericordiæ, et medicinæ. Item ab eodem session. 13. passim. Quandocumque enim monstratur, quod Christus est realiter in sacramento altaris, commonstratur etiam per hoc, quod nil offertur, sed nec offerri potest Deo secundum se gratius, quam sacrificium altaris: quandoquidem nihil est gratius, imo nec æque gratum, in infinitum, Deo patri, sicut filius suus unigenitus. *Tertio* habes: quomodo, per rationem prædicta patrum, pro quanto orationes, sacrificium altaris, et eleemosynas potissimum, ceteraque pietatis opera subinde mortuis prodesse insinuant, intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc,

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim Valdensium (Alphons. Castr. Indulgent.) dicentium: indulgentias concedendi Papa nullam prorsus authoritatem habet. Si enim authoritatem habet hanc super mortuos, ut vere habet (articulo isto testante) proculdubio magis super vivos, et absolute illam habebit. Nam, *si, de quo minus videtur inesse, inest multo magis, de quo plus videbatur inerit*, ut dicit regula logicalis. Minus autem videtur de mortuis, quod ad eos indulgentiæ authoritas extendatur, quam de vivis. Ergo, etc. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam merito damnari á, etc. ut quæst. 25 art. 1. etc. Item ab antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ indulgentias dedit etiam pro mortuis, ut patet legenti vitas et antiquorum, et sanctorum pontificum, puta *Beati Gregorii* Papæ, etc. Quantum autem valeat Ecclesiæ consuetudo, et authoritas, vide art. 2. et 6. Item á Matth. 16. *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis.* Nam in purgatorio mortui existentes adhuc sunt super terram secundum illud, ratione cujus indulgentias participare possunt, idest secundum merita, ut nunc dictum est notat. post ad tertium. Vide, et applica ad damnandum hæreses, et errores prædictos, quæst. 25. art. 1. etc. append. Nam hæc loca vicissim se juvant. *Tertio* habes: quomodo, per rationem prædicta patrum, et Scripturarum, pro quanto indulgentias mortuis prodesse insinuant (insinuant autem, quando dicunt indulgentias pro illis dari ab Ecclesia: quoniam sentire ipsam aliquid frustra facere, impium est) et intelligas, et probes et tuearis: *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 11. habes *primo:* quomodo per rationem á fortiori excludas erroneam propositionem ab hæreticis deductam falso ex Jerem 7. dicentem, quod cultus templi externus nihil juvat. Si enim cultus sepulturæ defunctos juvat (ut hic efficaciter monstratur) multo magis per hoc ostendi intelligitur, cultum templi viventes juvare. Maxime autem hoc quod scilicet cultus templi juvet, inde colligitur, quod hujusmodi cultus est quasi holocaustum: quoniam, ut innuitur in ad primum, in reverentiam Dei fit. Quod autem de Jeremia hujusmodi errorem inferant, eorum ignorantiam declarat. Legentibus enim inibi Jeremiam, mediocriterque saltem intelligentibus patet, quod loquitur de ceremoniis comparative ab observantiam substantialem divinorum præceptorum, et sic proculdubio certissimum est, quod ipsæ cæremoniæ, et cultus

exterior minus juvant, quam observatio ipsa, et tanto minus, quanto magis juvare creduntur, omissa observatione prædicta, cujus opinionis erroneæ erant Judæi tunc á propheta redarguti. Non ergo ceremonias, seu cultus exteriores templi, tamquam inutiles damnat ibi Dominus, sed eis intendere præfert observationem substantialem mandatorum suorum, et declarare simul; quod confidere principaliter in hujusmodi cultibus, dimissa præceptorum suorum custodia, non tantum vanum est, sed sibi displicens, juxta illud Isaiæ increpantis eosdem; *pupulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hoc autem quantum distet ab errronea illa propositione haereticorum, et quam falsam deductionem esse illam ostendat; intelligere faciliter quisque sapiens potest. Item errorem *Calvini*, ut habetur in libello ejusdem, per irrisionem catholicorum dicentis: cultus ab homine excogitatus Deo placere potest. Item ejusdem sic itidem per irrisionem loquentis: cultus imaginum, reliquiarum, signi crucis, canonizatio sanctorum, vita monastica, consignatio, vel gestatio sacrarum rerum super viros, vel alias creaturas Dei, non sunt vanae. Per has enim duas propositiones *Calvinus* intendit dicere totum oppositum, idest, quod cultus ipse utrobique praedictus et est vanus, et Deo placere non potest. Ex articulo igitur isto, sicut dictum est de illa haereticorum propositione erronea priori, debes á fortiori rejicere rationabiliter *Calvini* errores Deo contumeliosos; circa quos adverte imprimis, quod *Calvinus* temeravit dictum Catholicorum, in adducendo illud. " Non enim sentiunt Catholici sic nude, quod videlicet cultus excogitatus ab homine, in quantum hujusmodi, praecise Deo placere possit, sed quod cultus ab homine excogitatus, qui vel sacra scriptura, vel patrum sanctorum traditione explicita, aut implicita, vel alias ex inspiratione divina, habeatur. „ Hujusmodi namque sunt omnes illi cultus, qui ibi á *Calvino* irridentur, et á catholicis ratione magna fultis jamdiu vetustissimo tempore impraetermisse amplectuntur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos merito damnari á Gen. 50. ubi Joseph de exequiarum cultu pro patre suo sollicitus fuit, et de eodem cultu pro ipso Joseph confratres sui multa fecerunt. Item á 2. Reg. 1. David cum suis pro cultu exequiarum regis Saul in plorando, jejunando, carmen lugubre dicendo: et c. 2. laudando viros Jabes Galaad de hoc, quod sepelissent Saul. Item á 1. Machab. 4. quando post planctum de destructione cultus á gentibus hos haereticos figurantibus, narratur, quod *in dedicatione templi decantabat populus laudem*, quod ejusdem templi faciem ornaverunt coronis aureis, multaque similia ad ejus cultum pertinentia. Item á Joan. 19 quando Joseph cum Nicodemo cultum sepulturæ, ut mos erat Judeis, circa Domni corpus celebravit. Item à Luc. 24. quando discipuli cognoverunt dominum in fractione panis. Nota ly in fractione, quod fractio est ceremonia. Per hoc ergo, quod non dicit, ly in pane fracto, sed ly in fractione panis; multam virtutis excellentiam ostendit esse ceremoniarum ecclesiásticarum. Pro quo diffusius, meliusque capiendo ad obstruendum os Calvinistarum, et similium ecclesiasticas ceremonias temere irridentium; vide libellum nostrum prætitulatum: *Sacerdos in æternum et* in vulgari, *dichiarazione della sante Messa.* Ibi namque valorem multiplicem, firmissimasque rationes ceremoniarum ecclesiasticarum, præsertim missæ, ad vivum conspicies, unde irrisores hujusmodi á Deo maxime irridendos, ut Sapien. 4. necessario concludes aperte. Item á, etc. ut art. 6. appen. ubi monstratur efficaciter, quanti valeat consuetudo ecclesiastica, et argumentari ab ejus authoritate, etiam quod nil aliud haberetur. Hæc præcipue summatim dicta sint ad *Calvinum* pro omnibus, et singulis ab eo derisorie adductis retundendis unica ratione efficacissima. Item á Conc., Trid. sess. 7. de sacram. canon. 13. et sess. 22. can. 7. Item á Nu. septimo, ubi tam pretiosas oblationes videbis factas á populo Dei, et ipsius mandato, in dedicatione altaris. Item á Papa Honorio primo per hoc: quod magnifica valde donaria contulit in cultum templorum Dei, ut distinctim habes in vita sua, ex libro pontificali, secundo tomo conciliorum. Item á S. Silvestro Papa per hoc; quod persuasit Constantino Magno, ut donaria multa, et maxima, quæ, si vederis, stupeas, in cultus sacrorum templorum Dei ab eodem imperatore erectorum conferret, quod, et

fecit. Vide supra q. 9. at. 4. appen. vitam Calvini: et ipsam prædicta, similiaque monstruosa phantasmata tamquam filias proprias genuisse non dubitabis. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto cultum exequiarum pro defunctis utilem insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem á simili excludas errorem Jo. Wicleff. dicentis, quod oratio, quæ pro uno solo fit, non plus prodest ei, quam aliis. *Secundo* habes: quomodo per rationem, á simili, ostendas; hunc merito damnari á Concil. Constantiensi sess. 8. quando damnat errorem istum ejusdem, scilicet. *Speciales orationes applicate uni personæ per prælatos, vel religiosos non, plus prosunt eidem, quam generales ceteris paribus.* Si enim speciales orationes plus valent, quam generales pro aliquo sanctæ secundum concilium: sequitur, quod secundum idem oratio specialiter pro uno facta plus prosit ei, quam aliis. Alioquin non oporteret, quod speciales uni applicarentur, si vel generales tantumdem pro eo valerent, vel speciales non plus ei valerent, quam aliis (ut patet intelligenti.) Vide damnationem contra Wicleff. prædictam universaliter á Concilio ipso factam supra q. 30 art. 4. append. Item á concilio Triden. sess. 25. cad. 4. de reform. Contingit sæpe, etc. "unde depereunt piæ testantium voluntates. Sancta synodus cupiens ad pios usus relicta (quo utilius potest) impleri, facultatem dat Episcopis, etc. statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem viderint expedire: ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt. Ubi nota ly utilius potest, ita tamen, ut eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro, " et cet. Item á multis locis epistolarum D. Pauli, ubi, commendatis omnibus in generali orationibus suorum, commendat aliquos in speciali, et etiam semetipsum. Quo facto utique orationem uni specialiter applicatam plus ei valere, quam aliis, demonstrat. Alioquin, ut quid, præmissis generalibus, in quibus proculdubio et ipsemet, et alii nominatim postea descripti includebantur, postularet cum tanta instantia pro se fieri, et quibusdam aliis speciales? Monstravit ergo, quod orationes non tantum ex caritate prosunt iis, pro quibus fiunt (ut Wicleffus credidisse videtur) sed etiam ex intentione sic, vel sic, specialiter directa, ut in articulo præsenti sanctus Thomas edocuit. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse ab Ecclesia, quod suffragia pro uno mortuo facta magis ei prosunt, quam aliis. Et hoc insinuavit, quando speciales orationum collectas fieri statuit in missis defunctorum; puta pro patre, et matre, pro Episcopo tali, et tali sacerdote, pro uno, vel una defunctis, Nisi enim specialia suffragia pro hoc, vel illo applicata magis ei prodesse teneret, quam aliis: reliquisset tantum collectas pro defunctis omnibus fidelibus in communi exolvendas. Cum igitur nihil frustra in Ecclesia fiat, imo Ecclesiam aliquid vanum facere, credere impium sit (ut q. 25. art. 1. corp,) fatendum est ex facto prædicto Ecclesiæ, quod defuncto specialis oratio ad eum directa magis prodest, quam aliis. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et scripturarum, pro quanto vel á simili, vel directe, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc,

Ex art. 13. habes *primo:* quomodo per rationem directe excludas errorem Jo. Wicleff, ut refert Concilium Constantiense sess. 8. dicentis: speciales orationes applicatæ una persona per prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus. Per hoc enim, quod sic determinatur hic á Sancto Thoma, ut vides, patet, quod contra ipsum Wicleff. et similes militat efficaciter præsens articulus. *Secundo* habes: quomodo per rationem directe ostendas, hunc merito damnari á Concil. Constantiensi ibid. quando damnationem universalem omnium articulorum ipsius Wicleff. pronunciavit. Hanc vide supra quæst. 20. art. 3. ap. *Tertio* habes: quomodo per rationem directe ostendas: merito insinuatum et ab Apostolo sæpius, et ab Ecclesia in collectis defunctorum, quod suffragia facta pro multis non valeant tantum singulis, ac si specialiter pro unoquoque fierent. Vide circa hoc art. 12. ap. et applica huc. Ibi enim dicta, et hic, differunt parum á se invicem respectu propositi: quo-

niam á simili loquuntur pro uno, et directe pro altero, ut patebit per se consideranti. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, et Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 14. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum ab Apostolo multis in locis, quod suffragia et communia, et specialia simul magis prosunt uni, quam communia tantum. Et hoc, quando generalia suffragia pro omnibus fieri mandat et ultra hæc specialia pro seipso. Patet enim, quod ipsemet in generalibus pro omnibus factis continebatur, et se contineri sciebat, et tamen ulterius pro se specialiter suffragia fieri postulabat. Ex quo aperte intelligendum relinquit, se credere certo, quod orationes communes tantum pro uno factæ minus prosunt, quam communes, et speciales simul pro eodem. Item ab Ecclesia hoc idem insinuatum. Et hoc, quando ultra colectas communes defunctorum apposuit speciales. Scivit enim Ecclesia, ut patet, quod in collectis communibus includuntur etiam ii, pro quibus speciales quoque ordinavit. Cum igitur pro iis, ultra communia, suffragia fieri specialia sanxit, per hoc factum filios suos edocuit, quod specialia, et communia simul uni, et eidem magis prosunt, quam communia tantum. Vide dicta in art. 12. et decimitertii append. et ex iis, quantum sufficit, ad hunc locum applica: quoniam hi tres articuli ultimi parum ab invicem differunt, ut etiam in textu corp. art. 13. et hujus innuitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta scripturarum, et Patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA,

DE ORATIONE RESPECTU SANCTORUM QUI SUNT IN PATRIA, IN TRES ARTICULOS ABSOLUTA.

Deinde considerandum est de oratione respectu sanctorum qui sunt in patria.

Et circa hoc quæruntur tria.

Primo, utrum sancti orationes nostras cognoscant.

Secundo, utrum eos interpellare debeamus ad orandum pro nobis.

Tertio, utrum orationes eorum pro nobis fusæ semper exaudiantur.

ARTICULUS 1.

Utrum sancti cognoscant orationes nostras.

Pro negativa. ==Videtur quod sancti non cognoscant orationes nostras.

1. Abraham et Israel non cognoverunt post eorum mortem, ea quæ circa populum, quia ab eis descenderat, agerentur. Ergo multo minus sancti possunt nostras orationes cognoscere.

Antecedens prob., quia Isaiæ 63 dicitur. *Tu pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Super quæ verba Glos. interlint. ex Aug. dicit quod mortui nesciunt, etiam sancti, quid agant vivi, etiam eorum filii. Et sumitur hæc Glos. Aug. ex lib. de cura agenda pro mor. c. 15. ubi Aug. dictam Isaiæ sententiam adducit. Et hæc sunt ejus verba cap. 13. « Si tanti Pa« triarchæ, quid erga populum, ex his « procreatum, ageretur, ignoraverunt; « quomodo mortui vivorum rebus, at« que actibus cognoscendis, adjuvandis« que miscentur. »

2. Regum 4. c. 22. dicitur Josiæ Regi. « Idcirco » (quia scilicet flevisti coram me) « colligam te ad patres tuos, « ut non videant oculi tui omnia mala, « quæ inducturus sum super locum is« tum. » Ergo sancti, post mortem, nostros actus ignorant, et orationes nostros non intelligunt.

Conseq. prob., quia si Josias post

mortem potuisset cognoscere, quid erga populum suum agendum erat; non fuisset sufficienter ipsi subventum per mortem, ut non videret quid in loco illo esset agendum.

3. Sancti in carne viventes proximis, et maxime sibi conjunctis in periculis consulunt et auxiliantur. Ergo si post mortem facta nostra cognoscerent, multo amplius suis charis et conjunctis consulerent et in necessitatibus auxiliarentur; quod tamen facere non videntur. Ergo actus et nostras orationes non cognoscunt.

Conseq. prob., quia quanto aliquis est in charitate perfectior; tanto magis proximo in periculis subvenit. Sancti autem, in patria existentes, sunt maioris charitatis, quam fuerint in hac vita. Unde si hæc faciunt, dum sunt in hac vita, ex charitatis affectu, multo magis idem facerent in patria existentes, si nostras necessitates cognoscerent.

4. Angeli sancti videntes Verbum, non omnia cognoscunt. Ergo nec sancti in Verbo omnia facta et orationes nostras cognoscere possunt.

Antecedens quia minores Angeli purgantur á nescientia per superiores, ut Dion. dicit 7. c. cœl. Hierarc.

Conseq. prob., quia sicut sancti post mortem vident Verbum, ita et Angeli: de quibus dicitur Mat. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.*

5. Ea, quæ in corde præcipue consistunt, non possunt á sanctis cognosci. Sed orationes præcipue in corde consistunt. Ergo orationes nostræ non possunt á sanctis cognosci.

Maior prob., quia solus Deus est inspector cordium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Super illud Job. 14. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*, dicit Greg. 12. Moral. c. 13. Hoc de animabus sanctis sentiendum non est, etc.

2. Est alia sententia Greg. lib. 2. Dial. c. 35. idem docens.

3. Oppositum est error Vigilantii, qui, ut Hieron. dicit in Epist. contra eum, quæ incipit multa in orbe monstra etc., credidit sanctos non orare pro nobis, etc.

Determinatio.

Conclusio. Sancti, qui sunt in patria, cognoscunt orationes hominum, qui ad eorum confugium auxilium.

Prob. Ea, quæ pertinent ad perfectionem beatitudinis sanctorum, cognoscuntur á sanctis. Sed orationes nostræ, ad sanctos directæ, pertinent ad propriam perfectionem beatitudinis eorum quibus diriguntur, et ad quorum patrocinium fit recursus. Ergo orationes nostræ ad sanctos directæ, á sanctis cognoscuntur.

Maior manifest. Nam etsi divina essentia sit sufficiens medium cognoscendi omnia: tamen non omnes videntes divinam essentiam, omnia in ea cognoscunt, sed hoc soli Deo convenit, qui suam essentiam solus comprehendit. Alii autem sancti, sive Angeli, sive homines, cum divinam essentiam non comprehendant, non omnia in ea cognoscunt, sed solum illa, quæ pertinent ad perfectionem propriæ beatitudinis. Et sic patet maior.

Minor ostenditur, quia hoc ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat, quicquid vult, et nihil inordinate velit: hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quæ ad ipsum pertinent, cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere quæ ad ipsos pertinent, et illa oportet in verbo cognoscere. Quod autem sancti auxilium indigentibus præstent ad salutem, ad eorum gloriam pertinet: sic enim Dei cooperatores efficiuntur, *quo nihil est divinius*, ut Dion. dicit 3. cap. cœlest. Hierarc. Sancti igitur in verbo vident orationes nostras, quibus eorum auxilium imploramus: quia hoc ad eorum magnam gloriam pertinet, ut nobis

auxilium ad salutem præstent, cum per hoc efficiantur Dei cooperatores.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Nam eo tempore, quo illa scripsit Isaias, Abraham et Jacob non videbant divinam essentiam, cum adhuc essent in limbo Patrum pro originali culpa detenti. Unde non est mirum, si ea quæ circa populum agebantur, ignorarent. Quod autem Aug. dicit quod sancti hæc non cognoscunt; intelligendum est de cognitione naturali, tamen hæc cognoscunt cognitione beatifica, quam habent videndo verbum.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod si loquamur de animabus glorificatis, dicendum est eas cognoscere in verbo ea quæ circa nos aguntur, si ad perfectionem propriæ gloriæ pertineant: non tamen credendum est quod afficiantur doloribus, cognitis adversitatibus eorum quos in hoc sæculo, dilexerunt: ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis quod dolor in eis non invenit locum. Unde, etsi cognoscant suorum infortuna post mortem, nihilominus dolori eorum consulitur, si ante eventura infortunia ex hoc sæculo subtrahantur. Quia (inquam) et si illa mala cognoscant, non tamen de eis dolere possunt. Animæ autem non glorificatæ, forte aliquem dolorem sentirent, si infortunia suorum cognoscerent. Et quia anima Josiæ non estatim fuit glorificata, quod á corpore est egressa: cum non adhuc esset patefacta sanctorum via ad cœlum; ideo satis provisum est ei, per subractionem á præsenti vita, ne videret mala quæ eventura erant populo suo, quæ fuerunt ruina templi, civitatis, et Babylonica captivitas.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi animæ sanctorum in patria maiori charitate sint plenæ; tamen habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati, etiam in volito; et ideo, quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen aliter eis auxilium ferunt; quam secundum divinam justitiam vident esse dispositum: nihilominus credendum est quod multum proximos juvent, pro eis apud Deum intercedendo.

Ad 4. Dicitur ad conseq. quod videntes verbum, non vident omnia in verbo, vident tamen ea quæ ad perfectionem propriæ beatitudinis pertinent, ut dictum est. Et cum orationes nostræ ad sanctos directæ, ad eorum beatitudinis perfectionem pertineant, á sanctis, quibus diriguntur, sunt cognitæ in verbo.

Ad 5. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod cogitationes cordium solus Deus per seipsum novit. Alii tamen eas cognoscere possunt, quatenus eis revelantur, vel per Verbi visionem, vel quocumque alio modo.

ARTICULUS II.

Utrum debeamus sanctos interpellare, ad orandum pro nobis.

Pro negativa. = Videtur quod non debeamus sanctos interpellare ad orandum pro nobis.

2. Deus est in infinitum magis misericors, quolibet sancto, propter quod ejus voluntas facilius inclinatur ad nos exaudiendum, quam voluntas cujuslibet sancti. Ergo videtur superfluum constituere sanctos mediatores inter nos et Deum, ut ipsi pro nobis intercedant.

Conseq. prob., quia nullus amicos alicujus interpellat ad orandum pro se, nisi quatenus credit apud cum se facilius gratiam obtinere posse.

2. Si sanctos ad orandum pro nobis interpellare debemus, hoc non est, nisi quia orationes eorum scimus esse Deo acceptas. Ergo semper deberemus superiores sanctos pro nobis intercessores constituere ad Deum, et numquam minores.

Conseq. prob., quia quanto aliquis est sanctior, tanto ejus oratio est Deo magis accepta.

3. Numquam interpellamus Christum ad orandum pro nobis, qui tamen secundum quod homo, *est sanctus sanctorum*, et ei competit orare, ut dictum est supra quæst. 21. art. 1. Ergo nec alios sanctos interpellare debemus, ut pro nobis Deum orare velint.

4. Superfluum est, ut sancti repræsentent Deo nostras orationes. Ergo superfluum est sanctos constituere intercessores pro nobis apud Deum.

Antecedens prob., quia Deo omnia sunt præsentia.

Conseq. prob., quia quicumquem rogatur ab aliquo, ut pro eo intercedat, preces ipsius representat ei, apud quem pro eo intercedit. Unde si sancti pro nobis intercederent, preces nostras Deo repræsentarent.

5. Si sumus digni, ut sancti pro nobis orent, orabunt pro nobis, etiam nobis non orantibus. Si vero simus indigni, non orabunt pro nobis, etiam nobis orantibus. Ergo superfluum est sanctos orare.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job. 5. dicitur. *Voca si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere, etc.*

2. Sanctos, qui sunt in via, debemus constituere intercessores pro nobis ad Deum. Ergo multo fortius petere debemus á sanctis qui sunt in patria, ut nos suis orationibus ad Deum juvent.

Antecedens prob., quia hoc Apostolus Paulus fecit. Unde dicit Rom. 5. «Obsecro vos, fratres, per Dominum «nostrum Jesum Christum, et per cha«ritatem sancti Spiritus, ut adjuvetis «me in orationibus vestris, pro me ad «Deum.»

Conseq. prob., quia sancti, qui sunt in pro patria, magis sunt Deo accepti, quam in statu viæ.

5. Est communis Ecclesiæ consuetudo, quæ in Litaniis, sanctorum orationem petit, dicens. Sancta Maria, ora pro nobis. Omnes sancti, orate pro nobis.

Determinatio.

Conclusio. Debemus á sanctis petere, ut orent pro nobis.

Prob. Illi, qui sunt Deo propinquissimi, convenienter, ut mediatores inter nos et Deum, á nobis constituuntur, petendo ab eis, ut orent pro nobis. Sed sancti, qui sunt in patria, sunt Deo propinquissimi. Ergo convenienter eos intercessores ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

Maior manifest. quia «iste ordo est di«vinitus institutus in rebus,» secundum Dion. «ut ultima per media in Deum «reducantur.» Nos igitur, qui in hac vita á Deo distamus, á quo peregrinamur, per medios sanctos, in Deum reduci debemus, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. et ratio est, quia sicut non est propter defectum divinæ potentiæ, quod mediantibus secundis causis agentibus operetur, sed hoc est ad complementum ordinis universi, et ut ejus bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo habens non solum ut suscipiant bonitates proprias, sed insuper, quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordiæ ipsius Dei, quod oporteat ejus clementiam per orationes sanctorum pulsare, sed est ad hoc, ut ordo prædictus servetur in rebus, et ut sancti in hoc á Deo glorificentur, ut nobis auxilia salutis, earum orationum suffragio, impetrent, ut art. præced. dictum est. Quo ordine stante, facilius á Deo hæc auxilia per orationes sanctorum impetramus. Et sic patet, quid dicendum sit ad prob. consequentia.

Ad 2. Dicitur negando conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis sancti superiores, sint magis. Deo accepti, quam inferiores; utile tamen est, etiam minores sanctos interdum orare, et hoc prop-

ter quinque rationes. Primo, quia aliquando aliquis habet maiorem devotionem ad minorem sanctum, quam ad maiorem, ex qua devotione maxime dependet orationis effectus. Secundo propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei, fastidium parit. Per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus devotionis fervor excitatur. Tertio, quia quibusdam sanctis datum est, in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignem infernalem evadendum. Sanctæ Luciæ, ad oculos, etc. Quarto, ut omnibus Sanctis debitus honor á nobis exhibeatur. Quinto quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetraretur.

Ad 3. Neg. conseq. et ratio est, quia oratio est actus quidam; actus autem sunt particularium suppositorum, et ideo, si deceremus, *Christe ora pro nobis*, nisi aliquid adderemus, videretur hoc ad personam Christi referri, et ita videretur esse consonum errori Nestorii, qui distinxit in Christo personam filii hominis á persona filii Dei. Vel errori, Arrii, qui posuit personam filii minorem persona patris. Unde ad hos errores evitandos, Ecclesia non dicit, *Christe ora pro nobis*, ne videatur personam Christi esse aliam á persona Verbi. Vel ne videretur, filium esse Patre minorem. Sed dicit *Christe audi nos, et Christ miserere nobis.*

Ad 4. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod (ut art. seq. dicetur) non dicuntur sancti preces nostras Deo repræsentare, quasi ei incognita manifestent; sed quia eas exaudiri ab eo petunt. Vel divinam consulunt veritatem de his, quid secundum ejus providentiam fieri debeat.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod ex hoc ipso aliquis efficitur dignus, ut sanctus pro eo oret, quando ad ipsum pura devotione recurrit.

ARTICULUS III.

Utrum orationes sanctorum, pro nobis ad Deum effusæ, semper exaudiantur.

Pro negativa. — Videtur quod orationes sanctorum, pro nobis effusæ, non semper exaudiantur.

Si orationes sanctorum exaudirentur, maxime exudirentur de his quæ ad ipsos sanctos pertinent. Sed de his non exaudiuntur. Ergo multo minus exaudiuntur de his quæ ad alios pertinent.

Minor prob., quia Apoc. 6. Dicitur quod Martyribus petentibus vindictam de his qui habitant in terra, dictum est, «ut requiescerent adhuc modicum tempus donec impleretur numerus fratum «suorum.»

2. Hierem. c. 15. dicitur: «Si steterint Moyses et Samuel coram me, non «est anima mea ad populum istum.» Ergo sancti non semper exaudiuntur.

3. Angeli non semper exaudiuntur in suis orationibus. Ergo nec alii sancti á Deo exaudiuntur in suis orationibus, quas Deo offerunt.

Conseq. prob., quia sancti in patria, æquales Angelis Dei dicuntur, ut dicitur Matth. 22.

Antecedens prob., quia Dan. 10. dicitur: «Ego veni propter sermones tuos, «princeps autem regni persarum, restitit «mihi viginti et uno diebus.» Ex quibus patet quod oratio illius Angeli, qua á Deo populi liberationem petebat, fuit impedita ne exaudiretur.

4. Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu merendi. Ergo non possunt suis orationibus aliquid nobis apud Deum impetrare.

Conseq. prob., quia quicumque oratione, aliquid impetrat, quodammodo meretur illud.

5. Sancti non volunt, nisi quod sciunt Deum velle. Ergo eorum orationes non sunt efficaces ad aliquid impetrandum.

Antecedens proq., quia voluntas sanctorum est per omnia divinæ voluntati conformis.

Conseq. prob., quia hoc quod Deus vult, fieret, etiam ipsis sanctis non orantibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Machab. 2. c. ult. dicitur. «Hic est, «qui multum orat pro populo, et uni- «versa sancta civitate Hieremias Prophe- «ta Dei.» Et ejus orationem fuisse exauditam patet per hoc quod sequitur quod «extendit, Hieremias dexteram, et «dedit Judæ gladium, dicens: accipe «sanctum gladium á Deo, etc.»

2. Est auctoritas Hieronymi contra vigilantium.

3. Est consuetudo Ecclesiæ quæ frequenter petit orationibus sanctorum adjuvari.

Determinatio.

Distinctio. Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis. Uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant. Alio modo quasi oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu ejus existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt etiam nobis suffragia et orationes quædam: sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus, dicitur veniam petere.

1.ª Conclusio. Orationes sanctorum, quantum in eis est, utroque modo sunt efficaces ad impetrandum quod petunt.

Quæ conclusio est ex se manifesta, quia merita eorum apud Deum efficaciam habent, et ipsi sunt Deo grati. Unde et eorum merita et orationes, habent efficaciam impetrandi quæ petunt.

2.ª Conclusio. Oratio sanctorum interpretativa, quæ scilicet est per eorum merita, potest quandoque non exaudiri, propter defectum ex parte nostra, impedientem, ne consequamur horum meritorum fructum.

Hæc etiam est manifesta, quia his, qui in peccato mortali sunt, merita sanctorum non prosunt, cum eis prosint, qui sanctis per charitatem sunt conjuncti, ut sic opera, sanctorum nostra quodammodo efficiantur.

3.ª Conclusio. Orationes, quibus sancti orant pro nobis, votis suis, aliquid pro nobis postulando semper exaudiuntur.

Quia sancti non volunt, nisi quæ Deus vult, nec petunt, nisi quod fieri volunt. Quod autem Deus vult, voluntate consequenti quæ est vera Dei voluntas, semper impletur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod illa martyrum oratio, non est aliud, quam eorum desiderium, de obtinenda stola corporis et societate sanctorum, qui salvandi sunt; et consensus, quo consentiunt divinæ justitiæ punienti malos, ut Glos. ordin. ibid. dicit. Hoc autem eorum desiderium implebitur, tempore á Deo deteminato.

Ad 2. Dicitur ad sententiam Prophetæ quod Dominus loquitur ibi de Moyse et Samuele secundum statum, quo fuerunt in hac vita. Ipsi enim leguntur pro populo orantes iræ Dei restitisse, et tamen si tempore Hieremiæ fuissent, non potuissent suis orationibus Deum placare, propter illius populi malitiam: non autem loquebatur de Moyse et Samuele in statu futuræ vitæ, in quo á Deo non petiissent, nisi quod scirent Deum esse facturum.

Ad 3. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod ista pugna bonorum angelorum, non est ex hoc quod apud Deum contrarias orationes funderent; sed quia contraria merita ex diversis partibus ad unum examen referebant, divinam expectantes sententiam, ut Greg. dicit lib. 17. Moral. c. 7. De pugna hac bonorum angelorum satis dictum est 1. p. q. 13. art. ult.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod licet sancti non sint in statu merendi sibi, postquam sunt in patria; sunt tamen in statu merendi aliis, vel potius, ex merito præcedenti alios juvandi. Hoc

enim apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur post mortem. Vel dicitur secundo quod oratio ex alio meretur, et ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adæquatione actus ad finem propter quem est, qui ei quasi merces redditur. Sed orationis impetratio innititur liberalitati ejus qui rogatur. Impetrat enim oratio quod non meruit ille qui rogat, vel ille pro quo rogatur: et ita quamvis sancti non sint in statu merendi, sunt tamen in statu impetrandi.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sancti non volunt nisi quod in divina voluntate conspiciunt, et ita nihil aliud petunt, nec tamen eorum oratio est infructuosa et inefficax, quia multa Deus præordinavit fienda et implenda per orationes sanctorum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 161.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Pauperum de Lugduno* (ut habetur ex Summa Fratris Yconeti 5. par. cap. 2. in Bibliotheca Vaticana manuscripta) dicentium, quod Sancti in cœlo non audiunt orationes fidelium, nec venerationes, quibus eos veneramur, attendunt. Item eorumdem ibidem. Sancti absorti gaudio cœlesti nobis nequeunt intendere, neque in aliquid aliud vacare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á, etc. ut art. 1. ap. Præsupponunt enim, Sanctos orationes nostras audire, quæcumque Concilia nos ad orandum ipsos hortantur, ut patet; et consequenter præsumptive condemnant hæreses prædictas. Item ab ecclesiastico ritu, quotiescumque Litanias instituit: et hoc propter eamdem, quæ dicta nunc est, rationem. Condemnantur ergo á Pelagio Papa I. per hoc, quod Litanias cum hymnis, et canticis spiritualibus instituit dici progrediendo á S. Pancratio usque ad S. Petrum Apostolum; ut habetur in ejus vita ex libro Pontificali tom. 2. Concil. Item á Concil. Lugdunensi I. Placuit universis fratribus, ut Litaniæ ab omnibus Ecclesiis, seu parochiis celebrentur. Item á Conc. Gerundensi cap. 3. Litania facienda est Kalendis Novembris. Item á Concil. Bracharensi II. ca. 9. Placuit, ut convenientes in unum vicinæ Ecclesiæ per triduum cum Psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent Litanias. » Item á Papa Honorio I. de quo in vita sua ex libro Pontificali tom. 2. Concil. dicitur sic: " Hic fecit constitutum in Ecclesia, et decrevit, ut omni hebdomada Sabbati die exeat Litania á B. Apollinari, et ad B. Petrum Apostolorum cum hymnis, et canticis populus omnis occurrere debeat. Item á Concil. Constantinopolitano V. act. 1. dum sic recitat: Cum graves terremotus civitatem Constantinopolitanam occupassent magnus, et parvus, dives, et pauper, servus, et liber, extra civitatem in campo secedentes simul concurrerunt. Quibus, ubi Deus parcere clementer dignatus est, revelavit B. Proclo trisagium acclamare, cum ipsi ad propulsandam iram lytanias facerent. » Hoc trisagium, ut ibi dicitur, est illud: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, misere nostri.* Item á Concilio Toletano V. ca. 1. " Decreto nostro sancimus, ut specialis in cuncto regno hæc religiosa teneatur observantia, ut Litania triduo ubique peragatur, et indulgentia delictorum lachrymis impetretur. Item á Concilio Toletano VI. cap. 2. ubi sancitur de Litaniis solemniter persolvendis pro obtinenda indulgentia delictorum. Item á Concilio Moguntino cap. 32. et 33. Item á Papa Zacharia in epistola ad Bonifacium ubi suasit crebro exsolvendas esse supplicationes seu Litanias, calamitatibus irruentibus. Item á Papa Gregorio II. per hoc, quod, ipso frequentante Litanias; fluvius Tyberis quasi incredibiliter alveum suum egressus, ad urbis damna, revertitur in locum proprium; ut legitur in vita Gregorii ejusdem, ex libro Pontificali, 3. tom.

Concil. Quod Sancti cognoscant facta nostra hujusmodi, vide 1. par. quæst. 89. art. 8. Quod ipsos esse absorptos gaudio cœlesti non impediat ut eos nullo modo á cognoscendis votis nostris, elice efficaciter ex 1. par. quæst. 12. art. 9. *Tertio* habes: quomodo prædicta Scripturarum, et Patrum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas haeresim *Pauperum de Lugduno* (ut ex Summa Fratris Yconeti 5. p. c. 2. manuscripta in Bibliotheca Vaticana) dicentium; Sancti non orant pro nobis, ideo non oportet implorare eorum suffragia. Item Vigilantii (ut habetur ex D. Hierony. contra ipsum) dicentis: Sancti non sunt in nostrum auxilium invocandi. Item Eustachii, Sebast. Huss., Oecolampadii dicentium; Sanctos non honorandos, neque orandos esse. Item Publicanorum dicentium; Sanctorum suffragia in cœlis regnantium non esse expetenda. Item Catharorum (ut refert Card. Turrecremata, de Eccl. lib. 4. c. 35.) dicentium; non esse imploranda auxilia Beatæ Virginis, nec Angelorum, nec sanctorum. Item Almarici dicentis; Altaria dicata sancti, et imagines thurificare, ipsorumque invocationes, idololatriam esse. Hæc omnia sunt quædam nostræ orationes ad sanctos; ideoque afferuntur hic. Item Bezanitarum dicentium, quod invocationis sanctorum fundamenta per optimos, et sanctos Patres jecit Satan. Quasi quod optimi, et sancti Patres potuerint esse optimi, et sancti, et tamen, hoc Satanico spiritu inservientes, aut ab ipso decepti; cum tamen Apostolus in eorum persona dicat 2. Corint. 2. *Non ignoramus cogitationes ejus* idest Satanæ, et Rom. 16. " Pro eis oret, ut Dominus conterat Satanam velociter sub pedibus eorum, et Ephes. 4. Testificetur, partes ipsos nobis á Deo datos, ne simus tamquam parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem, ostendas: praedictas hæreses merito damnari á scripturis 2. Pet. 1. " Dabo autem operam, et frequenter, habere vos post obitum meum: ut horum omnium memoriam faciatis. » Ubi aperte promittit se, post mortem oraturum pro eis. Item á Concilio Senonensi in suis decret. fidei catholice decreto 13. " In eam demum hæreticus incidit insaniam, ut vivos sanctorum qui in cœlis sunt, defraudet auxiliis, quasi vel preces non audiant, vel nostris calamitatibus non tangantur, quasi divinæ clementiæ deroget, quod, qui Christo ministraverit, hoc honore dignus habeatur, ut pro ceteris intercedat. Sed, quam sit primum horum veritati dissonum, facile intelligit: qui beatis pervium esse non ignorat omniforme illud divinitatis speculum, in quo, quid quid eorum intersit, illucescat. Porro, quod ad secundum attinet, quid fieri potest, ut nostris non afficiantur incommodis, quorum numquam excidit charitas, quibus tantum est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente? Abraham, cum hic diversaretur, pro salute Sodomitarum apud Dominum semel, et iterum interpellavit, ut pro certo justorum numero, qui inter eos reperiretur, toti parceret civitati. An nunc, cum in cœlo gloriosus regnat, usque adeo refriguit ejus charitas: ut immemor filiorum suorum factus non oret pro iis, qui in hoc procelloso mari diris jactantur fluctibus? Nihil autem divinæ bonitati, vel omnipotentiæ deperit: quæ summa, et incomprehensibili sapientia infima quæque per intermedia moderatur, et regit: neque minus unus est mediator Dei, et hominum Jesus Christus si juxta sacram Aurelianensis Concilii, atque aliorum quamplurium institutionem Litaniis ad aliquos sanctorum convertamur, Christo tamen accepta ferantur omnia, per quem omne id genus interveniendi munus, ceteraque in humanum genus beneficia deriventur. Absit igitur, ut tanti sint apud aliquem hæreticorum præstigiæ ut cum Manichæis, Catharis, etc. Pluris sit sacrorum Conciliorum authoritas: quibus si quis pertinacius obstiterit, hunc pœnis in hæreticos á jure statutis declaramus coercendum. » Ubi illud, quod dicit, quod sancti afficiuntur nostris incommodis, non intelligas, nisi quantum ad effectum sublevandi miserias nostras mediantibus orationibus suis: sicut et in scripturis consuevit dici de Deo, Genes. 6. quod fuit tactus dolore cordis intrinsecus, et Psalm. 6. quod in ipso est furor, et ira, et quod misericordiæ Psal. 88. quæ, cum aliis hujusmodi, proculdubio intelliguntur non

quantum ad affectum, sed quantum ad similitudinem effectus. 1. p. q. 3. a. 2. Unde Concilii dictum illud cum dicto a. 1. ad 2. facillime concordare potes, rectum sensum utrobique tenendo. Item á Conc. Nicæno 2. actio. 2. ubi ex Basilio in epistola ad Julianum apostatam dicit. Suscipio etiam sanctos Apostolos, Prophetas et martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus benignissimus, et remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam et historias imaginum illorum honoro, et palam adoro. Hoc enim nobis traditum á sanctis apostolis, non est prohibendum. Haec ibi Concilium. Item á Concilio Trid. sess. 25. decret. de invocatione, et venerat. sanc. «Mandat sancta Synodus omnibus docendi munus, curamque sustinentibus: ut diligenter fideles instruant, docentos eos: sanctus una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile esse eos suppliciter invocare, et ob beneficia impetranda á Deo, per filium ejus Jesum Christum, qui solus redemptor noster est, ad eorum orationes opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, idololatriam esse, vel pugnare cum verbo Dei, vel adversari honori unius mediatoris Jesu Christi: vel stultum esse in cœlo regnantibus voce, aut mente supplicare, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.» Item á Concil. Lateran. maxime sub Innoc. III. cap. Damnamus, ibi namque in fine damnatur doctrina Almarici. Et á Conc. Trid. sess. ead. specialiter condemnatur prædicta hæresis Almarici per hoc quod mandat, imagines sanctorum in templis habendas, eisque honorem debitum impertiendum, non ut olim fiebat á gentibus, sed modo, quo honor, qui eis exhibetur, ad prototypa repræsentata refertur. Hoc ipsum et á S. Thom. habetur 3. p. qu. 25. a. 3. et 4. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto nos debere sanctos interpellare ad orandum pro nobis insinuant; et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides; quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas haeresim *Hussitarum* dicentium, quod orationes inutiles sunt, quia omnia fiunt necessitate absoluta. Si enim omnia evenirent de necessitate absoluta, non esset, quod orationes fierent; et per consequens nec exaudirentur. Quod non tantum de viatoribus, sed et de sanctis Hussitæ per eamdem rationem voluisse videntur. Cum ergo probat hic sanctus Doctor, quod orationes sanctorum exaudiuntur, per hoc simul ostendit, quod illorum orationes non sunt inutiles, et consequenter, quod non omnia de absoluta necessitate fiunt et per idem adversus Hussitas militat efficaciter. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Concilio Constantiensi sess. 15. "Hæc sacrosancta Synodus reprobat, atque condemnat libros Joan. Huss, atque ipsos comburendos publice, et solemniter decernit, et definit, adjiciens, propter præmissa, omnem ejus doctrinam merito esse, et fore suspectam de fide, et ab omnibus Christi fidelibus evitandam.» Si ergo totam ejus doctrinam damnat, utique et prædictam de orationibus. *Tertio* habes: quomodo, per rationem ostendas: merito insinuatum ab Apocal. 5. quod orationes Sanctorum exaudiuntur, quando vidit tibi Joannes vigintiquatuor seniores habentes singulos cytharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Item Apocal. 8. "Data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei: et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.» Ecce, quod per ly odoramentorum insinuat id, quod jam diximus. Nam tunc Deus dicitur odorari aliquam orationem, quando exaudit, Genes. 8. *Perodoratus est Dominus odorem suavitatis*, et Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis hostiam Deo in odorem suavitatis*. Hoc est, Deus exaudivit ipsum Noe orantem, et exaudivit Christi sanguinem aspersum pro nobis loquentem, Hebr. 12. in oblatione crucis. Item ab Ecclesia in collecta. *Quia non definis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari.* Ecce loquitur Deo de sanctorum orationibus, et illas per

talem modum loquendi exaudiri ab ipso designat. Item á Jo. 9. *Si quis cultor Dei est et voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit.* Quis autem magis Dei est cultor, voluntatem ejus faciens, quam sancti in patria? Item á Concil. Trid. sess. 25. decret. de invocat. sanct. " Instruant, bonum, atque utile esse invocare eos: et ob beneficia impetranda á Deo ad eorum orationes confugere: sanctorum quoque corpora á fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia á Deo hominibus præstantur. » Ubi nota pro exauditione orationum sanctorum ly utile est, eos invocare: ly ob beneficia impetranda. Item nota ly per quæ multa beneficia á Deo hominibus præstantur. Per hoc enim, quod per corpora sanctorum beneficia nobis præstantur, monstratur á fortiori, quod per orationes animarum illorum beneficia in nos proveniant: quod non fieret nisi exaudirentur. Item á Machab. ultim. ut in argum. 1. Sed contra. Item á tota Ecclesia, ubi in collectis orationibus sanctorum connectit intercessionem Christi. Nam orationes omnes, in quibus suffragia sanctorum postulat, terminat sic. *Per Christum Dominum nostrum.* Patet autem, quod Christus exauditus est pro reverentia sua, Hebr. 5. et exauditur eo modo, quo vult exaudiri. Per hoc igitur, quod intercessores secundarios, qui sunt sancti, intercessori primo, qui est Christus, colligat ibi Ecclesia, declarat, quod orationes sanctorum exaudiuntur de his, quæ postulant, vel ad litteram concedendo postulata, vel saltem eo modo, quæ ipsi volunt, sive antecedente, sive consequente voluntate. Et ultra id declarat etiam Ecclesia per hoc, quod mediandi officium, et virtutem habent sancti á principali mediatore Christo: ut docuit Concilium Senonense, supra art. 2. appen. De quo et vide art. eod. exam. 3. conclus. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, et scripturarum pro quanto directe, vel indirecte insinuant, orationes sanctorum exaudiri pro nobis, et intelligas, et probes et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SECUNDA,

DE SIGNIS, QUÆ JUDICIUM PRÆCEDENT, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de signis quæ judicium præcedent.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum adventum Domini ad judicium aliqua signa præcedent.

Secundo, utrum secundum rei veritatem, sol, et luna obscurari tunc debeant.

Tertio, utrum virtutes cœlorum, Domino veniente, movebuntur.

ARTICULUS I.

Utrum aliqua signa præcedent adventum Domini ad judicium.

Pro negativa. = Videtur quod adventum Domini ad judicium non præcedent aliqua signa.

1. Apost. dicit 1. Thes. 5. *Cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Ergo signa non præcedent illum adventum.

Conseq. prob., quia non esset pax et securitas, si homines per signa præcedentia terrerentur.

2. Adventum, qui debet esse occultus, non præcedent aliqua signa. Sed adventus Domini ultimus debet esse occultus: juxta illud 1. Thes. 5. *dies Domini sicut fur, in nocte, ita veniet.* Ergo adventum Domini ad judicium non præcedent aliqua signa.

Maior prob., quia signa ad manifestationem requiruntur.

3. Primum Christi adventum non præcesserunt aliqua signa: cum tamen ejus tempus fuerit Prophetis notum. Ergo nec secundum adventum, cujus determinatum tempus nulli creaturæ est notum, aliqua signa præcedent.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur Lucæ. 21. *Erunt signa in Sole, Luna, et Stellis, etc.*

2. Hieronymus ponit quindecim signa præcedentia judicium, Epist. 80.

Determinatio.

Conclusio. Adventum Christi venientis ad judicium, multa signa præcedent, ut corda hominum ad subjectionem venturi judicis adducantur, et se ad judicium præparent his signis præmoniti.

Prob. quia ad dignitatem judiciariæ potestatis pertinet, habere aliqua indicia, quæ ad reverentiam et subjectionem inducant. Unde et Christus ad judicandum veniens in forma gloriosa, propter auctoritatem quæ judici debetur, apparebit.

Quæ sint signa, præcedentia judicium.

Quæ autem sint ista signa, de facili sciri non potest. Signa enim, quæ in Evangeliis leguntur, ut Aug. dicit ad Isichium Epist. 80 de fine mundi, non solum pertinent ad adventum Christi ad judicium, sed etiam ad tempus destructionis Hierusalem, et ad adventum, quo Christus quotidie Ecclesiam suam visitat; ita quod forte, si diligenter advertantur, nullum eorum invenietur ad futurum adventum pertinere, ut ipse ibidem dicit, quia illa signa quæ in Evangeliis tanguntur; sicut pugnæ, terrores et hujusmodi, á principio humani generis fuerunt. Nisi forte dicatur quod tunc temporis, magis invalescent. Sed secundum quam mensuram crescentia, vicinum adventum denuncient, incertum est. Signa vero, quæ Hieronymus ponit, non asserit, sed in annalibus Hebræorum se ea scripta reperisse dicit, quæ etiam valde parum verisimilitudinis habent.

AD ARGUMENTA.

Ad. 1. Dicitur dupliciter. Primo, secundum Aug. Ep. 80. ad Isichium, quod circa finem mundi, erit universalis persecutio malorum contra bonos, unde simul aliqui timebunt, scilicet boni, et aliqui securi erunt, scilicet mali: quod autem dicitur, *cum dixerint: pax et securitas*, ad malos referendum est; qui signa futuri judicii parvipendent. Ad bonos vero pertinet quod dicitur Lucæ 21. *Arescentibus hominibus.* Vel dicitur secundo quod omnia illa, quæ circa judicium erunt, infra tempus judicii computantur. Unde, quamvis ex signis apparentibus circa diem judicii, homines terreantur; tamen antequam signa illa apparere incipiant, in pace et securitate se esse impii credent, post mortem Antichristi, non statim videntes mundum consummari, ut prius existimabant.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob. quod adventus Domini debet esse occultus, et ut fur venire dicitur, quia ignoratur determinatum tempus quod per signa illa cognosci non poterit: quamvis etiam sub die judicii comprehendi possint omnia illa manifestissima signa, quæ immediate judicium præcedent.

Ad 3. Neg. conseq. In primo enim adventu Christus venit occultus, quamvis determinatum tempus fuerit prius cognitum á Prophetis, et ideo non oportebat hujusmodi signa in primo adventu apparere, sicut apparebunt in secundo adventu, in quo manifestus veniet, quamvis determinatum tempus sit occultum.

ARTICULUS II.

Utrum circa judicium sol et luna, secundum veritatem, obscurabuntur.

Pro affirmativa.=Videtur quod circa judicium, secundum rei veritatem, sol et luna obscurabuntur.

1. Rabanus dicit super Matt. «Nihil « prohibet intelligere, tunc temporis ve- « raciter solem et lunam cum syderibus « cæteris suo lumine privari, quomodo « de sole constat factum esse tempore « Dominicæ passionis. »

2. Circa judicium cessavit generatio. Ergo nec lux in corporibus cælestibus remanebit.

Conseq. prob., quia lux corporum cœlestium ad generationem inferiorum

corporum ordinatur, quia per ea influuntur in hæc inferiora, et non solum per motum, ut Aver. dicit. cap. 2.

3. Corpora inferiora purgabuntur, ut quibusdam videtur, á qualitatibus quibus agunt. Ergo et cœleste corpus etiam amittet qualitates, quibus agit. Sed corpus cœleste agit non solum motu, sed et luce. Ergo sicut motus cœli, ita et ejus lux cessabit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Secundum Astrologos sol et luna non possunt simul eclipsim pati.

2. Quia veniente Domino ad judicium lux luminarium augebitur, ut dicitur Isaiæ cap. 30.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Sol et luna, in momento adventus Christi ad judicium, non obscurabuntur.

Prob. quia Christo adveniente et sanctis resurgentibus, totus mundus melior abitur, ut infra dicetur, q. 74. art. 7.

2.ª Conclusio. Sol et luna obscurabuntur in tempore propinquo ad judicium, per sui luminis privationem in diversis temporibus, vel simul, hoc divina virtute faciente ad hominum terrorem.

Hæc patet ex evangelico textu dicente: sol obscurabitur, luna non dabit lumen, et stellæ cadent de cœlo, etc. Matt. 24.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Rabanus loquitur quantum ad tempus præcedens propinque judicium.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod lux est in corporibus cœlestibus, non solum ad causandam generationem in istis inferioribus, sed etiam ad eorum perfectionem et universi decorem. Unde non oportet quod cœsante generatione, lux corporum cœlestium cesset; sed magis augebitur.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo dicitur ad antecedens, quod non videtur esse probabile quod qualitates elementares sint ab elementis removendæ. Dicitur secundo (dato quod hujusmodi qualitates elementorum sint removendæ) quod non est simile de eis, et de luce corporum cœlestium. Qualitates enim elementares habent adinvicem contrarietatem, unde agunt corrumpendo: lux autem non est principium actionis per viam contrarietatis, sed per viam principii regulantis contraria, et ad concordiam reducentis. Nec iterum est simile de motu corporum cœlestium: quia motus est actus imperfecti, unde et tolli debet quando tollenda est omnis imperfectio: quod de luce dici non potest.

ARTICULUS III.

Utrum virtutes cœlorum, Domino veniente, commovebuntur.

Pro negativa. = Videtur quod virtutes cœlorum, Domino veniente, non commovebuntur.

1. Angeli beati non possunt commoveri. Sed per virtutes cœlorum non possunt intelligi, nisi angeli beati. Ergo virtutes cœlorum, veniente Domino, non commovebunutr.

Maior prob., quia immutabilitas est de ratione beatitudinis.

2. Causa admirationis est ignorantia, ut dicitur 1. Met. c. 2. Sed in angelis beatis, qui per virtutes cœlorum intelliguntur, non est ignorantia, sicut nec timor. Unde Greg. dicit 4. Dial. c. 33. *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident*? Ergo non poterunt commoveri per admirationem, ut Magister dicit in 4. dist. 48.

3. Omnes angeli divino judicio stabunt juxta illud Apoc. 7. *Omnes angeli stabant in circuitu throni*. Sed virtutes nominant unum specialem ordinem in angelis. Ergo non potius de eis dici debuit quod movebuntur, quam de aliis angelis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job. 26. dicitur: « Columnæ cæli

« per quas non nisi virtutes cælorum in- « telliguntur, contremiscunt, et pavent « ad nutum ejus. » Ergo virtutes cœlorum commovebuntur.

2. Matt. 24. dicitur, *Stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur.*

Determinatio.

Distinctio. Virtutes in angelis dicuntur dupliciter, ut patet per Dion. 11. cap. cæl. Hierarch. quandoq. enim nomen virtutum uni ordini appropriantur, qui ordo, secundum ipsum est medius mediæ Hierarch. Et secundum Greg. hom. 34. in Evang. est supremus infimæ. Alio modo, accipitur communiter, pro omnibus cœlestibus spiritibus.

Conclusio. Virtutes cælorum, sive accipiantur nomen virtutum, ut est commune omnibus cœlestibus spiritibus: sive prout appropriatur uni ordini, Domino ad judicium veniente, commovebuntur.

Manifestatur. Et quidem accipiendo virtutes pro universis cœlestibus spiritibus, dicuntur moveri propter admirationem novitatis, quæ in mundo erit, Domino ad judicium veniente. Si vero per virtutes intelligamus angelos specialis ordinis in tertia vel secunda Hierarchia, dicitur ille ordo præ aliis commoveri ratione effectus; quia illi ordini, secundum Greg. loc. cit. attribuitur miracula facere, quæ maxime circa illud tempus fient. Vel quia eorum officium est corpora cælestia movere, quæ sunt causa eorum quæ in natura inferiori fiunt: et quia tunc á movendis corporibus cessabunt, commoveri dicuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 5. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod mutatio illa non variat aliquid quod ad eorum statum pertineat; sed refertur vel ad effectus eorum qui mutari possunt sine eorum mutatione: vel ad novam rerum considerationem, quam prius secundum species concretas videre non poterant. Hæc autem vicissitudo cogitationem beatitudinem ab eis non tollit. Unde Deus movet creaturam spiritualem per tempus, ut Aug. dicit lib. 3. de trin. cap. 4. *quod Deus non movet creaturam spiritualem per tempora.*

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod admiratio solet esse de his, quæ nostram cognitionem excedunt, vel facultatem: et secundum hoc, virtutes cœlorum admirabuntur divinam virtutem talia facientem, in quantum á Dei comprehensione, et imitatione deficiunt. Per quem modum, dixit Beata Agnes, quod *ejus pulchritudinem sol et luna mirantur.* Et sic non ponitur, in angelo ignorantia, sed tollitur ab eo Dei comprehensio.

Ad 3. Patet responsio ex dictis in corpore.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 162.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem aliquorum (ut refert Alfons. Castr. de justa hær. punit. lib. 1. capitu. 3.) dicentium: quod dies judicii erit infra annum. Item Arnaldi dicentis, mundi finis futurus est anno ab incarnatione Domini millesimo, trecentesimo, trigesimoquinto. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hujusmodi propositiones temerarias, et similes merito damnari ab experientia. Item a. 1. Thes. 5. " Cum dixerint pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Et ibidem. Dies Domini, sicut fur, ita veniet. » Ergo non potest sciri maxime quod infra annum illum veniet. Item á Conc. Lateran.

sub Leone X. sess. 11. "Tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum judicii prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora, vel momenta, etc. Si qui autem contra præmissorum aliquid comittere quidquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, á qua non, nisi á Romano Pontifice, absolvantur." Item á Lucæ 21. Erunt signa in Sole, Luna, et Stellis. Et Joel. 2. "Sol convertetur in tenebras, et Luna in sanguinem, autequam veniat dies Domini magnus, et manifestus." Hæc enim omnia tempus prolixius anno requirunt: maxime cum in magno numero successive, ut futura credantur. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto signa præcessura adventum Domini ad judicium insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per ratiónem ostendas, merito insinuatum á scripturis, luminaria cœli esse obscuranda, ut Marci 13. "In illis diebus post tribulationem illam Sol contenebrabitur, et Luna non dabit splendorem suum, et Stellæ cœli erunt decidentes." Ubi per ly Stellæ cæli erunt decidentes, intellige, quod privabuntur suo lumine, ut in conclusione 2. et Exam. Vide notatio. post ad primam, ex 3. par. Item á Matth. 24. Luc. 21. et Joel. 2. ubi similia dicuntur. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio vides:* quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Scripturis fuisse, quod virtutes cœlorum commovebuntur, veniente Domino ad judicium. Ut Job. 16. Columnæ cæli pavent adventum ejus. Ubi per columnas cœli intelliguntur angeli, tamquam ii, qui præbent robur cœlis ad influendum in hæc inferiora, per hoc, quod movent illos, et ultra hoc columna cœli spiritualis sunt, qui, cadentibus illis, in quibus Deus reperit pravitatem, ipsi permanserunt fortiter in gratia ad serviendum Deo viventi. Nota ly pavent de pavore admirationis intelligi, non ex infidelitate quidem procedentis, de qua dicitur Jo. 7. mirabantur Judæi dicentes: quomodo hic litteras scit, etc. sed ex devotione, de qua Luc. 2. Erant Joseph, et Maria mirantes super his, etc. Item á Matth. 24. Virtutes cælorum commovebuntur. et Marc. 13. Virtutes, quæ in cœlis sunt, movebuntur. Et Lucæ 21. Virtutes cælorum movebuntur. Et quasi exponens se subdit: "tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate," id est, cum ipsarum virtutum maxima comitiva. Item ab Isa. 3. "Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto virtutes coelorum tunc commovendas insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA TERTIA,

DE IGNE ULTIMÆ CONFLAGRATIONIS, IN NOVEM ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de igne ultimæ conflagrationis mundi.

Circa quod quæruntur novem.

Primo, utrum aliqua mundi purgatio sit futura.

Secundo, utrum per ignem sit futura.

Tertio, utrum ille ignis sit ejusdem speciei cum igne elementari.

Quarto, utrum ignis ille sit etiam cœlos superiores purgaturus.

Quinto, utrum ille ignis sit alia elementa comsompturus.

Sexto, utrum omnia elementa sit purgaturus.

Septimo, utrum ille ignis præcedat judicium vel sequatur.

Octavo, utrum per illum ignem consumendi sint homines.

Nono, utrum per illum involvendi sint reprobi.

ARTICULUS. I.

Utrum mundi purgatio sit futura.

Pro negativa.=Videtur quod nulla mundi purgatio sit futura.

1. Quod indiget purgatione, est immundum. Sed creaturæ Dei non sunt immundæ: ut dicitur Act. 10. Ergo creaturæ mundi non purgabuntur.

2. Purgatio, secundum divinam justitiam, ordinatur ad auferendam immunditiam culpæ: sicut patet de purgatione post mortem. Sed in elementis hujus mundi, nulla potest esse culpæ infectio. Ergo non indigent aliqua purgatione.

3. Tunc aliquid dicitur purgari, quando separatur quod est extraneum ab ipso, inducens in eo ignobilitatem: separatio enim ejus quod nobilitatem inducit, non purgatio, sed magis diminutio dicitur. Sed hoc ad perfectionem et nobilitatem elementorum pertinet quod aliquid extraneæ naturæ est eis admixtum: cum forma corporis mixti nobilior sit, quam forma corporis simplicis. Ergo videtur quod elementa hujus mundi nullo modo purgari possint.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ea, quæ sunt innovanda, purgabuntur. Sed elementa innovanda sunt. Ergo purgabuntur.

Maior prob., quia omnis innovatio fit per aliquam purgationem.

Minor prob., quia Apoc. 21. dicitur. *Vidi cælum novum et terram novam, primum enim cælum et prima terra abiit.*

2. Glos. ord. et interl. ex Angust. lib. 20. de civit. Dei cap. 26. *Præterit figura hujus mundi*, dicit: Pulchritudo hujus mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit.

Determinatio.

Conclusio. Mundi purgatio est futura.

Prob. Mundus est factus aliquo modo propter hominem. Ergo oportet quod quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam, et alia corpora ad meliorem statum mutentur, ut sit et locus convenientior, et aspectus delectabilior.

In quo consistat mundi futura purgatio.

In quo autem debeat mundi purgatio consistere, et quæ á corporibus per purgationem removenda sint, potest esse manifestum ex his in quibus hominis purgatio consistit. Ad hoc enim, quod homo gloriam corporis consequatur, oportet prius ab eo removeri ea quæ gloriæ opponuntur, quæ sunt duo, scilicet, corruptio et infectio culpæ. Corruptio quidem, quia dicitur 1. Cor. 15. Corruptio, idest corruptibile corpus, incorruptionem non possidebit. Infectio vero culpæ, quia á civitate gloriæ omnes immundi foris erunt, ut dicitur Apoc. ult. Pari igitur modo elementa mundi purganda sunt á contrariis dispositionibus quas habent repugnantes statui gloriæ, antequam ad statum et in novitatem gloriæ adducantur. Primo enim purganda sunt á corruptione. Nam circa medium locum, propter elementorum contactum, multæ sunt corruptiones, et generationes et alterationes elementorum, quæ puritati eorum derogant: et ideo primo ab his oportet elementa purgari, ad hoc quod decenter novitatem gloriæ suscipiant. Sunt etiam purganda ab infectione culpæ: quamvis enim res corporalis subjectum infectionis culpæ proprie esse non possit; tamen ex culpa, quædam incongruitas in rebus corporalibus relinquitur, ne convenienter spiritualibus dedicari possint. Unde videmus quod loca, in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua sacra in eis exercenda, nisi purgatione quadam præmissa. Et secundum hoc, ex peccatis hominum quamdam inidoneitatem ad novitatis gloriæ susceptionem recipit illa pars mundi quæ in usum nostrum cedit, et quantum ad hoc indiget mundatione. Consistit igitur futura mundi purgatio in hoc quod erit purgandus á corruptione et ab immun-

ditia, quam contraxit ex peccatis quæ in eo commissa fuerunt ab homine.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob., quod cum dicitur: omnis creatura Dei munda est, hoc est intelligendum, quia non habet in substantia sua alicujus malitiæ permixtionem, sicut ponebant Manichæi dicentes: bonum et malum esse duas substantias alicubi divisas et alicubi commixtas. Non autem removetur quin aliqua creatura habeat permixtionem naturæ extraneæ, quæ etiam in se bona est, sed perfectioni hujusmodi creaturæ, in qua est, repugnat. Similiter ex hoc non removetur, quin malum alicui creaturæ accidat, quamvis non sit per mixtum ei, quasi pars substantiæ ipsius.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis elementa corporea subjectum culpæ esse non possint; tamen ex culpa in eis commissa, consequuntur aliquam ineptitudinem ad perfectionem novitatis gloriæ suscipiendam.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod forma mixti et forma elementi possunt dupliciter considerari. Primo, quantum ad perfectionem speciei, et sic corpus mixtum est nobilius. Secundo, quantum ad perpetuitatem durationis, et sic corpus simplex nobilius est. Quia non habet in se ipso unde corrumpatur, nisi ejus corruptio fiat ab aliquo exteriori. Corpus autem mixtam habet in se ipso causam suæ corruptionis, scilicet compositionem contrariorum, et ideo corpus simplex, etsi sit corruptibile secundum partem, est tamen incorruptibile secundum totum, quod de mixto dici non potest: et quia incorruptio est de perfectione gloriæ; ideo perfectio corporis simplicis, magis convenit perfectioni gloriæ, quam perfectio corporis mixti, nisi etiam corpus mixtum habeat in se aliquod incorruptionis principium, sicut corpus humanum cujus forma est incorruptibilis. Sed quamvis corpus mixtum sit aliquo modo nobilius quam corpus simplex; nobilius tamen esse habet corpus simplex, secundum se existens, quam existens in mixto: quia in mixto sunt corpora simplicia quodammodo in potentia: in seipsis vero existentia sunt in ultima sui perfectione. Breviter igitur respondendo, negatur minor. Ad prob. jam dictum est, quod forma corporis mixti excepta humana, est nobilior tantum secundum rationem suæ speciei, non autem ratione incorruptibilitatis, quæ est de ratione gloriæ.

ARTICULUS II.

Utrum purgatio mundi sit futura per ignem.

Pro negativa. = Videtur quod hæc purgatio non sit futura per ignem.

1. Ignis indiget purgatione, sicut aliæ partes mundi. Ergo ignis non purgabit mundum.

Conseq. prob., quia non debet esse idem purgans, et purgatione indigens.

2. Non omnia sunt purgabilia per ignem, sed quædam per aquam purgari necesse est, ut lex distinguit: nam vasa lignea et panni purgabuntur per aquam quæ habet virtutem purgativam, sicut ignis. Unde prima purgatio mundi per aquam facta est. Ergo videtur saltem, quod ignis non universaliter purget.

3. Segregatio partium mundi ab invicem, in initio mundi, sola divina virtute facta est, ut patet Gen. 1. Et Anaxagoras ut refert. Arist. 8. physic. tex. 77. posuit segregationem hanc factam fuisse per actum intellectus moventis omnia. Sed mundi purgatio nil aliud esse videtur, nisi segregatio partium mundi ab invicem, ut scilicet segregatæ puriores reddantur. Ergo videtur quod ultima mundi purgatio, non per ignem aut per ministerium alicujus creaturæ, sed á solo Deo sit facienda.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Psal. 49. dicitur. « In conspectu « ejus ignis exardebit, et in circuitu ejus « tempestas valida. Et postea sequitur

de judicio. «Advocavit cœlum desur-«sum; et terram discernere populum «suum.» Ergo videtur quod ultima purgatio mundi sit futura per ignem.

2. Petri 2. cap. ult. dicitur: *cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.* Ergo illa purgatio per ignem fiet.

Determinatio.

Conclusio. Ultima mundi purgatio convenientissime fiet per ignem.

Prob. Purgatio, per quam removebitur á mundo infectio ex culpa relicta, impuritas commixtionis, et disponetur corporalis creatura ad perfectionem status gloriæ, convenientissime fiet per ignem. Sed per ultimam purgationem removebitur á mundo infectio ex culpa relicta, impuritas commixtionis, et per eam disponetur creatura corporalis ad statum et perfectionem gloriæ, ut dictum est artic. præced. Ergo purgatio ultima convenientissime fiet per ignem.

Maior prob. et quod purgatio removens infectionem culpæ convenienter, fiat per ignem, quia sphæra ignis est remota á nostra habitatione, nec est nobis ita communis usus ignis, sicut usus terræ, aquæ et aeris, unde non ita inficit: et ita convenienter assumitur ad purgandum ab infectione. Quod vero purgatio, quæ removet impuritatem commixtionis etiam convenienter per ignem fiat, prob. quia ignis non ita recipit commixtionem extranei; sicut alia elementa, propter efficaciam suæ virtutis activæ. Quod vero purgatio, quæ dispositiva est ad statum gloriæ debeat fieri per ignem, quia ignis, tum sit nobilissimum elementorum, habet naturales proprietates similes proprietatibus gloriæ: ut maxime patet de luce, et sic remanet probata maior, quoad omnes suas partes.

Et præterea probatur conclusio et confirmatur ratio, quia ignis habet maximam efficaciam ad purgandum et ad dividendum subtiliando.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod ignis dupliciter consideratur: uno modo, in sua puritate. Alio modo, ut est in materia aliena. Si consideretur in sua puritate existens, negatur antecedens. Ignis enim in sua puritate existens non indiget purgatione, quia sic non venit in usum nostrum, nec admittit aliquam commixtionis impuritatem, nec indiget disponi ad perfectionem status gloriæ, quia jam ipse habet quamdam dispositionem ad hujusmodi statum, ut dictum est. Si vero accipiatur ignis in aliena materia, sic indiget purgatione; sed negatur consequentia. Ad cujus prob. dicitur, quod non est idem purgans et purgatum: quia ignis purgans erit ignis in sua puritate existens, ignis vero, ut venit in usum nostrum scilicet in aliena materia, purgabitur.

Ad 2. Dicitur quod rationabiliter prima purgatio facta est per aquas diluvii; secunda vero facienda est per ignem. Nam prima mundi purgatio non respiciebat nisi infectionem peccati: et quia tunc præcipue regnabat peccatum concupiscentiæ, convenienter per contrarium, idest per aquam, facta fuit. Secunda autem purgatio respicit et impuritatem culpæ et commixtionis, et quantum ad utrumque magis convenientius fiet per ignem, quam per aquam. Aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis, congregandi; unde per aquam non posset tolli naturalis elementorum impuritas. Similiter etiam circa finem mundi regnabit vitium tepiditatis, quasi mundo jam senescente, quia ut dicitur Matt. 24. *Tunc refrigescet charitas multorum.* Et ideo convenienter purgatio ab impuritate et infectione culpæ, fiet per ignem. Unde ad formam negatur antecedens. Non enim est aliquid quod per ignem purgari non possit, aliquo modo: verum est quidem quod quædam sine eorum corruptione per ignem non sunt purgabilia, ut vasa lignea, vel panni, et hæc lex præcipit purgari per aquam.

Sed quia tandem omnia hujusmodi corrumpenda sunt, ideo ad universalem mundi purgationem ignis assumetur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod per opus distinctionis sunt diversæ formæ rebus collatæ, quibus ab invicem distinguuntur, et ideo hoc fieri non potuit, nisi per eum qui est naturæ auctor: per finalem autem purgationem reducuntur res ad puritatem in qua fuerunt conditæ, et ideo in hoc poterit natura creata exhibere ministerium creatori, et hoc ad ipsius creaturæ nobilitatem pertinet, ut ad creatoris ministerium assumatur.

ARTICULUS III.

Utrum ignis ille, quo mundus purgabitur, sit ejusdem speciei cum igne elementari.

Pro negativa.=Videtur quod ignis ille non sit futurus ejusdem rationis, cum igne elementari.

1. Ignis, qui ignem elementarem consumet, non est ejusdem rationis cum igne elementari. Sed ignis ille ignem elementarem consumet. Ergo ignis ille non erit ejusdem speciei cum elementari.

Maior prob., quia nihil se ipsum consumit.

Minor prob., quia Glos. ord. 2. Per. ult. dicit quod ignis ille quatuor elementa consumet.

2. Ignis, qui habiturus est aliam virtutem ab igne elementari, non est ejusdem rationis cum igne elementari. Sed ignis ille habiturus est aliam virtutem, quam habere possit ignis elementaris. Ergo ignis ille non est ejusdem speciei cum elementari.

Maior prob., quia sicut virtus manifestatur per operationem, ita natura per virtutem.

Minor prob., quia ille ignis purgavit universum, quod ignis iste elementaris facere non potest.

3. Ignis, qui habiturus est alium motum á motu elementaris ignis, non est ejusdem speciei cum ipso. Sed ignis ille purgativus habebit alium motum, quam habeat ignis qui est elementum. Ergo non erit ejusdem naturæ cum elementari.

Maior prob., quia ea quæ in corporibus naturalibus sunt ejusdem speciei, habent eumdem motum.

Minor prob., quia ignis ille circumquaque movebitur, ut totum purgare possit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit 20. de Civit. Dei c. 26. et habetur in Glos. ord. et interl. 1. Cor. 7. quod *figura hujus mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit.* Ergo ignis ille erit de natura ignis, qui nunc est in hoc mundo.

2. In prima purgatione aqua fuit ejusdem speciei cum aqua elementari. Ergo similiter in secunda purgatione, ignis erit ejusdem speciei cum igne elementari.

Conseq. prob., quia sicut purgatio est futura per ignem; ita præcedens fuit per aquam, et ambæ adinvicem comparantur, 2. Per. 3.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Circa hoc inveniuntur tres opiniones. Quidam enim dicunt quod elementum ignis quod est in sphæra sua, descendet ad purgationem mundi. Motum autem descensionis ponunt per multiplicationem. Ignis enim undique apposito combustibili augmentatur, et hoc præcipue tunc fiet, quando virtus ignis exaltabitur super omnia alia elementa.

Reprobatio.

Sed contra hoc esse videtur, quod ignis ille, non solum descendet, sed etiam á sanctis ascendere perhibetur, ut patet 2. Pet. 3. ubi dicitur quod tantum ascendet judicii ignis, quantum aqua diluvii ascendit.

Ex quo videtur quod ignis ille generandus sit circa locum medium generationis.

Secunda positio.

Et propter hoc, alii dicunt, quod ignis ille generabitur circa locum medium ex congregatione radiorum cælestium corporum, sicut videmus quod congregantur in speculo comburente; tunc enim loco speculorum erunt nubes concavæ, ad quas fiet radiorum reverberatio.

Reprobatio.

Sed istud etiam non videtur conveniens, quia cum effectus corporum cœlestium sequatur determinatos situs et aspectus eorum; si ex virtute corporum cœlestium ignis ille generandus esset, tempus illius purgationis posset esse notum, considerantibus motum astrorum: quod scripturæ auctoritati repugnat.

Tertia positio.

Et ideo alii, secundum Aug. in 20. de Civit. Dei. c. 26. dicunt quod « sicut mundanarum aquarum inundatione « factum est diluvium, ita mundanorum « ignium conflagratione figura hujus « mundi peribit. » Ista autem conflagratio nihil aliud est quam congregatio omnium causarum inferiorum et superiorum, quæ ex natura sua habent virtutem igniendi; quæ quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute divina fiet: et ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis, qui faciem hujus mundi exuret.

Ad quæsitum.

Conclusio. Ignis ille, quo mundus purgabitur, erit ejusdem speciei cum igne elementari.

Manifestatur, quia etsi tres prædictæ positiones diversificentur, quantum ad causam generationis illius ignis; tamen non diversificantur, quantum ad speciem illius. Ignis enim generatus á sole, quem ponit secunda positio, est ejusdem speciei cum igne qui est in sua sphæra, nec differt ab illo, nisi in quantum admiscetur ei materia aliena; quod quidem tunc oportebit, quia ignis non potest aliquid purgare. nisi secundum hoc quod aliquod alterum efficitur materia ejus aliquo modo. Unde ille ignis, secundum omnes prædictas opiniones, est ejusdem speciei cum igne elementari, ac per hoc simpliciter dicendum est quod ignis ille erit ejusdem speciei cum isto.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Videmus enim quod duorum ignium ejusdem speciei, unus alterum destruit, maior scilicet minorem, consumendo materiam ejus. Ignis autem ultimæ conflagrationis, quamvis sit ejusdem speciei cum igne qui apud nos est, non tamen est idem numero; et ideo ille ignis ignem, qui apud nos est, consumere poterit.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut operatio, quæ procedit á virtute rei, est virtutis judicium; ita virtus rei est judicium essentiæ vel naturæ, si tamen virtus procedat ex principiis essentialibus rei. Operatio autem quæ non procedit ex virtute rei operantis, non indicat virtutem ipsius, sicut patet in instrumentis: actio enim instrumenti magis notificat virtutem moventis, quam virtutem ipsius instrumenti; quia virtutem agentis manifestat, ut primum operationis principium: virtutem autem instrumenti non manifestat, nisi quatenus est susceptivum influentiæ principalis agentis, secundum quod movetur ab eo. Similiter etiam virtus quæ non præcedit ex principiis essentialibus rei, non manifestat naturam ejus, nisi quantum ad susceptibilitatem. Sicut virtus, qua aqua calefacta potest calefacere, non manifestat naturam ejus, nisi quantum ad calefactatibilitatem; et ideo nihil prohibet, quin aqua habens hanc virtutem, sit ejusdem speciei cum aqua non habente virtutem illam. Tunc ad minorem dicitur quod etsi ille ignis sit habiturus virtutem purgandi faciem mundi, quam non habet ignis qui apud nos est; erit tamen ejusdem speciei cum isto: quia vis illa non orietur in ipso ex principiis essentialibus, sed ex divina virtute vel operatione. Sive dicatur quod

illa virtus sit aliqua qualitas absoluta, sicut calor in aqua calefacta. Sive sit intentio quædam caloris præexistentis: quod est probabilius: quia ignis ille non aget nisi ut instrumentum divinæ virtutis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod ignis ex propria natura non fertur nisi sursum, sed in quantum sequitur materiam, quam requirit extra propriam sphæram existens, sequitur materiæ combustibilis situm; et per modum istum non est inconveniens quod vel in circuitu, vel deorsum moveatur, et præcipue secundum quod agit, ut instrumentum divinæ virtutis.

ARTICULUS IV.

Utrum ignis ille purgabit etiam cœlos superiores.

Pro affirmativa.=Videtur quod ille ignis purgabit etiam cœlos superiores.

1. Cœli, qui sunt opera manuum Dei, in ultima conflagratione peribunt. Sed cœli superiores sunt opera manuum Dei. Ergo cœli superiores in ultima conflagratione peribunt,

Maior prob., quia in Psal. 101. dicitur: *opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes.* Ex qua auctoritate patet etiam minor.

2. Pet, 2. c. 3. dicitur: cæli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Sed cœli, qui ab elementis distinguuntur, sunt cœli superiores, in quibus fixa sunt sidera. Ergo videtur quod etiam illi, per ignem illum purgabuntur.

3. Ea, in quibus invenitur indispositio ad perfectionem gloriæ, purgabuntur per ignem ultimæ conflagrationis. Sed in cœlo superiori invenitur indispositio ad perfectionem gloriæ; et ex parte culpæ: quia diabolus ibi peccavit: et ex parte naturalis defectus, quia Rom. 8. super illud: *scimus quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* dicit Glos. ex Ambros. in illud. Rom. 8. Omnia elementa cum labore explent officia sua, sicut Sol et Luna, non sine labore, statuta sibi implent spatia. Ergo etiam cœli superiores per illum ignem purgabuntur.

Maior prob., quia ignis ille ad hoc erit, ut removeat á corporibus indispositionem ad perfectionem gloriæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Corpora cœlestia non sunt receptiva peregrinæ impressionis.

2. Ignis ultimæ conflagrationis non poterit usque ad cœlos superiores ascendere. Ergo eos non poterit purgare.

Antecedens prob., quia ignis ille non ascendet altius, quam aquæ diluvii ascenderint, scilicet quindecim cubitis supra altitudinem montium, ut dicitur Gen. 7. Dicit enim Glos. ordin. super illud 2. Thes. 1. *In flamma ignis dantis vindictam.* Ignis erit in mundo, qui præcedet eum, tantum spatium aeris occupans, quantum aqua diluvii occupavit.

Determinatio.

Conclusio. Corpora cælestia, nec per ignem, nec per alicujus creaturæ actionem purgabuntur.

Prob. Ea, quæ purganda sunt per ignem ultimæ conflagrationis, habent dispositionem contrariam perfectioni gloriæ, removibilem per ignem vel per actionem alicujus creaturæ. Sed corpora cælestia non habent talem dispositionem hoc modo contrariam perfectioni gloriæ. Ergo corpora cælestia non purgabuntur per ignem, nec per actionem alicujus creaturæ.

Maior prob., quia purgatio mundi ad hoc erit, ut removeatur á corporibus dispositio contraria perfectioni gloriæ, quæ quidem perfectio est ultima rerum consummatio.

Minor manifestatur. Nam supradicta indispositio in omnibus corporibus invenitur, sed diversimode in diversis. In quibusdam enim invenitur, indispositio, secundum aliquid inhærens substantiæ

eorum: sicut in istis corporibus inferioribus, quæ per mutuam mixtionem decidunt á propria puritate. In quibusdam vero corporibus invenitur indispositio, non per aliquid substantiæ eorum inhærens, sed solum secundum aliquod extrinsecum: et sic invenitur indispositio non conveniens perfectioni gloriæ in corporibus cœlestibus, in quibus nihil invenitur repugnans ultimæ perfectioni universi, nisi motus qui est via ad perfectionem. Nec motus quicumque, sed localis tantum, qui non variat aliquid quod sit intrinsecum rei: non enim variat substantiam, quantitatem, aut qualitatem rei, sed tantum variat locum, qui est extra rem. Et ideo á substantia cæli superioris non oportet quod aliquid removeatur, sed solum quod motus ejus quietetur. Quietatio autem localis motus non fit per actionem alicujus contrarii agentis, sed per hoc quod motor desistit á movendo: et cum motus cœli non desistat per actionem creaturæ, sed solum per Dei voluntatem, propterea ipsa cælorum quietatio sola divina voluntate facta, eis loco purgationis erit. Et sic patet minor, et tota ratio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod sicut Aug. dicit lib. 20. de Civit. Dei. c. 16. Verba illa Psal. sunt intelligenda de cœlis aereis, qui purgabuntur per ignem ultimæ conflagrationis. Vel si de superioribus cœlis intelligantur, dicuntur perire, quantum ad motum, quo nunc continue moventur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod Petrus Apostolus se ipsum exponit de quibus cœlis intelligat. Præmiserat enim ante verba inducta, quod « cœli prius « et terra per aquam perierant, qui « nunc eodem verbo repositi sunt, igni « reservati in diem judicii. » Illi ergo cœli per ignem purgabuntur, qui prius per aquam diluvii sunt purgati, scilicet cœli aerei.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ejus prob. quod ille labor et illa servitus creaturæ, quæ corporibus cœlestibus, secundum Amb. attribuitur, nihil est aliud quam vicissitudo motus, ratione cujus tempori subjiciuntur. Unde cessante eorum motu, quodammodo purgari dicuntur, ut in corp. dictum est. Ex culpa autem dæmonum cœlum empireum infectionem contraxit, quia peccando statim á cœlo sunt expulsi.

ARTICULUS V.

Utrum ignis ultimæ conflagrationis, alia elementa consumet.

Pro affirmativa. = Videtur quod ignis ille alia elementa consumet.

1. Super 2. Pet. ult. dicit Glos. ordin. Bedæ, « elementa quatuor, quibus mun« dus consistit, ille maximus ignis ab« sumet, nec cuncta in tantum absumet « ut non sint, sed duo ex toto consumet, « duo vero in meliorem restituet faciem. » Ergo videtur quod ad minus duo elementa per illum ignem totaliter destruentur.

2. Apoc. 21. dicitur. *Primum cœlum*, per quod aer intelligitur, ut Aug. lib. 20. de Civit. Dei c. 18. dicit, *et prima terra abiit, et mare jam non est.* Mare autem est aquarum congregatio. Ergo illa tria elementa, scilicet aer, terra et mare totaliter destruentur.

3. Si ignis purgabit alia elementa, oportet quod alia elementa materia ignis efficiantur. Ergo oportet quod in naturam ignis transeant, et sic á natura propria corrumpentur.

Antecedens prob., quia ignis non purgat, nisi secundum hoc quod alia efficiuntur materia ejus.

4. Forma ignis est nobilissima formarum, ad quam potest perduci elementaris materia. Ergo alia elementa in ignem totaliter convertentur.

Conseq. prob., quia per illam purgationem, omnia in nobilissimum statum perducentur vel mutabuntur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Super illud 1. Cor. 7. Præterit figura hujus mundi, dicit Glos. Pulchritudo, non substantia *hujus mundi præterit.* Sed ipsa elementorum substantia pertinet ad mundi perfectionem. Ergo elementa secundum suam substantiam non consumentur.

2. Purgatio, quæ per aquas diluvii facta fuit, non corrupit elementorum substantiam. Ergo nec purgatio, quæ per ignem fiet, substantiam elementorum corrumpet.

Conseq. prob., quia illa finalis purgatio, quæ fiet per ignem, respondebit primæ purgationi, quæ per aquam facta est.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Circa hanc quæstionem est multiplex opinio. Quidam enim dicunt quod omnia elementa manebunt quantum ad materiam, et omnia mutabuntur quantum ad imperfectionem, sed duo eorum retinebunt propriam formam substantialem; scilicet aer et terra; in duobus vero, scilicet igne et aqua, non remanebit forma substantialis eorum, sed mutabuntur in formam cœli: et sic tria elementa, scilicet ignis, aer et aqua cœlum dicentur, quia scilicet aqua et ignis in cœlum vertentur; aer vero etsi retinere debeat propriam formam, dicetur tamen cœlum, quia etiam nunc cœlum dicitur. Unde Apoc. 21. non fit mentio, nisi de cœlo et terra. *Vidi* (inquit) *cœlum novum et terram novam.*

Reprobatio.

Sed hæc opinio est omnino absurda. Repugnat enim et Philosophiæ, secundum quam poni non potest quod corpora inferiora sint in potentia ad formam cœli; cum nec materiam habeant communem, nec contrarietatem ad invicem. Et etiam Theologiæ: quia secundum hanc positionem non salvabitur perfectio universi cum integritate suarum partium, duobus elementis sublatis. Unde ad auctoritatem inductam ex Apoc. dicitur quod per cælum intelligitur quintum corpus, omnia vero elementa intelliguntur per terram, sicut in Psal. 148. dicitur. *Laudate Dominum de terra:* et sequitur, *ignis, grando, nix, glacies, etc.*

Aliorum positio.

Et ideo alii dicunt quod omnia elementa manebunt secundum substantiam, sed qualitates activæ, et passivæ ab eis removebuntur. Sicut etiam ponunt quod in corpore mixto elementa salvantur secundum suas formas substantiales, sine hoc quod proprias qualitates habeant, cum sint ad medium reductæ, medium autem neutrum extremorum est. Et huic videtur consonare quod Aug. dicit lib. 20. de Civit. Dei cap. 16. « illa conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo pœnitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant. »

Reprobatio.

Sed istud non videtur probabile, quia cum qualitates propriæ elementorum sint effectus formarum substantialium, non videtur quod formis substantialibus manentibus, qualitates prædictæ possint mutari, nisi per actionem violentam ad tempus; sicut in aqua calefacta videmus quod ex vi suæ speciei frigiditatem recuperat, quam per actionem ignis amisit, dummodo species aquæ remaneat. Et præterea ipsæ qualitates elementares sunt de secunda perfectione elementorum, sicut propriæ passiones eorum. Nec est probabile quod in illa finali consumatione aliquid perfectionis naturalis ab elementis tollatur.

Vera sententia.

Conclusio. Elementa manebunt, quantum ad substantiam et qualitates eorum proprias, sed purgabuntur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxe-

runt et ab impuritate, quæ per actionem et passionem mutuam in eis accidit.

Manifestatur, quia cessante motu primi mobilis in inferioribus elementis mutua actio et passio esse non poterit. Et hoc Aug. loc. moxcit. appellat *qualitates corruptibilium elementorum*, scilicet innaturales dispositiones eorum, secundum quas appropinquant corruptioni. Et sic elementa non consumentur per illum ignem, quantum ad eorum substantiam et proprias qualitates.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad inductam autoritatem quod ignis ille dicitur quatuor elementa absumere, in quantum ea aliquo modo purgabit. Quod autem sequitur quod duo ex toto consumet; non est intelligendum quod duo elementa secundum substantiam destruantur; sed quia duo magis rémovebuntur á proprietate, quam nunc habent. Quæ quidem duo quidam dicunt esse ignem et aquam, quæ maxime excedunt in qualitatibus activis, scilicet calore et frigore, quæ sunt maxime corruptionis principia in aliis corporibus, et quia tunc non erit actio ignis et aquæ, quæ sunt maxime activa, maxime videbuntur imputari á virtute quam nunc habent. Alii vero dicunt hæc duo esse aerem et aquam, propter varios motus istorum duorum elementorum, quos consequuntur ex motu corporum cœlestium: et quia isti motus non erunt, sicut fluxus et refluxus maris, et commotiones ventorum, et hujusmodi; ideo illa elementa maxime mutabuntur á proprietate, quam nunc habent, et per hoc dictum est quod totaliter absumentur.

Ad 2. Dicitur ad sententiam Apoc. quod sicut dicit Aug. lib. 20. de Civit. Dei. cap. 16. *Cum dicitur, et mare jam non est. Per mare potest intelligi præsens sæculum, de quo parum supra dixerat. Dedit mare mortuos suos.* Si tamen mare ad litteram referamus; tunc est dicendum quod in mari duo intelliguntur, scilicet substantia aquarum et earum dispositio, quantum ad salsedinem et commotionem fluctuum, et quantum ad hoc mare non remanebit, quantum autem ad substantiam aquarum remanebit.

Ad 3. Neg. conseq. propter duo. Primo quia ignis ille non aget nisi ut instrumentum providentiæ et virtutis divinæ. Unde non aget in alia elementa usque ad eorum consumptionem, sed solum usque ad purgationem. Secundo, quia non oportet quod omne id quod efficitur materia ignis, totaliter á specie propria corrumpatur, sicut patet in ferro ignito quod á loco ignitionis remotum, ex virtute speciei remanentis, ad proprium et pristinum statum redit, et ita erit de elementis per ignem purgatis.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in partibus elementorum non debet considerari solum, quid congruat alicui parti secundum se acceptæ; sed etiam quid congruat secundum ordinem ad totum. Dicitur ergo quod quamvis aqua esset nobilior, si haberet formam ignis, sicut et terra et aer; universum tamen remaneret imperfectum, si tota elementorum materia formam ignis assumeret.

ARTICULUS VI.

Utrum omnia elementa per illum ignem purgabuntur.

Pro negativa. = Videtur quod nec omnia elementa per ignem illum purgabuntur.

1. Aqua diluvii non pervenit usque ad sphæram ignis. Sed ignis ille non ascendet nisi quantum aqua diluvii ascendit, ut art. 3. dictum est. Ergo per ignem illum non purgabitur elementum ignis.

2. Super illud Apoc. 21. Vidi cœlum novum et terram novam. dicit Glos. ordin. ibid. Immutatio aeris, et terræ dubitabile non est, quin per ignem fiet.

Sed de aqua dubitatur: nam purgationem in se ipsa habere creditur. Ergo ad minus non est certum quod omnia elementa sint purganda.

3. Infernus non purgabitur. Ergo elementa non totaliter purgabuntur.

Conseq. prob., quia infernus inter elementa collocatur.

Antecedens prob. Locus, qui est perpetuæ infectionis, non purgabitur. Sed in inferno erit perpetua infectio. Ergo inferni locus non purgabitur.

4. Paradisus terrestris non purgabitur. Ergo non omnia elementa totaliter purgabuntur.

Antecedens prob., quia ibi non ascendet ignis, sicut nec aquæ diluvii ibi ascenderunt, ut dicit Gloss. ord. ex Beda super illud Gen. 2. *Plantaverat dominus Deus*, etc.

Conseq. prob., quia paradisus terrestris in terra continetur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. inducta in præced. art. arg. 1. dicit quod *quatuor elementa ille ignis absumet.*

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod ignis ille ascendet usque ad summitatem spatii continentis quatuor elementa; ut sic elementa totaliter purgentur, et ab infectione peccati, quo etiam superiores elementorum partes sunt infectæ, ut patet per ignem idololatriæ superiora inficientis; et etiam á corruptione, quia elementa secundum omnes partes sui sunt corruptibilia.

Reprobatio.

Sed hæc positio repugnat auctoritati scripturæ, quia 2. Pet. 3. dicitur quod illi cœli repositi sunt igni, qui fuerunt per aquam purgati. Et Aug. dicit 20. de Civ. Dei. c. 18. *quod ille mundus qui diluvio periit, igni reservatur.* Constat autem quod aqua diluvii non ascendit usque ad summitatem spatii elementorum; sed solum usque ad quindecim cubitos super altitudinem montium. Et præterea notum est quod vapores elevati á terra, vel fumi quicumque non possunt pertransire totam sphæram ignis, ut perveniant ad summitatem ejus: et ita infectio peccati idololatriæ non pervenit usque ad prædictum spatium. Nec possunt elementa (ut prædicta dicebat opinio) á corruptibilitate purgari, quia eorum corruptibilitas per ignem consumi non potest.

Vera sententia.

Conclusio. Ignis ultimæ conflagrationis purgabit elementa usque ad medium interstitium aeris.

Manifestatur, quia per illum ignem erunt consumendæ impuritates elementorum, quæ ex eorum permixtione proveniunt. Hujusmodi autem impuritates præcipuæ sunt circa terram, usque ad medium aeris interstitium, quo etiam aquæ diluvii ascenderunt quod probabiliter extimari potest ex montium altitudine, quos determinata mensura transcenderant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur quod ignis ille non ascendet usque ad sphæram ignis, cum quo tamen stat quod debeat purgare omnia elementa, usque ad spatium prædictum.

Ad 2. Dicitur quod ratio dubitationis in Glos. exprimitur, quia scilicet aqua vim purgationis in se habere creditur. Et quia aqua non habet purgationis vim talem, qualis futuro statui competit, ideo ipsa per ignem erit purganda.

Ad 3. Neg. conseq. Illa enim purgatio precipue ad hoc erit, ut quidquid est imperfectionis á sanctorum habitatione removeatur. Et ideo in illa purgatione totum quod est fœdum, ad locum damnatorum congregabitur: unde infernus non purgabitur, sed ad ipsum totius mundi fæces deducentur. Unde ex hoc quod infernus non purgabitur, non sequitur quod elementa non sint purganda.

Ad 4. Conceditur antecedens. Etsi enim in paradiso terrestri fuerit commissum peccatum primum primi hominis, tamen quia statim inde fuit ejectus, sicut Lucifer de cælo; ideo ille non est locus peccantium, ut purgatione egeat: ac per hoc paradisus non purgabitur in purgatione elementorum.

ARTICULUS VII.

Utrum ignis ultimæ conflagrationis judicium debeat sequi.

Pro affirmativa.=Videtur quod ignis ultimæ conflagrationis debeat sequi judicium.

1. Aug. 20. lib. de Civ. Dei c. ult. hunc ordinem ponit eorum, quæ in judicio sunt futura, dicens: «in illo judi« cio, vel circa illud judicium, has res « didicimus esse futuras. Heliam Thesbi« tem finem Judeorum, Antichistum per« sequentem, Christum ventorum, vel « judicaturum, mortuorum resurrectio« nem, bonorum malorumque divisio« nem mundi conflagrationem, ejusdem« que renovationem.» Ergo conflagratio sequetur judicium.

2. Aug. dicit in eodem libro. c. 16. «Judicatis impiis et in æternum ignem « missis, figura hujus mundi mundano« rum ignium conflagratione peribit.» Ergo ignis judicium sequetur.

3. Dominus ad judicandum veniens, aliquos vivos reperiet: ut patet ex hoc, quod 1. Thesal. 4. ubi ex persona eorum Apostolus dicit: «deinde nos, qui « vivimus, qui residui sumus, in adven« tu Domini, etc.» quod non posset esse, si conflagratio mundi præcederet: cum per ignem dissolverentur. Ergo ignis ille judicium sequetur.

4. Executio judicii sequitur judicium. Sed ignis ille ultimæ conflagrationis erit executio sententiæ divini judicii. Ergo ille ignis judicium sequetur.

Minor prob. quia Dominus judicaturus est sæculum per ignem. Et ideo finalis conflagratio videtur esse executio divinæ sententiæ.

ARTIC. VII.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Psal. 96. dicitur: *Ignis ante ipsum præcedet.*

2. Si ignis ille non præcederet judicium, sequeretur quod per illum ignem non purgaretur id quod in aliquibus tunc erit purgandum: quod est contra Aug. lib. 20. de civ. Dei, cap. 16. 18. et 19 á Mag. in 4. dist. 47. relatum qui ait quod per illum ignem purgabitur, si quid in aliquibus sit purgandum. Ergo ignis ille præcedet judicium.

Conseq. prob. quia resurrectio præcedet judicium; alias non videret omnis oculus Christum judicantem. In resurrectione autem, sancti resurgentes corpora spiritualia et impassibilia habebunt, et ita si ignis sequatur judicium, nihil amplius poterit in eis purgari.

Determinatio.

Conclusio. Ultima mundi conflagratio, quantum ad sui initium, judicium præcedet.

Prob. Dispositio ad renovationem creaturæ corporalis præcedet judicium. Sed ultima mundi conflagratio est dispositio ad renovationem prædictam. Ergo conflagratio præcedet judicium.

Maior prob. Nam resurrectio mortuorum præcedet judicium, ut patet 1. Thessal. 4. ubi dicitur quod illi, qui dormierunt, rapientur in nubibus in aera, obviam Christo venienti ad judicium. Resurrectio autem communis et glorificatio corporum sanctorum simul erunt: sancti enim resurgentes, corpora gloriosa reassument, ut patet per illud quod dicitur 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Simul autem, quando corpora sanctorum glorificabuntur, et tota creatura suo modo renovabitur, ut patet per illud quod dicitur Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur á servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quia igitur renovatio creaturæ erit simul cum glorificatione corporum sanctorum, quæ fiet sanctis resur-

gentibus, quorum resurrectio judicium præcedet, consequens est quod dispositio ad renovationem corporalis creaturæ, quæ est ultima conflagratio, judicium præcedere debeat. Et sic patet quod ille ignis, quantum ad hunc effectum purgandi mundum, præcedet judicium.

2.ª Conclusio. Ignis ultimæ conflagrationis, quantum ad hunc effectum, qui erit involvere reprobos, judicium sequetur.

Hanc probat quartum argumentum inductum. Erit enim tunc quasi executor divinæ sententiæ contra reprobos.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Aug. non loquitur ibi determinando, sed opinando, quod patet ex verbis ejus, quæ ibi subjungit. Inquit enim, « quæ omnia quidem « ventura esse credendum est; sed quibus « modis et quo ordine veniant, magis « tunc docebit rerum experientia, quam « nunc valeat consequi ad perfectum ho« minis intelligentia. Existimo tamen, « etc.» quæ opinantis sunt.

Ad 2. Eodem prorsus modo respondendum est.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur quod omnes homines quidem morientur, sed tamen illi dicuntur vivi reperiri, qui usque ad tempus conflagrationis vivent in corpore.

Ad 4. Dicitur quod ille ignis exequetur judicis sententiam, quantum ad involutionem malorum, secundum quem effectum sequetur judicium, ut dictum est in corpore.

ARTICULUS VIII.

Utrum ille ignis sit habiturus talem effectum in hominibus, qualis per sanctos designatur.

Pro negativa=Videtur quod ille ignis non habebit talem effectum in hominibus, qualis designatur á sanctis, ut scilicet consumere debeat malos, quos vivos reperiet, et purgare bonos, si quid purgandum in eis reperiet, et non nocere eis qui nulla purgatione indigebunt.

1. Corpora impiorum non resolventur in nihilum, sed in æternum conservabuntur, ut pœnam æternam sustineant. Ergo ille ignis non erit malis consumptio.

Conseq. prob., quia illud consumi dicitur quod in nihilum redigitur.

2. Si dicatur quod consumet malorum corpora, in quantum ea resolvet in cinerem. Contra. Sicut corpora malorum, ita et bonorum in cinerem resolventur: hoc enim est solius Christi privilegium, ut caro ejus non videat corruptionem. Ergo etiam et bonis tunc repertis, erit consumptio.

3. Elementa extra corpus humanum existentia purgabuntur, propter infectionem peccati. Ergo multo fortius oportet per ignem purgari elementa in corporibus humanis existentia sive bonorum sive malorum: et ita indifferenter aget in utrorumque corpora, ea resolvendo.

Conseq. prob., quia infectio peccati magis abundat in elementis, secundum quod veniunt in compositionem humani corporis, in quo est corruptio fomitis, etiam quantum ad bonos quam in elementis existentibus extra corpus humanum.

4. Illa conflagratio quasi in momento perficietur. Ergo non erit suficiens ad purgandum eos qui vivi fuerint tunc reperti, in quibus multa erunt purgabilia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Magister dicit in 4. lib. Sent. dist. 47. Ille autem ignis, malis, qui reperti fuerunt vivi, erit consumptio, bonis vero non, etc.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Ignis ultimæ conflagrationis, quantum ad ejus naturalem virtutem, eodem modo aget in malos et bonos qui vivi reperientur.

Manifestatur, quia utrorumque corpora in cinerem resolvet.

2.ª Conclusio. Ignis ultimæ confla-

grationis, in quantum aget ut instrumentum divinæ justitiæ, diversimode aget in diversos, quantum ad sensum pœnæ.

Manifestatur. Nam mali per actionem ignis cruciabuntur; boni vero. in quibus nihil purgandum invenietur, nullum omnino dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri in camino ignis senserunt. Dan. 3. etsi eorum corpora non sint integra servanda, sicut corpora puerorum servata fuerunt. Et quod resolutionem corporum sint sine cruciatu passuri, divina virtute fiet. Boni vero, in quibus aliquid purgandum invenietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus pro diversitate meritorum.

3.ª Conclusio. Ignis ille, ut judicium sequetur, tantum in damnatos actionem habebit.

Prob. quia tunc omnes boni corpora impassibilia habebunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod consumptio ibi accipitur pro resolutione in cineres, et non pro annihilatione.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod etsi per illum ignem, tam malorum quam bonorum corpora in cinerem sint redigenda; boni tamen, in quibus nil purgandum invenietur, ex illa resolutione dolorem non sentient (ut dictum est) sicut mali.

Ad 3. Conceditur totum. Nam elementa etiam in corporibus electorum purgabuntur, sed sine cruciatu doloris.

Ad 4. Neg. conseq. Tres enim sunt causæ, quare illi, qui vivi reperientur, poterunt purgari. Una est, quia in eis pauca purganda invenientur, cum terroribus et persecutionibus præcedentibus fuerint purgati. Secunda causa est, quia et vivi et voluntarie pœnam sustinebunt: pœna enim in hac vita voluntarie suscepta multo plus purgat quam pœna post mortem inflicta. sicut patet in martyribus, quia si *quid purgandum in eis invenitur, passionis falce tollitur*, ut Aug. dicit lib. de unic. baptis. cap. 13. et Epist. 48. ad Vincent. Cum tamen pœna martyrii sit brevis, in comparatione ad pœnam, quæ in purgatorio sustinetur. Tertia causa est, quia calor ille recuperabit in intentione, quantum in temporis brevitate amittit.

ARTICULUS IX.

Utrum ignis ultimæ conflagrationis involvet reprobos.

Pro negativa. = Videtur quod ignis ille non involvet reprobos.

1. Super illud Malach. 3. *Purgabit filios Lævi.* dicit Glos. ordin. Duos ignes legimus futuros; unum qui purgabit electos, et præcedet judicium: alterum qui reprobos cruciabit. Sed hic est ignis inferni, qui malos involvet. Primus vero est ignis finalis conflagrationis. Ergo ignis finalis conflagrationis non erit ille qui malos involvet.

2. Illud, quod obsequitur Deo in purgatione mundi, debet remunerari, et non in infernum detrudi. Sed ignis ultimæ conflagrationis Deo obsequitur in purgatione mundi. Ergo videtur quod non debeat dejici in infernum ad pœnam damnatorum.

Et confirmatur, quia remuneratis aliis elementis, multo fortius debet remunerari ignis, qui est inter elementa nobilior.

3. Ignis, qui malos involvet, erit ignis inferni. Sed ignis ultimæ conflagrationis non est ignis inferni. Ergo ignis ultimæ conflagrationis non involvet reprobos.

Minor prob. Ignis inferni præparatus est damnatis, ab initio mundi, ut dicitur Matt. 25. et Isaiæ 30. Sed ignis ultimæ conflagrationis non fuit ab initio mundi præparatus sed ex concursu mundanorum ignium generabitur. Ergo ille ignis non est ignis inferni.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Psal. 96. dicitur de illo igne. *Inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

2. Dan. 7. Dicitur: « Fluvius igneus « rapidusque egrediebatur á facie ejus, » ut peccatores traheret in gehennam, subdit Glos. interlin. et loquitur de igne ultimæ conflagrationis auctoritas, in qua dicit Glos. interlin. Ut malos puniat, et bonos purget.

Determinatio.

Conclusio. Ignis ultimæ conflagrationis involvet post judicium reprobos.

Manifestatur. Nam tota purgatio mundi et innovatio, ad purgationem et innovationem hominis ordinabitur, et ideo oportet, ut mundi purgatio et innovatio purgationi et innovationi humani generis congruat. Humani autem generis purgatio fiet per hoc quod mali segregabuntur á bonis. Unde dicitur Luc. 3. « Cujus ventilabrum in manu ejus, et « purgabit aream suam, et congregabit « triticum, » idest electos, « in horreum « suum; paleas autem, » idest reprobos, « comburet igni inextinguibili, » Et ideo ita erit de purgatione mundi quod quidquid erit turpe et fœdum, in infernum cum reprobis mittetur; quidquid vero pulchrum et nobile reservabitur in superioribus ad gloriam electorum. Et hoc idem erit de illo igne conflagrationis, sicut dicit Basil. super illud Psal. 28. « Vox Domini intercidentis flammam ig- « nis. » Quia quoad calidum ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, descendet ad inferos ad pœnam damnatorum; quod vero est ibi subtile et lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum. Et sic patet quod ignis ultimæ conflagrationis, quantum ad id quod est in eo fœdum et turpe, reprobos involvet, et eos in perpetuum in inferno cruciabit; quantum vero ad id quod est in eo pulchrum et subtile, superius remanebit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod ignis qui purgabit electos ante judicum, erit idem cum igne conflagrationis mundi, quamvis quidam contrarium dicant. Convenit enim quod homo, qui est pars mundi, eo igne quo mundus purgatur, mundetur. Dicuntur autem duo ignes, qui bonos purgabit et malos cruciabit, quantum ad officium, et aliquo modo quantum ad substantiam, quia non tota substantia ignis purgantis in infernum detrudetur, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ignis ille remunerabitur per hoc quod illud quod est grossum in eo, separabitur ab eo, et in infernum detrudetur.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod ignis ultimæ conflagrationis erit etiam ignis inferni, non quidem ille qui ab initio paratus fuit, sed simul cum illo post judicium reprobos torquebit, et cum quo quantum ad grossiores partes in infernum detrudetur. Sicut enim gloria electorum post judicium erit maior, quam ante, ita et pœna reproborum: et ideo sicut claritas superiori creaturæ addetur ad augendam gloriam beatorum, ita etiam quidquid est turpe in creaturis, detrudetur in infernum ad augendam miseriam damnatorum, et ita igni damnatorum, præparato ab initio in inferno, non est inconveniens, si alter addatur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 163.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum á Scripturis, quod purgatio mundi futura sit, ut 1. Cor. 7. Præterit figura hujus mundi. Ubi signanter dixit ly figura, quæ est quoddam accidens in genere qualitatis (ut patet per Philosophum in Prædicament.) ad differentiam substantiæ. Denotavit ergo

per hoc, quod substantia mundi remanere poterit, sine tamen accidentibus quibusdam nunc habitis. Hæc autem sunt accidentia, de quibus in conclusione. Unde per hoc insinuare voluit, quod purgabitur mundus aliquando. Item ab Apoc. 21. Ecce nova facio omnia. Quod autem snb ly omnia contineantur et elementa, declaraverat prius ibi dicens, " vidi cælum novum, et terram novam. Primum enim cælum et prima terra abiit, et mare jam non est." Ubi novitatem hanc intellige, ut prius super Apostolorum, similiter et præteritionem, sive non existentiam maris. Per hæc enim omnia sola purgatio mundi describitur, remanente substantia. Novitatem enim proportionaliter de omnibus fiendam intelligas non æqualiter : adeo, quod suo modo unumquodque purgabitur juxta simile dictum Ps. 35. Homines, et jumenta salvabis, Domine. Hinc ergo, tum per articuli rationem, tum per Scripturas excludere debes hæresim sine authore, ut refert August. de hæres. cap. 67. dicentem: mundum etiam "post resurrectionem universalem mortuorum in eodem statu , in quo nunc est, permansurum: neque ita esse mutandum, ut sit cœlum novum, et terra nova. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto mundi purgationem futuram insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Ecclesia mundum purgandnm esse per ignem; et sic: " in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt, et terra, dum veneris judicare seculum per ignem. Item á Psalm. 49. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum desursum , et terram discernere populum suum. Et Psalm. 96. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Item 2. Petr. ult. Coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos, et novam terram expectamus. Item ibid. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra eorum verbo repositi, sunt igni servati in die judicii. Item ibid. Adveniet dies Domini, ut fur, in quo coeli magno impetu transient: elementa vero calore solventur, terra autem, et, quæ in ipsa sunt, opera exurentur. » Nota et contra hæresim prædictam art. 1. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem, prædicta Scripturarum, pro quanto futuram purgationem esse per ignem insinuant, et intelligas, et defendas: *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á 2. Pet. 3. quod ignis ille cum isto erit ejusdem speciei: et sic: « Coeli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, tunc ille mundus aqua inundatus periit. Coeli autem, qui nunc sunt, et terra igni sunt reservati in diem judicii.» Ecce, quod aperte comparat ignem purgaturum mundum aquæ diluvii eumdem inundantis. Patet autem, quod comparata adinvicem solent vicissim sensum alterutrius declarare. Sic ergo videtur ex tali comparatione quod ignis ille futurus sit ejusdem speciei cum isto elementari: ex quo et aqua inundans per diluvium fuit speciei ejusdem cum aqua elementari, ut colligitur ex Gen. 7. Item á 1. Cor. 7. *Præterit figura hujus mundi.* Ubi exponens sensum Apostoli Aug. inquit, quod *figura hujus mundi conflagratione mundanorum ignium peribit. Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto insinuare videntur, quod diximus, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, 2. Petr. 3. quod coeli superiores non purgabuntur per actionem illius ignis: et sic. *Cœli, qui nunc sunt, et terra eodem verbo sunt igni reservati in diem judicii.* Ubi, ut ex contextu patet, vult dicere, quod ignis tantum ascendet ad purganda omnia, quantum ascendit aqua tempore diluvii. Facit enim comparationem judicii illius prioris per diluvium facti, et judicii posterioris per ignem faciendi. Ex quo manifestum relinquitur, quod per ly Coeli non intelligit coelos superiores, hoc est quintum corpus: quoniam tunc non concluderet intentum, sed potius ostenderet contrarium, quod scilicet ignis ille multo plus ascenderet, quam diluvium. Ut ergo intentum habeatur, ut par est, oportet per ly Coeli intelligi superiora elementa, ut nos post ad secundum

not. Item á Philosopho, adjuncta tamen propositione fidei, dicente, quod cœlestia corpora non sunt susceptiva peregrinæ impressionis, idest, alicujus impressionis novæ variantis aliquid intrinsecum eis, puta substantiam, quantitatem, qualitatem, etc. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et similium, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, ex iis vicissim etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Ecclesia, quod ignis non consumet ex toto alia elementa, et sic: *terra in æternum stat*. Unde patet, quod totaliter non consumetur, alioquin non staret in æternum. A simili autem intellige dictum de aliis elementis; quod in æternum stent: quoniam de similibus idem est judicium. Adde, quod per terram quandoque intelliguntur omnia elementa, ut Gen. 1. *Creavit Deus cœlum et terram*, et in symbolo: *Credo in Deum creatorem cœli et terræ*, et Psal. 148. *Laudate Dominum de terra*, et quasi exponendo, quid intelligat per terram, subdit: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á 2. Petr. 3. quod omnia elementa, dempto igne in sphæra sua, purgabuntur, et sic. « Cœli erant prius, et terra, et ille tunc mundus aqua inundatus periit, cœli autem, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo sunt igni reservati in diem judicii. » Quasi dicat; tantum spatium occupabit ignis in die judicii venturus, quantum occupabit inundatio illa aquarum. Cum ergo inundatio illa non ad sphæram ignis ascenderit, sed solum usque ad quindecim cubitos supra montes Gen. 7. quod probabiliter existimatur esse medium aeris interstitium, vel circa: patet intentum. Quomodo autem intelligatur, quod illi cœli, et terra prius per aquam perierint, ut ibi Petrus ait, colligere potes ex a. 2. ad secundum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse á Psalm. nonagesimo sexto. «Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Montes, sicut cera, fluxerunt á facie Domini: á facie Domini omnis terra. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. Ubi loquitur de judicio: in cujus signum præmiserat: *nubes, et caligo in circuitu ejus, justitia, et judicium correctio sedis ejus*. Ecce nubes: apparebit in judicio Act. 1. Dicit ergo de illa conflagratione, quantum ad purgationem mundi, quod ante ipsum præcedet, et quod montes, sicut cera, fluent, et omnis terra á facie domini, idest, quod per illum ignem consumentur montes, et renovabitur terra. De eodem autem igne, quantum ad involutionem malorum post datam sententiam, dicit ly *inflammabit in circuitu inimicos ejus*, et qui sint inimici ejus, declarat per ly *confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis*. Quasi dicat. Inimici ejus sunt omnes peccatores, ut sic: quoniam omnes hi adorant sculptilia, idest sua figmenta venerantur, et gloriantur in simulacris suis, hoc est adorant tamquam Deum, quæ sibi ipsis in mente sculpserunt, et gloriantur in phantasmatibus, seu adinventionibus á se factis. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto ignem illum præcedere judicium, aut sequi, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito in suo simili insinuatum á scripturis, quod ignis ultimæ conflagrationis aget in malos, et in bonos diversimode: et sic Isa. 43. *Cum transieris per ignem, non combureris, et flamma non ardebit in te*. Quæ sint quoad bonos nihil purgandum habentes. Item ab Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum*. Quæ sint quoad malos, et quoad bonos aliquid de purgabili habentes. Item Exod. 14. « Fugientibus Egiptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus,

filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ erant eis, quasi pro muro á dexteris, et á sinistris. » Quæ sint pro differentia bonorum, et malorum in eodem igne conflagrationis; loquendo á simili. Item ab Ecclesia in vitis sanctorum, puta Agnetis, de qua legitur. « Vicarius Aspasius igne copioso accenso, jussit eam jactari in medio. Quod cum fuisset factum, flamma in duas partes divisa, ipsam in nullo contingebat incendium, sed ministros exurebat. » Item ab eadem Ecclesia, de S. Cæcilia. « Tunc Almachius jussit, eam in bullienti balneo concremari. Cumque ibi die integro cum nocte, quasi in frigido loco, remansisset, jussit eam in ipso balneo decollari. » Item ab eadem Ecclesia de sancto Dominico fundatore ordinis Prædicatorum probatur, quasi á fortiori, intentum præcens. «Cum eo deventum esset, ut utriusque partis, catholicorum scilicet et hæreticorum libelli, quos de suis dogmatibus conscripserant, in ignem projicerentur, et quod in illo, qui maneret illæsus, vera contineri fidei assertio ab omnibus crederetur: singulis adversariorum libellis ad primam projectionem combustis, solus beati Dominici codex pro parte catholica præsentatus, secundo et tertio, igni injectus, statim semper illæsus, et integer resilivit. » *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto ignem ultimæ conflagrationis habiturum esse diversum effectum in electis, et reprobis, á simili insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Daniel. 7. quod ignis ille involvet reprobos, et sic. *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur á facie ejus.* Ubi loquitur de judice Deo. Unde præmiserat; *aspiciebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit.* Et sequitur postea: *judicium sedit, et libri aperti sunt.* Ille ergo igneus fluvius, de quo mentionem interponit, est impetuosa magnitudo ignis conflagrationis mundi (teste etiam Glossa ibi dicente, ut malos puniat, et bonos purget) qui dicitur egredi á facie ejus, quia (ut sæpius dictum est) aget, ut instrumentum divinæ justitiæ. Iste igitur ignis involvet reprobos secundum Danielem adjuncta *glossa* sensum ejus sic exponente, ut trahat peccatores in gehennam. Item á Psalm. 96, etc. ut supra art. 7. append. *Secundo* habes: quomodo, per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto illum ignem insinuant demersurum reprobos in infernum, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc

---

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA QUARTA.

DE RESURRECTIONE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Post hæc considerandum est de circumstantibus, et concomitantibus resurrectionem. Quorum prima consideratio est de ipsa ressurrectione. Secunda de ejus causa. Tertia de ejus tempore, et modo. Quarta de ipsius termino *á quo*. Quinta de conditionibus resurgentium.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum resurrectio corporum sit futura.

Secundo, utrum sit omnium generaliter.

Tertio, utrum sit naturalis, vel miraculosa.

ARTICULUS I.

Utrum corporum resurrectio sit futura,

Pro negativa. = Videtur quod corporum resurrectio non sit futura.

1. Cœlum numquam atteretur. Ergo homo numquam resurget.

Antecedens prob. quia *terra* de qua videtur quod magis debeat finiri quam cœlum, *in æternum* stat: ut dicitur Eccles. 1.

Conseq. prob., quia Job. 24. dicitur homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum.

2 Dominus Matt. 22. probat resurrectionem per auctoritatem illam Exod. 3. « Ego sum Deus Abraham, et Deus « Isaac, et Deus Jacob; » quia « non est « Deus mortuorum Deus, sed viventium. » Sed constat quod quando verba illa dicebantur, Abraham, Isaac et Jacob non vivebant corpore, sed solum anima. Ergo resurrectio non erit corporum, sed tantum animarum.

3. Apost. 1. Cor. 15. Videtur probare resurrectionem ex remuneratione laborum, quos in hac vita sustinent sancti: quia si in hac vita tantum essent confidentes sancti, omnibus hominibus miserabiliores essent. Sed sufficiens remuneratio omnium laborum hominis potest esse in anima tantum. Ergo non oportet ponere ressurrectionem corporum, sed sufficit ponere ressurrectionem animarum, quæ fit dum transferuntur de morte culpæ et miseriæ, in vitam gratiæ et gloriæ.

Minor manifestatur, quia non oportet quod instrumentum simul cum operante remuneretur, sed corpus est instrumentum animæ; unde non oportet quod cum anima remuneretur. Et confirmatur ab opposito, quia in purgatorio, ubi animæ puniuntur pro his quæ gesserunt in corpore, anima sine corpore punitur.

4. Ex perfectissimo sui statu, res non redit ad alium minus pefectum statum. Sed separatio á corpore est perfectissimus animæ rationalis status. Ergo anima ex statu separationis non redit ad corpus, sicut nec ex viro fit puer.

Maior prob., quia perfectissimum in re est ultimum rei, utpote per quod suum finem attingit. Et ideo á sui perfectissimo statu res non redit ad alium minus perfectum statum.

Minor prob., quia anima in statu separationis est Deo et angelis conformior, et magis pura, quasi ab omni extranea natura separata.

5. De morte spirituali numquam redit homo ad vitam, post sententiam damnationis acceptam. Ergo nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regressus, post acceptam sententiam mortis corporalis.

Conseq. prob., quia mors corporalis in pœnam homini est inducta, pro prima prævaricatione, ut patet Gen. 2. Sicut mors spiritualis, quæ est separatio animæ á Deo, est inflicta homini pro peccato mortali.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job. 19 dicitur: «scio quod Re« demptor meus vivit, et in novissimo die « de terra surrecturus sum, et rursum « circumdabor pelle mea,» etc. Ergo Resurrectio corporum erit.

2. Donum Christi est maius, quam peccatum Adæ: ut patet Rom. 4. Sed mors per peccatum introducta est. Ergo homo per donum Christi á morte ad vitam reparabitur.

2. Caput nóstrum, qui est Christus, vivit et in æternum vivet cum corpore et anima: quia «Christus resurgens, ex « mortuis, jam non moritur,» ut patet Rom. 6. Ergo homines, qui sunt ejus membra, vivent in corpore et anima.

Conseq. prob., quia membra debent esse capiti conformia.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Secundum diversitatem opinionum de ultimo fine diversificatæ sunt sententiæ ponentium, vel negantium resurrectionem corporum. Ultimus enim finis hominis, quem naturaliter omnes homines desiderant, est beatitudo.

Quidam igitur posuerunt hominem posse in hac vita ad beatitudinem pervenire. Et isti non cogebantur ponere aliam vitam post istam, in qua homo suam ultimam perfectionem consequeretur, et sic negabant resurrectionem.

Reprobatio.

Sed hanc opinionem satis probabiliter excludit varietas fortunæ, et infirmitas

humani corporis, scientiæ et virtutis imperfectio et instabilitas, quibus omnibus beatitudinis perfectio impeditur; ut Aug. proseq. in fine de Civit. Dei lib. 22. cap. ult. et lib. 19 cap. 3.

Aliorum positio.

Et ideo alii posuerunt post præsentem, esse aliam vitam, in qua homo tantum secundum animam vivebat post mortem. Et hanc vitam dicebant sufficere ad naturale desiderium implendum, de beatitudine consequenda. Unde, ut Aug. in lib. 22. de Civit. Dei, c. 26. refert. Porphirius dicebat: «ut beata sit «anima, corpus omne esse fugiendum.» Unde tales non ponebant resurrectionem.

Hujus autem positionis diversa apud diversos extiterunt fundamenta. Quidam enim hæretici posuerunt omnia corporalia esse á malo principio, spiritualia vero á bono. Et secundum hæc oportebat quod anima summe perfecta non esset, nisi separata á corpore, per quod á suo principio, cujus participatione beata efficitur, distrahitur. Et ideo omnes sectæ hæreticorum, qui ponunt corporalia á diabolo esse creata vel formata, negant corporum resurrectionem. Sed quod creatura corporalis sit á Deo, ostensum est 1. part. quæst. 65.

Quidam vero posuerunt totam hominis naturam in anima consistere, ita ut corpus sit simplex animæ instrumentum, et eo uteretur anima ut instrumento, velut nauta navi. Unde secundum hanc positionem sequitur quod sola anima beatificata, homo naturali desiderio beatitudinis non frustraretur; et sic secundum eos non oportet ponere resurrectionem.

Sed hoc etiam fundamentum, scilicet quod anima sit totus homo, sufficienter destruit, Phil. 2. de Anima. in initio ostendens animam uniri corpori, sicut forma materiæ.

Vera sententia.

Conclusio. Necesse est ponere resurrectionem humanorum corporum.

Hæc conclusio remanet probata ex reprobationibus dictarum positionum: et magis ex tribus argumentis inductis pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod cœlum numquam atteretur quantum ad substantiam, sed atteretur, quantum ad effectum virtutis, per quam movet ad generationem et corruptionem inferiorum, ratione cujus dicit Apost. 1. Cor. 7. *Præterit figura hujus mundi.*

Ad 2. Dicitur quod Christus subtilissime et efficaciter ex illa auctoritate Exod. 3. probat mortuorum resurrectionem. Anima enim Abrahæ, non est ipse Abraham, proprie loquendo, sed est ejus pars. Unde vita animæ Abrahæ non sufficeret ad hoc, quod Abraham sit vivens, vel quod Deus Abraham, sit Deus viventis; sed exigitur vita totius conjuncti, scilicet animæ et corporis, quæ quidem vita quamvis non esset actu, quando verba illa Domini proponebantur; erat tamen in ordine utriusque partis ad resurrectionem: quia igitur Deus Abraham non est Deus mortuorum, sed viventium; sequitur evidentissime quod sint aliquando mortui resurrecturi.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod anima non comparatur ad corpus solum, ut operans ad instrumentum, quo operatur; sed etiam ut forma ad materiam, unde operatio non est tantum animæ, sed conjuncti, ut patet 1. de An. sex 64. et 66. Et quia operanti debetur operis merces, oportet quod ipse homo compositus ex anima et corpore operis sui mercedem accipiat. Ad confirmationem dicitur, quod venialia sicut dicuntur peccata, non quod simpliciter habeant rationem peccati, sed quasi dispositiones quædam ad peccandum; ita pœna quæ eis redditur in purgatorio, non est simpliciter retributio, sed magis purgatio quædam, quæ seorsum fit in corpore, per mortem et incinerationem, et in anima per purgatorii pœnam.

Ad 4. Neg. minor. Nam (cæteris paribus) perfectior est status animæ in corpore, quam extra corpus, quia est pars totius compositi. Ad prob. dicitur, quod in statu separationis est Deo conformior secundum quid, non simpliciter. Tunc enim (simpliciter loquendo) est aliquid Deo conforme, quando habet quicquid naturæ suæ conditio requirit: quia tunc perfectionem divinam maxime imitatur. Et quia conditio animæ est ut corpori sit unita, ideo in corpore existens est Deo conformior.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod mors corporalis introducta est per peccatum Adæ, quod morte Christi deletum est. Unde pœna illa non manet in æternum, sed peccatum mortale, quod mortem æternam per impœnitentiam inducit, ultra non expiabitur; et ideo mors spiritualis est æterna, non autem corporalis.

ARTICULUS II.

Utrum resurrectio erit omnium generaliter.

Pro negativa. — Videtur quod resurrectio non erit omnium generaliter.

1. In universali judicio non omnes resurgent. Sed resurrectio non erit, nisi in universali judicio. Ergo resurrectio non erit omnium generaliter.

Maior prob., quia in Psal. 1. dicitur: « Non resurgent impii in judicio. »

2. Dan. 12. dicitur. « Multi de iis qui « dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt. » Ergo non omnes, sed tantum multi ex omnibus resurgent.

3. Soli boni possunt Christo resurgenti conformari. Ergo soli boni resurgent in judicio.

Conseq. prob., quia per resurrectionem conformantur homines Christo resurgenti. Unde 1. Cor. 14. concludit Apostolus, quod si *Christus resurrexit, et nos resurgemus.*

3. Pœna non dimittitur, nisi ablata culpa. Sed mors corporalis est pœna peccati originalis quod non est omnibus dimissum. Ergo non omnes resurgent.

5. Illi, qui in maternis uteris moriuntur, numquam poterunt renasci. Ergo nec poterunt resurgere.

Conseq. prob., quia sicut per gratiam Christi renascimur; ita per ejus gratiam resurgemus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Jo. 5. dicitur: « omnes, qui in mo« numentis sunt, audient vocem filii Dei, « et qui audierint, vivent. » Ergo omnes mortui resurgent.

2. 1. Cor. 15. dicitur. *Omnes quidem resurgemus.*

3. Omnibus debetur pœna vel præmium pro merito proprio, sicut adultis; vel alieno, sicut parvulis. Ergo omnes resurgent.

Conseq. prob., quia resurrectio ad hoc necessaria est ut resurgentes recipiant pro meritis pœnam, vel præmium.

Determinatio.

Conclusio. Resurrectio corporum erit omnium hominum generaliter.

Prob. Ea, quorum ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inveniri in omnibus quæ sunt ejusdem speciei. Sed ratio resurrectionis desumitur ex natura humanæ speciei. Ergo necesse est, sicut unum, ita omnes resurgere.

Minor ostenditur, quia ratio resurrectionis est quod anima non potest esse in perfectione humanæ speciei á corpore separata. Unde nulla anima humana remanebit in perpetuum á corpore separata, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod Psalmus loquitur de spirituali resurrectione, in qua impii non resurgent in judicio discutionis conscientiæ, ut Glos. ordin. exponit. Vel loquitur de impiis, qui sunt infideles; hi enim non resurgent, ut judicentur, quia qui non credit, jam judicatus est.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod

Aug. exponit *multi*, *idest omnes*, et hic modus loquendi invenitur in sacra Scriptura.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod omnes, tam boni, quam mali viventes in hac vita conformantur Christo, in his quæ ad naturam speciei pertinent, non autem in his quæ pertinent ad gratiam: et ideo omnes ei conformabuntur in reparatione vitæ naturalis: sed soli boni, in similitudine gloriæ.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod mortem, quæ est pœna originalis peccati, illi qui in originali decesserunt, exolverunt moriendo. Unde non obstante originali culpa, possunt á morte resurgere. Pœna enim originalis peccati magis est mori, quam morte detineri.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod renascimur per gratiam Christi nobis datam, sed resurgimus per gratiam Christi, qua factum est ut naturam nostram susciperet, quia ex hoc ei in naturalibus conformamur. Unde illi, qui in maternis uteris decedunt, quamvis renati non fuerint per receptionem gratiæ, tamen resurgent propter conformitatem naturæ ad Christum, quam consecuti sunt, ad perfectionem humanæ naturæ pertingentes.

ARTICULUS III.

Utrum resurrectio sit naturalis.

Pro affirmativa. = Videtur quod resurrectio sit naturalis.

1. Illud, quod in omnibus conspicitur, est naturale, ut Dam. dicit in 3. lib. c. 14. Sed resurrectio communiter in omnibus hominibus invenitur. Ergo est naturalis.

2. Illud, quod ex naturalibus operibus á ratione cognoscitur, est naturale. Sed futura resurrectio ex operibus naturæ á ratione cognoscitur. Ergo futura resurrectio est naturalis.

Maior prob., quia nihil potest ex naturalibus operibus ratione cognosci, nisi sit naturale.

Minor prob., quia Greg. lib. 14. moral. c. 30. dicit. « Qui resurrectionis « fidem ex obedientia non tenent, certe « hanc ex ratione tenere debuerant. « Quid enim quotidie, nisi resurrectio- « nem nostram, in elementis suis mun- « dum imitatur. » Et ponit exemplum de luce, « quæ quasi moriendo oculis sub- « trahitur, et rursus quasi resurgendo, « revocatur. Et de arbustis, quæ « viri- « ditatem amittunt, et rursus, quasi re- « surgentia, reparantur. » Et de seminibus, quæ « putrescentia moriuntur, et « rursus germinando, quodammodo re- « surgunt: » quod exemplum etiam Apostolus ponit 1. Cor. 15. Et sic ex operibus naturæ, ratio resurrectionem cognoscit.

3. Illa, quæ sunt præter naturam, non multo tempore manere possunt. Sed per resurrectionem reparabitur vita in æternum mansura. Ergo resurrectio erit naturalis.

Maior prob., quia quæ sunt præter naturam, sunt quasi violenta.

4. Illud, ad quod tota naturæ propagatio intendit, maxime videtur esse naturale. Sed ad resurrectionem et sanctorum glorificationem, tota naturæ propagatio maxime intendit. Ergo resurrectio est naturalis.

5. Motus, qui terminatur ad quietem naturalem, est naturalis, ut dicitur 5. Phys. tex, 59. Sed resurrectio est motus quidam ad quietem naturalem. Ergo resurrectio est naturalis.

Minor prob., quia resurrectio est motus ad perpetuam conjunctionem animæ et corporis, quæ erit naturalis: quia cum anima sit proprius motor corporis, habet corpus sibi proportionatum, et ita in perpetuum est naturaliter vivificabile ab ipsa, sicut ipsa in perpetuum vivit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. A privatione ad habitum non fit regressus, secundum naturam. Sed mors est privatio vitæ. Ergo resurrectio, per

quam est reditus de morte ad vitam, non est naturalis.

2. Ea, quæ sunt unius speciei, habent unum determinatum modum originis. Sed naturalis modus, quo homo oritur, est generatio ejus ex simili in specie, quod non est in resurrectione. Ergo resurrectio non est naturalis.

Determinatio.

Conclusio. Resurrectio, simpliciter loquendo, est miraculosa, et non naturalis, nisi secundum quid.

Prob. Motus, cujus terminus est natura, et principium supra naturam, est miraculosus, et non naturalis, nisi secundum quid. Sed resurrectio est motus, cujus terminus est quidem natura, principium autem supra naturam. Ergo resurrectio non est naturalis, nisi secundum quid, sed miraculosa.

Maior manifestatur, præmittendo quod motus, sive actio aliqua, se habet ad naturam tripliciter. Est enim aliquis motus, sive actio, cujus nec principium, nec terminus est natura: et talis motus quandoque est á principio supra naturam, ut patet in glorificatione corporis: quandoque autem á principio alio quocumque, sicut patet de motu lapidis sursum, qui terminantur ad quietem violentam. Est etiam aliquis alius motus, cujus principium et terminus est natura: ut patet de motu lapidis deorsum. Est tandem alius motus, cujus terminus est natura, sed non principium: sed principium quandoque est supra naturam, sicut patet in illuminationes cæci. Visus enim naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam. Et quandoque aliquid aliud, ut patet in acceleratione florum, vel fructuum per artificium facta. Quartum autem operationis sive motus genus, scilicet cujus principium sit natura, sed non terminus esse non potest; quia principia naturalia sunt ad determinatos effectus definita, ultra quos se extendere non possunt. Operatio ergo, vel motus primo modo se habens ad naturam, nullo modo potest dici naturalis, sed vel est miraculosa, si sit á principio supra naturam: vel violenta, si sit ab alio quocumque principio. Operatio autem, vel motus secundo modo se habens ad naturam, est simpliciter naturalis. Sed operatio, quæ tertio modo se habet ad naturam, potest dici naturalis, quia terminus est naturalis: non tamen simpliciter naturalis, quia principium non est natura, sed est naturalis secundum quid. Dicetur autem simpliciter, miraculosa, vel violenta, vel artificialis. Quia igitur naturale proprie dicitur quod secundum naturam est: secundum naturam autem esse dicitur, habens naturam; ideo simpliciter loquendo, motus non potest dici naturalis, nisi ejus principium sit natura. Et sic patet maior.

Minor manifestatur, quia resurrectionis principium esse non potest natura, quamvis ad vitam naturæ resurrectio terminetur. Natura enim est principium motus in eo in quo est, activum vel passivum. Activum, ut patet in motu gravium et levium, et in alterationibus naturalibus animalium. Passivum, ut patet in generatione simplicium corporum. Passivum autem principium naturalis generationis est potentia passiva naturalis, quæ semper habet aliquam potentiam activam sibi respondentem in natura: ut dicitur 9. Met. c. 10. Nec differt in proposito, an principio passivo respondeat principium activum in natura respectu ultimæ perfectionis, scilicet formæ, sicut communiter est in generatione naturali omnium generabilium, excepto homine: sive respectu dispositionis, quæ est necessitas ad formam ultimam, sicut est in generatione hominis, secundum positionem fidei, in qua principium activum naturale non se extendit ad animam rationalem, sed solum ad dispositiones ad quarum positionem, forma ultima introducitur. In natura nullum est activum principium ad

resurrectionem, neque respectu conjunctionis animæ ad corpus, neque respectu dispositionis, quæ sit necessitas ad talem conjunctionem; quia talis dispositio non potest á natura induci, nisi per viam generationis ex termino. Unde, etsi ponatur esse etiam aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quæcumque ad animæ conjunctionem, non est talis quod sufficiat ad rationem motus naturalis. Patet igitur quod in natura non est aliquod principium activum, potens denuo conjungere animam corpori: cum natura, solum per generationem, hanc conjunctionem facere possit. Et sic remanet probata minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod Dam. loquitur de his quæ inveniuntur in omnibus individuis ex principiis naturæ causatis. Non enim si divina operatione omnes homines dealbarentur, vel in uno loco congregarentur, albedo esset proprietas naturalis hominis, vel esse in tali loco.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera de his quæ cognoscuntur ex naturalibus operibus, ratione demonstrante, non autem de his quæ cognoscuntur ex operibus naturæ, solum ratione persuadente. Tunc ad minorem dicitur, quod resurrectio non potest cognosci ex operibus naturæ, ratione demonstrante, sed persuadente tantum. Eorum enim, quæ supra naturam sunt, ea quæ sunt in natura, aliquam similitudinem repræsentant: sicut unio animæ et corporis repræsentat unionem animæ ad Deum, per gloriam fruitionis. Et sic ea, quæ Apostolus, et Greg. inducunt, fidei resurrectionis persuasive adminiculantur.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de his quæ sunt præter naturam á principio contrario tali naturæ, non autem de his quæ sunt á supernaturali principio, á quo est resurrectio.

Ad 4. Neg. maior. Sicut enim omnes actus inferioris artis ordinantur ad finem artis superioris, ad quem tamen non pervenitur nisi per actus superioris artis; ita omnis propagatio naturæ ordinatur ad ultimam hominis perfectionem, ad quam tamen non pervenitur nisi per divinam operationem, cui natura se habet ut ars inferior ad superiorem.

Ad 5. Dicitur ad maiorem, quod motus aliquis potest terminari ad quietem naturalem, qui tamen non sit naturalis, scilicet motus ille, qui est naturalis solum ex termino.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 164.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Sadducæorum et Albanensium* dicentium, quod resurrectio carnis non est futura, vel resurrectionem corporum, sive mortuorum non esse: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnari á Job. 119. « In novissimo die de terra resurrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. » Item á Matth. 22. contra Sadducæos; « Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob, Deus non es Deus mortuum, sed viventium. » Per quam rationem ita confundit Sadducæos, quod de hoc protinus subinfertur, *Pharisæi audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis.* Item Marc. 12. de hoc eodem facto dicitur: « Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos coinquirentes, et videns, quoniam bene illis responderit. » Ecce, quod illa ratio Christi de Abraham, etc. est efficacissima ad probandum resurrectionem contra negantes eam, etiam secundum testimonium adversariorum ejus, scilicet Pharisæorum, et Scribatum, item á Symbolo fidei Apostolorum ubi dicitur circa finem, Carnis resurrectionem.

Item á Symbolo Patrum Concilii Constantinopolitani I. ubi dicitur: *Expecto resurrectionem mortuorum.* Item ab omnibus aliis Conciliis de hac re tractantibus: quoniam in his, quæ sunt fidei, nullum Concilium legitimum discrepat. Item á 1. Corinth. 15. « Si Christus resurrexit: quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. » Subsume tu illud Rom. 6. quod *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur,* et videbis justissimam esse querelam Apostoli de hac insania quorumdam negantium, quod resurrectio mortuorum non est. Item Rom. 5. *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim, etc.* Ubi ostendit Apostolus, per donum Christi esse futuram resurrectionem carnis. Si enim delictum Adæ mortem carnis in omni sua posteritate causabit, ut vere causavit, juxta Concilium Trid. sess. 5. decret. de peccat. origin. multo magis donum Christi resurrectionem carnis causabit. Alioquin delictum maius esset in destruendo, quam donum in construendo; quod est contra intentionem Apostoli. Ut ergo donum sit æquale delicto oportet, quod resurgant homines: ut autem sit maius, oportet, quod resurgant in melius commutati. Et hoc verum est de omnibus, quantum est ex parte sufficientiæ doni Christi, licet nonnisi de aliquibus, idest de bonis, quantum est ex parte doni, et recipientium donum, á fortiori igitur conclusit Apostolus, resurrectionem mortuorum esse futuram per donum Christi, quando dixit, quod donum illud erat maius, quam debitum. Sufficiebat enim pro resurrectione tantum præcise concludendo dicere, quod donum non erat minus, quam delictum, sed ipsi æquale. *Tertio* habes: quomodo, per rationem prædicta Scripturarum, et patrum, pro quanto resurrectionem carnis futuram dicunt, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Alexandri Ærarii* dicentis: resurrectionem carnis jam factam esse, nec aliam corporum expectandam. Unde patet, quod secundum istud resurrectio non erit omnium universaliter. Cum enim jam facta esset; clarum est, quod Alexander ipse loquens non includebatur in illa: alioquin vel dixisset, se fuisse resuscitatum, vel in humanis conversationibus secundum statum præsentem non interfuisset: quoniam in resurrectione corporum non est locus comestioni, aut bibitioni, neque nubunt, neque nubuntur, et corruptibile resurgit incorruptibile. Cum ergo talis non esset Alexander (comedebat enim, et bibebat ex indigentia) patet, quod non resurrexerat resurrectione, de qua loquimur, et consequenter, quod per illam suam positionem negabat, resurrectionem fieri omnium universaliter. Pro quanto igitur hoc ultimum negabat; articulus præsens militat contra illum. Ceterum, pro quanto resurrectionem factam, et non fiendam dicit articulus primus hujus quæstionis eumdem expugnavit. *Secundo* habes: quomodo per rationem, pro quanto resurrectionem generaliter fiendam, statuit, ostendas, merito ipsum damnari ab Apostolo 2. Tim. 2. «ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui á veritate exciderunt, dicentes; resurrectionem jam factam et subverterunt quorumdam fidem. » Item ibid. 4. « Alexander Ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi dominus secundum opera ejus, quem et tu devita. Valde enim restitit verbis nostris. » Item 1. Tit. 1. « Bonam conscientiam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. Ex quibus est Hymenæus, et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. » Hos ergo ratio articuli, ut dictum est, subvertit radicitus per hoc, quod ostendit, resurrectionem debere esse generalem. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum á Jo. 5. quod resurrectio erit generalis. « Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et qui audierint, vivent. » Ubi per ly in monumentis sunt, intelligit mortuos: etiamsi numquam fuissent sepulti. Accipit enim ly in monumentis sunt, tamquam á notioribus nobis loquens, illos, qui ex hac vita migraverunt. Et revera in monumentis sunt; ex quo extra conversationem vivorum in terra ista positi sunt. Loquitur ergo universaliter de mortuis, quod patet ex hoc maxime, quia ibi concludere vult, quod filius Dei faciet judicium universale de omnibus. Quod quidem non concluderet, nisi omnes

mortuos resurrecturos esse in supradictis suis verbis intelligeret. Item á 1 Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus.* Et, licet secundum Hieronymum in Epistola ad Minervium, et Alexandrum monachos, in Græcis libris hoc non habeatur expresse, sed tantum ly omnes quidem dormiemus: tamen redit in idem. Mors enim dicitur somnus, seu dormitio propter spem resurrectionis, secundum omnes catholicos, et morem scripturarum, unde qui dicit, omnes dormiemus, dicit etiam illative necessario ly omnes resurgemus, quamvis explicite, tamquam breviloquio utens, hoc non dicat. Et nota, quod, licet in Græcis libris non inferretur sic, quod tamen falsum est, tamen id nihil officeret veritati fidelium. Determinabit enim Ecclesia in Concil. Trid. quod, secundum translationem veterem latinam vulgatam, hæc habet ly omnes resurgemus, debent regulari fideles: et sic sess. 4. decret. de usu sacr. li. « Eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis posse accedere Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit, et declarat, ut hæc ipsa vetus, et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. » Et supra ibid. decr. de canon. scrip. « Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens, et prudens contempserit: Anathema sit. » *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum pro quanto resurrectionem generalem fore insinuant, et intelligas, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem excludas errorem *Seleucianorum* dicentium: resurrectionem esse tantum naturalem. Ponebant enim resurrectionem in procreatione filiorum esse, quæ quotidie fit in humano genere, non illam immortalitatis futuram, atque gloriosam. Licet autem talis resurrectio in procreatione filiorum consistens sit naturalis: tamen pro errore adducta est illorum positio, pro quanto scilicet nomine resurrectionis, utebatur in hujusmodi, quasi quod resurrectionis nomen á catholicis usitatum subiret prædicationem rei naturalis, idest naturaliter factæ. Contra hunc igitur tamquam æquivoce nomen resurrectionis usurpans, et aliquo modo prædicatum naturalitatis resurrectioni tamquam proprie dictæ attribuens: militat præsens articulus, si bene applicetur. Item errorem Aristotelis (Director. Inquisitor. 2. par. quæst 4.) dicentis, quod resurrectio mortuorum est impossibilis, quia mortuum non potest redire vivum. Per hoc enim, quod virtute divina fiendam hanc notat articulus: sive, quod in idem redit, per hoc, quod hanc dicit esse non naturalem: patet, quod Aristotelis illam positionem expugnat. Quod si dicas, Aristotelem loqui naturaliter, non renuo, sed pro cautela quacumque, ne hinc juniores scandalum patiantur, ex industria adductus est in præsenti loco, ut videant universi, dictum illud Philosophi, aut non contravenire catholicæ fidei, utpote naturaliter solummodo intellectum, aut, si contraveniat, secundum aliquorum opinionem de supernaturalibus Philosophum fuisse locutum forsan contendentium, esse falsissimum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos errores merito damnari á scripturis Ezechielis trigesimo septimo. « Ecce ego aperio tumulos vestros, et educam vos ex ipsis, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis, et cognoscetis, quoniam ego ominus locutus sum, et faciam. » Ubi hanc resurrectionem quibusdam Judæis non credentibus, ex eo, quod aruerant ossa suorum mortuorum, respondit dominus supradicta. Item ab Isa. vigesimo sexto. « Resurgent mortui, et excitabuntur qui sunt in sepulchris, et *lætabuntur* quiescentes in terra; quoniam ros tuus medicina ipsius est. » Ecce, quod utrobique á superiori virtute divina fiendam resurrectionem monstratur; et per consequens nec esse impossibilem, nec naturalem, nec modo Seleucianorum acceptam. Item á constitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 8., authore Clement. Pap. et mart. « ille, qui prima corpora de nihilo effecit, ex iisque varias naturas composuit; item

mortuos vita reddita excitabit. Qui in utero hominem de pusillo semine fingit, animamque illi nondum existentem creat; item ipse omnes excitabit. » Quasi quod á fortiori argumententur apostoli dicentes: minus est facere aliquid de aliquo, quam facere aliquid de nihilo: at Deus fecit corpora nostra de nihilo. Ergo multo magis ea ex aliquo, puta vilissimo pulvere, resuscitare poterit. Et revera fortissimum argumentum hoc est pro veritate stans. Item ab iisdem ibid. « Quod si Græci derident nos, non credentes nostris scripturis: saltem fidem habeant vati suæ Sibyllæ quæ ad verbum ita inquit;

Atque, ubi cuncta cinis fuerint, tenuisque favilla,
Atque idem Deus extingüet, quem incenderat ignem,
Ossaque restituet rursum, cineresque sepultos,
Et genus omne hominum (ut fuerant) Deus ipse reponet;
Tunc grave judicium veniet, quo judicet orbem;
Ipse iterum Deus, hosque iterum jam terra recondet,
Qui male viventes fuerint ubicumque reperti;
Sed quoscumque pios vivos susceperit orbis,
Inspirante Deo statum, gratumque favorem
Mittente inter eos, traducent suaviter ævum.
Mutuaque inter se cumulabunt gaudia læti.

Non tamen ideo credendum est, resurrectionem taliter fiendam, quia Sybilla dixit, sed quia fides catholica docuit: neque ad hoc principaliter adstruendam adduxerunt Sibyllam Apostoli, sed ad convincendum infideles. Ad quod significandum, cœteraque similia; aperte dicitur dist. 37. Si quid veri de Deo Sybilla, vel Orpheus, aliive Gentilium vates, aut Philosophi prædixisse perhibentur, valet quidem ad revincendam paganorum vanitatem: non tamen ad istorum authoritatem complectendam. Quantum enim distat de Christi adventu inter prædicationem Angelorum, et confessionem dœmonum; tantum inter authoritatem prophetarum, et curiositatem sacrilegorum. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum pro quanto resurrectionem non virtute naturali, sed divina fiendam insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides; quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA QUINTA.

DE CAUSA RESURRECTIONIS IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa nostræ resurrectionis.

Circa quod tria quæruntur.

Primo, utrum resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis.

Secundo, utrum vox tubæ.

Tertio, utrum angeli.

ARTICULUS I.

Utrum Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis: ut jam supra agitatus hic dimittitur quærendus supra quæst. 56. art. 1. *per totum.*

ARTICULUS II.

Utrum vox tubæ sit causa nostræ resurrectionis.

Pro negativa. = Videtur quod vox tubæ non sit causa nostræ resurrectionis

1. Damasc. dicit lib. 4. Orthod. fid. cap. ult. *Crede resurrectionem futuram divina voluntate, virtute, et nutu.* Ergo non oportet ponere causam ejus, vocem tubæ.

Conseq. prob., quia divina voluntas, virtus et nutus sunt sufficiens causa nostræ resurrectionis.

2. Ad eum qui non potest audire, frustra vox emittitur. Sed mortui non habebunt auditum. Ergo non est con-

veniens quod vox aliqua formetur, ad eos resuscitandum.

3. Si vox aliqua esset causa resurrectionis, sequeretur quod resurrectio esset naturalis: quod est falsum, ut dictum est art. ult. præced. quæst.

Conseq. prob., quia si vox aliqua sit causa resurrectionis, hoc non erit nisi per virtutem voci divinitus datam. Sed ex virtute alicui, etiam miraculose data, actus qui sequitur est naturalis: ut patet de cæco nato, miraculose illuminato, qui postea naturaliter videt. Ergo si tubæ vox recipit virtutem resuscitandi mortuos, resurrectio ab ea causata erit naturalis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur 1. Thes. 4. « Ipse Dominus in « tuba Dei descendet de cœlo, et mor- « tui qui in Christo sunt, resurgent. etc. »

Determinatio.

Conclusio. Ad resurrectionem nostram causandam concurret aliquod corporale signum á Christo veniente ad judicium, datum quod convenienter vox tubæ dicitur.

Prob. Causam univocam et effectum oportet esse simul. Sed Christus resurgens est causa univoca nostræ resurrectionis, ut quæst. 56. dictum est. Ergo oportet quod in resurrectione communi corporum, Christus resurrectionem operetur, aliquo signo dato.

Posterior pars conclusionis, scilicet quod hoc signum convenienter vox tubæ dicatur, ostenditur. Quidam enim dicunt quod signum illud, ad litteram erit vox Christi resurrectionem imperantis, sicut imperavit mari et cessavit tempestas, Matt. 8. Quidam vero dicunt quod hoc signum nihil aliud erit, quam ipsa repræsentatio evidens filii Dei in mundo, de qua dicitur, Mart. 24. «Sicut fulgur « exit ab oriente et paret usque ad oc- « cidentem, ita erit adventus filii homi- « nis » Et innituntur auctoritati Gregorii dicentis quod « tubam sonare, nihil « aliud est, quam huic mundo ut judi- « cem filium demonstrare.» Et secundum hoc ipsa apparitio filii Dei vox ejus dicitur. Quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem, sicut imperanti: unde in jussu venire dicitur. 1. Thess. 4. Et sic ejus apparitio, in quantum habet vim cujusdam imperii, vox ejus dicitur. Et hæc vox, quæcunque sit, quandoque dicitur clamor, quasi præconis ad judicium citantis: quandoque vero dicitur sonus tubæ. Vel propter evidentiam, ut dicit Mag. in 4. Sent. dist. 43. Vel propter convenientiam ad usum tubæ, qui erat in veteri testamento. Tuba enim, et congregabantur ad consilium et commovebantur ad prælium et vocabantur ad diem festum. Resurgentes autem congregabuntur ad consilium judicii, et ad prælium, quo « orbis terrarum pugnabit « contra insensatos, » et ad festum æternæ solemnitatis. Convenienter igitur signum quod Christus daturus est ad resurrectionem corporum humanorum, vox tubæ appellatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Dam. in verbis illis circa causam ressurrectionis tria tangit, scilicet *voluntatem* divinam, quæ imperat; *virtutem* quæ exequitur et facilitatem exequendi in hoc quod *nutum* adjunxit, ad similitudinem eorum quæ in nobis fiunt. Illud enim valde facile est nobis facere, quod statim ad dictum nostrum fit: sed multo maior apparet facilitas, si ante verbum prolatum, ad primum signum voluntatis (quod *notus* dicitur) statim executio nostræ voluntatis per ministros fiat. Et talis nutus est quædam causa prædictæ executionis, in quantum per ipsum inducuntur alii ad nostram voluntatem implendam. Nutus autem divinus, quo fiet resurrectio, nihil aliud est, quam signum ab ipso datum, cui natura tota obediet ad resurrectionem mortuorum. Quod signum est vox tubæ, ut dictum est. Unde per hoc

quod resurrectio erit ex divina voluntate, non excluditur *vox tubæ*, quæ est ipsius voluntatis signum.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera, quando vox habet virtutem ex hoc quod auditur; non autem quando vox habet virtutem ex hoc quod profertur. Tunc ad minorem dicitur quod sicut formæ sacramentorum habent virtutem sanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, sed ex hoc quod proferuntur; ita illa vox, quicquid sit habebit efficaciam instrumentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur. Sicut etiam vox ex ipsa impulsione aeris excitat dormientem, solvendo organum sentiendi, non ex hoc quod cognoscitur, quia judicium de voce veniente ad aures sequitur excitationem, et non est causa ejus.

Ad 3. Negatur conseq. Ad minorem probationis dicitur, quod est vera, quando virtus miraculose data est ens perfectum in natura, ut de visione dictum est: virtus autem, quæ dabitur voci tubæ, non erit talis, sed qualis datur formis sacramentorum, quarum effectus non est naturalis, sed supra naturam.

ARTICULUS III.

Utrum ad resurrectionem angeli operabuntur.

Pro negativa. — Videtur quod ad resurrectionem nullo modo angeli cooperabuntur.

1. Quando homines generantur, anima non infunditur corpori mediantibus angelis, sed á solo Deo. Ergo nec resurrectio, quæ est iterata conjunctio animæ et corporis, fiet ministerio angelorum.

Conseq. prob., quia maioris virtutis est ostensiva resurrectio mortuorum, quam hominum generatio.

2. Si ad aliquos angelos hoc ministerium pertineat, maxime videtur pertinere ad virtutes, quarum est miracula facere. Sed non ascribitur eis, sed Archangelis, ut dicit Magister in 43. dist.

4. Sent. Ergo resurrectio non fiet ministerio angelorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur 1. Thess. 4. quod *Dominus in voce Archangeli descendet de cœlo, et mortui resurgent.*

Determinatio.

Conclusio. Resurrectio mortuorum fiet ministerio angelorum quantum ad aliquid.

Prob. Transmutatio corporalis fit á Deo, mediantibus angelis. Sed in resurrectione erit aliquid pertinens ad transmutationem corporalem. Ergo resurrectio, quantum ad aliquid, fiet ministerio angelorum.

Maior prob., quia « sicut corpora « crassiora et inferiora, per subtiliora et « potentiora, quodam ordine reguntur; « ita omnia corpora reguntur á Deo, per « spiritum vitæ rationalem, » ut Aug. dicit 3. de Trin. cap. 4. Quod etiam Greg. 4. Dial. cap. 5. tangit: in omnibus igitur quæ corporaliter á Deo fiunt, utitur Deus ministerio angelorum.

Minor manifestatur simul cum ultima parte conclusionis. Sciendum igitur quod in resurrectione duo generaliter fient. Primum erit collectio cinerum, et eorum præparatio ad reparationem humani corporis pertinens: secundum erit unitio animæ cum corpore: tertium erit respectu beatorum, scilicet glorificatio corporis. Quantum igitur ad primum, fiet resurrectio corporum ministerio angelorum; quia collectio cinerum et eorum præparatio ad transmutationem corporalem pertinent: unitio autem animæ fiet immediate á Deo: sicut enim ab ipso immediate est creata, ita immediate á Deo corpori iterato conjungetur, absque aliqua angelorum operatione. Gloriam etiam corporum beatorum solus Deus faciet, sicut animam immediate absque ministerio angelorum glorificat. Et sic patet minor, et ultima conclusionis particula.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod sicut in generatione hominis anima rationalis á solo Deo infunditur; ita in resurrectione á solo Deo iterato corpori unietur: cum quo tamen stat quod cineres ministerio angelorum sint colligendi et præparandi, sicut in generatione corpus per hominem præparatur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ministerium istud erit principaliter unius Archangeli, scilicet Michaelis, qui est princeps Ecclesiæ, sicut fuit Synagogæ, qui tamen agent ex influentia virtutum et aliorum superiorum ordinum: unde, quod ipse faciet, superiores etiam ordines quodammodo facient. Similiter inferiores angeli cooperabuntur et circa resurrectionem singulorum quorum custodiæ deputati fuerunt: et sic vox illa et ministerium poterit dici unius et plurium Angelorum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 165.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam in vere præsupposito interimas hæresim Theodori Byzantini (Prat. Bassus) dicentis: Christum non esse Salvatorem. Cui Theodoro et Bassus subscripsit, dicens: « in Christi majestate, vel ejus corporali præsentia non separandam esse salutem. » Quibus Petrus Abaylardus consentit in hæc verba: « Christum Dei filium, non ut hominem liberaret, fuisse incarnatum. Per hoc enim quod ostenditur hic, resurrectionem Christi esse causam nostræ: patet simul præsuppositive ostendi: quod Christus per incarnationem suam est Salvator noster, et ratione suæ divinæ majestatis principaliter, et ratione corporalis suæ præsentiæ instrumentaliter. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tamquam in veraciter præsupposito ostendas, prædictas hæreses merito damnari a. 1. Ti. 4. " Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum. » Item ab act. 4. " Non est aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen Christi. » Item á Rom. 3. " Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipsius.» Item á, etc. ut 3. p. q. 1. a. 2. á Symbolo fidei patrum. " Qui propter nos homines, et propter nostram salutem incarnatus est, passus, et resurrexit. *Tertio* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab eodem symbolo, quod resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis. Per hoc enim, quod dixit, quod Christus resurrexit propter salutem nostram, innuit, quod á resurrectione Christi dependet salus nostra, etiam quoad resurrectionem, idest dependet resurrectio nostra. Item 1. Cor. 15. Item Apoc. 1. " Si Christus resurrexit primitiæ dormientium. » Patet autem 2. Metaph. quod " primum in quolibet genere est causa eorum, quæ sunt post.» Vocando igitur dictum hoc Philosophicum ad arcem, idest ad Theologiam, dicendum est, quod Apostolus uterque per verba nunc dicta significare voluit, quod resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis. Item á constitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 8. authore Clemente Papa, et martyre. " Credimus: resurrectionem futuram ex Domini resurrectione. Ipse enim, qui seipsum tertia die excitavit, quod est pignus, et arrha resurrectionis nostræ, is quoque nos poterit á morte excitare. » Unde patet, quod factum hoc, idest, quod seipsum excitavit, ideo dicitur pignus, et arrha resurrectionis nostræ, quia resurrectio ejus causat nostram. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, quod vox tubæ erit causa nostræ resurrectionis, 1. Thess. 4. « Ipse Dominus in tuba Dei

descendet de cœlo, et mortui resurgent.» Item Matth. 25 «Clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.» Ubi patet, quid dicet ille clamor. Convocabit enim ad exeundum obviam Christo. Nec obstat, quod judex ille ob justitiam terribilis vocetur nomine suavi, idest sponsus: quoniam á principaliori intento denominato ibi fit. Veniet quidem ad judicandum, sed finis principaliter intentus per judicium non erit terrere malos, et condemnare: sed sibi associare bonos, et ad convivium cœleste, tamquam ad nuptias sponsi æternas, introducere. Unde et dicitur in textu, tamquam finis principalis utendi tuba, quod per eam vocabuntur ad festum, quod quidem ibi exponitur, festum æternæ solemnitatis. Item Joan. 5. omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et, qui audierint, vivent. Vox ergo illa recte vocari potest tuba; quoniam per totum universum, etiam infra terram, audietur, idest sortietur effectum suum. *Secundo* habes: qnomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, meritò insinuatum esse á Matth. 27. quod Angeli operabuntur ad resurrectionem. «Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus á quatuor ventis á summo cœlorum usque ad terminos eorum.» Item á Marc. 13. «Tunc mittet Angelos suos et congregabit electos suos á quatuor ventis, á summo terræ usque ad summum cœli.» Ubi denominatio á nobiliori fit, scilicet ab electis: licet omnes etiam mali congregandi sint, ut patet per Matth. 25. Cogregabuntur ante eum omnes gentes. Item 1. Thessal. 4. Dominus in voce Archangeli descendet de cœlo, et mortui resurgent. Ubi per vocem Archangeli intelligit ministerium angelorum, ut dicitur in corp. fin. Intellige per ly mortui omnes homines. Unde in constitutionibus apostolicis lib. 5. cap. 8. dicitur ad propositum Danielis 12. «Multi de iis, qui dormierunt. Non solum martyribus promissit resurrectionem, sed etiam omnibus hominibus, justis, atque injustis, piis, atque impiis, ut singulis pro meritis pendat.» Facit hoc ad. qu. 75. art. 2. ad secund. princip. *Secundo* vides: quomodo, per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis: *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SEXTA.

DE TEMPORE, ET MODO RESURRECTIONIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de tempore, et modo resurrectionis.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum tempus resurrectionis oporteat differri usque ad finem mundi.

Secundo, utrum tempus illud sit occultum.

Tertio, utrum resurrectio fiet noctis tempore.

Quarto, utrum fiet subito.

ARTICULUS. I.

Utrum tempus nostræ resurrectionis oporteat differri usque ad finem mundi.

Pro negativa.= Videtur quod tempus resurrectionis non oporteat differri usque ad finem mundi.

1. Christus, qui est caput nostrum, non distulit resurrectionem suam usque ad finem mundi, ut simul cum omnibus resurgeret. Ergo nec oportet quod sanctorum resurrectio usque ad finem mundi differatur, ut omnes simul resurgant.

Conseq. prob., quia maior est convenientia capitis ad membra, quam membrorum ad invicem. Sicut etiam maior est convenientia causæ ad effectum, quam effectuum ad invicem.

2. Resurrectio capitis est causa resurrectionis membrorum. Sed resurrectio quorumdam nobilium membrorum, propter vicinitatem ad caput, non est dilata usque ad finem mundi, sed statim post eorum mortem resurrectionem Chris-

ti secuta est; sicut pie creditur de beatissima Virgine Maria et D. Joanne Evangelista. Ergo et aliorum resurrectio tanto propinquior erit resurrectioni Christi, quanto per gratiam et meritum ei fuerint magis conformes.

3. Quidam patres veteris testamenti, Christo resurgente, resurrexerunt, ut dicitur Matth. 17. quod *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Ergo videtur quod nec sanctorum novi testamenti resurrectio differri debeat usque ad finem mundi, ut fiat omnium simul.

Conseq. prob., quia status novi testamenti est perfectior, et expressius portat imaginem Christi, quam status veteris testamenti.

4. Post finem mundi non erit aliquis annorum numerus. Sed post resurrectionem aliquorum mortuorum adhuc computantur multi anni ante resurrectionem aliorum: dicitur enim Apoc. 20. « Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei. Et infra « et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis, et cæteri mortuorum non vixerunt, donec « consummarentur mille anni.» Ergo resurrectio omnium non debet differri usque ad finem mundi, ut sit omnium simul.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Job. cap. 14 dicit: « homo, cum dormierit, non resurget: donec atteratur « cœlum, non evigilabit, nec consurget « de somno suo. » (Et loquitur de somno mortis.) Ergo usque ad finem mundi, quando cœlum atteretur per cessationem motus, resurrectio hominum differetur.

Determinatio.

Conclusio. Resurrectio humanorum corporum usque ad finem mundi, quando motus cœli quiescet, differetur.

Prob. Resurrectio corporum ad vitam immortalem non potest convenienter fieri ante cessationem motus cœli, quæ erit in fine mundi. Sed resurrectio ultima humanorum corporum, secundum positionem fidei, erit ad vitam immortalem, conformiter Christo, qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, ut dicitur ad Romanos 6. Ergo humanorum corporum resurrectio usque ad finem mundi, quando motus cœli cessabit, est differenda.

Maior manifestatur, quia sicut dicit Augustinus 3. de Trinitate cap. 4. «divina providentia statuit, ut corpora « crassiora et inferiora per superiora et « subtiliora quodam ordine regantur:» et ideo tota materia corporum inferiorum subjacet variationi, secundum motum cælestium corporum: unde esset contra ordinem quem divina providentia statuit in rebus, si materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur, manente motu superiorum corporum.

Et confirmatur conclusio, quia propter dictam rationem, quidam Philosophi qui posuerunt motum cœli numquam cessare, posuerunt reditum humanarum animarum ad corpora mortalia, qualia nunc habemus: sive ponerent reditum animæ ad idem corpus in fine magni anni, ut Empedocles: sive ad aliud corpus, ut Pythagoras, qui posuit *quamlibet animam quodlibet corpus ingredi*, ut dicitur 1. de anima tex. 53. Ex quo patet quod non cessante motu cæli, humanum corpus mortale esse debet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod quamvis caput magis conveniat cum membris á proportione quæ exigitur ad hoc quod in membra influat, quam membra ad adinvicem: tamen caput habet causalitatem quamdam super membra, qua causalitate membra carent, et in hoc membra differunt á capite, et adinvicem conveniunt: unde resurrectio Christi est exemplar quoddam nostræ resurrectionis, ex cujus fide spes nobis de nostra

resurrectione consurgit: non autem resurrectio alicujus membri Christi est causa resurrectionis cæterorum membrorum: et ideo Christi resurrectio debuit præcedere resurrectionem aliorum qui resurgere debent in consummatione sæculorum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis inter membra sint quædam aliis digniora, et magis capiti conformia; non tamen aliqua membra pertingunt ad rationem capitis, ut sint causa aliorum, sicut caput: et ideo ex maiori conformitate aliquorum membrorum Christi ad ipsum non debetur eis quod eorum resurrectio præcedat resurrectionem aliorum, quasi exemplar exemplatum, sicut fuit resurrectio Christi, ut dictum est quæst. 56. Unde simpliciter negatur ipsa minor. Ex hoc enim quod aliqua membra fuerunt Christo conformiora, non est concessum eis quod eorum resurrectio aliorum resurrectionem præcedere debeat. Sed quod hoc aliquibus concessum est, fuit ex speciali privilegio gratiæ, et non ex debito conformitatis ad Christum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod de illa resurrectione sanctorum cum Christo videtur dubitare Hieron. in serm. de Assumpt. qui incipit: cogitis me et utrum scilicet peracto testimonio resurrectionis, iterum sint mortui, ut sic eorum fuerit magis resuscitatio quædam, sicut Lazari, qui iterum mortuus est, quam vera resurrectio qualis erit in fine mundi: an ad immortalem vitam vere resurrexerint, ut semper in corpore victuri, in cœlum cum Christo ascendentes corporaliter: ut Glos. ordin. dicit Matt. 27. Et hoc videtur probabilius, quia ad hoc, ut verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit ut vere resurgerent, ut Hieron. alibi dicit. Nec eorum resurrectio, propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionem Christi testificandam quod quidem testimonium erat ad fundandum fidem novi testamenti. Unde decentius factum est per patres veteris testamenti, quam per eos qui jam fundato novo testamento decesserunt. Sed est sciendum quod etsi de resurrectione eorum in Evangelio mentio fiat ante resurrectionem Christi, tamen ut per textum patet, intelligendum est per anticipationem esse dictum quod frequenter Historiographis accidit. Nulli enim vera resurrectione resurrexerunt ante Christum eo quod ipse sit *primitiæ dormientium*, ut dicitur 1. Corinth. 15. Quamvis aliqui fuerint resuscitati ante Christi resurrectionem, ut patet de Lazaro, qui tamen resuscitatus erat iterum moriturus.

Ad 4. Neg. minor Ad prob. dicitur, quod occasione illorum verborum, ut refert Aug. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 7. Quidam hæretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum, ut cum Christo mille annis in terra regnarent. Unde vocati sunt *Chriliastæ* quasi millenarii. Et ideo Aug. ibid. dicit verba illa esse aliter intelligenda, scilicet de resurrectione spirituali, per quam homines á peccatis, dono gratiæ, resurgunt. Secunda autem resurrectio est corporum: regnum autem Christi dicitur Ecclesia, in quantum Christo, non solum Martyres sed etiam alii electi regnant, ut á parte totum intelligatur. Vel regnant cum Christo in gloria, quantum ad omnes, et fit specialiter mentio de martyribus, quia ipsi præcipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Millenarius autem annorum numeros non significat aliquem certum numerum, sed totum tempus quod nunc agitur, in quo nunc sancti cum Christo regnant, quia numerus millenarius designat universitatem magis quam centenarius, eo quod centenarius est quadratum denarii, sed millenarius est numerus solidus ex duplici ductu denarii in se ipsum surgens quia, decies decem, centum sunt, et

centum decies, mille sunt. Et similiter in Psal. 104. dicitur; *verbi quod mandavit in mille generatione*; idest in omnes generationes.

ARTICULUS II.

Utrum tempus resurrectionis nostræ sit occultum.

Pro negativa. ==Videtur quod tempus resurrectionis nostræ non sit occultum.

1. Illud, cujus principium est determinatum, et scitum, et finis potest determinate sciri. Sed principium mundi determinate scitur. Ego et finis illius, quando erit tempus resurrectionis et judicii, potest determinate sciri.

2. Apoc. 12. dicitur quod *Mulier*; per quam Ecclesia significatur, « habet « locum paratum á Deo, in quo pascatur « diebus mille ducentis sexaginta.» Dan. etiam 12. ponitur quidam determinatus numerus dierum per quos anni significari videntur, secundum illud Ezech. 4. *Diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi.* Ergo ex sacra scriptura potest sciri determinate finis mundi et tempus resurrectionis.

3. Determinate scimus tempus, in quo vetus testamentum statum et finem habuit, Ergo potest etiam sciri determinate tempus, in quo novum testamentum statum habebit quod erit in fine mundi, secundum illud Matt. ult. *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.*

Conseq. prob. quia status novi testamenti præfiguratus fuit in veteri testamento.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

2. Quod est ignoratum ab angelis, multo magis est hominibus occultum. Sed angeli nesciunt determinate tempus ultimæ resurrectionis: dicitur enim Matt. 24. *De die illa, et hora nemo scit neque angeli cœlorum.* Ergo tempus illud est hominibus occultum.

Maior prob., quia ea, ad quæ homines naturali ratione pertingere possunt, multo limpidius et certius, angeli naturali ratione cognoscunt. Similiter etiam revelationes non fiunt hominibus, nisi mediantibus angelis, ut Dion. dicit. cap. 4, cælest. hierarch.

2. Apostoli fuerunt magis conscii secretorum Dei, quam alii sequentes: quia ut dicitur Rom. 8. *Ipsi primitias spiritus habuerunt*, idest tempore prius, et cæteris abundantius, ut Glos. interl. ibid. dicit. Sed apostolis, de hoc ipso quærentibus, dictum est Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ergo multo magis hoc tempus est aliis occultum.

Determinatio.

Conclusio. Tempus generalis resurrectionis hominum est occultum.

Prob. auctoritate, et ratione. Auctoritas est Aug. in lib. 83. quæstione 8. dicentis: «Ætas ultima generis humani, « quæ incipit á Domini adventu, usque « ad finem sæculi, quibus generationibus « computetur, incertum est. Sicut etiam « senectus, quæ est ultima ætas hominis, « non habet determinatum tempus, se« cundum mensuram aliarum, cum quan« doque sola tantum teneat temporis, « quantum præcedentes ætates omnes si« mul tenuerunt.»

Ratio autem est, quia determinatus numerus futuri temporis sciri non potest nisi per rationem naturalem vel per revelationem. Sed tempus quod erit usque ad resurrectionem, non potest sciri naturali ratione, nec per revelationem. Ergo hoc tempus erit nobis occultum.

Minor quantum ad primam partem probatur, quia numerus omnium, quæ determinato tempore per naturalem rationem futura prævidentur, ex motu cœli accipitur. Ex motu autem cæli, non potest cognosci finis ejus, cum sit circularis: ex quo habet quod secundum naturam suam possit in perpetuum durare. Unde naturali ratione tempus quod

erit usque ad resurrectionem, quando motus finietur, numerari non potest.

Quantum vero ad secundam partem prob. eadem minor, scilicet quod non cognoscatur per revelationem; quia Dominus vult omnes sollicitos et paratos semper esse ad occurrendum Christo, et propter hoc etiam apostolis de hoc quærentibus respondit Christus, Act. 1. « Non est vestrum, nosse tempora, vel « momenta, quæ Pater posuit in sua po- « testate. » In quo, ut Aug dicit in lib. 18. de Civit. Dei, cap. 53. « Omnium « de hac re calculantium digitos resolvit, « et quiescere jubet;» quod enim Dominus noluit apostolis quærentibus indicare; nec aliis revelabit. Unde omnes illi qui tempus prædictum numerare voluerunt, hactenus falsiloqui sunt inventi. Quidam enim, ut Aug. dicit ibidem, ab ascensione Domini usque ad ultimum ejus adventum quadringentos annos posse compleri dixerunt; alii quingentes ; alii mille: quorum falsitas patet, cum usque modo transierint anni mille, sexcentum viginti tres, et patebit etiam vanitas eorum qui adhuc computare non cessant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod est vera, quando mensura ejus, cujus principium scitur, est nota: sin autem, est falsa. Et quia mensura durationis motus cœli, quæ est sola divina dispositio, est nobis ignota, et occulta; ideo finem motus cœli nescimus, quantumcunque sciamus ejus principium.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod per mille ducentos sexaginta dies, de quibus fit mentio Apoc. 12. Significatur omne tempus, in quo Ecclesia durat, et non determinatus aliquis numerus annorum: et hoc ideo, quia prædicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio, quod tempus fere continet dictum numerum dierum. Et similiter etiam numerus eorum, qui in Daniele ponitur, non est referendus ad numerum aliquem annorum, qui sint futuri usque ad finem mundi, vel usque ad prædicationem Antichristi, sed debet referri ad tempus, quo prædicabit Antichristus et quo persecutio ejus durabit.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis status novi testamenti in generali sit præfiguratus per statum veteris testamenti; non tamen oportet quod singula singulis respondeant, præcipue cum omnes figuræ veteris testamenti fuerint in Christo completæ. Et ideo Aug. lib. 18. de Civit. Dei. c. 52. respondet quibusdam, qui volebant accipere numerum persecutionum, quas passa et est passura Ecclesia, secundum numerum plagarum Egypti, dicens: «Ego illa re- «gesta in Egypto Exod. 7. et 11. istas «persecutiones prophetice significatas es- «se non arbitror, quamvis ab eis qui hoc «putant, exquisite, et ingeniose illa sin- «gula his singulis comparata videantur, «non prophetico spiritu, sed conjectura «mentis humanæ, quæ aliquando ad ve- «rum pervenit, aliquando fallitur.» Et hoc idem videtur esse de dictis abbatis Joachim, qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, et in aliquibus deceptus fuit.

ARTICULUS III.

Utrum resurrectio futura sit in noctis tempore.

Pro negativa. = Videtur quod resurrectio non erit in noctis tempore.

1. Cessante motu cœli, non erit tempus, nec dies, nec nox. Sed resurrectio non fiet, quousque cesset motus cœli: dicitur enim Job. 14. Quod homo non resurget, *donec cælum atteratur*, *quæ* attritio est cessatio motus. Ergo resurrectio non poterit fieri in nocte.

2. Illud quod fiet in optima temporis dispositione, erit in die et non in nocte. Sed resurrectio fiet in optima temporis dispositione. Ergo resurrectio fiet in die et non in nocte.

Maior prob., quia dies perfectior est, quam nox.

Minor prob. Finis uniuscujusque rei debet esse perfectissimus. Sed quando fiet resurrectio, tempus erit in suo fine. Ergo tunc tempus erit in optima sui dispositione.

Minor hujus quia Apoc. ult. dicitur. *Tempus amplius non erit.*

3. Qualitas temporis debet respondere his, quæ geruntur in tempore. Unde Joannis cap. 13. fit mentio de nocte, quando Judas exivit á consortio lucis. Sed tunc erit perfecta manifestatio omnium, quæ nunc latent: quia «cum venerit Dominus, illuminabit abscondita «tenebrarum et manifestabit consilia cor«dium, ut dicitur» 1. Cor. 4. Ergo resurrectio debet esse in die.

Aliter. Illud, in quo manifestanda sunt et illuminanda abscondita tenebrarum, debet fieri in die: ut quod sit in tempore, ei proportionetur. Sed in resurrectione illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, etc. Ergo erit in die.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Resurrectio Christi fuit in nocte, ut Greg. dicit in Hom. Pasch. hom. 21. in Evang. Ergo nostra etiam resurrectio nocturno tempore erit.

Conseq. prob., quia resurrectio Christi est exemplar resurrectionis nostræ.

2. Dominus veniet in nocte. Sed resurrectio fiet veniente Domino, ut dictum est quæst. præced. art. 2. Ergo resurrectio fiet in nocte,

Maior prob. quia adventus Domini comparatur adventui furis in domum, ut patet Luc. 21. Fur autem in nocte venit.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Determinata hora temporis, qua fiet resurrectio, sciri certo non potest. Hanc docet Magister in 4. dist. 43. parag. C.

2.ª Conclusio. Satis probabiliter á quibusdam dicitur quod resurrectio erit quasi in crepusculo, Sole existente in oriente, et Luna in occidente.

Manifestatur, quia in tali dispositione Sol et Luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur pœnitus per reditum ad idem punctum. Et confirmatur conclusio, quia de Christo dicitur quod tali hora resurrexit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quando fiet resurrectio non erit tempus, sed finis temporis, quia in eodem instanti in quo cessabit motus cœli, erit resurrectio mortuorum, et erit situs siderum, secundum dispositionem, qua se habent nunc in aliqua determinata hora, et secundum hoc dicitur resurrectio futura tali tempore, vel tali hora.

Ad 2. Neg. minor. Nam optima dispositio temporis dicitur esse in meridie, propter illuminationem solis: tunc autem Civitas Dei non egebit sole, neque luna, quia claritas Dei illuminabit eam, ut dicitur Apoc. ult. Et ideo quantum ad hoc non refert utrum in die vel in nocte resurrectio fiat.

Ad 3. Dicitur ad minorem utriusque formæ quod tempori resurrectionis congruit manifestatio, quantum ad ea quæ tunc gerentur, et occultatio quantum ad determinationem ipsius temporis: et ideo utrumque congrue fieri potest, ut scilicet sit resurrectio in die vel in nocte.

ARTICULUS IV.

Utrum resurrectio futura sit subito vel successive.

Pro negativa. = Videtur quod resurrectio non fiet subito, sed successive.

1. Resurrectio mortuorum prænuntiatur. Ezech. 37. ubi dicitur. «Accesserunt ossa ad ossa, et vidi, et ecce su«per ea nervi, et carnes ascenderunt, et «extensa est in eis cutis desuper, et «spiritum non habebant.» Ergo reparatio corporum præcedet tempore conjunctionem animarum cum corporibus, et sic resurrectio non erit subita.

2. Illud, ad quod exiguntur plures actiones se consequentes, non potest subito fieri. Sed ad resurrectionem exiguntur plures actiones se consequentes, scilicet collectio cinerum, reformatio corporis, et infusio animæ, ut dictum est supra q. præced. art. 3. in corp. Ergo resurrectio non fiet subito.

3. Nullus motus localis potest esse subito, ut dicitur in lib. de Sens. et Sensa. c. 7. Sed ad resurrectionem exigitur aliquis motus localis in collectione cinerum. Ergo resurrectio non fiet subito.

4. Illud, cujus causa erit sonus, non fiet subito. Sed causa resurrectionis erit sonus tubæ, ut dictum est quæst. præced. Ergo resurrectio non fiet subito, sed successive.

Maior prob., quia omnis sonus tempore mensuratur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. 1. Cor. 15. dicitur. *Omnes quidem resurgemus, in momento, in ictu oculi.* Ergo resurrectio erit subito.

2. Virtus infinita subito operatur. Sed resurrectio fiet virtute divina, quæ est infinita, ut Damasc. dicit lib. 4, Orthod. fid. in fine. lib. Ergo resurrectio erit subito.

Determinatio.

Distinctio. In resurrectione aliquid fiet ministerio angelorum; aliquid virtute divina immediate, ut quæst. præced. art. 3. dictum est.

1.ª Conclusio. Illud, quod in resurrectione fiet ministerio angelorum, non erit in instanti, sed in tempore imperceptibili.

Hanc quoad primam partem probat argumentum tertium pro negativa; et quoad alteram, eam probat argumentum primum pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Illud quod fiet virtute divina immediate, fiet subito, scilicet in termino temporis, quo implebitur angelorum opus. Hanc probat argumentum secundum pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Ezechiel loquebatur rudi populo; unde sicut Moyses distinxit opera sex dierum, per dies, ut rudis populus capere posset, quamvis omnia simul sint facta, secundum Aug. lib. 4. super Genes. cap. 34. Ita Ezech. diversa, quæ in resurrectione futura sunt expressit, quamvis omnia in tempore imperceptibili sint futura.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod quamvis illæ operationes sint se invicem consequentes natura, sunt tamen simul tempore, quia vel sunt simul in eodem instanti, vel una est in instanti, ad quod alia terminatur.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod congregatio cinerum, quæ sine motu locali esse non potest, fiet ministerio angelorum, et ideo erit in tempore, sed imperceptibili, propter facilitatem operandi, quæ competit angelis.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod idem videtur esse dicendum de sono illo, et de formis sacramentorum, scilicet quod in ultimo instanti, sonus effectum suum habebit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 166.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum, resurrectionem differendam esse usque ad finem mundi, et sic, Apoc. 6. « Responsum est eis, ut expectarent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum suorum, et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. » Ecce, quod simul omnes stolas binas, scilicet glorificationem corporis, et animæ, accipient sancti, et consequenter eorum

resurrectio communis in fine mundi futura per hoc designatur: unde et resurrectio malorum á fortiori significatur illuc usque differenda: quandoquidem malorum resurrectio non sic principaliter est intenta, sicut bonorum. Item ab Hebr. 11. *Non accipientes redemptionem, ne sine nobis consummarentur.* In quo dicto Apostoli ly nobis accipitur in persona omnium electorum, et ly repromissionem accipitur pro beatitudine corporis, et animæ simul. Ergo á fortiori malorum resurrectio etiam hic denotatur, differenda usque ad finem mundi ob eamdem rationem. Item á Job. 15. « Donec atteratur cœlum, homo non consurget á somno suo. » Non atteretur autem cœlum, nisi in fine mundi. Nota ly consurgeret, idest simul surget, et ly homo, quod stat communiter pro omnibus juxta ordinariam regulam. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem excludas errorem Arnoldi dicentis: quod mundi finis futurus est anno ab Incarnatione Domini 1335. Cum enim ostendatur hic, quod tempus resurrectionis nostræ est occultum, per hoc et ostensum intelligitur, quod finis mundi, ad quem profecto differtur resurrectio nostra art. 1. est occultus. *Secundo* habes: quomodo per rationem demonstres, illum errorem cum similibus esse damnatum merito ab act. 1. « Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. » In quo dicto (ut Augustinus dicit 18. de civita. Dei) omnium de hac re calculantium, etc. ut in text. corp. fin. Ubi nota illud argumentum á fortiori de Apostolis ad alios ab eodem Augustino. Plusquam enim mirum est, quod sanctis Apostolis, quibus Deus credidit secreta sapientiæ suæ, et virtutem potentiæ suæ in miraculis, et sacramentis, et curam animarum, quibus promisit notitiam omni veritatis, secreta hæc absconderit, et personis qualibuscumque aliis hæc eadem communicaverit. Unde omnes hujusmodi Arnoldum secuti decepti sunt. Item á Matth. 24. *De die illa, et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi Pater solus.* Ubi per ly solus non excluduntur, nisi creaturæ, non autem aliquæ personæ divinæ; quoniam dictio exclusiva opposita uni personæ non excludit alias in essentialibus, 1. par. q. 31. art. 3. et 2. Nec obstat, quod Marcus addidit ly neque Filius: quoniam intelligitur modo scripturarum, quod scilicet non scit, ut revelet, eo modo, quo Gen. 22. dixit Deus ad Abraham. *Nunc cognovi, quod times Deum,* idest, cognoscere feci. Vel dicitur Filius nescire secundum intentionem discipulorum intendentium, qnod ipse revelaret eis. Ob hoc enim prædixerant illi, dic nobis, quando ista fient? Mat. 13. eo modo, quo respondens ad discipulos de cœco nato, Joann. 9. interrogantibus, quis peccavit, ut cœcus nasceretur? respondit sine limitatione expressa, eam tamen subintelligens juxta interrogationem eorum, neque hic peccavit, neque parentes ejus. Sicut ergo indubitanter hic subintelligitur limitatio juxta intentionem quærentium (sapiens enim quærentis respicit intentionem in respondendo) quamvis non exprimatur: ita ibi Marci 13. Neque Filius hominis scit, subintelligitur utique limitatio juxta intentionem discipulorum prærequirentium, dic nobis, quando hæc erunt? Absolute igitur stat; quod Christus etiam, in quantum homo, sciat illam horam. Quis enim dicat judicem sapientissimum ignorare absolute horam judicii. Et Christus, ut homo, est judex. Item á etc. ut quæst. 73. artic. prim. append. *Tertio* habes: quomodo prædicta scripturarum, pro quanto tempus resurrectionis occultum fore insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum à scripturis, quod resurrectio fiet in noctis tempore, Matth. 22. *Media nocte clamor factus est,* etc. ut supra quæst. 76. art. 2. append. Item á Luc. 12. « Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique. Ideo et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet. » Fur autem: cum dicatur á furno, vadit de nocte juxta denominationem suam. Et, cum furi assimiletur adventus Domini, designatur per hoc quod de nocte fiet, et per consequens resurrectio. Item 1. Thess. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte.* Item 2. Petri 3. *Dies Domini ut fur in nocte.*

Item Apoc. 3. *Veniam ad te tamquam fur.* Item ibi 16. *Ecce venio sicut fur. Secundo* habes: quomodo per rationem probabiliter prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. Intelliguntur enim, ut patet in ad tertium, secundum aliam considerationem ab ea, quæ 1. Cor. 4. subindicari videtur, quod talia fient de die: ubi inquit, quod, cum venerit Dominus, illuminabit abscondita tenebrarum. Et nota, quod ex prædictis non infringitur conclusio, quæ dicit ly in crepusculo: quoniam crepusculum, cum sit medium inter diem, et noctem, potest subire denominationem utriusque juxta relationes diversas. Medium enim comparatum alteri extremo videtur aliud, et é converso; sicut aqua tepida secundum comparationem ad extreme calidam dicitur frigida, et eadem secundum comparationem ad extreme frigidam dicitur calida. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á 1. Corinth. 15. quod resurrectio erit in instanti: Omnes quidem resurgemus in momento, et in ictu oculi. Ubi ly in ictu oculi referas ad instans angelorum operantium, ut prædictum est, et ly in momento ad instans operationis divinæ. Nam ictus oculi fit in tempore, ut patet, quamvis inperceptibili; momentum vero correspondet proprie instanti: ita quod, sicut motus tempori, ita momentum, quod est ejus terminus, correspondet instanti, quod est terminus temporis. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SEPTIMA.

DE TERMINO Á QUO RESURRECTIONIS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de termino á quo resurrectionis.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum mors sit terminus á quo resurrectionis in omnibus.

Secundo, utrum cineres, vel pulveres.

Tertio, utrum illi pulveres habeant naturalem inclinationem ad animam.

ARTICULUS I.

Utrum mors erit terminus á quo resurrectionis in omnibus.

Pro negativa.=Videtur quod mors non erit terminus á quo resurrectionis in omnibus.

1. Quidam non morientur, sed immortalitate supervestientur. Ergo mors non erit terminus á quo resurrectionis omnium.

Antecedens prob., quia in symbolo dicitur quod *Dominus venturus est judicare vivos et mortuos:* quod non potest intelligi quantum ad tempus judicii, quia tunc erunt omnes vivi. Ergo oportet quod hæc distinctio referatur ad tempus præcedens, et ita non omnes ante judicium morientur.

2. Naturale et commune desiderium non potest esse vacuum et inane, quin in aliquibus expleatur.

Sed secundum Apost. 2. Cor. 5. hoc est commune desiderium quod *nolumus exspoliari, sed supervestiri.* Ergo aliqui erunt qui numquam expoliabuntur corpore per mortem, sed supervestientur gloria resurrectionis.

3. Deus aliquando hoc præstabit Ecclesiæ suæ quod homines sine peccato originali nascantur. Ergo aliqui homines erunt in fine mundi, qui non morientur, et in his terminus á quo resurrectionis non erit mors.

Conseq. prob., quia mors est pœna peccati originalis; unde qui sine talis peccati reatu nascuntur, non patientur pœnam mortis, sed absque corporali morte ad vitam transibunt æternam.

Antecedens prob., quia Aug. dicit in Enchir. cap. 115. quod quatuor ultimæ

petitiones dominicæ orationis, quarum una est, *dimitte nobis debita nostra*, pertinent ad vitam præsentem: et sic Ecclesia petit sibi in hac vita omnia sibi debita relaxari. Oratio autem Ecclesiæ non potest esse cassa, quin exaudiatur: dicitur enim. Jo. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo Ecclesia in aliquo hujus vitæ tempore, omnium debitorum remissionem consequetur. Sed unum debitorum, quibus pro peccato primi parentis affligimur, est quod nascamur in originali peccato. Ergo Ecclesia quandoque hoc consequetur á Domino, ut homines sine hoc peccato nascantur.

4. Via compendiosior est semper sapienti magis eligenda. Sed quod homines, qui vivi invenientur, in impassibilitatem resurrectionis transferantur, est via compendiosior, quam quod prius moriantur, et postea resurgant á morte in immortalitatem. Ergo Deus, qui est summe sapiens, hanc viam eliget in his qui vivi invenientur, et sic non omnes á morte resurgent.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 15. *Quod semen non vivificatur, nisi prius moriatur.* Et loquitur, sub similitudine seminis, de resurrectione corporum.

2. Cor. 1. cap. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ergo in Adam omnes morientur, et sic omnium resurrectio erit á morte.

Determinatio.

Conclusio. Etsi super hac quæstione varie loquantur sancti, ut refert Magister in 43. dist. 4.: tamen securior et communior opinio est hæc, quod omnes morientur, et á morte resurgent.

Prob. tripliciter. Primo. quia hoc magis concordat divinæ justitiæ, quæ humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut omnes qui per actum naturæ ab eo originem ducerent, infectionem originalis peccati contraherent; et per consequens mortis debitores efficerentur.

Secundo, quia magis concordat divinæ scripturæ, quæ omnium futuram resurrectionem prædicit, ut patet 1. Cor. 15. resurrectio autem non est nisi ejus quod *cecidit et dissolutum est*, ut Damasc. dicit in 4. lib. cap. 28.

Tertio, quia magis concordat ordini naturæ, in quo invenimus quod id, quod corruptum et vitiatum est, in suam novitatem non reducitur, nisi mediante corruptione: sicut acetum non fit vinum, nisi aceto corrupto et in humorem vitis transeunte. Unde cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem, nisi mediante morte. Convenit etiam ordini naturæ, propter aliam rationem. Quia ut in 8. Phys. in initio dicitur. *Motus cæli est ut vita quædam natura existentibus omnibus*, sicut etiam motus cordis, totius corporis vita quædam est. Unde sicut cessante motu cordis, omnia membra mortificantur; ita cessante motu cœli, non potest aliquid vivum remanere, illa vita quæ ex influentia illius motus conservabatur. Talis autem est vita, qua nunc degimus. Unde oportet quod ex hac vita discedant, qui post motum cœli victuri sunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur negando antecedens. Ad prob. dicitur quod distinctio illa mortuorum et vivorum non est referenda ad ipsum judicii tempus, neque ad totum tempus præteritum, quia omnes judicandi aliquo tempore fuerunt vivi, et aliquo tempore mortui, sed ad illud tempus determinatum quod immediate judicium præcedet, quando scilicet judicii signa incipient apparere: et sensus est quod Dominus judicabit illos qui tunc vivi invenientur, qui tamen tunc morientur, et mortuos, scilicet illos qui ante signorum apparitionem mortui fuerunt.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod

perfectum desiderium sanctorum non potest esse vanum; sed eorum desiderium conditionatum nihil prohibet non impleri. Et tale est desiderium quo nolumus *exspoliari*, *sed supervestiri*, scilicet si possibile esset; et hoc desiderium á quibusdam *velleitas* dicitur.

Ad 3. Neg. antecedens. Erroneum enim est dicere quod aliquis sine peccato originali sit conceptus, præter Christum, quia illi, qui sine peccato originali conciperentur, non indigerent redemptione, quæ facta est per Christum; et sic Christus non esset omnium Redemptor. Nec potest dici, quod hac redemptione non indigüerunt, quia præstitum fuit eis, ut sine peccato originali conciperentur, quia vel illa gratia facta est parentibus, ut in eis vitium naturæ sanaretur, quo vitio manente, sine originali non possunt concipere. Vel illa gratia facta est ipsi naturæ, quæ sanata est. Sed neutrum potest dici: quia oportet ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, et non solum ratione naturæ. Liberari autem á malo, vel á debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit vel in malum dejectus est. Et ideo non possent omnes fructum dominicæ orationis in se ipsis percipere nisi omnes debitores et malo subjecti nascerentur. Unde dimissio debitorum et liberatio á malo non potest intelligi sine debito, et sine hoc quod in malo nascatur, et postea per gratiam Christi liberetur. Nec sequitur, si potest sine errore poni quod aliqui non morientur, quod possit etiam dici, quod tales sine peccato nascantur, quia licet mors sit pœna peccati originalis, tamen Deus potest ex misericordia relaxare alicui pœnam, ad quam obligatur ex culpa præterita. Sicut adulteram sine pœna Dominus dimisit. Jo. 8. Et similiter poterit á morte liberare eos qui reatum mortis contraxerunt, cum originali nascendo. Et sic non sequitur, si non morientur, quod sine peccato nascantur.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod non semper via compendiosior est magis eligenda, sed solum quando est magis, vel æqualiter accommoda ad finem consequendum: quod non accidit in proposito, ut patet ex dictis in corpore.

ARTICULUS II.

Utrum omnium resurrectio erit á cineribus.

Pro negativa. = Videtur quod non omnium resurrectio erit á cineribus.

1. Resurrectio Christi non fuit á cineribus: quia caro ejus *non vidit corruptionem*, ut dicitur Psal. 15. et Act. 2. Ergo nec resurrectio omnium erit á cineribus.

Conseq. prob., quia resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis.

2. Corpus hominis non semper comburitur. Ergo non omnes á cineribus resurgent.

Conseq. prob., quia in cineres non potest aliquis resolvi, nisi per combustionem.

3. Quidam statim post mortem resurgent, ut Magister dicit in di. 43. lib. 4. Sent. Ergo non omnes resurgent á cineribus.

Conseq. prob., quia corpus non statim post mortem in cinerem redigitur.

4. Terminus ad quem resurrectionis, non est idem bonorum et malorum. Ergo nec est idem terminus á quo. Et sic, si mali resurgent á cineribus; boni á cineribus non resurgent.

Conseq. prob., quia terminus á quo debet respondere termino ad quem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

« 1. Omnes in originali peccato natos, tenet hæc sententia, « terra es, et in ter« ram ibis, » dicit Haymo in serm. Circumcisionis, qui incipit: Mediatoris Dei etc. Sed omnes, qui in communi resurrectione resurgent, nati fuerunt in peccato originali, vel nativitate ex utero, vel saltem nativitate in utero. Ergo omnes á cineribus resurgent.

2. Multa sunt in corpore humano, quæ non sunt de veritate humanæ naturæ, quæ ideo sunt auferenda ab eo. Ergo oportet omnia corpora in cinerem resolvi.

Determinatio.

Conclusio. Omnium hominum resurrectio erit á cineribus, nisi aliquibus ex speciali privilegio gratiæ sit contrarium indultum.

Probatur iisdem rationibus, quibus in præcedenti articulo ostensum est, quod omnes sunt morituri, et

Primo, quia scriptura sacra, sicut resurrectionem prænunciat, ita et corporum reformationem, ad Philip. 3; et ideo oportet quod sicut omnes moriuntur ad hoc quod omnes vere resurgere possint; ita omnium corpora dissolvantur ad hoc quod omnium corpora reformari possint.

Secundo, quia sicut in pœnam hominis mors á divina justitia est inflicta; ita et corporis resolutio, ut patet Gen. 3. ubi dicitur. *Terra es et in terram ibis.*

Tertio, quia ordo naturæ exigit, ut non solum animæ et corporis conjunctio solvatur, sed etiam elementorum commixtio, quæ ex motu cœli causatur et conservatur, quo cessante, omnia mixta in pura elementa resolventur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod resurrectio Christi est exemplar nostræ ressurrectionis, quoad terminum ad quem, non autem quoad terminum á quo.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod per cineres intelliguntur omnes reliquiæ quæ remanent, humano corpore soluto, duplici ratione. Primo quia, communis mos erat apud antiquos, corpora mortuorum comburere et cineres reservare. Unde prevaluit modus loquendi, ut ea in quæ corpus humanum resolvitur, cineres dicantur. Secundo, propter causam resolutionis, quæ est incendium fomitis, quo corpus humanum radicitus est infectum. Unde ad purgationem hujus infectionis oportet usque ad prima componentia corpus humanum resolvi. Quod autem propter incendium resolvitur, dicitur in cineres resolvi; et ideo ea in quæ humanum corpus resolvitur, cineres dicuntur.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ille ignis, qui faciem terræ purgabit, poterit statim corpora eorum qui vivi reperientur, usque ad cineres resolvere, sicut et alia mixta in præjacentem materiam resolvet.

Ad 4. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de termino á quo et ad quem in proposito. Motus enim accipit speciem non á termino á quo, sed á termino ad quem. Et ideo resurrectio sanctorum, quæ erit gloriosa, oportet quod differat, a resurrectione impiorum, quæ non erit gloriosa, penes terminum ad quem, non autem penes terminum á quo. Contingit autem frequenter, non esse eumdem terminum ad quem, existente eodem termino á quo. Sicut de nigredine potest aliquid moveri in albedinem et in pallorem.

ARTICULUS III.

Utrum pulveres illi, ex quibus humanum corpus reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam, quæ eis conjungetur.

Pro affirmativa==Videtur quod pulveres illi, quibus corpus humanum reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam, quæ eis conjungetur.

1. Si pulveres illi nullam haberent inclinationem ad animam, sequeretur quod non esset differentia, utrum ex illis, vel ex aliis pulveribus reficeretur corpus animæ conjungendum; quod est falsum.

Conseq. prob., quia si illi pulveres nullam habent inclinationem ad animam, eodem modo se haberent ad illam animam, sicut alii pulveres.

2. Anima separata á corpore, adhuc habet aliquam dependentiam ad corpus.

Unde retardatur ejus motus in Deum propter appetitum corporis, ut Hieron. dicit et August lib. 12. in heres. cap. 35. Ergo multo fortius corpus separatum ab anima, adhuc habet naturalem inclinationem ad animam illam.

Conseq. prob. quia maior est dependentia corporis ad animam, quam animæ ad corpus.

3. Job. 20. dicitur: «ossa ejus impleabuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.» Sed vitia non sunt nisi in anima. Ergo in illis pulveribus remanebit aliqua inclinatio ad animam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Corpus humanum potest resolvi in ipsa elementa, vel etiam in carnes aliorum animalium converti. Sed elementa, et carnes aliorum animalium nullam habent inclinationem naturalem ad animam illam. Ergo nec in illis partibus elementorum, in quibus humanum corpus resolutum est, vel in carnibus aliorum animalium, in quibus corpus humanum conversum est, erit aliqua naturalis inclinatio ad animam.

Maior. prob auctoritate August. in Ench. c. 88. «Corpus humanum, in «quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, «in quorumcunque animalium, etiam «hominum cibum cedat, carnemque vertatur, illi animæ humanæ in puncto «temporis cedet, quo, ut illud prius «fieret, viveret et cresceret, animavit.»

2. Cuilibet inclinationi naturali, respondet aliquod agens naturale; alias natura deficeret in necessariis. Sed á nullo agente naturali possunt prædicti pulveres, eidem animæ iterato conjungi. Ergo in eis non est aliqua naturalis inclinatio ad prædictam conjunctionem.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Quidam dicunt quod corpus humanum nunquam resolvitur usque ad elementa, et ita in illis cineribus semper remanet aliqua vis addita elementis, quæ facit naturalem inclinationem ad eamdem animam.

Reprobatio.

Sed hæc positio contrariatur auctoritati Augustini inductæ in argumento primo pro negativa. Adversatur etiam sensui et rationi, quia omnia composita ex contrariis possibile est resolvi in ea, ex quibus componuntur.

Aliorum positio.

Et ideo alii dicunt quod illæ partes elementorum, in quas humanum corpus resolvitur, retinent plus de luce, ex hoc quod fuerunt animæ humanæ conjunctæ, et ex hoc habent quamdam inclinationem ad animas humanas.

Reprobatio.

Sed hoc iterum frivolum est, quia partes elementorum sunt ejusdem naturæ, et æqualiter habent participationem lucis et obscuritatis.

Vera sententia.

Conclusio. In cineribus, in quos corpus humanum resolvitur, nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem, sed solum ex ordine divinæ providentiæ, quæ statuit illos cineres iterum animæ conjungi. Hæc tamquam nota relinquitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis illi pulveres nullam habeant naturalem inclinationem ad animam; tamen ex ordine divinæ providentiæ ad illam unionem cum anima ordinantur, ex quo fit quod magis illi quam alii animæ unientur.

Ad 2. Negatur conseq. Anima enim, separata á corpore, manet eadem natura quam habebat, quando corpori erat unita, quod de corpore non contingit, et ideo remanet inclinatio in anima, non in corpore resoluto in cineres.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod illud verbum Job, non est intelligendum quod vitia actu maneant in pulveribus

mortuorum, sed solum secundum ordinem divinæ justitiæ, quo sunt deputati cineres illi ad reparationem corporis, et quod pro peccatis commissis cruciabuntur in æternum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 167.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum á 1. Cor. 15. quod omnes morientur, antequam resurgant. Sicut in Adan omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Ubi loquitur ad litteram, ut patet per totum capitulum, de resurrectione. Unde videtur concludere velle: quod, sicut per Christi meritum omnes, nullo dempto, corporaliter resurgent: ita ex demerito Adan omnes, nullo dempto, morientur corporaliter. Item ibidem. Quod semen, non vivificatur, nisi prius moriatur. Ubi ex similitudine grani seminati, et postea pullulantis, tractat de resurrectione mortuorum. Item ibid. Secundum libros Græcos, ut dicit Hieronymus, omnes quidem dormiemus. Ubi enim translatio nostra habet, omnes quidem resurgemus, libri Græci habent, ut dictum est. Vide quæstion. 75. articul. 1. et 2. appen. et quæst. 74. articul. 7. ad tertium. Non tamen ex his alligatur potentia absoluta Dei, quin possit hoc debitum mortis actualis ex privilegio condonare alicui, ut ex ad tertium colligitur circa finem. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto resurrectionem omnium futuram esse á morte insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Gen. 3. quod resurrectio omnium erit á cineribus. Pulvis es, et in pulverem reverteris. Pro quo vide not. post. ad 2. Item, á, etc. ut art. 1. append. Jam enim dictum est; quod hi duo articuli sunt finitimi ad invicem. Vide not. post prob. Unde et hic allegata scripturarum debent intelligi cum illo grano salis proportionaliter, cum quo ibi. Item á Dan. 12. *Multi qui dormiunt in pulvere, evigilabunt.* Multi idest, omnes. q. 75. art. 2. ad 2. in tex. et elucid. Item á Job. 7. *Ecce nunc in pulvere dormiam.* Et loquitur in persona omnium: sicut etiam, quando inquit cap. 10. *In novissimo die de terra surrecturus sum.* Item ab Ecclesiast. 17. *Omnes homines terra, et cinis.* Faciunt ad hunc locum etiam allegata in art. 1. in tex. et elucid. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Rom. 8. quod in pulveribus remanebit inclinatio secundum ordinem divinæ providentiæ tantum ad conjunctionem animæ; et sic: expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Ubi per expectationem in illis pulveribus, quæ sunt utique creatura Dei, intendit inclinationem, non quidem naturalem ex propriis principiis fluentem, quoniam sic potentia activa naturalis illi inclinationi responderet: sed intendit inclinationem illam ex ordine divinæ providentiæ, á qua talis expectationis adimpletio expectatur á creatura ipsa. Unde expectatio illa non præsupponit cognitionem in expectante, sed in eo, á quo expectatur: et ideo expectatio illa est ordinatio quædam, qua ordinantur à divina providentia ad talem conjunctionem animæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA OCTAVA,

DE CONDITIONIBUS RESURGENTIUM, ET PRIMO DE EORUM IDENTITATE IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter agendum est de conditionibus resurgentium. Ubi prima consideratio erit de his quæ communiter ad bonos, et malos pertinent. Secunda de his quæ tantum ad bonos pertinent. Tertia de his quæ spectant tantum ad malos. Ad bonos autem, et malos communiter tria pertinent, scilicet ipsorum identitas, integritas, et qualitas. Et primo videndum est de resurgentium identitate. Secundo de corporum integritate. Tertio de ipsorum qualitate.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum idem numero corpus resurget.

Secundo, utrum idem numero homo.

Tertio utrum oporteat eosdem pulveres ad easdem partes, in quibus ante fuerant, reverti.

ARTICULUS I.

Utrum anima idem corpus resumat in resurrectione.

Pro negativa. = Videtur quod non idem numero corpus resumat anima in resurrectione.

1. Granum quod seminatur, non idem numero resorgit. Ergo nec idem corpus quod per mortem deponitur, in resurrectione resumitur,

Conseq. prob. quia Apostolus 1. Corinth. 15. comparat mortem seminationi, et resurrectionem pullulationi, dicens. « Non corpus quod futurum est, se« minas, sed nudum granum.

2. Anima in resurrectione non erit ejusdem conditionis, sicut modo est, sed vel transferetur totaliter in cœlestem vitam, cui inhæsit vivens in mundo, vel deprimetur in brutalem, si brutaliter in hoc mundo vixit. Ergo vdietur quod nec resumet idem corpus, sed cœleste, vel brutale.

Conseq. prob., quia cuilibet formæ aptatur materia secundum suam conditionem: et similiter cuilibet agenti, instrumentum. Cum igitur corpus comparetur ad animam, sicut materia ad formam et sicut instrumentum ad agentem; sequitur quod variata animæ conditione, debeat variari corpus.

3. Si corpus formaretur ex aliis partibus elementorum, non diceretur idem numero resurgere. Ergo nec potest esse idem numero ex hoc quod ex partibus, in quibus fuit resolutum, resurgere dicitur.

Conseq. prob., quia corpus humanum post mortem resolvitur usque ad elementa. Illæ autem partes elementorum, in quas corpus humanum resolutum est, non conveniunt cum humano corpore quod in eis resolutum est, nisi in materia prima, quomodo et aliæ partes elementorum cum prædicto corpore conveniunt. Unde, sicut si formaretur ex aliis, non esset idem numero, nec erit idem numero, si ex his formetur.

4. Corpus, cujus partes essentiales sunt aliæ numero, impossibile est esse idem numero. Sed forma mixti quæ est essentialis pars corporis humani, sicut forma ejus, non poterit eadem numero reassumi. Ergo corpus non erit idem numero.

Minor prob. Illud, quod penitus cedit in non ens, non potest idem numero reassumi: quod patet ex hoc quod non potest esse idem numero, cujus esse est diversum. Sed esse interruptum, quod est actus entis, est diversum, sicut et quilibet alius actus interruptus: et sic, quod penitus cedit in non ens, non est idem numero reassumptibile. Sed forma mixtionis cedit penitus in non ens per mortem: cum sit forma corporalis; et similiter qualitates contrariæ, ex quibus fit mixtio. Ergo forma mixtionis non redit eadem numero.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job, 19. dicitur: *in carne mea vi-*

debo Deum salvatorem meum. Ubi loquitur de visione post resurrectionem, quod patet ex hoc quod præcedit. *In novissimo die de terra surrecturus sum.* Ergo idem numero corpus resurget.

2. « Resurrectio est ejus, quod cecidit, secunda surrectio, » ut Dam. dicit in 4. lib. cap. 28. Sed hoc corpus, quod nunc gerimus, per mortem cadet. Ergo hoc corpus, quod gerimus, idem numero resurget.

Determinatio.

Quorumdam errores.

Circa hanc quæstionem, et philosophi erraverunt, et quidam hæretici errant. Quidam enim philosophi posuerunt quidem animas separatas á corporibus, iterato corporibus conjungi. Errabant tamen in hoc, quantum ad duo. Primo, quidem, quantum ad modum conjunctionis, quia quidam ponebant animam separatam iterato conjungi corpori naturaliter per viam generationis. Secundo, quantum ad corpus, cui conjungebatur, quia ponebant quod secunda conjunctio non erat ad idem corpus numero quod per mortem depositum est, sed ad aliud quandoque quidem idem specie, quandoque autem diversum. Ad diversum quidem, quando anima in corpore existens præter rationis ordinem vitam duxerat. Unde transibat post mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cujus moribus vivendo se conformavit: sicut in corpus canis, propter luxuriam; in corpus leonis propter rapinam et violentiam, et sic de aliis. In corpus vero ejusdem speciei transibat quando anima bene in corpore vivens, post mortem aliqua fœlicitate perfuncta, post aliqua secula incipiebat ad corpus velle redire, et sic iterum corpori conjungebatur humano.

Reprobatio.

Sed hæc opinio ex duabus falsis radicibus venit. Quarum prima est, quia dicebant quod anima non conjungitur corpori essentialiter, sicut forma materiæ, sed solum accidentaliter, sicut motor mobili, aut sicut homo vestimento: et ideo ponere poterant, quod anima præexistebat, antequam corpori infunderetur, in generatione naturali. Et iterum, quod diversis corporibus uniretur. Secunda est, quia ponebant intellectum non differre á sensu, nisi accidentaliter, ut scilicet homo diceretur intellectum habere, præ aliis animalibus, quia in eo propter optimam corporis dispositionem et complexionem, vis sensitiva amplius viget. Unde poterant ponere, quod anima hominis in corpus animalis transiret, præcipue facta immutatione animæ humanæ ad effectus brutales. Has autem duas radices tamquam falsas destruit Phil. in lib. 2. de anim. tex. 150. Ex quarum destructione apparet falsitas dictæ positionis. Et simili modo destruuntur errores quorumdam hæreticorum, quorum quidam in prædictas philosophorum positiones inciderunt. Quidam vero posuerunt animas iterato conjungi corporibus cœlestibus, vel etiam corporibus, in modum venti subtilibus, ut Greg. narrat in lib. 14. Moral. c. 31. de quodam Episcopo Constantinopolitano, exponens illud Job. 19. *In carne mea videbo Deum*, etc. Qui errores hæreticorum etiam ex hoc destrui possunt, quod veritati resurrectionis, quam sacra scriptura profitetur, præjudicant. Non enim resurrectio dici potest nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est iterata surrectio, ejusdem autem est resurgere et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus quod cadit per mortem, quam animam quæ post mortem vivit.

Vera sententia.

Conclusio. Anima idem corpus numero in resurrectione resumet.

Prob. quia si anima non resumeret idem corpus numero, talis reassumptio, non diceretur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio, ut ex modo dictis

patet. Et hanc probant duo argumenta pro affirmativa inducta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod similitudo non currit quoad omnia, sed solum quantum ad aliquid: in seminatione enim grani granum seminatum et natum, non est idem numero, nec eodem modo se habens, cum primo seminatum fuerit absque folliculis, cum quibus tamen nascitur. Corpus autem resurgens erit idem numero, sed alio modo se habens, quia fuit mortale, et surget immortale.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod differentia, quæ est inter animam resurgentis, et animam in hoc mundo viventis, non est secundum aliquid essentiale, sed secundum gloriam et miseriam differentiam accidentalem faciunt. Unde non oportet quod aliud corpus numero resurgat, sed sufficit resurgere idem corpus, alio modo se habens, ut proportionabiliter respondeat differentia corporum dfferentiæ animarum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem, quia remoto posteriori, adhuc potest remanere prius. Oportet autem, ut Comment. dicit in 1. Phys. tex. 63. cap. 2. 4. et ult. et in lib. de subst. orbis in materia generabilium et corruptibilium, ante formam substantialem intelligere dimensiones interminatas, secundum quas attenditur divisio materiæ, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit. Unde et post separationem substantialis formæ á materia, adhuc illæ dimensiones manent eædem; et sic materia sub illis dimensionibus existens, quamcumque formam accipiat, habet maiorem idoneitatem ad illud quod ex ea generatum fuerat, quam aliqua pars alia materiæ, sub quacumque forma existens; et sic eadem materia ad corpus humanum reducetur, quæ prius ejus materia fuit. Vel juxta prædicta, dicitur ad eamdem prob. consequentiæ quod etsi materia illa naturaliter non habeat maiorem convenientiam cum humano corpore quod resolutum est in ea, quam aliæ elementorum partes; habet tamen maiorem convenien- ex divina dispositione, per quam ad reunitionem cum anima ordinatur.

Ad 4. Neg. minor. Sicut enim qualitas simplex non est forma substantialis elementi, sed accidens proprium ejus, et dispositio, per quam efficitur propria tali formæ; ita forma mixtionis, quæ est qualitas resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, non est forma substantialis corporis mixti, sed accidens proprium, et dispositio, per quam materia fit necessaria ad formam. Corpus autem humanum, præter hanc formam mixtionis, non habet aliquam formam substantialem, nisi animam rationalem, ut alias probatum est, scilicet 1. p. quæst. 76. art. 4. Unde cum anima rationalis remaneat, nulla forma substantialis humani corporis cedit penitus in non ens. Formarum autem accidentalium variatio, non facit diversitatem numeralem. Unde corpus humanum idem numero resurget, cum eadem numero materia reasumatur, ut in præcedenti solutione dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum sit idem numero homo, qui resurget.

Pro negativa. = Videtur quod non sit idem numero homo, qui resurget.

1. *Quæcumque habent speciem corruptibilem motam, non reiterantur eadem numero*, ut Philosophus dicit in 2. de generat. Sed talis est substantia hominis, secundum præsentem statum. Ergo homo non potest post mutationem mortis, iterari idem numero.

2. Ubi est alia et alia humanitas, non est idem homo numero. Sed humanitas resurgentis est alia ab ea, quam nunc habet. Ergo non est idem homo numero,

Minor prob. dupliciter. Primo, quia humanitas, quæ est forma totius, non est forma et substantia sicut anima, sed est forma tantum. Hujusmodi autem formæ cedunt penitus in non ens: et sic non possunt iterari.

Secundo, quia humanitas resultat ex conjunctione partium. Sed non potest eadem numero conjunctio reassumi quæ prius fuit, quia iteratio identitati opponitur: iteratio enim numerum importat, identitas autem unitatem, quæ non se compatiuntur. In resurrectione autem conjunctio iteratur. Ergo non est eadem conjunctio, ac per hoc nec eadem humanitas.

3. Qui non est idem numero animal, non est idem numero homo. Sed resurgens non erit idem numero animal. Ergo non erit idem numero homo.

Maior prob., quia idem homo non est plura animalia; unde si non est idem animal, non erit idem numero homo.

Minor prob., quia ubi non est idem sensus, non est idem animal; animal enim definitur per sensum primum, scilicet per tactum, ut patet 2. de anima, tex. 16. Sed sensus, cum non maneat in anima secundum quosdam, non potest idem numero reassumi. Ergo non erit idem animal.

4. Si statua ex eodem ære reficiatur, non erit eadem numero cum priori. Ergo multo minus si ex eisdem pulveribus reficiatur, homo erit idem numero.

Conseq. prob., quia materia statuæ principaliter est in statua, quam materia hominis in homine: quia artificialia sunt tota in genere substantiæ ex parte materiæ, naturalia autem ex forma, ut patet 2. Phys. c. 2. et 2. de anima, tex. 8.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Job. 19 dicitur: *quem visurus sum ego ipse, et non alius.* Et loquitur de visione post resurrectionem, ut dictum est art. preced. arg. 1. pro affirmativa. Ergo idem numero homo est surrecturus.

2. *Resurgere est reviviscere*, dicit Aug. 8. lib. de Trin. cap. 5. Sed nisi idem homo numero, qui mortuus est, ad vitam rediret, non diceretur reviviscere. Ergo non resurgeret; quod est contra fidem.

Determinatio.

Conclusio. Oportet quod idem homo numero resurgat.

Prob. Illud, quod est factum propter finem, debet, idem numero existens, ad finem pervenire: alioquin in vanum videretur fuisse factum propter illum finem. Sed homo factus est propter ultimum beatitudinis finem, quem non potest consequi in hac vita, nec in vita animæ separatæ: propter quod ponitur resurrectio. Ergo necesse est, quod idem homo numero, qui mortuus est, resurgat. Quod fit, dum eadem anima numero eidem corpori numero conjungitur per resurrectionem.

Et confirmatur, quia nisi idem homo numero repararetur, non esset proprie resurrectio. Unde asserere, quod idem numero non sit qui resurget, est hæreticum derogans veritati scripturæ, quæ resurrectionem prædicat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod Philosophus loquitur de reiteratione, quæ fit per motum, vel mutationem naturalem. Vel dicitur secundo, quod sententia Philosophi vera est de generabilibus et corruptibilibus, quorum formæ non sunt subsistentes: quia enim aliorum generabilium et corruptibilium forma non est per se subsistens, ut post compositi corruptionem remanere valeat, sicut est de anima rationali, quæ esse, quod sibi in corpore acquiritur, etiam post separationem á corpore retinet, et in participationem illius esse, corpus per resurrectionem, adducitur, cum non sit aliud esse corporis, et aliud animæ in corpore; alias esset conjunctio animæ et corporis accidentalis; et sic interruptio nulla facta est in esse substantiali ho-

minis, ut non possit idem numero redire homo, propter interruptionem essendi sicut in aliis rebus corruptis, quorum esse omnino interrumpitur, forma non remanente, materia vero remanente sub alio esse, quæ et idcirco non possunt iterari eadem numero.

Ad 2. Dicitur, quod de humanitate, et de qualibet forma totius, est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod idem secundum rem est forma totius, et forma partis, sed dicitur forma partis, secundum quod perficit materiam; forma autem totius dicitur, secundum quod ex ea tota ratio speciei consequitur. Et secundum hanc opinionem respondendo ad argumentum, negatur minor. Humanitas enim resurgentis, secundum hanc opinionem, non est alia, quia est ipsamet anima rationalis, quæ eadem numero in resurrectione reassumitur. Unde humanitas manet eadem post mortem, quamvis non sub ratione humanitatis, quia ex ea separata, compositum non consequitur rationem speciei. Alia opinio est Avicen. quæ verior videtur, scilicet quod forma totius non est forma partis tantum, nec forma alia aliqua præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ et materiæ, comprehendens in se utrumque. Et hæc forma totius, essentialis quidditas dicitur. Quia igitur in resurrectione idem numero corpus erit, et eadem numero anima rationalis, erit de necessitate eadem humanitas: et sic negatur etiam minor argumenti. Ad primam probationem dicitur quod ratio illa procedit, ac si humanitas esset quædam alia forma superveniens formæ et materiæ, quod est falsum. Ad aliam probationem dicitur quod non potest illa ratio unitatem humanitatis argüere, quia conjunctio significat actionem, vel passionem; quæ quamvis diversa sit, non potest identitatem humanitatis impedire: quia actio et passio, ex quibus erat humanitas, non sunt de essentia humanitatis. Unde eorum diversitas non inducit diversitatem humanitatis. Constat enim quod generatio et resurrectio non sunt idem motus numero, nec tamen propter hoc identitas resurgentis impeditur: similiter etiam nec impeditur identitas humanitatis, si accipiatur conjunctio pro ipsa relatione, quia relatio illa non est de essentia humanitatis, sed concomitatur eam, eo quod humanitas non sit de illis formis, quæ sunt compositio et ordo, ut est forma domus, quæ non existit eadem numero, per secundam compositionem, ut dicitur lib. 2. physic. text. 3.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod ratio illa optime concludit contra illos qui ponebant animam sensibilem et rationalem, diversas in homine esse, quia secundum hoc anima sensitiva in homine non esset incorruptibilis, sicut nec in aliis animalibus. Unde in resurrectione non esset eadem anima sensibilis, et per consequens nec idem animal, nec idem homo. Si autem ponamus quod eadem anima secundum substantiam in homine sit rationalis, et sensibilis, nullas in hoc angustias patiemur, quia animal definitur per sensum, qui est anima sensitiva, sicut per formam essentialem: per sensum autem, qui est potentia sensitiva, cognoscitur ejus definitio, sicut per formam accidentalem, quæ maximam partem confert ad cognoscendum *quod quid est*, ut dicitur 1. de anima, tex. 11. Post mortem ergo manet anima sensibilis, sicut anima rationalis, secundum substantiam; sed potentiæ sensitivæ secundum quosdam non manent; sed cum sint accidentales proprietates, earum identitatem totius animalis, aut partium auferre non potest; nec potentiæ dicuntur perfectiones, vel actus organorum, nisi sicut principia agendi, ut calor in igne. Formaliter igitur respondendo ad probationem prædictam, negatur maior. Potest enim non esse idem sensus secundum actum, et manere idem animal,

quando scilicet manet idem sensus, ut in radice, sicut in homine manet, quatenus manet anima eadem sensitiva secundum essentiam, in qua radicaliter potentiæ sensitivæ existunt.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod statua dupliciter potest considerari. Uno modo, ut est substantia quædam. Alio modo, secundum quod est artificiale quoddam. Et quia statua ponitur in genere substantiæ ratione suæ materiæ si consideretur ut est substantia quædam, est eadem numero statua, quæ ex eadem materia reparatur. Sed in genere artificialium ponitur ut est forma quædam accidentalis, quæ, statua destructa, transit, et sic non reparatur eadem numero. Forma autem hominis manet post dissolutionem corporis, et ideo potest idem homo numero reparari.

ARTICULUS III.

Utrum pulveres humani corporis ad eam partem corporis, quæ in eis dissoluta est, per resurrectionem oporteat redire.

Pro affirmativa.=Videtur quod oporteat pulveres humani corporis, ad eam partem corporis, quæ in eis dissoluta est, per resurrectionem redire.

1. «Sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita se habet pars animæ «ad partem corporis,» ut dicitur 2. de Anima, tex. 9. Sed per resurrectionem resumitur totum corpus á tota anima. Ergo oportet etiam quod partes animæ resumantur ad eadem membra, in quibus ab eisdem partibus animæ perficiebantur.

2. Diversitas materiæ facit diversitatem in numero. Sed si pulveres non redeant ad easdem partes, singulæ partes non reficientur ex eadem materia, ex qua prius constabant. Ergo non erunt eædem numero partes. Sed si partes sunt diversæ, et totum diversum erit: quia partes comparantur ad totum, sicut materia ad formam, ut dicitur 2. Physic. text. 31. Ergo non erit idem numero homo: quod est contra veritatem resurrectionis.

3. Resurrectio ad hoc ordinatur, quod homo suorum operum mercedem recipiat. Sed diversis operibus meritoriis vel demeritoriis, diversæ partes corporis deserviunt. Ergo oportet, quod in resurrectione quælibet pars ad suum statum redeat, ut pro suo modo remuneretur, vel puniatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Artificialia magis dependent á sua materia, quam naturalia. Sed in artificialibus ad hoc, quod idem artificiatum ex eadem materia reparetur, non oportet quod partes reducantur ad eumdem situm. Ergo nec in homine hoc erit necessarium ad hoc, ut idem numero resurgat.

2. Variatio accidentis non facit diversitatem numeralem in subjecto. Sed situs partium est accidens quoddam. Ergo diversitas ejus non facit diversitatem numeralem.

Determinatio.

Sensus quæsiti.

In hac quæstione refert considerare, quid fieri possit sine integritatis præjudicio; et quid de facto fiet, congruentia servetur. Et sic prior sensus quæsiti erit. An ad unitatem resurgentis servandam necessarium sit, quod pulveres redeant ad eumdem situm partium, in quo prius erant. Alter est, an de facto illi pulveres ad eumdem partium situm sint reducendi.

Quantum ad primum est considerandum, quod in homine possunt accipi diversæ partes dupliciter. Uno modo, diversæ partes totius homogenei: sicut diversæ partes carnis, vel diversæ partes ossis. Alio modo, diversæ partes diversarum specierum totius heterogenei: sicut os et caro. Et sic prior sensus habet ad hoc duplicem sensum. Primus, an pulveres reducendi sint ad partes homogeneas, puta quod pulveres in quibus

resoluta fuit caro, sint reducendi ad carnes; et ossis, ad ossa. Alter est, an sufficiat, quod reducantur ad quascumque partes, puta pulveres carnis ad ossa.

1.ª Conclusio. Possunt pulveres partium homogenearum variari, secundum situm earumdem partium, servata unitate numerali resurgentis: puta potest esse, quod pulveres in quibus resoluta fuit caro manus, reducantur ad carnes brachii, manente unitate numerali resurgentis.

Probatur, quia situs partium variatus non facit varietatem in totis homogeneis; et sic, si materia unius partis redeat ad aliam, nullum præjudicium identitatis totius generabitur. Et confirmatur exemplo statuæ inducto á Magistro in 44. dist. Statua enim non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam, secundum quam est substantia quædam: sic enim statua est homogenea, quamvis non sit homogenea secundum formam artificialem.

2.ª Conclusio. Non salvatur unitas numeralis resurgentis, si pulveres reducerentur ad partes diversarum specierum: puta pulveres ossium ad carnes reparandas, et é contra.

Manifestatur, quia sic variatur, non solum situs partium, sed etiam identitas earum, ita tamen, quod tota materia, aut quod erat de veritate humanæ naturæ in una, in aliam transferatur. Ablata autem identitate partium, auferturidentitas totius, si loquamur de partibus essentialibus, non autem si loquamur de partibus accidentalibus: sicut sunt capilli et ungües, de quibus videtur loqui August. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 19. Et sic patet, qualiter translatio materiæ de parte in partem tollat vel non tollat identitem totius.

3.ª Conclusio. Secundum congruentiam, magis probabile est, quod etiam situs partium sit servandus in resurrectione, præcipue quantum ad partes essentiales et organicas, quamvis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungües et capilli.

Hæc ut manifesta relinquitur, eam tamen firmant argumenta pro affirmativa et primum et tertium. Secundum enim probat secundam conclusionem.

AD ARGUMENTA.

Quatenus tangunt veritatem primæ conclusionis, et necessitatem concludere possunt, respondetur.

Ad 1. Dicitur, quod si loquamur de partibus homogeneis, negatur maior, nec de his loquitur Phil. sed de partibus dissimilibus, quibus respondent diversæ animæ partes. Si vero loquatur de partibus diversarum specierum, conceditur totum, et probat secundam conclusionem.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod diversitas materiæ facit diversitatem numeralem, sed non diversitas situs ejusdem materiæ. Et nunc dicitur ad minorem, quod si pulveres non redeant ad easdem partes secundum speciem, scilicet carnis ad carnes et ossis ad ossa, non reficientur ex eadem materia; secus est autem si redeant ad easdem partes, licet variato situ: tunc enim potest salvari unitas numeralis resurgentis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod diversis operibus meritoriis deservierunt diversæ partes corporis, tamen, quia operatio, proprie loquendo, non est partis, sed totius, ideo merces vel pœna non partibus quibus homo operatur, sed homini operanti debetur: licet secundum congruitatem, partes ipsæ corporis quibus homo operatus est, sint etiam mercede, vel pœna donandæ.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 168.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem confundas hæresim *Eutychii* dicentis: resuscitatum corpus post resurrectionis gloriam futurum aere, et vento subtilius, ita ut nec palpari, nec videri possit. Si enim idem numero corpus, ut hic efficaciter probatur, resurget, et hoc nunc est palpabile, et visibile patet: quod tunc itidem palpabile, et visibile erit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illam damnari á Christo Luc. 24. « Palpate, et videte, quoniam spiritus carnem et osa non habet, sicut me videtis habere. » Et Jo. 20. « Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manus tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus. » Unde patet quod, cum Christus sit causa, et exemplar nostræ resurrectionis, quæst. 76. art. 1. et suum corpus fuerit palpabile, atque visibile, imo et realibus cicatricibus adhuc insignitum, et tamquam idem numero se ostendens, quod corpora mortuorum in resurrectione erunt palpabile, et visibilia, imo et eadem penitus numero. Inde etiam patet ad litteram, quod negare non solum resurrectionem corporum, sed etiam eorumdem numero, est incredulitas ibi á Domino exclusa. Item á Job. 19. « De terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et non alius. » Nota ly non alius, scilicet á me. Hæc authoritas patentissime propositum concludit. Item á facto Imperatoris Tyberii Constantini, qui cernens, B. Gregorium tunc ad illas partes legatum, postea Pontificem convicisse Eutychium illum de hæresi in positione prædicta, jussit comburi ipsius libros ista continentes, ut ajunt historiæ. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, Imperatorii facti, et Pontificis, pro quanto idem numero corpus reassumentum insinuant, et intelligas, et probes et tuearis: *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Trinitariorum* dicentium: quod corpus corruptum non contingit idem numero resurgere. Item hæresim Albanensium, et Albigensium dicentium: animas humanas transire de corpore in corpus. Si enim idem numero homo resurgit, utrevera surget, patet, quod non transibunt animæ de corpore in corpus, sed unaquæque in suum corpus: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á, etc. ut q. 69. art. 1. et 3. Item á, etc. ut 1. p. q. 75. art. 6. append. Item á quæstionis hujus art. 1. append. Item á Concil. Toletano 4. loquente sic de Christo. « Venturus est ad judicium vivorum, et mortuorum. Cujus morte, et sanguine mundati remissionem peccatorum consequuti sumus; resuscitandi ab eo in die novissimo in ea, qua nunc vivimus, carne. Hæc est Ecclesiæ catholicæ fides. Hæc ibi: nota ly cujus sanguine mundati, et remissionem peccatorum consequuti: quod hoc vel ex parte Christi intelligitur tantum, vel etiam ex parte nostri simul. Primo modo mundati sunt mali: secundo autem boni. Et, quia Concilium resuscitandos utrosque decernit; ideo dictum illud accipit utroque modo, divisim tamen proporcionaliter. Item á constitutionibus Apostolicis authore Clemente Papa, et martyre lib. 5. c. 8. « Ipse nos excitabit omnipotens Deus cum omnibus qui á principio dormierunt, tales, quales modo sumus præsenti figura, nihil mancum habentes, nec corruptioni obnoxium: quoniam immortales resurgemus. » Ubi per ly tales, quales modo sumus, præsenti figura, nil mancum habentes describunt identitatem numeralem hominis resuscitandi. Item ab eisdem ibid. in versibus Sybillæ, supra qu. 75. ar. 1. vel 2. append. *Tertio* habes: quomodo prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto eumdem numero hominem resurrecturum insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas. merito insinuatum, á, etc. ut artic. 2. append. quod pulveres humani per resurrectionem redibunt ad partem corporis speciei prius habitæ, ita, quod pulveres carnium ad carnes, ossum ad ossa, nervorum ad nervos, et sic de aliis. Authoritates enim illæ quæ probant resurrectionem fieri ad idem numero corpus, et quod homo idem numero resurget, probant

etiam præsens institutum. Non enim totum esset idem, nisi et partes (ut dictum in corp.) et consequenter identitatem partium probat, quodcumque probat identitatem totius. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA NONA.

DE INTEGRITATE CORPORUM RESURGENTIUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de integritate corporum resurgentium.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum omnia membra corporis humani in ipso resurgent.

Secundo, utrum capilli, et ungües.

Tertio, utrum humores.

Quarto, utrum totum id quod fuit in eo de veritate humanæ naturæ.

Quinto, utrum totum quod in eo materialiter fuit.

ARTICULUS I.

Utrum omnia membra humani corporis resurgent.

Pro negativa. = Videtur quod non omnia membra humani corporis resurgent.

1. Remoto fine, frustra reparatur id quod est ad finem. Sed post resurrectionem removebitur finis quorumdam membrorum. Ergo hujusmodi membra non reparabuntur, vel frustra repararentur, quod est inconveniens, quia in operibus Dei nihil fit frustra.

Minor ostenditur, quia finis cujuslibet membri est ejus actus, sive usus. Post resurrectionem autem non competet homini usus quorumdam membrorum et præcipue genitalium: *cum tunc non nubent, nec nubentur.*

2. Intestina, quæ membra quædam sunt, non resurgent. Ergo non omnia membra resurgent.

Antecedens prob. quia intestina non resurgent plena: quia immunditias continent. Nec vacua; quia nihil est vacuum in natura.

3. Ad hoc corpus resurget, ut præmietur de opere quod anima per ipsum gessit. Sed membrum amputatum latroni propter furtum, qui postea pœnitentiam egit et salvatus est, non potest in resurrectione remunerari; nec de bono, quia ad hoc cooperatum non est; nec de malo, quia pœna membri in pœnam hominis redundaret. Ergo tale membrum non resurget cum tali homine.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Capilli et ungües restituentur homini in resurrectione, ut Magister dicit in 4. dist. 44. Ergo multo fortius alia membra.

Conseq. prob., quia magis pertinent ad veritatem humanæ naturæ alia membra, quam capilli et ungües.

2. *Dei perfecta sunt opera*, ut dicitur Deut. 32. Sed resurrectio opere divino fiet. Ergo homo reparabitur perfectius in membris suis.

Determinatio.

CONCLUSIO. Oportet quod omnia membra, quæ nunc sunt in corpore hominis, in resurrectione reparentur.

Prob. Oportet hominem resurgere perfectum. Sed si non resurgeret cum omnibus membris, non resurgeret perfectus. Ergo oportet quod omnia membra, quæ nunc sunt in corpore hominis, in resurrectione reparentur.

Maior ostenditur, quia homo in resurrectione reparabitur ad consequendam ultimam perfectionem.

Minor manifestatur, præmittendo, quod sicut dicitur 2. de Anim. tex. 36. «Anima se habet ad corpus, non solum «in habitudine formæ et finis, sed etiam «in habitudine causæ efficientis:» est enim comparatio animæ ad corpus, sicut comparatio artis ad artificiatum, ut dicitur 3. de animalibus. Quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite, et originaliter in ipsa arte continetur: et similiter quidquid in parte corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite in anima continetur. Sicut ergo opus artis non esset perfectum, si artificiato deesset aliquid eorum quæ ars continet; ita nec homo potest esse perfectus, nisi totum quod implicite in anima continetur, exterius in corpore explicaretur. Explicantur autem ea, quæ in anima continentur, exterius per corporis membra, quibus anima exercet operationes suarum potentiarum. Unde, si homo non resurgeret cum omnibus corporis membris, non esset perfectus. Quia corpus non responderet ad plenum proportionaliter animæ, et tamen necesse est ut ei respondeat ad plenum. Quia non resurget corpus, nisi secundum ordinem quem ex divina providentia habet ad animam rationalem. Et sic remanet probata minor, scilicet quod si corpus non resurgeret cum omnibus suis membris, non resurgeret homo perfectus. Quia inquam, tunc non ostenderentur exterius omnia quæ in anima continentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam. Uno modo secundum habitudinem materiæ ad formam. Alio modo secundum habitudinem instrumenti ad agentem. «Eadem enim est compa«ratio totius corporis ad animam totam, «et partium ad partes,» ut dicitur 2. de Anim. text. 9. Si ergo membra accipiantur secundum primam considerationem et comparationem, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum esse speciei quod etiam post resurrectionem requiretur. Unde secundum hanc comparationem formaliter respondendo, negatur minor. Ad cujus prob. jam dictum est quod operatio secundum hanc comparationem, non est finis membrorum corporis, sed eorum finis est perfectio totius. Si autem accipiantur membra juxta secundam comparationem, sic conceditur quod finis eorum sit operatio. Nec tamen sequitur quod, remota operatione, frustra repararetur membrum: quia finis membri non solum est operationis executio, sed etiam ostendere virtutem animæ operantis, et sic non erunt frustra, etsi numquam in actum prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur quod intestina resurgent in corpore, sicut et alia membra, et plena erunt, non turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humoribus.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod membrum quod ante pœnitentiam est mutilatum, quamvis non sit cooperatum ad bonum homini in statu illo, quo gloriam postea meretur, scilicet post mutilationem; tamen ipse homo meretur, ut totus recipiat præmium, qui ex toto quod habet, servit Deo.

ARTICULUS II.

Utrum capilli et ungües in homines resurgent.

Pro negativa. = Videtur quod capilli et ungües in homine non resurgent.

1. Sudor, urina et aliæ superfluitates, vel fœces, non resurgent cum corpore. Ergo nec capilli et ungües.

Conseq. prob., quia capilli et ungües ex superfluitatibus cibi generantur, sicut sudor et urina et aliæ superfluitates.

2. Semen non resurget in corpore hominis. Ergo multo minus capilli et ungües resurgent.

Conseq. prob., quia inter alias superfluitates, quæ ex cibo generantur, ma-

xime accedit ad naturæ humanæ veritatem semen quod est superfluum, quo indigetur.

3. Illud quod resurget, est perfectum anima rationali. Sed capilli et ungües non sunt perfecti anima rationali. Ergo capilli et ungües non resurgent.

Minor prob., quia corpus humanum non resurget, nisi quia est perfectum anima rationali.

Minor prob. Nihil est perfectum anima rationali quod non sit perfectum anima sensibili. Sed capilli et ungües non sunt perfecti anima sensibili. Ergo nec sunt perfecti anima rationali.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Lucæ 21. dicitur: *capillus de capite vestro non peribit.*

2. Capilli et ungües sunt dati in ornamentum homini. Sed corpora hominum, præcipue beatorum debent resurgere cum omni ornatu. Ergo debent resurgere cum capillis.

Determinatio.

CONCLUSIO. Oportet quod capilli et ungües in homine resurgant.

Prob. omne quod est de perfectione humanæ naturæ, oportet in homine resurgere. Sed capilli et ungües sunt de perfectione humanæ naturæ. Ergo capilli et ungües in homine resurgent.

Maior patet, quia homo resurget in omni perfectione suæ naturæ.

Minor manifestatur. Nam anima se habet ad corpus animatum, sicut ars ad artificiatum et ad partes ejus, sicut ars ad sua instrumenta, ut artic. præcedenti dictum est. Unde et corpus animarum, organicum dicitur. Ars autem utitur quibusdam instrumentis ad operis intenti executionem, et hæc instrumenta sunt de prima intentione artis. Utitur etiam aliis instrumentis ad conservationem principalium instrumentorum, et hæc sunt de secunda intentione artis. Sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, et vagina ad gladii conservationem. Ita et in partibus corporis animati, quædam ordinantur ad exequendas animæ operationes, sicut cor, epar, manus et pedes. Quædam vero ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperturam fructuum: sicut etiam capilli et ungües sunt in homine ad custodiam aliarum partium. Unde sunt de secunda perfectione humani corporis, quamvis non de prima: et sic patet minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod superfluitates illæ, scilicet, sudor et urina non pertinent ad perfectionem humani corporis, et ideo expelluntur á natura, ut quasi ad nihilum utiles. Secus autem est de aliis superfluitatibus, quas natura sibi retinet ad generationem capillorum et unguium, quibus indiget ad membrorum conservationem, et ad ornamentum corporis.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod semine non indigetur, ad perfectionem individui, sicut capillis et unguibus, sed solum ad conservationem speciei, per generationem, quæ non erit in futura vita.

Ad 3. Negatur minor. Nam cum capilli, et ungües nutriantur et augeantur, necesse est quod aliquam operationem animæ participent; quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ: et quia in homine non est nisi una anima, scilicet rationalis, constat quod ab anima rationali perfecta sunt, quamvis non usque ad hoc quod operationem sensus participent, sicut nec ossa, de quibus constat quod resurgent, et sunt de integritate individui.

ARTICULUS III.

Utrum humores in corpore resurgent.

Pro affirmativa. = Videtur quod humores in corpore non resurgent.

1. Sanguis, qui est principalis humor, non resurget in beatis. Ergo multo minus sanguis, et alii humores resurgent in aliis.

Antecedens prob. quia *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, ut dicitur 1. Cor. 15.

2. Humores sunt ad restitutionem deperditi. Sed post resurrectionem nulla fiet deperditio. Ergo corpus non resurget cum humoribus.

3. Ea, quæ resurgent, sunt perfecta anima rationali. Sed humores non sunt perfecti anima rationali. Ergo non resurgent.

Maior prob.. quia corpus humanum non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod est perfectum anima rationali.

Minor prob. Illud quod est in via generationis in corpore humano, nondum est ab anima rationali perfectum. Sed humores adhuc sunt in via generationis, cum sint in potentia os et caro. Ergo non sunt perfecti anima rationali.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud quod est de constitutione corporis humani, resurget in eo. Sed humores sunt de constitutione corporis humani: ut patet per Aug. dicentem in lib. de spirit. et anima cap. 15. quod «constat ex membris officialibus, officialia ex consimilibus, consimilia ex «humoribus.»

2. In Christo resurrexit sanguis. Ergo et in nobis resurget sanguis. et eadem ratione alii humores.

Antecedens prob. quia alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem ejus, in sacramento altaris.

Conseq. prob., quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi.

Determinatio.

Conclusio. Humores aliqui simul cum corpore humano resurgent.

Prob. Ea, quæ sunt de integritate naturæ in humano corpore, simul cum corpore resurgent. Sed quidam humores sunt de integritate humanæ naturæ. Ergo quidam humores resurgent in humano corpore.

Maior. probata est. art. 1. Minor simul cum conclusione declaratur et probatur, ostendendo qui sint humores, qui ad integritatem et perfectionem naturæ pertineant.

Pro quo est considerandum quod in homine triplex est humiditas. Quædam enim humiditas est in recedendo á perfectione hujus individui, vel quia est in via corruptionis et á natura abjicitur, sicut urina, sudor et sanies et alia hujusmodi: vel quia á natura ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generationis, sicut semen; sivè per actum nutritionis, sicut lac: et nulla talium humiditatum resurget, quia non sunt de perfectione individui resurgentis. Secunda humiditas est, quæ nondum pervenit ad ultimam perfectionem, quam natura operatur in individuo, sed est ad illam á natura ordinata; et hæc est duplex. Quædam est, quæ habet aliquam formam determinatam, quæ continetur inter partes corporis, sicut sanguis et alii tres humores, quos natura ordinavit ad membra quæ ex eis generantur, sed tamen habent aliquas formas determinatas, sicut et aliæ partes corporis; et ideo resurgent cum aliis partibus corporis. Quædam vero humiditas hujus secundi generis est in via transeundi de forma in formam, scilicet de forma humoris in formam membri; et talis humiditas non resurget, quia post resurrectionem, partes corporis singulæ in suis formis stabilientur, ut una in aliam non transeat: et ideo non resurget illa humiditas, quæ est in ipso actu transeundi de forma in formam. Quæ tamen humiditas potest in duplici statu considerari. Vel secundum quod est in principio transmutationis, et sic vocatur ros, et hæc est illa humiditas, quæ est in foraminibus parvarum venarum. Vel secundum quod est in progressu transmutationis et incipit jam dealterari, et sic vocatur *cambium*. et in neutro statu hujusmodi humiditas re-

surget. Tertium humiditatis genus est quod jam pervenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit in corpore individui, quæ jam est dealterata et incorporata membris, et hæc vocatur gluten, et hæc resurget, sicut et membra, de quorum substantia est. Et sic patet minor et remanet declarata conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo, quod caro et sanguis in verbis illis Apostoli non accipiuntur pro substantia carnis, et sanguinis, sed pro operibus carnis, et sanguinis, quæ sunt opera peccati, vel opera animalis vitæ. Secundo dicitur, ut Aug. dicit in Epist. ad Cosentium, quæ est 146. « Caro, et sanguis accipitur ibi pro « corruptione, quæ nunc dominatur in « carne et sanguine. » Unde et subditur in verbis Apostoli, neque corruptio incorruptionem.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut membra servientia generationi erunt post resurrectionem ad integritatem naturæ, non ad operationem, quæ nunc exercetur per membra illa; ita humores erunt in corpore, non ad restaurationem deperditi, sed ad integritatem humanæ naturæ reparandam, et ad ostensionem naturalis virtutis, ut art. 1. dictum est.

Ad 3. Neg. minor. Ad maiorem probationis dicitur, quod non est universaliter vera. Sicut enim elementa sunt in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia, non tamen ita, quod semper sint in transeundo, in corpore mixto, ita etiam se habent humores ad membra, et propterea, sicut elementa in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt de perfectione universi, sicut et corpora mixta, ita etiam humores sunt de perfectione corporis humani; sicut et aliæ partes, quamvis non perveniant ad tantam perfectionem, sicut aliæ partes, sicut nec elementa habent ita perfectas formas, sicut mixta. Sicut autem omnes partes universi á Deo perfectionem consequuntur, non æqualiter, sed unumquodque secundum suum modum, ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo, sicut perfectiores partes.

ARTICULUS IV.

Utrum totum, quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ, resurget in ipso.

Pro negativa. = Videtur quod non totum, quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ, non resurget in ipso.

1. Si resurgeret in corpore quidquid in eo de veritate naturæ fuit, sequeretur, quod etiam resurgeret caro bovis: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia caro bovis quandoque sumitur in cibum, qui in veritatem humanæ naturæ convertitur.

2. Costa Adæ fuit de veritate humanæ naturæ in ipso, sicut et costa nostra in nobis. Sed costa Adæ non resurget in eo: alias Eva, quæ de costa illa formata fuit, non resurgeret. Ergo non resurget in homine, quidquid in eo fuit de veritate humanæ naturæ.

3. Non potest idem in diversis hominibus resurgere. Sed potest esse, quod aliquid fuerit de veritate humanæ naturæ in diversis hominibus: sicut si aliquis carnibus humanis nutriatur, quæ in substantiam ejus transeunt. Ergo non resurget in omnibus quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipsis.

Si dicatur, quod non omne, quod est in carne comesta, est de veritate humanæ naturæ, et ita aliquid eorum poterit resurgere in primo, et aliquid in secundo.

4. Contra. De veritate humanæ naturæ maxime videtur esse illud, quod á parentibus trahitur. Sed si aliquis non comedens nisi carnes humanas, filium generaret, oporteret quod illud, quod filius á patre trahit, sit de carnibus aliorum hominum, quas pater comedit: quia semen est de superfluo alimenti. Ergo

illud quod est de veritate humanæ naturæ in puero isto, fuit etiam de veritate humanæ naturæ in aliis hominibus, quorum carnes pater comedit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omne, quod fuit perfectum anima rationali, resurget in corpore. Sed totum quod est de veritate humanæ naturæ, fuit perfectum anima rationali. Ergo totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ, resurget in corpore.

Maior prob., quia ex hoc corpus humanum habet ordinem ad resurrectionem, quia fuit anima rationali perfectum.

2. In resurrectione tolletur omnis imperfectio, præcipue ab electis, quibus promissum est Lucæ 21. quod Capillus de capite eorum non peribit. Ergo quidquid fuit de veritate humanæ naturæ, resurget in homine.

Conseq. prob., quia, si á corpore hominis subtrahatur aliquid, quod est de veritate humanæ naturæ in ipso, non erit corpus hominis perfectum.

Determinatio.

Conclusio. Totum quod fuit de veritate humanæ naturæ in corpore, resurget in ipso.

Prob. Quidquid pertinet ad esse humanæ naturæ, resurget in corpore. Sed Quidquid est de veritate humanæ naturæ, pertinet ad ejus esse. Ergo quidquid est in corpore pertinens ad veritatem humanæ naturæ, resurget in ipso.

Minor prob., quia «unumquodque sicut se habet ad veritatem, ita se habet ad esse,» ut dicitur 2. Met. v. 4. et Atic. dicit quod «veritas uniuscujusque rei est proprietas sui esse, quod «stabilitum est ei.» Et secundum hoc, aliquid dicitur esse de veritate humanæ naturæ, quod pertinet ad esse humanæ naturæ, et hoc est id quod participat formam humanæ naturæ, sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri.

Opiniones autem diversæ circa hoc, scilicet quid proprie et vere dicatur esse de veritate humanæ naturæ, quæ in hoc articulo recitantur, ideo omittuntur quia in prima parte, quæst. 119. artic. 1. recitatæ, et reprobatæ fuerunt illæ quæ erant reprobandæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod res naturalis non est id quod est ex sua materia, sed est id quod est ex sua forma. Unde, etsi illud materiæ, quod quandoque fuit sub forma carnis bovinæ resurgat in homine sub forma carnis humanæ, non sequitur quod resurgat caro bovis, sed caro hominis; alias enim posset concludi quod resurgeret limus, de quo formatum est corpus Adæ.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod, costa illa non fuit in Adam de perfectione individui, sed ordinata ad perfectionem speciei. Unde non resurget in Adam, sed in Eva.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod si in carnibus humanis comestis erat aliquid, quod non pertineret ad veritatem humanæ naturæ in primo, illud resurget in secundo, scilicet in eo qui comedit hujusmodi carnes. Illud autem, quod pertinuit ad veritatem naturæ in primo, non resurget in secundo; sed loco ejus sumetur, vel aliquid de eo, quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est. Vel si nullo alio cibo pastus fuisset nisi humanis carnibus, divina virtute aliunde supplebitur, quantum erit necessarium ad perfectionem quantitas, sicut etiam supplet in illis qui ante perfectam ætatem decedunt. Nec per hoc aliquid præjudicatur identitati numerali, sicut nec præjudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt et refluunt.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod non est possibile quod totum quod fuit in carnibus comestis, in semen convertatur,

qnia post multam depurationem cibi pervenitur ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultima cibi. Illud autem, quod de carnibus comestis in semen convertitur, pertinet magis ad veritatem humanæ naturæ in eo, qui ex semine nascitur, quam in illo, ex cujus carnibus semen est generatum. Et ideo secundum regulam datam in præcedenti responsione, hoc, quod in semen conversum est, resurget in eo qui ex semine nascitur; residuum vero materiæ resurget in illo, ex cujus carnibus comestis semen est generatum. Opiniones autem prædictæ de his quæ ad veritatem naturæ pertinent, tractantur etiam in 2. sententiarum, dist. 30. in quæst. 2.

Articulum V. seq. de materiæ universæ hominis reassumptione, ut præcedenti art. affinem et agitatum autor hic omisit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 169.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á fortiori per Luc. 21. quod omnia membra humani corporis resurgent, et sic. *Capillus de capite vestro non peribit.* Si enim tam minimum quid in resurgente non peribit, patet, quod multo magis per hoc ostenditur, quod membra nulla corporis peribunt. Item per Psalm. 33. ubi de justis dicitur. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Item per 1. Reg. 2. *Pedes sanctorum suorum servabit.* Ex quibus argumentare, ut nunc supra. Cum audis, hæc dici de sanctis qnoad resurrectionem, intellige etiam de malis, quoad illam. Conformabuntur enim utrique Christo, qui in resurrectione reassumpsit omne, quod ad humanæ naturæ integritatem pertinebat. 3. p. q. 54. ar. 3. quoad vitam naturæ: licet solum boni quoad vitam gloriæ sub. q. 75. ar. 2. ad 3. et q. 76. ar. 1. ad 4. Item per constitutiones Apostolicas, authore Clemente Papa, et martyre, li. 5. c. 8. « Excitabit nos omnipotens Deus virtute sua, nil mancum habentes; quoniam mundus totus manu Dei continetur. Capillus, inquit, ex capite vestro non peribit. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc,

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatnm directe á scripturis, et patribus, quod capilli, et ungües resurgent in homine; et sic, ut art. 1. appen. Vide ibi, quoniam authoritates illæ utrumque propositum concludunt, sed illud á fortiori, hoc directe. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, et scripturarum, pro quanto quod diximus insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, tamquam á fortiori, per Luc. 21. quod humores resurgent in corpore: et sic. Capillus de capite vestro non peribit. Per hoc enim innuitur, quod illa quæ majorem habent perfectionem ab anima rationali, quam capilli, multo magis non peribunt in resurrectione. Ad hanc enim resurrectionem applicanda est illa authoritas, ut fit á constitutionibus Apostolicis, authore Clem. Papa, et martyre lib. 5. c. 8. Item á etc. ut ar. 1. et 2. app. Authoritates enim ibi allegatæ propositum præsens alio modo concludunt: ut videre est applicanti. Ex hoc tamen, quod authoritates illæ ponunt humores resurrecturos in corpore, cave ne aliquam corruptibilitatem corporibus resurgendis immisceas: propterea quod vides in præsenti alterationes, multasque corruptiones ex humoribus in corpore existentibus generari. Nam, sicut virtute divina resurrectio fiet ipsorum, ita virtute eadem corruptibilitas omnis ab eis auferetur in perpetuum: sicut et á si-

mili de igne respectu positorum in camino, et bonorum nihil purgabile habentium dictum est q. 74. a. 8. Unde et directius monstrat hoc August. in epist. ad Consentium, inquiens. « Fortassis accepta occasione sanguinis urgebit nos molestior perscrutator, et dicet: Si sanguis in corpore Christi resurgentis fuit; cur non et pituita, idest phlegma, cur non et fel flavum, idest cholera, et fel nigrum, idest melancholia. Sed, quodlibet quisquis addat corruptionem addere caveat: ne suæ fidei sanitatem, castitatemque corrumpat. Valet enim divina potentia de ista visibili, atque tractabili natura corporum, quibusdam monentibus, auferre, quas voluerit, qualitates, ut absit labes, sc. corruptionis, adsit effigies, adsit motio, absit fatigatio, adsit vescendi potestas, adsit esuriendi necessitas. » Hæc autem, quæ dicit de humoribus in Christo resurgente, dicas et de resurrecturis hominibus, quoniam resurrectio Christi est causa et efficiens, et exemplaris resurrectionis nostræ, q. 76. art 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto humores resurrecturos in corpore insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, á fortiori, insinuatum merito esse á Luc. 21. quod totum existens in corpore de veritate humanæ naturæ resurget in ipso, et sic. Capillus de capite vestro non peribit. Capilli enim minus videntur esse de veritate humanæ naturæ, quam plurima alia, et per consequens ex hoc, quod illi resurgent, multo magis alia de veritate hujusmodi existentia. Item á, etc. ut ar. 1. 2. et 3. app. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á 1. Cor. 15. quod totum materialiter in membris hominis existens resurget, et sic. Resurgent mortui incorrupti. Ac si dicat, nihil de requisitis illorum naturæ deficiet in eisdem resurgentibus. Alioquin corruptio interveniret. Ubi nota, quod corruptio alicujus rei prius existentis dicitur ei advenire, quando sibi subtrahitur aliquid, quod habebat. Item á constitutionibus Apostolicis, authore Clemente Papa, et martyre, lib. 5. cap. 8. « Omnipotens Deus excitabit nos cum omnibus, qui á principio dormierunt, tales, quales modo sumus, præsenti figura, nil mancum habentes. Quamvis enim in mari moriamur, quamvis in terra discerpamur, quamvis á feris, vel ab avibus laniemur, tamen excitabit nos virtute sua, quoniam mundus totus Dei manu continetur. » Ubi sub ly figura intellige etiam quantitatem, situm, et ordinem partium, de quibus in corpor. Item á Luc. 21. *Capillus de capite vestro peribit*. Et á, etc, ut articul. 1. 2. et 3. append. Inde enim trahitur propositum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA.

DE QUALITATE RESURGENTIUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate resurgentium.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum resurgent omnes in ætate juvenili.

Secundo, utrum in æquali statura.

Tertio, utrum omnes in eodem sexu.

Quarto, utrum in vita animali.

ARTICULUS. I.

Utrum omnes resurgent in eadem ætate.

Pro negativa. = Videtur quod non omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili.

1. Ætas senilis pertinet ad perfectionem hominis. Ergo senes resurgent in senili ætate, et non in juvenili.

Antecedens prob., quia senectus est venerabilis ætas.

Conseq. prob., quia Deus á resurgentibus (præcipué beatis) nihil sub-

trahet, quod ad perfectionem hominis pertineat.

2. Impossibile est tempus quod fuit præteritum, non præteriisse. Ergo impossibile est eos qui ætatis maioris fuerunt, ad ætatem juvenilem reduci.

Conseq. prob., quia Ætas computatur secundum mensuram temporis præteriti.

3. Illud maxime resurget in unoquoque quod magis in eo fuit de veritate humanæ naturæ. Sed quæ in homine fuerunt, dum esset in puerili ætate, maxime pertinent ad veritatem naturæ. Ergo, si homines resurgent in eadem ætate, debent resurgere in ætate puerili, et non virili.

Minor prob., quia in fine propter veritatem speciei debilitatam, corpus humanum comparatur vino aquoso, ut patet lib. 1. de Gen. text. 88.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Christus resurrexit in ætate juvenili, quæ circa 30 annos incipit, ut August. dicit. lib. 22. de civit. Dei. cap. 15. Ergo et alii in ætate juvenili resurgent.

Conseq. prob., quia omnes resurgent in ætate Christi: juxta illud ad Ephes. 4. « Donec occurramus omnes in virum « perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

3. Homo in maxima perfectione naturæ resurget. Sed perfectissimum statum habet in ætate juvenili. Ergo in illa ætate resurget.

Determinatio.

Conclusio. Homines resurgent in ætate juvenili.

Prob. Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ. Ergo resurget in ætate juvenili.

Antecedens prob., quia sicut Deus humanam naturam absque omni defectu naturali instituit, ita sine defectu reparabit.

Conseq. prob., quia humana natura deficit dupliciter. Uno modo, quia nondum perfectionem ultimam est consecuta. Alio modo, quia jam ab ultima perfectione recessit. Primo modo, deficit in pueris. Secundo modo, deficit in senibus. Pueri enim ad ultimam naturæ perfectionem non pervenerunt. Senes vero ad ipsa per ætatem recesserunt. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, et á qua incipit motus decrementi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod Ætas senectutis habet reverentiam, non propter conditionem corporis quod in defectu est, dum est in senectute, sed propter sapientiam animæ, quæ ibi esse præsumitur, ex temporis antiquitate. Unde in electis manebit reverentia senectutis, propter plenitudinem divinæ sapientiæ quæ in eis erit, remoto senectutis defectu.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non loquimur de ætate, quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum, qui in corpore humano ex annis relinquitur. Unde Adam dicitur in ætate juvenili formatus, propter talem corporis dispositionem et conditionem, quam primo die suæ formationis habuit. Non fiet igitur quod anni elapsi non transirent, sed redibit dispositio, quam corpus in ætate juvenili habuit.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod virtus speciei dicitur esse perfectior in puero, quam in juvene, quantum ad efficaciam agendi conversionem alimenti aliquo modo, sicut etiam est perfectior in semine, quam in homine completo; sed in juvenibus est perfectior, quantum ad terminum complementi. Unde illud quod maxime ad veritatem humanæ naturæ pertinuit, deducetur ad illam perfectionem quam habet in ætate juvenili; non ad illam quam habet in

ætate puerili, in qua humores non pervenerunt adhuc ad ultimam digestionem.

ARTICULUS II.

Utrum omnes resurgent ejusdem staturæ.

Pro affirmativa. = Videtur quod omnes resurgent ejusdem staturæ.

1. Sicut homo mensuratur quantitate dimensiva ita quantitate durationis. Sed quantitas durationis in omnibus reducetur ad eamdem mensuram: omnes enim in eadem ætate resurgent. Ergo et quantitas dimensionis in omnibus reducetur ad eamdem mensuram, ut in eadem statura omnes resurgant.

2. Omnes homines habent eamdem formam specificam: ergo in omnibus debet esse, secundum materiam, eadem quantitatis mensura, nisi sit error naturæ. Sed error naturæ corrigetur in resurrectione. Ergo omnes resurgent in eadem statura.

Conseq. prima prob., quia dicitur in 2. de Anim. quod « omnium natura « constantium terminus est, et ratio mag- « nitudinis et augmenti, qui terminus non est nisi ex virtute formæ, cui debet congruere quantitas, sicut et omnia alia accidentia. Ex hoc igitur quod omnes homines eamdem habent specificam formam, sequitur quod omnes eamdem debeant habere quantitatem, nisi acciderit naturæ error.

3. Virtus reparans omnia corpora est eadem numero, scilicet divina virtus: Cineres etiam omnes quibus humana corpora reparantur, æqualiter se habent ad suscipiendam actionem prædictæ virtutis. Ergo ad eamdem quantitatem terminabitur resurrectio omnium hominum.

Conseq. prob. quia quantitas illa debet proportionari virtuti reparanti corpus humanum per resurrectionem materiæ, de qua reparatur: et hoc, quia quantitas resurgentis non poterit esse proportionata virtuti naturali quæ primo corpus formavit. Alias enim qui non potuerunt ad maiorem quantitatem perduci virtute naturæ, numquam in maiori quantitate resurgerent: quod est falsum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

In resurrectione non variabitur natura individui resurgentis. Ergo nec variabitur quantitas naturalis ejus. Ergo non omnes resurgent in eadem statura.

Prima Conseq. prob., quia quantitas naturalis consequitur naturam uniuscujusque individui. Unde ex hoc quod non variatur natura; sequitur quod nec naturalis quantitas varietur.

Secunda vero consequentia prob. quia non est eadem omnium individuorum quantitas.

Determinatio.

Conclusio. Non omnes resurgent ejusdem staturæ.

Prob. Non est eadem naturalis quantitas staturæ conveniens omnibus individuis. Ergo non omnes resurgent ejusdem staturæ.

Conseq. prob.. quia in resurrectione non reparabitur humana natura, solum quantum ad idem specie, sed etiam quantum ad idem numero. Et ideo in resurrectione non solum attendendum est quid competat naturæ speciei, sed etiam quid competat naturæ individui. Unde si individuis non competat eadem naturalis quantitas staturæ, non poterunt omnes ejusdem staturæ resurgere.

Antecedens manifestatur. Nam natura humanæ speciei habet aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore, quæ tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, et non est accipienda, secundum unam determinatam mensuram. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur infra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis, quæ competit naturæ individui, et ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuerit aliquis error in opere naturæ, per quem sit aliquid additum, vel subtractum prædictæ quantitati, cujus quidem men-

sura accipitur secundum proportionem caloris extendentis, et humidi extendibilis quod non est ejusdem virtutis in omnibus: et ideo non omnia individua habent, aut habere possunt, eamdem quantitatem, sed maiorem vel minorem, juxta vires caloris extendentis, et extensibilitatem humidi. Et sic patet antecedens. Quilibet igitur resurget in illa quantitate, in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset. Quod autem super est, vel deficit in homine, resecabitur, vel supplebitur per divinam potentiam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod sicut art. præced. ad dictum est, non dicuntur omnes in eadem ætate resurgere, quasi omnibus competat eadem quantitas durationis, sed quia idem perfectionis status erit in omnibus: qui quidem status potest salvari in magna vel parva quantitate.

Ad 2. Neg. prima conseq. Ad prob. dicitur quod terminus quantitatis naturalis individui est pensandus, non solum ex forma, sed ex calore, et humido, quæ cum non sint in omnibus individuis æqualia, nec statura æqualis esse poterit, ut in corp. dictum est.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quantitas resurgentis non proportionatur virtuti reparanti, quia illa non est de natura corporis, sed naturæ, quam primo individuum habebat; ita tamen quod si virtus formativa propter aliquem defectum non poterat perducere ad debitam quantitatem, quæ competit speciei, divina virtus supplebit in resurrectione defectum, sicut patet in Nanis. Et eadem ratio est de illis, qui magnitudinis immoderatæ fuerunt, ultra debitum naturæ.

ARTICULUS III.

Utrum omnes resurgent in sexu virili.

Pro affirmativa.=Videtur quod omnes resurgent in sexu virili.

1. Dicitur ad Ephes. 4. *Omnes occurremus in virum perfectum*, etc. Ergo in resurrectione non erit nisi sexus viris.

2. In futuro omnis prælatio cessabit. ut dicitur in gloss. ordin. super illud, *cum evacuaverit omnem principatum* etc. 1. Cor. 15. Ergo mulieres non resurgent in sexu mulieveri, sed virili.

Conseq. prob., quia mulier naturali ordine subdita est viro.

3. Illud, quod est occasionaliter et præter ordinem naturæ inductum, non resurget. Sed sexus muliebris est præter intentionem naturæ inductus, ex defectu virtutis formativæ in semine, quæ non potest perducere materiam conceptus, ad formam virilem. Unde dicit Phil. in 16. de generat. Animal. cap. 3. quod *fœmina est mas occasionatus*. Ergo sexus muliebris non resurget.

Minor prob., quia in resurrectione omnis error cessabit, vel tolletur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit in lib. 22. de Civit. Dei, cap. 17. « Melius videntur sapere, « qui utrumque sexum resurrecturum « esse non dubitant. »

2. Deus reparabit in resurrectione quod in homine fecit in prima conditione. Sed ipse mulierem fecit in prima conditione, de costa viri, ut patet Gen. 2. Ergo ipse Deus in resurrectione, sexum fœmineum reparabit.

Determinatio.

1.° Conclusio. In ultima resurrectione uterque sexus reparabitur.

Prob. primo, quia considerata natura individui debetur hominibus diversitas sexus, sicut diversa quantitas staturæ, de qua art. præced. dictum est.

Secundo, quia diversitas sexus competit speciei humanæ et ejus perfectioni, cujus diversi gradus per diversitatem sexus implentur: et propterea resurgent homines in diversis staturis et sexibus.

2.° Conclusio. Resurgentibus deerit

confusio mutuæ visionis, quæ in præsenti vita habetur.

Prob. quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod dum Apostolus dicit; *omnes Christo occurremus in virum perfectum*, non dicit hoc propter sexum virilem, sed propter virtutem animi, quæ erit in omnibus viris et mulieribus.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod mulier subditur viro propter imbecillitatem naturæ, et quantum ad vigorem animi, et quantum ad robur corporis. Sed post resurrectionem non erit differentia in his, secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritorum, et ideo ratio non procedit.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis fœminæ generatio sit præter intentionem naturæ particularis, est tamen de intentione naturæ universalis, quæ ad perfectionem humanæ speciei utrumque sexum requirit, nec ex sexu erit ibi aliquis defectus.

ARTICULUS IV.

Utrum homines resurgent in vita animali.

Pro affirmativa.=Videtur quod homines resurgent in vita animali, ut scilicet utantur actu nutritivæ et generativæ virtutis.

1. Christus resurrexit in vita animali. Ergo et nos in animali vita resurgemus.

Antecedens prob., quia Christus post resurrectionem comedit, ut patet Marc. ult. et Lucæ ult. Ergo resurrexit in vita animali.

Conseq. prob., quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi.

1. Homo resurget cum distinctione sexuum et cum instrumentis deservientibus virtuti nutritivæ. Ergo homo resurget in vita animali.

Conseq. prob., quia distinctio sexuum ad generationem ordinatur, et instrumenta deservientia virtuti nutritivæ ad comestionem, quæ ad animalem vitam pertinent.

3. In resurrectione totus homo beatificabitur et secundum animam et secundum corpus. Ergo oportet quod omnes potentiæ animæ et omnia membra habeant suos actus in beatis post resurrectionem, et sic beati resurgent in vita animali.

Conseq. prob., quia beatitudo, sive fœlicitas in perfecta operatione consistit, ut dicitur 1. Ethic. c. 7.

4. Illi, in quibus erit beata et perfecta jucunditas, resurgent in vita animali. Sed in beatis post resurrectionem erit beata et perfecta jucunditas. Ergo beati resurgent in vita animali.

Maior prob., quia talis jucunditas omnes delectationes includit. *Beatitudo* enim *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Perfectum autem dicitur, cui nihil deest. Actus vero generativæ et nutritivæ, qui ad vitam animalem pertinent, magnam habent delectationem: et ideo in beatis hi actus esse debent, ut eorum beatitudo sit perfecta.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 22. dicitur. *In resurrectione non nubent, neque nubentur.*

2. In statu resurrectionis, humanum genus habebit totam multitudinem individuorum á Deo præfinitam, et quilibet resurget cum debita quantitate, nec erit ultra mors, aut fiet aliqua deperditio in partibus hominis. Ergo frustra esset actus generativæ et nutritivæ virtutis.

Conseq. prob., quia generatio ordinatur ad subveniendum defectui, qui per mortem accidit, ad multiplicationem humani generis: et comestio ad restaurationem deperditi, et ad augmentum quantitatis.

Determinatio.

Conclusio. Homines non resurgent in vita animali.

Prob. Operationes naturales, quæ or-

dinantur ad consequendam, vel conservandam primam hominis perfectionem, non erunt in homine post resurrectionem. Sed operationes ad animalem vitam pertinentes ordinantur ad primam hominis perfectionem consequendam vel conservandam. Ergo hujusmodi operationes non erunt in homine post resurrectionem.

Maior prob. quia resurrectio non erit necessaria homini propter primam perfectionem ipsius, quæ consistit in integritate eorum quæ ad naturam spectant, quia ad hoc homo pervenire potest in statu præsentis vitæ per actionem causarum naturalium. Sed necessitas resurrectionis est ad consequendam ultimam perfectionem, quæ consistit in perventione ad ultimum finem. Et propterea illæ operationes naturales quæ ad primam perfectionem humanæ naturæ causandam vel conservandam ordinantur, ut sunt comedere et bibere, dormire et generare, quæ ad vitam animalem pertinent, non erunt in resurrectione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur quod illa comestio Christi post resurrectionem non fuit necessitatis, quasi tunc natura humana cibis indigeret, sed fuit potestatis, ut ostenderet se veram naturam reassumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat et biberat. Quæ ostensio non erit necessaria in communi resurrectione, quia omnibus notum erit, et ideo dicitur dispensative Christum manducasse, eo modo loquendi quo Juristæ dicunt quod *dispensatio est communis juris relaxatio;* quia Christus intermisit hoc quod est communiter resurgentium, scilicet non uti cibis, propter causam prædictam.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod differentia sexuum et membrorum varietas, erit in resurgentibus ad naturæ humanæ perfectionem reintegrandam et in specie et in individuo, et non ad animales operationes. Unde non erunt frustra in resurgentibus.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob, dicitur, quod prædictæ operationes non sunt hominis, in quantum homo, ut dicitur 10. Ethic. c. 7. Et ideo in eis non consistit beatitudo humani corporis; sed glorificabitur ex redundantia á ratione, á qua homo habet quod sit homo.

Ad 4. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod status beatitudinis non omnes, sed veras delectationes comprehendit. Delectationes autem corporales non sunt veræ delectationes, quia sunt medicinales, ut alias dictum est, quia adhibentur homini ad tollendum fastidium. Vel sunt ægritudines, in quantum homo in eis inordinate delectatur. Et ideo non oportet quod tales delectationes sint de perfectione beatitudinis.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 170.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á Philipp. 3. quod omnes resurgent in ætate Christo conformi, idest juvenili; et sic: « Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. » Ubi per configurationem intelligitur etiam conformitas ætatis prædictæ. Item ad Ephes. 4. « Donec occurramus omnes in perfectum virum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. » Ubi per ly in mensuram ætatis, cum juxta articuli præsentis declarationem in ad secundum intelligatur principaliter vigor, et perfectio per illam ætatem importata; adverte, quod Christi amor erga nos tam intensus ostenditur ibi ab Apostolo, ut pro nobis voluerit dare pretium sanguinis sui in sum-

ma perfectione, idest in juvenili ætate existens: quamvis sufficiens fuisset illud pretium, si etiam in alia ætate solvisset illud; licet tunc tantus amor non sic appareret, nec tantum documentum. Videlicet, quod, quando vult homo aliquid in Dei servitium dare, debet semper nobiliora exhibere, non minus nobilia, et chara. *Secundo* habes: quomodo prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatum ab Ezechiel. trigesimo septimo, quod non omnes resurgentes erunt ejusdem staturæ, et sic. « Erant multa ossa valde super faciem campi, et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper. » Hæc ibi, ubi nota ly unumquodque ad juncturam suam. Clarum est, quod illa ossa mortuorum, de quibus ibi loquitur, non erant ejusdem quantitatis dimensivæ. Unde, cum in resurrectionis preparatione, de qua ibi Propheta Ezechiel, unumquodque os ad juncturam propriam sui corporis commensuretur, patet, et quod mortui illi resurgentes diversæ staturæ erunt, et quod Ezechiel per hunc modum loquendi variam staturam in resurrecturis generaliter designavit. Item á constitutionibus Apostolicis, ut q. 80. á 3. app. Ubi nota ly tales quales modo sumus, et nota ly presenti figura. Quo vix aliquid clarius dici potest pro isto proposito. *Secundo* habes: quomodo per rationem et interimas, et ostendas esse per hæc allegata merito damnatum errorem Origenistarum (Prat. Origenistæ) dicentium, quod in resurrectione corpora hominum erunt rotunda, et orbiculari specie excitabuntur. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem *Armenorum*, ut refert Guido, et meminit B. August. de Civit. Dei, lib. 2. cap. 17. (quem errorem Alphonsus Castr. tit. Resurrectio, scilicet, habet pro hæresi) dicentium, quod resurrecturi sunt omnes homines in sexu virili, nullumque fore post resurrectionem femineum sexum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas prædictum errorem merito damnari ab Ecclesiasticis dogmatibus loco 70. « In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, et femina in forma feminæ. » Item á Gen. 1. *Masculum, et feminam creavit eos.* Resurrectio vero erit refectio ejusdem rei pristinæ (ut omnibus constat) et consequenter femina, et non tantum masculus ibi reperietur. Item Matth. 22. « Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, interrogaverunt eum, dicentes: Magister, erant apud nos septem fratres, etc. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Respondens, ait: In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut angeli Dei in cœlo. » Item simile Luc. 20. Patet autem, quod promptius erat respondere, femineum sexum in resurrectione non reperiendum, et sic argumentum Sadducæorum apertius corruisset. Hoc autem non dixit Dominus, innuens per hanc suam taciturnitatem, quod illud est error. Hinc patet, quod Armeni prædicti cum suis similibus decepti sunt valde. Videntur autem moti ad ponendum hoc ex eo, quod impossibile fore judicarunt, quod resurgentes viri non accenderentur aliquo modo ad concupiscentiam feminarum ex ipsarum visione, judicantes de illo statu, sicut et de isto: cum tamen valde differat hujusmodi status, ut notatur post probationem conclusionis; et manifestum est á simili, et á fortiori. Clarum enim est, quod status gloriæ melior admodum erit, quam status innocentiæ, de quo Gen. 2. dicitur: Erant autem ambo, scilicet Adam, et Eva, nudi, et non erubescebant: idest ad actus turpes libido eos ob hoc non incitabat, ex quibus confusio causatur, ut in corp. fin. Multo igitur magis verum erit hoc de statu in gloria existentium. Nam hujusmodi motio libidinis fit ex fomite, ut jam dictum est, et Gen. 3. habetur, quod post peccatum commissum cognoverunt se esse nudos, idest erubuerunt. Propter quod et fecerunt sibi perizomata. Confusionis ergo totius, et cujuslibet motionis ad concupiscentiam fuit peccatum, et remotio originalis justitiæ. Unde, cum in gloria resurgentium á beatis remota sit omnis radix peccati cujuscumque, eisque collatum ali-

quid multo maius, quam originalis justitia, tenendum est firmiter, quod ibi ex mutua visione nulla penitus erit confusio, aut qualiscumque ad malum titillatio. Erit igitur, ac si manus, vel facies videretur, de quo, ut patet nunc, non erubescimus. Et contrarium horum suspicari provenit ex commensuratione status hujus ad illum; quasi quod de utroque idem judicium sit. Et hæc commensuratio procedit ex carnalitate quadam nimia, qua aliqui caro prorsus videntur, adeo immersi sunt in actus carnales, assimilati Luthero in hoc (ut refert Prat. tit. Sectarii) dicenti, quod continere nemo potest, et nec minus quidem, quam salivam non espuere. Qui tamen, etiam quod pro præsenti statu loquatur, merito damnatur á catalogo tot millium Sanctarum Virginum ab Ecclesia solemniter quotannis celebratarum; imo et ab antiquis, atque paganis Sybillis, de quibus Hieronymus testatur, quod prophetandi munus à Deo receperunt in præmium virginitatis suæ. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum et Patrum; pro quanto non omnes in eodem sexu resurrecturos insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Cerinthi* dicentis, beatitudinem consistere in carnis delitiis, et post resurrectionem regnum Christi futurum esse terrenum, et in eo beatos homines in carnis concupiscentiis, et libidini subjectam vitam acturos. Item Chiliastarum, quam et tangit D. Thomas in ad tertium, dicentium: cum veniret Christus de cœlo mille anni erunt iterum nobis ad vivendum, generandum, et manducandum, sicut nunc fit quotidie in hoc seculo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Rom. 4. «Regnum Dei non est esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.» Cum delitiis autem carnis non stant hujusmodi, ut patet. Item á 1. Corinth. 6. « Neque adulteri, neque moles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. Et Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Item ab Apoc. 22. Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut per portas intrent in civitatem. Foris carnes, et impudici, et idolis servientes. » Ex his omnibus patet, quod non resurgent homines in vita animali. Nam si vita animalis requireretur tunc in resurrectione beatorum, optima esset via ad consecutionem illius vivere in delitiis carnis, tantum abest, ut vivere in talibus immunditiis esset contra regnum Dei. Per hoc ergo, quod Scripturæ præmissæ monstrant, quod talia facientes regnum Dei non consequentur, commonstrant apertissime, quod tunc in resurrectione non erit vita animalis ab hæresibus illis descripta. Item á Matt. 22. «In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt, sicut angeli Dei.» At angeli Dei non vivunt animali vita secundum illud ab Archangelo Raphaele dictum, Tob. 12. « Videbar quidem vobiscum manducare, et vivere, sed ego cibo invisibili utor. Quid autem sit ille cibus invisibilis, declarat Papa Benedictus XI. in extrav. Hac in perpetuum valitura, etc. et concil. Florent. sess. ult. in lit. sanctæ unionis, quod est visio Dei facialis, atque fruitio, de illius mille annis Apocal. 11. Vide catholicum sensum ibi in sanctis Doctoribus. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto homines resurrecturos ad vitam animalem degendam negant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA PRIMA.

DE IMPASSIBILITATE CORPORUM BEATORUM RESURGENTIUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de conditionibus beatorum resurgentium: et primo de eorum corporum impassibilitate; secundo de subtilitate, tertio de agilitate; quarto de claritate.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, utrum sancti resurgentes resur-

gent quoad corpora impassibiles.

Secundo, utrum æqualis impassibilitas omnibus inerit.

Tertio, utrum illa impassibilitas sensum in actu á corporibus gloriosis excludat.

Quarto, utrum sint in eis omnes sensus in actu.

ARTICULUS I.

Utrum corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt impassibilia.

Pro negativa. =Videtur quod corpora sanctorum, post resurrectionem, non erunt impassibilia.

1. Omne mortale est passibile. Sed homo post resurrectionem erit *animal rationale mortale.* Hæc enim est definitio hominis, quæ numquam ab eo separabitur. Ergo corpus hominis post resurrectionem erit passibile.

2. Omne quod est in potentia ad formam alterius, possibile est pati ab illo: quia secundum hoc aliquid est passivum ab alio, ut dicitur in lib. 1. de Gen. cap. 50. quia est in potentia ad formam illius. Sed corpora sanctorum post resurrectionem erunt in potentia ad aliam formam. Ergo erunt passibilia.

Minor prob. Quæcumque communicant in materia, unum eorum est in potentia ad formam alterius. Materia enim, secundum quod est sub una forma, non amittit potentiam ad aliam formam. Sed corpora sanctorum post resurrectionem communicabunt cum elementis in materia: quia ex eadem materia reparabuntur, ex qua nunc sunt. Ergo erunt in potentia ad aliam formam, ac per hoc passibilia.

3. Ea, quæ sunt composita ex contrariis, sunt passibilia. Sed corpora, sanctorum post resurrectionem, erunt composita ex contrariis, sicut et nunc. Ergo erunt passibilia.

Maior prob., quia *contraria nata sunt agere et pati ad invicem*: ut dicitur 1. de Gen. c. 5. et seq.

4. Corpora habentia humores, sunt passibilia. Sed corpora sanctorum, post resurrectionem, habebunt sanguinem, et alios humores: ut supra quæst. 170. Ergo corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt passibilia.

Maior prob., quia ex pugna humorum ad invicem generantur ægritudines, et hujusmodi.

5. In corporibus sanctorum post resurrectionem erunt aliqui defectus in actu, scilicet cicatrices vulnerum in martyribus, ut in Christi corpore inveniuntur. Ergo poterit in eis esse passibilitas, quæ dicit defectum in potentia.

Conseq. prob., quia magis repugnat perfectioni defectus in actu, quam defectus in potentia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omne passibile est corruptibile. Sed corpora sanctorum, post resurrectionem erunt incorruptibilia. Ergo erunt impassibilia.

Maior prob. quia passio magis facta, abjicit á substantia.

Minor prob. quia 1. Cor. 15. dicitur: *seminatur in corruptione, surget in incorruptione.*

2. Corpus, quo nullum corpus erit fortius, erit impassibile. Sed corpore glorioso nullum erit fortius corpus. Ergo erit impassibile.

Maior prob. quia fortius á debiliori non patitur.

Minor prob., quia 1. Cor. 15. dicitur. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

Determinatio.

Distinctio. Passio dupliciter dicitur. Uno modo communiter, et sic omnis receptio passio dicitur, sive illud quod recipitur sit conveniens recipienti et perfectivum ipsius, sive contrarium et corruptivum. Alio modo passio dicitur proprie, quam sic definit Dam. in 2. lib. c. 22. *Passio est motus præter naturam.* Unde immoderatus motus cordis passio ejus dicitur; sed moderatus, dicitur,

ejus operatio. Cujus ratio est, quia omne quod patitur, trahitur ad terminos agentis, quia agens assimilat sibi patiens; et ideo patiens, in quantum hujusmodi, trahitur extra terminos proprios, in quibus erat.

1.ª Conclusio. Corpora beatorum, post resurrectionem, non erunt impassibilia, passione communiter dicta.

Prob. Quod dicit perfectionem, non est á beatis corporibus auferendum. Sed passio communiter dicta ad perfectionem corporum beatorum pertinet, ut dictum est. Ergo passione communiter dicta erunt corpora beata passibilia.

2.ª Conclusio. Corpora beatorum, post resurrectionem, non erunt passibilia, passione proprie dicta, sed impassibilia.

De ratione hujus impassibilitatis diversæ positiones.

Hujus impassibilitatis ratio á diversis, diversimode assignatur.

Prima positio.

Quidam enim eam attribuunt conditioni elementorum, quæ aliter tunc se habebunt in corpore, quam se habeant modo. Dicunt enim quod elementa remanebunt ibi secundum substantiam, sed qualitates activæ et passivæ ab elementis auferentur: et sic remanebunt á passione libera.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verum, quia qualitates activæ et passivæ sunt de perfectione elementorum; unde, si sine eis repararentur elementa in corpore resurgentis, essent minoris perfectionis, quam modo sint.

Et præterea, cum qualitates illæ sint propria accidentia elementorum, causatæ ex eorum forma et materia, videtur valde absurdum quod manente causa, tollatur effectus.

Secunda positio.

Et ideo alii dicunt quod manebunt qualitates, sed non habebunt proprias actiones, divina virtute hoc faciente ad conservationem humani corporis.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non videtur posse stare, quia ad mixtionem requiritur actio et passio activarum et passivarum qualitatum. Et secundum prædominium unius, vel alterius, mixta efficiuntur diversæ complexionis: quod oportet ponere in corpore resurgentis, quia erunt ibi carnes et ossa, et aliæ hujusmodi partes, quibus omnibus non competit una complexio.

Et præterea, secundum hoc impassibilitas non posset poni dos in eis: quia non poneret aliquam dispositionem in substantia impassibili, sed solum prohibitionem passionis ab exteriori, scilicet á divina virtute, quæ etiam posset idem facere in corpore hominis in statu hujus vitæ.

Tertia positio.

Et ideo alii dicunt quod in ipso corpore erit aliquid prohibens passionem corporum gloriosorum, scilicet natura quinti corporis, quam ponunt venire in compositionem humani corporis, ad consiliandum elementa in harmoniam quamdam, per quam possint esse debita materia animæ rationalis; sed tamen quod in statu hujus vitæ propter dominum elementaris naturæ corpus humanum patitur ad similitudinem aliorum elementorum, sed in resurrectione (inquiunt) dominabitur natura quinti corporis; et ideo corpus humanum reddetur impassibile, ad similitudinem corporis cœlestis.

Reprobatio.

Sed hoc non potest stare, quia corpus quintum non venit materialiter in compositionem corporis humani.

Et præterea, impossibile est dicere quod aliqua virtus naturalis, qualis est virtus corporis cœlestis, transferat corpus humanum ad proprietatem gloriæ, qualis est impassibilitas corporis gloriosi; cum Apost. attribuat virtuti Christi

immutationem humani corporis : quia *qualis cœlestis, tales et cœlestes*, 1. Cor. 15. Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ etc.*

Et præterea, non potest natura cœlestis ita dominari in corpore humano, quin natura elementaris remaneat, cui ex essentialibus suis principiis inest passibilitas.

Vera et vonveniens ratio.

Et ideo aliter dicendum est quod omnis passio fit per victoriam agentis super patiens, alias non traheret ipsum ad terminos suos. Impossibile est autem quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium propiæ formæ supra materiam patientis, loquendo de passione quæ est contra naturam, de qua nunc est sermo. Non enim materia subjicitur uni contrariorum, sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur. Corpus autem humanum et quidquid in eo est, erit perfecte subjectum animæ rationali, sicut anima erit subjecta Deo: et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, qua ab anima perficitur, et ita corpora illa erunt impassibilia.

In forma igitur sic prob. conclusio. Corpus, cujus materia est perfecte subjecta suæ formæ, est impassibile. Sed corpus humanum et quidquid in eo erit in statu gloriæ, erit perfecte subjectum animæ rationali, sicut ipsa anima erit subjecta Deo. Ergo corpus gloriosum erit impassibile.

Maior prob., quia passio fit per hoc quod dominium propriæ formæ super materiam tollitur, vel saltem diminuitur. Si igitur dominium propriæ formæ alicujus corporis super materiam non tollatur, nec minuatur, erit tale corpus impassibile.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, dupliciter. Primo quod secundum Ansel. lib. 2. cur Deus homo c. 11. « mortale ponitur in definitione hominis á Phi« losophis, qui non crediderunt hominem « totum aliquando posse esse immorta« lem, » quia non viderunt homines, nisi secundum mortalitatis statum. Secundo potest dici quod secundum Phil. 18. Met. quia differentiæ essentiales sunt nobis incognitæ, utimur quandoque differentiis accidentalibus, ad significandum differentias essentiales, quæ sunt differentiarum accidentalium causæ. Unde *mortale* in definitione hominis, non ponitur, quasi ipsa mortalitas ad essentiam hominis pertineat; sed quia illud quod est causa passibilitatis et mortalitatis, secundum præsentem statum. scilicet compositio ex contrariis, est de essentia hominis: sed in statu gloriæ non erit causa ejus, propter victoriam animæ super corpus.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod duplex est potentia, ligata, et libera quod non solum verum est de potentia activa, sed etiam de passiva: forma enim ligat potentiam materiæ determinando ipsam ad unum, et hoc secundum quod ipsa forma super materiam dominatur. Et quia in rebus corruptibilibus forma non perfecte supra materiam dominatur, non ita perfecte potest ligare ipsam, quin recipiat interdum per aliquam passionem dispositionem contrariam formæ. In sanctis vero post resurrectionem, anima omnino dominabitur supra corpus, nec illud dominium omnino poterit auferri, quia ipsa erit immutabiliter Deo subjecta quod non fuit in statu innocentiæ; propterea, in corporibus illis manet eadem potentia ad formam aliam, sicut nunc, quantum ad substantiam potentiæ, sed erit ligata per victoriam animæ supra corpus, ita ut numquam amplius in actum passionis exire possit: et sic beata corpora remanebunt in perpetuum impassibilia.

Ad 3. Dicitur, quod maior non est universaliter vera et maxime in proposito. Qualitates enim elementares sunt

animæ instrumenta, ut patet in 2. de Anim. Quia calor ignis in corpore animalis regulatur in actu nutriendi per virtutem animæ; quando autem agens principale est perfectum, et non est aliquis defectus in instrumento, nulla actio procedit ab instrumento, nisi secundum dispositionem principalis agentis; et ideo in corporibus sanctorum post resurrectionem, nulla actio vel passio poterit provenire á qualitatibus elementaribus, quæ sit contra dispositionem animæ, quæ intendit conservare corpus, super quod plenum habebit tunc dominium.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod secundum Aug. in epistola ad Consentium, et est ep. 146. « Valet divina potentia « de ista visibili, atque tractabili natura « corporum, quibusdam manentibus, au- « ferre quas voluerit qualitates.» Unde sicut ab igne fornacis Chaldæorum abstulit virtutem comburendi, quantum ad aliquid, quia corpora puerorum illæsa servata sunt, sed mansit quantum ad aliquid, quia ignis ille ligna comburebat, ita auferre ab humoribus passibilitatem; et dimittet naturam, modo dicto in corpore.

Ad 5. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod cicatrices vulnerum non erunt in sanctis, nec in Christo sunt, in quantum important aliquem defectum, sed in quantum sunt signa constantissimæ virtutis, qua passi sunt pro justitia, et fide, ut ex hoc et ipsis et aliis gaudium crescat. Unde Aug. dicit in lib. 22. de Civit. Dei c. 20. « Nescio quomodo « sic afficimur amore martyrum beatorum « ut velimus in illo regno, in eorum « corporibus videre vulnerum cicatrices, « quæ pro Christi nomine pertulerunt, « et fortasse videbimus, non enim de- « formitas in eis, sed dignitas est quæ- « dam: quamvis in corpore, non corporis « sed virtutis pulchritudo fulgebit.» Nec tamen, si aliqua martyribus amputato et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: *capillus de capite vestro non peribit.*

ARTICULUS II.

Utrum impassibilitas in omnibus futura sit æqualis.

Pro affirmativa.=Videtur quod impassibilitas in omnibus futura sit æqualis.

1. Glos. 1. Cor. 15. dicit. loquendo de Beatis. «Æqualiter omnes habent, «quod pati non possunt.» Ergo impassibilitas est æqualis in omnibus.

2. Negationes non recipiunt magis et minus. Sed impassibililitas est quædam negatio. Ergo non potest esse maior in uno, quam in alio.

3. Magis impossibile dicitur, quod est minus passibili permixtum: sicut magis album dicitur quod est nigro impermixtius. Sed nulli corporum sanctorum admiscebitur aliquid de passibilitate. Ergo omnia erunt æqualiter impassibilia.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quidam sanctorum fuerunt aliis maiores merito. Ergo impassibilitas, quæ quoddam præmium est, maior erit in uno, quam in alio.

Conseq. prob., quia merito debet proportionaliter præmium respondere.

2. Dos claritatis non erit æqualis in omnibus, ut patet 1. Cor. 15. Ergo non dos impassibilitatis erit æqualis in omnibus.

Conseq. prob. quia impassibilitas contra dotem claritatis dividitur.

Determinatio.

Respon. Impassibilitas potest dupliciter considerari. Vel secundum se, vel secundum suam causam.

1.ª Conclusio. Impassibilitas, secundum se considerata, erit æqualis in omnibus beatis.

Prob. quia sic solam privationem importat, et negationem, quæ nec magis nec minus suscipere potest.

2.ª Conclusio. Impassibilitas, secun-

dum suam causam, erit maior in uno, quam in alio.

Prob. Anima unius beati habebit maius dominium supra proprium corpus, quam anima alterius. Ergo corpus unius beati habebit maiorem causam impassibilitatis, quam alius.

Conseq. prob., quia causa impassibilitatis est dominium animæ supra corpus, ut art. præcedenti dictum est. Unde ubi erit maius dominium, ibi erit maior causa impassibilitatis.

Antecedens prob., quia dominium animæ supra corpus causatur ex hoc quod anima fruitur Deo immobiliter. Et quia unus altero perfectius Deo fruitur; sequitur quod unius anima maius dominium supra corpus, quam anima alterius, sit habitura.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Glos. illa loquitur de impassibilitate secundum se, et non secundum suam causam. Impassibilitas secundum se erit æqualiter in omnibus, respectu vero causæ inæqualiter.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod quamvis negationes et privationes secundum se non intendantur, nec remittantur, tamen intenduntur et remittuntur ex causis suis: sicut dicitur esse locus magis tenebrosus, qui habet et plura et maiora obstacula lucis.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod aliqua non solum intenduntur per recessum á contrario, sed etiam per accessum ad terminum: quo modo lux intenditur. Et præterea, etiam impassibilitas est maior in uno, quam in alio, quamvis in nullo ipsorum aliquid passibilitatis remaneat.

ARTICULUS III.

Utrum impassibilitas excludat á corporibus gloriosis sensum in actu.

Pro affirmativa.=Videtur quod impassibilitas excludat á corporibus gloriosis sensum in actu.

1. Ea, quæ habent sensum in actu, patiuntur. Sed corpora gloriosa non patiuntur. Ergo non habent sensum in actu.

Maior prob., quia *sentire est quoddam pati*, ut patet 2. de Anim. tex. 18.

2. Corpora gloriosa, ratione immutabilitatis, non mutabuntur naturali mutatione. Ergo nec mutabuntur mutatione animali, quæ requiritur ad sentiendum in actu.

Conseq. prob, quia immutatio naturalis immutationem animalem præcedit: sicut esse naturale, esse animale.

3. Quandocumque fit sensus in actu, cum nova receptione, fit novum judicium. Sed ibi non erit novum judicium quia non *erunt ibi volubiles cogitationes*. Ergo non fiet ibi sensus in actu.

4. Anima in vita gloriæ erit summe intenta ad actum virtutis intellectivæ, qua Deum contemplabitur. Ergo non erit aliquo modo in actu virtutis sensitivæ.

Conseq. prob., quia quando anima est in actu intenso unius potentiæ, remittitur actus alterius potentiæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apoc. 1. dicitur. *Videbit eum omnis oculus.* Ergo erit ibi sensus in actu.

2. Ibi erit motus in actu: discurrent enim sicut scintillæ in arundineto, ut dicitur Sap. 3. Ergo ibi erit et sensus in actu.

Conseq. prob.. quia *animatum ab inanimato, sensu et motu secernitur*, ut dicitur 1. de Anim. tex. 19.

Determinatio.

Conclusio. Aliquem sensum in actu esse in corporibus gloriosis omnes ponunt.

Prob. quia alias corporalis vita sanctorum magis somno, quam vigiliæ assimilaretur: quod non competit illi perfectioni, eo quod in somno corpus sensibile non est in ultimo actu vitæ, propter quod somnus dicitur vitæ dimidium, ut patet 1. Ethic. c. 13.

De modo sentiendi beatorum diversæ positiones.

Sed in modo sentiendi, diversi diversa opinati sunt.

Prima positio.

Quidam enim dicunt quod corpora gloriosa sunt impassibilia, et propter hoc non sunt receptibilia peregrinæ impressionis, et multo minus quam corpora cœlestia, quia non erit ibi sensus in actu per receptionem alicujus speciei á sensibilibus acceptæ, sed magis fiet sensatio extra mittendo.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, quiá in resurrectione, natura speciei manebit eadem in homine et in omnibus partibus ejus, hujusmodi autem est natura sensus, ut sit potentia passiva, ut in 2. de Anim. tex. 51. probatur. Unde, si in resurrectione, sancti extra mittendo et non recipiendo sentirent, non esset in eis sensus virtus passiva, sed activa; et sic non esset ejusdem speciei cum sensu qui nunc est, sed esset aliqua alia virtus eis data. Sicut enim materia numquam est forma, ita potentia passiva, numquam est activa.

Secunda positio.

Et ideo alii dicunt quod sensus in actu fiet per susceptionem, non quidem ab exterioribus sensibilibus, sed per effluxum á superioribus viribus: ut sicut nunc superiores vires accipiunt ab inferioribus; ita é converso, tunc inferiores accipient á superioribus.

Reprobatio.

Sed iste modus receptionis non facit vere sentire, quia omnis potentia passiva, secundum suæ speciei rationem, determinatur ad aliquod speciale activum; quia potentia, in quantum hujusmodi, habet ordinem ad illud, respectu cujus dicitur potentia. Unde, cum proprium activum in sensu exteriori sit res existens extra animam, et non intentio ejus existens in imaginatione vel ratione, si organum sentiendi non moveatur á rebus extra animam, sed ab imaginatione, vel aliis superioribus viribus, non erit vere sentire, ut in phreneticis patet.

Vera sententia.

Et ideo dicendum est cum aliis quod sensus corporum gloriosorum erit per susceptionem á rebus, quæ sunt extra animam. Sed sciendum est quod organa sentiendi immutantur á rebus quæ sunt extra animam dupliciter. Uno modo, immutatione naturali, quando scilicet organum disponitur eadem qualitate naturali, qua disponitur res extra animam existens, quæ agit in ipsis. Sicut cum manus fit calida ex tactu rei calidæ, vel odorifera ex tactu rei odoriferæ. Alio modo, immutatione spirituali, quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento, secundum esse spirituale, id est, species sive intentio qualitatis, et non ipsa qualitas. Sicut pupilla recipit speciem albedinis, et tamen ipsa non efficitur alba. Prima receptio non causat sensum in actu per se loquendo; quia sensus est susceptivus specierum in materia existentium, præter materiam, ut dicitur in 2. de Anim. text. 121. Et hæc receptio immutat naturam recipientis, quia recipitur qualitas secundum suum esse materiale, et ista receptio non erit in corporibus gloriosis. Sed secunda per se facit sensum in actu, et non immutat naturam recipientis; et hic modus sentiendi erit in Beatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod quæ habent sensum in actu patiuntur, vel secundum immutationem naturalem, vel spiritualem tantum. Corpora gloriosa non patientur per immutationem naturalem, sed solum per spiritualem, ut dictum est, quam immutationem impassibilitas gloriæ non excludit.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod assumptum est verum, solum in his quæ utramque immutationem recipere possunt, scilicet naturalem et spiritualem, non autem in his quæ tantum spiritualis immutationis sunt sus-

ceptibilia: omne enim passivum recipit actionem agentis, secundum suum modum. Unde quod natum est immutari ab activo naturali et spirituali immutatione, immutatio naturalis præcedit immutationem spiritualem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Si autem natum sit immutari spiritualiter tantum, non oportet quod immutetur naturaliter; sicut patet de aëre, qui, quia non est receptivus coloris secundum esse naturale, sed solum secundum esse spirituale, hoc solum modo immutatur. Sicut é converso, corpora inanimata immutantur per qualitates sensibiles tantum naturaliter, et non spiritualiter. Et quia corpora gloriosa non sunt mutatione naturali amplius mutabilia, in eis tantum spiritualis erit mutatio.

Ad 3. Negatur minor. Sicut enim erit nova receptio speciei in organo sentiendi; ita erit novum judicium sensus communis: non autem erit novum judicium intellectus de hoc quod sensus percipiet, sicut nec in eo qui videt aliquid quod prius scivit. Ad prob. dicitur quod dictum Augustini intelligitur de cogitationibus intellectivæ partis: unde ejus sententia nihil obstat proposito.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quando unum duorum est ratio alterius, occupatio animæ circa unum non impedit, nec remittit occupationem ejus circa aliud. Et quia Deus apprehenditur á sanctis ut ratio omnium quæ ab eis agentur vel cognoscentur; ideo occupatio eorum circa sensibilia sentienda, vel quæcumque alia contemplanda vel agenda, in nullo impediet divinam contemplationem.

Vel dicitur secundo, quod ideo una potentia impeditur in actu suo, quando alia vehementer operatur, quia una potentia de se non sufficit ad tam intensam operationem, nisi ei subveniatur per id quod erat aliis potentiis vel membris á principio vitæ influendum. Et quia in sanctis erunt omnes potentiæ perfectissimæ, una poterit ita intense operari quod ex hoc nullum impedimentum præstabitur actioni alterius potentiæ, sicut et in Christo fuit.

ARTICULUS IV.

Utrum in beatis post resurrectionem sint omnes sensus in actu.

Pro negativa. = Videtur quod non sint ibi omnes sensus in actu.

1. Corpora gloriosa carebunt actu sensus tactus. Ergo non erunt ibi omnes sensus in actu.

Antecedens prob., quia sensus tactus fit in actu per immutationem corporis animalis ab aliquo exteriori corpore prædominante in aliqua qualitatum activarum vel passivarum, quarum est tactus discretivus; qualis immutatio tunc esse non poterit.

Conseq. prob., quia tactus est primus inter omnes alios sensus: ut dicitur 2. de An. tex. 17.

2. Post resurrectionem non erit actus virtutis nutritivæ. Ergo post resurrectionem non erit actus gustus.

Conseq. prob., quia sensus gustus deservit actui virtutis nutritivæ.

3. Post resurrectionem nulla erit corruptio. Sed sensus odoratus in actu suo non potest esse, nisi ex aliqua corruptione facta. Ergo sensus odoratus non erit ibi in suo actu.

Maior prob., quia tota creatura vestietur virtute incorruptionis.

Minor prob., quia odor non sentitur sine aliqua sumali evaporatione, quæ in quadam resolutione consistit.

4. Post resurrectionem in beatis non erit necessaria aliqua disciplina per sensibilia. Ergo non erit ibi sensus auditus.

Antecedens prob., quia beati replebuntur divina sapientia ex ipsius Dei visione.

Conseq. prob., quia auditus est sensus disciplinæ.

5. Post resurrectionem non poterit recipi species rei visæ in pupilla. Ergo non erit ibi sensus visus in actu, qui ta-

men est omnium sensuum nobilissimus.

Antecedens prob. Illud quod est lucidum in actu, non est susceptivum speciei visibilis: unde speculum directe oppositum solis radiis, non repræsentat speciem corporis oppositi. Sed pupilla, sicut et totum corpus, erit claritate dotata. Ergo non recipietur in ea aliqua species corporis colorati.

Conseq. prob., quia visio fit, secundum quod in pupilla recipitur species rei visæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Potentia conjuncta actui est perfectior, quam non conjuncta. Sed natura humana erit in beatis cum maxima perfectione. Ergo erunt ibi omnes sensus in actu suo.

Determinatio.

Quorumdam opinio.

Quidam dicunt quod in corporibus gloriosis erunt omnes potentiæ sensuum, non tamen erunt in actu, nisi duo sensus, scilicet tactus et visus. Nec hoc (inquiunt) erit ex defectu sensuum, sed ex defectu medii et objecti. Nec tamen (subdunt) erunt frustra, quia erunt ad integritatem humanæ naturæ, et ad commendandam sapientiam Creatoris.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur verum, quia illud quod est medium in istis sensibus, est etiam medium in aliis. In visu enim medium est aër, qui etiam est medium in auditu et odoratu, sicut in 2. de An. text. 76. patet. Similiter etiam gustus habet medium conjunctum, sicut et tactus; cum gustus sit tactus quidam, ut in eod. lib. text. 28. 29. et 94. dicitur. Odor etiam, qui est objectum odoratus, erit ibi: cum Ecclesia cantet quod odor suavissimus erunt corpora sanctorum. Laus etiam vocalis erit in patria. Unde Glos. ordin. dicit super illud Psal. 149. *exultationes Dei in gutture eorum quod corda*, et linguæ non desinent laudare Deum.

Verior sententia.

Et ideo est dicendum aliter, quod ibi erunt visus, tactus, odoratus, et auditus in actu. Gustus autem non erit in actu, ita quod immutetur ab aliquo cibo, vel potu sumpto, nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu, per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adjuncta, et secundum hoc ad quæsitum respondetur.

Conclusio. In beatis, post resurrectionem, erunt quatuor sensus in actu, scilicet visus, auditus, odoratus, et tactus. Gustus autem poterit esse in actu, per hoc, quod lingua ab aliqua humiditate immutabitur. Quæ conclusio, ex dictis nunc, patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod qualitates, quas tactus percipit, sunt illæ, ex quibus constituitur animale corpus. Unde per qualitates tangibiles, corpus animalis, secundum statum præsentem, natum est immutari immutatione naturali et spirituali ab objecto tactus: et ideo tactus dicitur maxime materialis inter alios sensus, qui habet plus de materiali mutatione adjunctum. Sed quia immutatio materialis non se habet ad actum sentiendi, nisi per accidens; ideo in corporibus gloriosis, á quibus impassibilitas excludit naturalem immutationem, erit immutatio á qualitatibus tangibilibus, spiritualis tantum; sicut etiam in corpore Adæ fuit, quod nec ignis urere, nec gladius potuisset scindere, et tamen horum sensum habuisset.

Ad 2. Dicitur, quod argumentum concludit, quod in beatis, post resurrectionem, non erit actus gustus, ut est sensus alimenti; cum quo tamen stat quod in eis possit esse, ut est discretivus saporum, secundum modum dictum in fine corporis.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod quidam posuerunt quod odor nihil aliud est quam quædam sumalis eva-

poratio: quæ positio non potest esse vera, quod patet ex hoc quod vultures currunt ex odore percepto á cadavere ex locis remotissimis, cum tamen non sit possibile quod evaporatio aliqua pertingeret á cadavere ad tam remota loca, etiam si totum resolveretur in vaporem, et præcipue cum sensibilia in æquali distantia ad quamlibet partem immutent. Unde dicendum quod odor immutat medium quandoque et instrumentum sentiendi immutatione spirituali sine aliqua evaporatione pertingente ad organum, sed quod aliqua evaporatio requiratur, hoc est quia odor in corporibus est humiditate aspersus: unde oportet resolutionem fieri ad hoc ut percipiatur. Sed in corporibus gloriosis erit odor in sua ultima perfectione, nullo modo per humidum repressus: unde immutabit spirituali immutatione, sicut facit odor fumalis evaporationis; et erit sensus odoratus in sanctis, quia nulla humiditate impedietur: et cognoscent non solum excellentias odoris, sicut nunc in nobis contingit, propter nimiam cerebri humiditatem, sed etiam minimas odorum differentias.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sensus auditus, non solum est propter disciplinam, sed etiam propter delectationem vocis, et perfectionem naturæ: unde sensus auditus habebit actum, non in acquirendo scientiam, sed in audiendo vocalem laudem quæ erit in patria: licet aliter alii dicant. Quomodo autem ibi vox formari poterit, dictum est in 2. Sententiarum dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad 5.

Ad 5. Neg. antecedens. Ad maiorem probationis dicitur, quod intensio luminis non impedit receptionem spiritualem speciei coloris, dummodo maneat in natura diaphani, sicut patet quod quantumcumque illuminetur aër, potest esse medium in visu, et quanto est magis illuminatus, tanto per ipsum aliquid clarius videtur, nisi sit defectus ex debilitate visus. Quod autem in speculo directe opposito radio solis non appareat species corporis oppositi, non est propter hoc quod impediatur receptio, sed propter hoc quod impeditur reverberatio: oportet enim ad hoc quod forma in speculo appareat, quod fiat quædam reverberatio ad aliquod corpus obscurum, et ideo plumbum adjungitur vitro in speculo: quam obscuritatem radius solis repellit: unde non potest apparere species aliqua in speculo. Claritas autem corporis gloriosi non aufert diaphaneitatem á pupilla; quia gloria non tollit naturam. Unde magnitudo claritatis in pupilla, magis facit ad acumen visus, quam ad ejus defectum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 171.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Origenistarum* dicentium, quod corpora post resurrectionem futura sunt iterum mortalia, quæ multis transactis sæculis postmodum sunt in nihilum redigenda. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á 1. Cor 15. « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, et mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua. » Ubi per victoriam primo loco dictam, qua mors dicitur absorpta, intellige victoriam animæ supra corpus datam ei á Deo per dominum nostrum Christum, ut ibi subdit Apostolus. Per victoriam vero secundo loco dictam intellige illam, qua mors vincebat omnes homines: de qua dictum est Rom. 5. « Per unum hominem in hunc mundum in-

travit mors, et ita in omnes homines pertransiit. «Ergo juxta Apostolum ibi ad Corinth. Mors ultra non habebit victoriam supra corpora resurgentium. Item á Roman. 6. « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. » Ubi per mortem, et dominium mortis intelligit quamcumque passionem proprie dictam, ut exponunt sancti. Patet autem, quod resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ qu. 76. art. 1. ad cujus corporis claritatem reformabuntur corpora sanctorum Philip. 3. Item á constitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 8. « Excitabit nos omnipotens Deus, nil mancum habentes, nec corruptioni obnoxium: quoniam immortales resurgemus. Item ab Apoc. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Item ab Isa. 25. Præcipitabit mortem in sempiternum. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto corpora sanctorum post resurrectionem fore impassibilia, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito á simili insinuatum á. 1. Corint. 15. quod corpora beatorum non erunt æqualiter impassibilia, licet omnia impassibilia sint, et sic. «Stella á stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. » Ubi ex contextu patet, quod per illam differentiam stellarum, id est, sanctorum in claritate, cointellexit etiam eorum impassibilitatem, subdendo ly in incorruptione, et ly et in virtute. Item Adan. 12. « Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, et, qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Hæc ibi, postquam de resurrectione corporum locutus est, differentiam hanc inter fulgorem illorum assignat. Sub nomine autem fulgoris taliter differentis intelligit, et impassibilitatem, ut deducere potes, quemadmodum nunc ex Apostolo deductum est. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et defendas. *Tertio* vides quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem *Pauperum de Lugduno*, (ut refert Summa fratris Yconeti, 5. par. cap. 2. in Biblioth. Vaticana manuscripta) dicentium, quod Sancti absorti gaudio cœlesti nequeunt in aliquid aliud vacare. Secundum ergo istos non poterunt sentire in actu, et consequenter articulus præsens contra eosdem militat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem merito damnari ab Apocal. 1. Videbit eum omnis oculus. Ubi loquitur de judice venturo in forma humana, quem resurgentes omnes corporaliter videbunt. Si omnes: ergo et Sancti. Item ab Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* Faciunt etiam contra hunc errorem, quæ dicta sunt quæst. 74. art. 6. et 9. quando declaratur, quod ad consolationem Sanctorum fiet cœlum novum, et terra nova, ut scilicet ex visu istorum delectationem sensibilem recipiant. Item á simili damnatur Sap. 1. *Tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Item ab Ecclesia de virginibus in himno laudum canente, quod *sequuntur sponsum laudibus, hymnosque dulces personant.* Simile autem est de sensu, et motu, cum animatum ab inanimato distinguatur sensu, et motu (secundum Philosophum 1. de Anima.) *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto sensationem in actu ponunt in beatis, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori ex abundantiori excludas errorem *Pauperum de Lugduno* dicentium ut art. 3. app. Per hoc enim, quod sanctorum corpora habebuntur omnes sensus in actu (ut monstrat articulus præsens) patet á fortiori, et quidem abundantius, quam tunc art. 3. quod falsum est, ipsos ex eo, quod gaudio cœlesti divinæ essentiæ repleti sunt, impediri ab operationibus aliis (ut volebant illi pauperes.) *Secundo* habes: quomodo per rationem á fortiori ex abundantiori ostendas, errorem prædictum merito damnari á etc ut art. 3. appen. Item á Lucæ 24. quando narrat, Dominum vidisse euntes in Emmaus, eorum-

que sermones audiisse, eisque locutum fuisse. Item á Joan. 20. narrante Dominum salutasse discipulos dicens pluries, *pax vobis*. Item sparsim ab Evangelistis narrantibus multas sensationes Domini post resurrectionem (non computatur tamen manducatio, et bibitio; quoniam dispensative hæ factæ sunt q. 81. art. 4. ad 4. primum) quoniam resurrectio ejus nostræ est exemplar q. 76. artic. 1. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto sensus plures in actu ponunt in resurgentibus, et intelligas, et probes et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEGUNDA.

DE SUBTILITATE CORPORUM BEATORUM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de subtilitate corporum beatorum.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.

Secundo, utrum ratione hujus subtilitatis possit esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso.

Tertio, utrum per miraculum duo corpora possint simul esse in eodem loco.

Quarto, utrum corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso in eodem loco.

Quinto, utrum corpus gloriosum necessario requirat æqualem sibi locum.

Sexto, utrum corpus gloriosum sit palpabile.

ARTICULUS I.

Utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.

Pro negativa. = Videtur quod subtilitas non sit proprietas corporis gloriosi.

1. Si subtilitas sit proprietas corporis gloriosi, sequeretur quod corpus gloriosum futurum esset subtilius omni quod est subtile in natura, et ita erit ventis, aereque subtilius. Quod est hæresis á Greg. in constantinopolitana urbe damnata, ut ipse narrat 14. lib. moral. c. 31. et seq.

Conseq. prob., quia proprietas gloriæ excedit propietatem naturæ, sicut claritas gloriæ excedit claritatem solis, quæ est maxima in natura.

2. Calor et aliæ qualitates elementorum non intendentur in corporibus gloriosis, magis quam nunc; immo magis ad medium reducentur. Ergo nec subtilitas in eis erit maior quam nunc sit.

Conseq. prob., quia sicut caliditas et frigiditas sunt quædam qualitates simplicium corporum, scilicet elementorum, ita et subtilitas.

3. Tantum de materia erit in corporibus gloriosis, quantum nunc est. Ergo tunc non erunt magis subtilia, quam modo sint.

Conseq. prob. quia subtilitas invenitur in corporibus propter paucitatem materiæ. Unde corpora, quæ habent minus de materia sub æqualibus dimensionibus, dicimus magis subtilia, ut ignem aere, et aerem aqua, et aquam terra.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Corpus, quod est spiritui simile, est subtilissimum. Sed corpus gloriosum erit spiritui simile. Ergo erit subtilissimum.

Maior prob., quia subtilitas spiritus excedit omnem subtilitatem corporis.

Minor prob., quia 1. Cor. 15. dicitur. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, id est, spiritui simile.

2. Corpora nobilissima sunt subtilissima. Sed corpora gloriosa erunt nobilissima. Ergo erunt subtilissima.

Determinatio.

Subtilitatis nomen unde sumptum sit.

Nomen subtilitatis á virtute penetrandi est assumptum. Unde dicitur in 2. de Gen. tex. 10. quod *subtile est re-*

pletivum partibus, et partium partibus. Quod autem aliquod corpus sit penetrativum contingit ex duobus. Primo, ex parvitate quantitatis, præcipue secundum profunditatem et latitudinem, non autem secundum longitudinem, quia penetratio fit in profundum: unde longitudo non obstat penetrationi. Secundo ex paucitate materiæ; unde rara, subtilia dicimus. Et quia in corporibus raris forma prædominatur materiæ magis, ideo translatum est nomen subtilitatis ad illa corpora quæ optime substant formæ et perficiuntur ab ea modo completissimo: sicut dicimus subtilitatem esse naturæ in Sole, Luna et aliis similibus. Sicut etiam aurum potest dici subtile, quando perfectissime completur in esse et virtute suæ speciei. Et quia res incorporeæ quantitate carent et materia, nomen subtilitatis ad ea transfertur, non solum ratione suæ substantiæ, sed etiam ratione suæ virtutis; sicut enim subtile dicitur penetrativum, quia pertingit usque ad intima rei; ita etiam dicitur aliquis intellectus subtilis, quia pertingit ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes. Et aliquis dicitur habere visum subtile, quia aliquid minimum potest visu percipere, et similiter est de aliis sensibus.

Quomodo corporibus gloriosis subtilitas attribuatur.

Secundum dictos subtilitatis modos, diversi diversimode corporibus gloriosis subtilitatem attribuerunt.

Quidam hæretici, ut Aug. narrat lib. 13. de Civit. Dei, cap. 22. attribuerunt eis subtilitatem, secundum modum quo spirituales substantiæ subtiles dicuntur, dicentes, quod in resurrectione corpus vertetur in spiritum, et ratione hujus subtilitatis. Apostolus 1. Cor. 15. corpora resurgentium spiritualia nominat.

Hæreticorum positionis reprobatio.

Sed hoc non potest stare propter tria; primo, quia corpus in spiritum transire non potest: cum non communicent in materia, quod etiam Boëtius ostendit in lib. de duabus naturis.

Secundo, quia si hoc esset possibile, corpore in spiritum converso, non resurgeret homo qui ex anima et corpore naturaliter constat.

Tertio, quia si Apostolus sic intelligeret, sicut nominat corporalia spiritualia, pari ratione nominaret corporalia animalia, quæ in animam sunt conversa; quod patet esse falsum.

Quorumdam aliorum hæreticorum positio.

Unde quidam alii hæretici dixerunt quod corpus in resurrectione remanebit, sed habebit subtilitatem secundum modum rarefactionis, ita, quod corpora humana in resurrectione erunt aërea, vel vento similia, ut Greg. narrat 14. lib. moral. c. 31.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non potest stare: quia Dominus post resurrectionem habuit corpus palpabile, ut patet Luc. ult. ubi dicitur. Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et tamen corpus Domini præcipue subtile dicendum est fuisse. Et præterea corpus humanum cum carnibus et ossibus resurget, sicut et corpus Domini resurrexit, ut patet per prædicta Domini verba Luc. ult. Et Job. 19. dicitur: *in carne mea videbo Deum salvatorem meum.* Natura autem carnis et ossis subtilitatem rarefactionis prædictam non patitur.

Quorumdam positio.

Quidam attribuunt perfectissimam complexionem corporibus gloriosis ratione quintæ essentiæ, quæ in eis maxime dominabitur.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, propter duo. Primo, quia nihil de quinta essentia potest venire in compositionem corporis, ut alias dictum est. Secundo, quia dato, quod veniret in compositionem corporis humani, non posset intelligi, quomodo tunc magis dominaretur supra naturam

elementarem, quam tunc; nisi diceretur, quod tunc esset in corporibus humanis plus secundum quantitatem de natura cœlesti; et sic corpora humana non essent ejusdem staturæ, nisi forte in homine minueretur natura elementaris, quod repugnat integritati resurgentium. Vel ita quod natura elementaris indueret proprietates naturæ cœlestis, ex ejus dominio in corpore: et sic naturalis virtus esset causa proprietatis gloriosæ: quod videtur absurdum.

Verior sententia.

Et ideo dicendum est, quod completio, ex qua corpora humana subtilia dicuntur, erit ex dominio animæ glorificatæ super ipsum, ratione cujus corpus gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subjectum: et propter hoc Apostolus in spiritualitate tetigit dotem subtilitatis. Et Greg. dicit lib. 14. moral. c. 31. quod «corpus gloriosum di-«citur subtile, per effectum spiritualis «potentiæ. Ex quibus habetur conclusio directe responsiva, cum sua ratione.

Conclusio. Corpora gloriosa erunt subtilia.

Prob. Corpora habentia completissimam perfectionem, sunt subtilia. Sed corpora gloriosa habebunt completissimam perfectionem. Ergo erunt subtilia.

Minor prob., quia erunt perfecte subjecta gloriosæ animæ, ex cujus dominio habebunt primo dotem subtilitatis, deinde agilitatem, et alias, de quibus postea dicendum est.

AD ARGUMENTA.

Ad omnia argumenta simul dicitur quod procedunt de subtilitate, quæ est per rarefactionem, qui modus, ostensum est quod non convenit gloriosis corporibus.

ARTICULUS II.

Utrum ratione subtilitatis competat corpori glorioso esse in eodem loco, cum alio corpore non glorioso.

Pro affirmativa. ⟹ Videtur quod ratione hujus subtilitatis, competat corpori, quod sit simul in eodem loco, cum corpore non glorioso.

1. Corpus Christi potuit esse simul cum alio corpore. Ergo et corpora gloriosa, ratione subtilitatis, poterunt esse cum aliis corporibus non gloriosis, in eodem loco.

Antecedens prob., quia Dominus post resurrectionem intravit ad discipulos, januis clausis, ut dicitur Jo 20.

Conseq. prob., quia corpora gloriosa erunt similia corpori Christi, juxta illud Phil. 3. «reformabit corpus humilitatis «nostræ, configuratum corpori claritatis «suæ».

2. Nunc quædam corpora, ratione suæ nobilitatis, possunt esse simul cum aliis corporibus: ut radii solares. Ergo multo magis hoc conveniet corporibus gloriosis.

Conseq. prob., quia corpora gloriosa erunt nobiliora omnibus aliis corporibus.

3. Si glorioso corpori non convenit, ratione suæ subtilitatis, esse in eodem loco simul cum alio corpore; sequeretur quod numquam ad cœlum empyreum ascendere posset, quod est erroneum.

Conseq. prob., quia corpus cœleste non potest dividi ad minus quantum ad substantiam sphærarum. Unde dicitur Job. 37. quod *cœli sicut ære solidissimi fusi sunt.*

4. Corpus quod non potest simul esse cum alio corpore, potest ex alterius corporis obstaculo impediri á suo motu. Sed corpus gloriosum non potest impediri á motu suo. Ergo corpora gloriosa poterunt esse simul in eodem loco, cum aliis corporibus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quia secundum Boet. in lib. de Trinitate. Si duo corpora essent in uno loco, essent unum corpus numero.

2. Spiritus angelici non possunt esse simul in eodem loco. Ergo nec corpora gloriosa.

Conseq. prob., quia corpora gloriosa

maiorem convenientiam habebunt cum loco, quam angelici spiritus.

Determinatio.
Quorumdam positio.

Quidam dicunt, quod corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, potest esse simul cum alio corpore in eodem loco, quia per subtilitatis dotem auferetur á corpore corpulentia, per quam in statu isto corpus prohibetur esse simul in eodem loco cum alio corpore.

Reprobatio.

Sed hoc stare non potest, propter duo. Primo, quia corpulentia, quam dos subtilitatis aufert, est ad defectum pertinens, puta aliqua inordinatio materiæ, non perfectæ substantis suæ formæ: totum enim, quod ad integritatem corporis pertinet, in corpore resurget, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ. Quod autem aliquod corpus sit repletivum loci, hoc habet per illud quod est de integritate naturæ ejus et non ex aliquo defectu naturæ. Cum enim plenum opponatur vacuo, illud solum non replet locum, quo posito in loco, nihilominus remanet vacuus locus. Vacuum autem deffinitur in 4. Phys. tex. 57. quod est *locus non plenus sensibili corpore*. Corpus autem dicitur esse sensibile ex materia et forma et naturalibus accidentibus, quæ omnia ad integritatem naturæ pertinent. Constat etiam, quod corpus gloriosum erit sensibile, etiam secundum tactum, ut patet de corpore Domini, Luc. ult. Nec deerit ei materia aut forma aut naturalia accidentia, scilicet calidum et frigidum et hujusmodi. Ex quibus patet quod corpus gloriosum, non obstante subtilitatis dote, replebit locum. Insania enim videtur dicere quod locus, in quo erit corpus gloriosum, esset vacuus.

Secundo, non valet eorum prædicta ratio, quia coëxistentiam corporis impedire in eodem loco, plus est quar meplere locum. Si enim ponamus dimensiones esse separatas sine materia, tales dimensiones non replent locum. Unde quidam ponentes vacuum, dixerunt, vacuum esse locum, in quo sunt hujusmodi dimensiones, sine aliquo sensibili corpore: et tamen istæ dimensiones non sunt simul cum alio corpore in eodem loco, ut patet 4. Phil. tex. 76. et 3. Met. text. 17. ubi habet pro inconvenienti, quod corpus mathematicum, quod nihil est aliud quam dimensiones separatæ, sit simul cum corpore naturali sensibili. Unde dato, quod subtilitas corporis gloriosi auferret ab eo hoc quod est replere locum; non tamen sequeretur quod propter hoc posset esse cum alio corpore in eodem loco, quia remoto eo quod minus est, non propter hoc removetur quod plus est.

Vera sententia.

Conclusio. Non competit corpori glorioso, ratione suæ subtilitatis, esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso.

Prob. Illud quod impedit nunc corpus nostrum, ne sit simul com alio corpore in eodem loco, nullo modo potest removeri ab eo per dotem subtilitatis. Ergo ratione subtilitatis non competit corpori glorioso, esse simul in eodem loco cum corpore non glorioso.

Conseq. prob., quia, non potest dici quod corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, habeat quod possit esse cum alio corpore in eodem loco, nisi per subtilitatem auferatur ab eo id quo prohibetur nunc esse simul cum alio corpore in eodem loco.

Antecedens prob., quia illud, per quod impeditur nunc ne corpus sit simul cum alio corpore in eodem loco, est quantitas dimensiva, quæ per subtilitatem non potest á corporibus gloriosis removeri, cum corpora gloriosa quantitatem habere debeant, ut superius dictum est.

Corpus igitur gloriosum non habe-

bit ratione suæ subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore; sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione virtutis divinæ. Sicut etiam corpus Petri apostoli non habuit ex aliqua proprietate indita quod ad umbram ejus sanarentur infirmi, sed hoc fiebat virtute divina, ad ædificationem fidei. Ita faciet virtus divina, ut corpus gloriosum possit simul cum alio corpore esse, ad perfectionem gloriæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod corpus Christi non habuit ex dote subtilitatis quod posset esse simul cum alio corpore in eodem loco, sed hoc factum est virtute divinitatis in resurrectione, sicut in nativitate: potest enim per miraculum fieri quod duo corpora sint simul in eodem loco.

Ad 2. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur quod lumen et radii solares non sunt corpus, ut dictum est 1. p. quæst. 67. art. 2. Et ideo possunt esse simul in eodem loco cum corpore.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod corpus gloriosum transibit sphæras cœlorum sine earum divisione, non ex vi subtilitatis, sed ex divina virtute, quæ eis ad nutum in omnibus subveniet.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod corpora gloriosa non posse á suo motu impediri, non est ex subtilitate, sed ex hoc quod eis divina virtus ad nutum aderit ad quæcumque volent.

Articulum III. hujus q. velut ex doctrina præcedentis articuli in corp. et in respons. ad 1. et 3. et sequentis etiam articuli in corp, decisum videlicet an per miraculum duo corpora simul in eodem loco esse possint author hic omisit.

ARTICULUS III.

ALIAS IV.

Utrum unum corpus gloriosum possit esse simul cum alio corpore glorioso in eodem loco.

Pro affirmativa. = Videtur quod corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso, in eodem loco.

1. Corpus gloriosum poterit esse simul cum corpore non glorioso in eodem loco, ut art. præced. dictum est. Ergo multo fortius poterit esse simul cum corpore glorioso.

Conseq. prob., quia corpus gloriosum est subtilius, ac per hoc minorem habet resistentiam, quam corpus non gloriosum.

2. Corpus gloriosum alicujus sancti poterit esse simul cum corpore cœli, quia poterunt ad terram descendere et ascendere pro libito suæ voluntatis. Ergo duo corpora gloriosa poterunt esse simul.

Coseq. prob., quia corpus cœli est subtile, et tunc erit gloriosum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Duo spiritus non possunt esse simul in eodem loco, quamvis corpus et spiritus possint esse simul in eodem loco. Sed corpora gloriosa erunt spiritualia, id est, spiritibus, quantum ad aliquid, similia. Ergo nec duo corpora gloriosa poterunt esse simul in eodem loco.

2. Penetrari ab alio corpore est ignobilitatis, quæ omnino aberit á corporibus gloriosis. Sed duorum corporum existentium simul in eodem loco, unum ab alio penetratur. Ergo non poterunt esse duo corpora gloriosa simul in eodem loco.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Corpus gloriosum, ratione suæ proprietatis, non habet quod possit esse cum alio corpore glorioso in eodem loco. Prob. á simili, quia nec ratione suæ subtilitatis habet, quod possit esse simul cum non glorioso.

2.ª Conclusio. Divina virtute fieri posset ut duo corpora gloriosa essent simul.

Prob. á simili. Quia Deus potest facere duo corpora non gloriosa esse simul in eodem loco, ut factum est in

nativitate Christi; et quod corpus gloriosum sit simul cum non glorioso, ut factum est in resurrectione Christi.

3.ª Conclusio. Duo corpora gloriosa numquam erunt simul in eodem loco.

Prob. quia hoc est inconveniens, tum quia in eis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit. Tum etiam, quia unum corpus gloriosum non se opponet alteri.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod illud argumentum concludit, quod corpori glorioso non competat, ratione suæ subtilitatis, esse simul cum alio in eodem loco, quod verum esse ostensum est.

Ad 2. Dicitur negando consequentiam. Ad prob. dicitur, quod corpora cælestia et corpora beatorum æquivoce dicuntur gloriosa, in quantum cælestia corpora participabunt aliquid gloriæ, sed eis non convenient dotes corporum humanorum glorificatorum.

ARTICULUS IV.

ALIAS V.

Utrum á corpore glorioso, ex sua subtilitate, removetur necessitas existendi in æquali loco.

Pro affirmativa. = Videtur quod á corpore glorificato, ex sua subtilitate, removeatur necessitas existendi in æquali loco.

1. Corpus Christi non coarctatur hac necessitate, ut sit in loco æquali. Ergo hoc idem erit in corporibus gloriosis.

Antecedens prob., quia corpus Christi continetur totum sub magnis vel parvis dimensionibus Hostiæ consecratæ.

Conseq. prob., quia corpora gloriosa erunt conformia corpori Christi, ut patet ad Philip. 3.

2. Corpus gloriosum ita subjectum erit spiritui, quod poterit videri et non videri, præcipue ab oculo non glorioso, pro suæ libito voluntatis, ut in Christo patuit. Ergo. ita quantitas subjicietur nutui spiritus, quod poterit esse in parvo vel magno loco, et habere parvam, vel magnam quantitatem ad libitum.

Conseq. prob., quia sicut corpus ratione sui coloris videtur; ita commensuratur loco ratione suæ quantitatis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Omne, quod est in loco, est in loco sibi æquali: ut Phil. dicit 4. Phys. t. 30. Sed corpus gloriosum est in loco. Ergo est in loco sibi æquali.

2. Si locus posset esse maius locato, sequeretur, quod idem esset maius et minus se ipso: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia eædem sunt dimensiones loci et locati, ut probatur 4. Phys. t. 76.

Determinatio.

Conclusio. Corpus gloriosum semper erit in loco sibi æquali.

Prob. Quantitas corporis gloriosi nullo modo potest effici minor se ipsa. Ergo corpus gloriosum semper erit in loco æquali.

Conseq. prob., quia corpus non comparatur ad locum, nisi mediantibus dimensionibus propriis, secundum quas corpus locatum circumscribitur ex contractu corporis locantis. Unde, quod corpus aliquod sit in minori loco, quam sit sua quantitas, non potest esse, nisi per hoc, quod quantitas corporis propria efficitur aliquo modo minor se ipsa.

Antecedens manifestatur. Nam quod propria quantitas alicujus corporis efficiatur minor se ipsa, non potest nisi duobus modis intelligi. Uno modo, ex variatione quantitatis, circa eamdem materiam: ut scilicet materia, quæ primo subest magnæ quantitati, postea subsit parvæ. Et hoc, quidam posuerunt in corporibus gloriosis, dicentes, quod quantitas eis subest ad nutum, ita quod, cum voluerint, possint habere magnam quantitatem et parvam.

Sed hoc non potest esse quia nullus motus, qui fit secundum aliquid intrin-

secum rei, potest esse sine passione abjiciente á substantia: et ideo in corporibus incorruptibilibus, scilicet cælestibus est solus motus localis, qui non est secundum aliquid intrinsecum. Unde patet quod mutatio quantitatis circa materiam repugnat impassibilitati et incorruptibilitati corporis gloriosi. Et præterea sequeretur quod corpus gloriosum quandoque rarius, et quandoque spissius esset: quia, cum nihil dividi possit ab eo de materia sua, quandoque eadem materia esset sub parvis dimensionibus, et quandoque sub magnis, et ita rarefieret et densaretur: quod est impossibile.

Secundum modo potest intelligi quod quantitas corporis gloriosi efficiatur minor se ipsa, per variationem situs, ita scilicet, quod partes corporis gloriosi subintrent in se invicem, et sic redeat ad quamcunque parvam quantitatem. Et hoc quidam posuerunt, dicentes quod corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, habebit quod possit esse simul cum alio corpore non glorioso in eodem loco. Et similiter, potest una pars esse intra aliam, in tantum, quod totum corpus gloriosum poterit intrare per minimum porum alterius corporis. Et sic ponunt quod corpus Christi, quod exivit de utero virginali, intravit januis clausis ad discipulos.

Sed hoc non potest esse. Tum quia corpus gloriosum non habebit quod sit cum alio corpore simul, ratione suæ subtilitatis. Tum etiam, quia si haberet quod esset simul cum alio corpore, non tamen cum alio corpore glorioso, ut multi dicunt. Tum quia repugnaret rectæ dispositioni corporis humani, quæ requirit determinatum situm et distantiam partium. Unde nec per miraculum hoc umquam fiet, ut ostensum est artic. præcedenti. Et sic patet antecedens, quod erat probandum, scilicet quod quantitas corporis gloriosi nullo modo potest effici minor seipsa; quia nec per variationem quantitatis circa eamdem materiam, nec per variationem situs, quibus duobus tantum modis potest imaginari quod quantitas possit esse se ipsa minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod corpus Christi non est in sacramento altaris localiter, ut alias dictum est.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio in proposito de colore et quantitate: corpus enim ex hoc quod videtur, agit in visum. Unde quod agat vel non agat in visum, nullam variationem ponit in ipso corpore: et ideo potest, quando vult, videri, et quando non vult, non videri. Sed esse in loco, non est actio aliqua procedens ab eo, ratione suæ quantitatis, sicut videri ratione coloris, sed mutatio quantitatis ponit aliquam mutationem in ipso corpore. Et propterea corpus gloriosum potest videri et non videri ad libitum; non tamen potest habere modo maiorem, et modo minorem quantitatem: cum sit impassibile et incorruptibile.

ARTICULUS V.

ALIAS VI.

Utrum corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, sit impalpabile.

Pro affirmativa.=Videtur quod corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, sit impalpabile.

1. Corpus incorruptibile non est palpabile. Sed corpus gloriosum est incorruptibile. Ergo non est palpabile.

Maior prob., quia Greg. dicit in Hom. 26. in Evang. oct. Paschæ. *Corrumpi necesse est quod palpatur.*

2. Omne palpabile resistit palpanti. Sed corpus gloriosum non resistit palpanti. Ergo non erit palpabile.

Minor prob., quia corpus gloriosum potest esse simul cum alio in eodem loco; quod non posset esse, si alteri resisteret.

3. Omne palpabile est tangibile. Sed corpus gloriosum non est tangibile. Ergo non est palpabile.

Minor prob., quia corpus tangibile habet qualitates tangibiles, excedentes qualitates tangentis, quod non potest esse in corpore glorioso, in quo qualitates sunt reductæ ad maximam æqualitatem.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dominus in corpore glorioso resurrexit, et tamen corpus palpabile habuit: ut patet Lucæ ult. « Palpate et « videte, quia spiritus carnem et ossa non habet. Ergo corpora gloriosa erunt palpabilia.

2. Quia dicere, quod corpora gloriosa futura sint impalpabilia, est hæresis Eutichii constantinopolitani episcopi, qui dixit, quod corpus nostrum in resurrectionis gloria erit impalpabile, ut Greg. refert lib. 14. moral.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Corpus gloriosum, secundum suam naturam, erit palpabile.

Prob. Corpus, quod secundum suam naturam habet qualitates tangibiles et quod resistat tangenti, es palpabile. Sed corpus gloriosum, secundum suam naturam, habet tangibiles qualitates, et habet quod tangenti resistat. Ergo corpus gloriosum erit palpabile.

Maior manifestatur. Nam omne corpus palpabile est tangibile, sed non convertitur. Omne enim corpus habens qualitates, quibus natus est immutari sensus tactus, est tangibile, unde aër; ignis et hujusmodi sunt corpora tangibilia. Palpabile autem ulterius addit, quod resistat tangenti. Unde aër, qui numquam resistit transeunti per eum, sed est facillimæ divisionis, tangibilis quidem est, sed non papabilis. Sic ergo patet quod palpabile dicitur aliquod corpus ex duobus, scilicet ex qualitatibus tangibilibus, et ex hoc, quod resistit tangenti, ut non pertranseat. Et sic patet maior.

Minor ostenditur ex differentia quæ est inter corpora, quæ sunt secundum suam naturam incorruptibilia et corpora gloriosa. Corpora enim incorruptibilia, ut sunt corpora cœlestia, non habent tangibiles qualitates, scilicet calidum et frigidum et hujusmodi, quia hæ qualitates non inveniuntur nisi in corporibus habentibus contrarietatem adinvicem. Unde corpora cœlestia non sunt tangibilia, ac per hoc nec palpabilia: quia scilicet secundum suam naturam carent qualitatibus aptis natis immutare sensum tactus. Et hoc est quod Greg. dicit, quod *corrumpi necesse est* (scilicet secundum suam naturam) *quod palpatur*. Corpus autem gloriosum, non est secundum suam naturam incorruptibile, sed ex superveniente gloria; ideo, secundum suam naturam, qualitates tangibiles habet, et per hoc est tangibile: et quia secundum suam naturam resistit tangenti, ideo, et palpabile secundum suam naturam erit.

2.ª Conclusio. Corporigl orioso competit, ex supernaturali virtute, ut cum vult, non palpetur á corpore non glorioso.

Manifestatur, quia corpus gloriosum est omnino subjectum spiritui, et ideo in potestate ejus est, ut secundum qualitates sensibiles immutet, vel non immutet, sensum tactus. Et quia etiam divina virtute potest contingere, ut sit in eodem loco cum corpore glorioso, tunc non resistet ei transeunti. Et propter hæc, Greg. dicit Hom. 26 in Evang. quod «Dominus palpandam carnem præ« buit, quam januis clausis introduxit, ut « perfecte ostenderetur corpus suum post « resurrectionem esse et ejusdem natu« ræ, et alterius gloriæ.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de corpore incorruptibili secundum suam naturam. Tale enim non est palpabile: corpus autem gloriosum non est tale ex natura, sed ex supernaturali Dei dono.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod corpus gloriosum ex sua natura palpanti resistit. Ad prob. dicitur quod ei com-

petit esse simul in eodem loco cum alio corpore, non ex virtute suæ naturæ, sed solum per divinam potentiam, secundum quam potest non palpari, nec tangi.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod qualitates tangibiles in corporibus gloriosis non erunt redactæ ad medium rei, sed ad medium proportionis, secundum quod competit optimæ complexioni humanæ in omnibus partibus: et ideo tactus illorum corporum erit delectabilissimus, quia potentia semper delectatur in convenienti, et tristatur in excessu.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 172.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Eutichii*, etc. ut supra qu. 79, art. 1. append. et qu. 82. art. 1. append. Per hunc siquidem articulum patet, quod ideo spiritualia corpora beatorum post resurrectionem non dicentur, quia sint vento, et aere subtibiliora, aut non possint palpari, atque videri: sed quia spiritui totaliter per obedientiam subjecta erunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á, etc. ut supra locis nunc citatis. Item á 1. Corinth. 15. *Resurget corpus spirituale.* Ecce, quod Apostolus vocat illud corpus, et non spiritum. Verum corpus hominis erit, et spirituale denominabitur, ita quod essentia ejus erit corpus, et denominatio quædam fiet á spiritu. Quod si non esset corpus hominis, quod erat prius, non gloriaretur Apostolus de hoc, quod ipsemet substantialiter resurrecturus sit, ut in illo cap. pluries facit. Corpus enim substantialiter non esset idem, nisi carnem, et ossa, et naturalia accidentia ut palpari posset, haberet. *Tertio* hinc habes: quomodo per rationem intelligas illud Matth. 22. *In resurrectione erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Non enim significatur per hoc, quod corpora resuscitata sint futura spiritus, sed, quod cœlibem in summo vitam vivent in æternum, ut Angeli: secundum quod patet consideranti contextum ly non nubent, neque nubentur. Per quod intelligitur vita cœlebs; unde per illud, quod subditur ly, sed, sicut Angeli Dei, denotatur vita cœlebs in summo, id est totalis virginitas. Et hoc, quia totaliter animæ glorificatæ obedient. Hinc ergo et patet, quod nulla erit ibi libido, nec minima qualiscumque, nec quomodocumque in æternum ex mutua visione: quoniam nil pœnitus erit in corpore, quod non sit per omnia secundum voluntatem animæ glorificatæ. Ex carentia igitur totali fomitis (ut supra 3. q. 80. art. 3. et q. 81. art. 4. append. dicebatur) et ex totali obedientia corporis ad spiritum fiet hoc; ut sit omnino impossibile, minimum quid hujusmodi á carnalibus hominibus de beatis illis excogitatum in illa patria reperiri in sempiternum. Hæc ultima dicta sint: et applicantur contra hæreses *Cerinthi*, et *Chiliastarum* supra locis nunc citatis narratas, et reprobatas. *Quarto* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta Scripturarum, pro quanto subtilitatem fore proprietatem corporis gloriosi insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem explodas errorem cujusdam, ut recitatur 3. p. q. 45. art. 2. virtualiter dicentis quod ratione subtilitatis competit corpori glorioso esse in eodem loco cum alio non glorioso. Dicit enim sic, quod « Christus « assumpsit quatuor dotes, claritatis in transfiguratione: agilitatis ambulando supra « mare: subtilitatis egrediendo de clauso utero Virginis; et impassibilitatis in cœna, « quando dedit corpus suum ad edendum, sine hoc, quod divideretur. » Nam, cum resurrectionis corporum nostrorum resurrectio Christi sit causa exemplaris, q. 76. art. 1. si dotis ratione fuit in eodem loco simul cum corpore non glorioso, sequitur per hoc, eum demonstrasse in suo simili, quod corpus gloriosum aliorum beatorum pote-

rit ratione dotis subtilitatis esse simul cum alio corpore non glorioso. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictum errorem recte excludi á Papa *Gregorio* magno homil. 16. " Lectionis hujus evangelicæ quæstio animum pulsat, quomodo post resur-« rectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi po-« tuit. Sed sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non « est admirabilis: " Ecce, quod Pontifex non doti, sed divinæ operationi, id est, miraculo, hoc ipsum tribuit: quod Christi corpus gloriosum fuerit simul in eodem loco cum pariete domus. Item á Dionysio in epist. 4. ad Cajum. "Super hominem opera-« tur Christus ea, quæ sunt hominis, et hæc monstrat virgo supernaturaliter conci-« piens et aqua instabilis materialium, et terrenorum pedum sustinens gravitatem. " Ubi á simili monstrat propositum, ut patet consideranti ly supernaturaliter. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto insinuant, quod corpus gloriosum non nisi per miraculum potest esse simul cum alio in eodem loco, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem derideas, et interimas deliramenta quædam, anilesque fabulas stultissime confictas, et hæreticales *Zuinglianorum*, et *Calvini*, et cujusdam *Petri Martyris* Antiluterani, consecutive dicentium, quod duo corpora non possunt miraculose esse in eodem loco. Dicunt enim *Zuingliani*, Christum resuscitatum januis clausis ad Apostolos ingredientem per rimam fuisse introductum. Et Christo ad Apostolos ingrediendi integras januas aperuisset *Calvinus*: ne pressuram ullam ejus tenellum corpus pateretur. Et Christum, cum ingresus est ad Apostolos januis clausis per fenestram intrase, ait *Petrus Antiluteranus*. Ex his ergo, quod consecutive dicunt ii, quod corpora duo per miraculum non possunt esse in eodem loco: cum hoc sequatur ad dictum ipsorum, ut discurrenti patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has hæreses merito damnari á Joan. 19. dicente, quod Dominus post resurrectionem venit ad discipulos suos januis clausis. Per hoc enim monstratur, quod corpus Domini miraculose fuit in eodem loco simul cum alio corpore, ut inquit magnus *Gregorius* Papa, et sanctus. Cujus in hom. 16. verba sunt hæc. " Quæstio animum pulsat: quomodo corpus Dominicum post resurrectionem « verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est, « quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis. " Item ab Ecclesia catholica, quæ de fide profitetur, beatam Virginem Dei matrem fuisse Virginem in partu. Hoc est, quod corpus Domini exivit per clausam portam, id est, non rupto signaculo virginitatis. Unde et in collecta secreta quadam dicit ly *matris integritatem non minuit, sed sacravit*. Quæ quidem egressio taliter facta miraculo tribuitur ab eodem Papa Greg. ibid. *Illud corpus Domini intravit ad discipulos clausis januis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis*. Ecce, quod divinæ operationi, id est, miraculo, utrumque factum á Papa adscribitur: licet hunc exitum ex utero Virginis clauso dicat esse quid mirabilius, ex hoc quod moriturus veniens taliter exivit. Item ab eadem Ecclesia, dum prædicat ipsum Christum exiisse corporaliter de sepulchro clauso. Unde in paschali tempore ad hoc significandum canit ly " surrexit Dominus de sepulchro, " et ly " dicant nunc Judæi, quomodo milites « custodientes sepulchrum perdiderunt regem ad lapidis positionem. " Per quæ docet fideles, quod corpus Dominicum non tantum clauso sepulchro per lapidis positionem exivit, sed etiam invisibiliter militibus vigilantibus. Item à Matthei 28. *Angelus Domini accedens revolvit lapidem*. Jam enim surrexerat Dominus, uti bi subditur, et in Mar. 16. et de sepulchro exierat. Unde per hoc, quod post Domini exitum testatur, Angelum revolvisse lapidem sepulcri, insinuat aperte, quod de sepulchro clauso, et quide lapide valde magno, Mar. 16. exierat corpus Domini gloriosum. Nota, quod prædictas fatuitates Zuinglianorum, etc. vocavi hæreses, in quantum veritatem Evangelii de illa existentia duorum corporum simul in eodem loco destruunt, non in quantum id miraculo non adscribunt. Primum enim est hæreticum: secundum autem non. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto

duo corpora posse per miraculum in eodem loco simul esse, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, fuisse à Luc. 1. quod corpus gloriosum miraculose potest esse cum alio glorioso in eodem loco: et sic. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Ubi per hoc ostenditur sententialiter, quod illa, quæ non implicant contradictionem, possunt fieri á Deo. Quod patet sic. Nam verbum ibi æquivalet conceptui mentali. Ac si dixisset. Non est impossibile apud Deum omne, quod mentaliter concipitur. Concipi autem mentaliter non potest id, quod implicat contradictionem: cum dicatur 4. Metaphys. quod contraria primis principiis potest quidem aliquis ore proferre, sed non concipere mente. Non enim potest quis mentaliter concipere, quod Socrates simul sit vivens, et non vivens, mortuus, et non mortuus, et hujusmodi. Modo ad propositum descendendo, patet ex art. 3. quod non implicat contradictionem, duo corpora esse in eodem loco, nec refert ad hoc, quod sint gloriosa, vel non gloriosa, ut inde sapienti constare potest. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis, *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fundamentaliter esse á Philosopho, quod corpus gloriosum inconvenienter esset in loco sibi inæquali: et sic: *Omne quod est in loco, est in loco æquali sibi.* Item eædem sunt dimensiones loci, et locati. Hæc duo ex 4. Phys. Naturaliter ergo fieri contrarium non potest; et ex consequenti per hoc tamquam, per quoddam fundamentum, monstratur illud, quod diximus. Ratio enim naturalis non contrariatur supernaturali juri, si recte intelligatur, quinimo ei inservit, neque supernaturale destruit rationem naturalem, licet sit supra ipsam. Cum igitur monstret Philosophus directe unum; commonstrat et aliud, tamquam in fundamento. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Philosophi, pro quanto fundamentaliter insinuant, quod diximus, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem *Eutychii* dicentis: resuscitatum corpus post resurrectionis gloriam palpari non posse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito hunc esse damnatum á Joan. 20. Palpate, et videte. Ubi monstrat Dominus in seipso, quod corpora post resurrectionis gloriam sunt palpabilia non tantum ab aliis gloriosis corporibus, sed etiam á non gloriosis, quando voluerint. Item á, etc. ut qu. 79. art. 1. Item á qu. 83. art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA TERTIA.

DE AGILITATE CORPORUM BEATORUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de agilitate beatorum corporum resurgentium.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum corpora gloriosa sint futura agilia.

Secundo, utrum movebuntur.

Tertio, utrum movebuntur in instanti.

ARTICULUS I.

Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.

Pro negativa. = Videtur quod corpora gloriosa non sint futura agilia.

1. Illud quod de se est agile ad motum, non indiget aliquo deferente. Sed corpora gloriosa indigent deferente. Ergo corpora gloriosa non erunt agilia.

Minor prob., quia deferentur post resurrectionem in nubibus *obviam Chris-*

to *in aëra* ab angelis, ut dicit Glos. ord. et interl. sup. ad Thess. 4.

2. Corpus, quod movetur cum labore et pœna, non potest dici agile. Sed corpora gloriosa movebuntur cum labore et pœna. Ergo non erunt agilia.

Minor prob., quia motor eorum, scilicet anima, movet in contrarium naturæ eorum: alias semper in unam partem moverentur.

3. Non assignatur corporibus gloriosis aliqua proprietas quæ perficiat ea ad sentiendum. Ergo nec debet eis attribui agilitas, per quam perficiantur ad motum.

Conseq. prob., quia inter operationes animalis, sensus est nobilior et prior quam motus.

4. Corpus gloriosum habebit membra ejusdem dispositionis in figura et quantitate, sicut modo. Ergo videtur quod non sit habiturum maiorem agilitatem, quam nunc habeat.

Conseq. prob., quia sicut natura dat animali veloci et tardo diversa dispositionis instrumenta; ita Deus, qui ordinatius quam natura agit, debet dare velocioribus instrumenta huic velocitati deservientia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, id est, mobile et vivum; inquit Glos. interlin. Ergo corpora gloriosa erunt agilia.

Conseq. prob., quia mobilitas dicit agilitatem ad motum.

2. Corpora, quæ erunt maxime spiritualia, erunt agilia. Sed corpora gloriosa erunt maxime spiritualia. Ergo erunt agilia.

Maior prob. quia tarditas maxime videtur spiritualitati repugnare.

Determinatio.

Conclusio. Corpora gloriosa erunt agilia.

Prob. Corpora gloriosa erunt omnino subjecta animabus glorificatis, non solum per hoc quod nihil erit in eis resistens voluntati spiritus, secundum quem modum subjectio corporis ad animam fuit in Adam; sed etiam per hoc quod sit in eis aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad prædictam subjectionem, quæ perfectio *dos glorificati corporis* dicitur. Ergo corpora gloriosa erunt agilia.

Conseq. prob. quia anima conjungitur corpori, non solum ut forma, sed etiam ut motor; et utroque modo oportet quod corpus gloriosum sit summe subjectum animæ glorificatæ. Unde, sicut per dotem subtilitatis corpus subjicitur animæ, in quantum est forma corporis dans ei esse specificum; ita per dotem agilitatis subjicitur ei, in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et affectionibus animæ.

Aliter formatur ratio ad conclusionem. Corpora, quæ erunt subjecta animæ gloriosæ, omnino erunt agilia. Sed corpora gloriosa erunt omnino subjecta gloriosis animabus. Ergo erunt agilia. Præmissæ ex dictis patere possunt.

Ex quibus etiam patet quod causa agilitatis gloriosorum corporum, non erit ex quinta essentia, in eis prædominante, sed ex gloria animæ, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur quod corpora gloriosa dicuntur ferri ab angelis et etiam in nubibus, non quasi eis indigeant, sed ad designandam reverentiam, quæ corporibus gloriosis et ab angelis et á ceteris creaturis defertur.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod quanto virtus animæ moventis magis dominatur supra corpus, tanto minor est labor in motu, qui est etiam contra naturam corporis. Unde illi in quibus virtus motiva est fortior, et illi qui habent ex exercitio corpus magis habilitatum ad obediendum spiritui moventi,

minus laborant in motu. Et quia post resurrectionem, anima perfecte dominabitur corpori, tum propter perfectionem propriæ virtutis, tum propter habilitatem corporis gloriosi, ex redundantia gloriæ ab anima in ipsum, non erit aliquis labor in motu sanctorum: et sic dici poterunt corpora sanctorum agilia.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod per dotem agilitatis, corpus gloriosum reddetur habile, non solum ad motum localem, sed etiam ad sentiendum, et ad omnes alias animæ operationes exequendas.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut natura dat velocioribus animalibus instrumenta diversæ dispositionis in figura et quantitate; ita Deus dabit corporibus sanctorum aliam dispositionem, quam nunc habeant, non quidem in figura et quantitate, sed in proprietate gloriæ, quæ dicitur agilitas.

ARTICULUS II.

Utrum sancti quandoque utantur agilitate sua, ut moveantur.

Pro negativa. = Videtur quod sancti numqam utentur agilitate sua.

1. Corpora, in quibus nulla erit imperfectio, numquam movebuntur. Sed in corporibus glorificatis nulla erit imperfectio. Ergo in eis non erit aliquis motus.

Maior prob., quia *motus est actus imperfecti*, ut dicit. Arist. lib. 3. Physic. Text. 8.

2. Ea quæ moventur, habent aliquam indigentiam. Sed corpora gloriosa nullam habebunt indigentiam. Ergo non movebuntur.

Maior prob., quia omnis motus fit propter indigentiam, et hoc quia omne quod movetur, propter adoptionem finis movetur.

Minor prob., quia Aug. dicit lib. 13. de Trin. cap. 7. *ibi erit quidquid voles, non erit quidquid noles.*

3. Corpora, quæ participant divinam bonitatem nobiliori modo quam quælibet alia corpora, non moventur. Sed corpora beatorum participabunt divinam bonitatem nobiliori modo quam quælibet alia corpora. Ergo erunt sine motu.

Maior ostenditur, quia participare divinam bonitatem sine motu, nobilius est, quam eamdem participare cum motu: ut dicitur 2. de cœl. t. 64. «Sed corpora «aliqua, scilicet cælestia, post judicium «participabunt divinam bonitatem sine «motu.» Ergo multo magis corpora beatorum.

4. August. dicit quod anima stabilita á Deo, stabiliet corpus suum consequenter. Sed anima ita erit in Deo stabilita quod nullo modo ab eo movebitur. Ergo nec in corpore erit aliquis motus ab anima.

5. Quod pertinet ad gloriam beatorum, non potest variari. Sed locus conveniens corpori glorificato, pertinet ad ejus gloriam. Ergo locus non poterit amplius variari per motum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur Isaiæ 40. «Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.» Et Sap. 3. «Tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Ergo erit aliquis motus corporum gloriosorum.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Necessarium est ponere corpora gloriosa aliquando moveri.

Prob. Tum quia corpus Christi motum est in Ascensione: et etiam corpora sanctorum, quæ de terra resurgent, ad cœlum empyreum ascendent.

2.ª Conclusio. Verisimile est quod corpora gloriosa, post ascensionem in cœlum, movebuntur aliquando pro libito suæ voluntatis.

Prob. Nam hoc fiet ut illud quod habent corpora illa in virtute actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant. Et ut etiam visus eorum reficiatur pulchritudine diversarum creaturarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit. Sensus enim non potest esse nisi præsentium, quamvis

magis á longinquo possint sentire corpora gloriosa, quam non gloriosa.

3.ª Conclusio. Per motum corporum beatorum, non deperibit aliquid de gloria, vel beatitudine ipsorum.

Prob. quia beatitudo eorum consistit in visione Dei, quem ubique præsentem habebunt. Sicut et de angelis dicit Gregor. Homil. 34 in Evang. Quod *intra Deum currunt quocumque mittantur.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de eo in quo nulla omnino invenitur imperfectio, nec respectu eorum quæ pertinent ad intrinsecam perfectionem, nec respectu extrinseci, et talis perfectio est in solo Deo, qui propterea nullo modo localiter movetur. Non autem est vera de eo quod non est omnino perfectum. Motus enim localis non variat aliquid eorum quæ sunt intra naturam rei, sed solum id quod est extra rem, scilicet locum. Unde, quod movetur localiter, potest quidem esse perfectum, quantum ad ea quæ sunt intra rem, quamvis habeat imperfectionem respectu loci: quia dum est in uno loco, est in potentia ad alium locum, quia non potest actu esse in pluribus locis simul, hoc enim solius Dei est. Et hic defectus non repugnat perfectioni gloriæ, sicut nec defectus quod creatura sit ex nihilo: et ideo hujusmodi defectus manebunt in corporibus gloriosis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod aliquis dicitur indigere aliquo dupliciter. Scilicet simpliciter, et secundum quid. Simpliciter aliquis indiget illo, sine quo non potest conservari in esse, vel in sua perfectione. Et sic motus in corporibus gloriosis non erit propter aliquam indigentiam, quia ad hæc omnia sufficiet eis eorum beatitudo. Secundum quid, indiget aliquis illo, sine quo non potest finem intentum habere, vel non ita bene, vel tali modo. Et sic motus erit in beatis propter indigentiam. Non enim poterunt manifestare virtutem motivam in se ipsis experimento, nisi moveantur. Hujusmodi enim indigentias nihil prohibet in corporibus gloriosis esse. Negatur igitur simpliciter minor. Habebunt enim beati aliquam indigentiam.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod corpora quæ participant divinam bonitatem nobiliori modo quam alia corpora, non moventur ad consequendam divinam bonitatem; possunt tamen moveri ad aliquid aliud. Tunc ad minorem dicitur quod corpora gloriosa non movebuntur ad consequendam perfectam divinæ bonitatis participationem (hanc enim habent per gloriam) sed ad demonstrandam virtutem animæ. Ad prob. autem minoris dicitur quod per motum corporum cœlestium post judicium non posset demonstrari virtus eorum, nisi quam habent in movendo corpora inferiora ad generationem et corruptionem quod non competet illi statui.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod anima stabiliet corpus, ita quod non moveatur motu, per quem diminuatur aliquid pertinens ad felicitatem. Motus autem localis nihil diminuet de felicitate animæ, vel corporis, ut dictum est.

Ad 5. Dicitur ad minorem quod locus congruus unicuique glorioso corpori deputatus, secundum gradum suæ dignitatis, pertinet ad præmium accidentale; sed tamen non oportet quod diminuatur aliquid de præmio, quotiescumque est extra locum suum; quia locus ille non pertinet ad præmium, secundum quod actu continet corpus locatum; cum locus nihil influat in corpus gloriosum, sed magis recipiat splendorem ab eo; sed est præmium, secundum quod est debitus pro meritis. Unde gaudium de tali loco manet etiam qui est extra locum suum.

ARTICULUS III.

Utrum sancti moveantur in instanti.

Pro affirmativa. = Videtur quod sancti moveantur in instanti.

1. Post resurrectionem, *ubicumque voluerit spiritus, ibi erit et corpus*, ut Aug. dicit lib. 22 de Civit. Dei c. ult. Sed motus spiritus, secundum quem vult alicubi esse, est in instanti. Ergo et motus corporis erit in instanti.

2. In motu corporis gloriosi nulla potest esse resistentia ex parte medii. Ergo corpus gloriosum movetur in instanti.

Antecedens prob., quia corpus gloriosum potest esse simul cum alio corpore in eodem loco, ut dictum est; ac per hoc, medium corpus, in quo fit motus, nullo modo potest resistere.

Conseq. prob., quia Phil. 4. Phys. text. 71. probat non esse vacuum, quia, si esset motus, fieret in eo in instanti.

3. Anima non glorificata movet corpus in tempore. Ergo anima glorificata movet corpus gloriosum in instanti.

Prob. conseq. quia virtus animæ glorificatæ excedit improportionabiliter virtutem animæ non glorificatæ.

4. Omne quod movetur ita cito ad propinquum sicut et ad distans, movetur in instanti. Sed corpus gloriosum movetur ita cito ad propinquum, sicut ad distans. Ergo corpus gloriosum movetur in instanti.

Minor prob., quia corpus gloriosum ad quantumcunque distans spatium in tempore imperceptibili movetur. Unde dicit August. in quæst. de resurrectione Epist. 49. quod « corpus gloriosum « utraque intervalla pari celeritate pertingit, ut radius Solis.

5. Omne quod movetur, vel in tempore, vel in instanti movetur. Sed corpus gloriosum, post resurrectionem, non movebitur in tempore. Ergo movebitur in instanti.

Minor prob., quia tempus, post resurrectionem, non erit. Apoc. 16.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod movetur in spatio divisibili, non movetur in instanti. Sed corpus gloriosum movetur per spatium divisibile. Ergo ejus motus non erit in instanti.

Maior prob, quia in motu locali, spatium motus, et tempus simul dividuntur, ut demonstratur 6. Phys. tex. 37. et seq.

Determinatio.

Conclusio. Corpus gloriosum non movebitur in instanti sed in tempore imperceptibili.

Prob. et quidem quod non moveatur in instanti, patet ex ratione inducta pro negativa, et ex rationibus, quæ inducuntur in littera hujus art. ad reprobandas opiniones eorum, qui dixerunt quod corpus gloriosum in suo motu potest transire de loco ad locum absque hoc quod pertranseat medium. Quæ ideo omittuntur, quia in 6. Phys. tractantur.

Quod vero sit in tempore imperceptibili, ostenditur ex argumentis adductis pro affirmativa; probant enim hoc tantum quod motus gloriosorum corporum sit in imperceptibili tempore, ut patebit in solutionibus eorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad sententiam Aug. quod quia *illud, quod parum deest, quasi nihil deesse videtur*, ut dicitur 2. Phys. text. 56. propter quod dicimus, statim facio, quod post modicum tempus fiet; per hunc modum loquitur August. quod ubicumque erit voluntas, ibi erit statim corpus, id est, post modicum tempus. Vel dicendum quod voluntas numquam erit inordinata in beatis; unde nunquam volent corpus suum esse alicubi in aliquo instanti, in quo non possunt ibi esse. Et sic, quodcumque instans voluntas determinabit, corpus erit in illo loco, quem voluntas determinat.

Ad 2. Negatur conseq. Nam etsi in motu corporis gloriosi nulla esse possit resistentia ex parte medii, non tamen erit in instanti, quia erit resistentia mobilis ad virtutem moventem, ex hoc ipso quod corpus gloriosum habet determinatum situm.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod quamvis virtus animæ glorificatæ excedat inestimabiliter virtutem animæ non glorificatæ; non tamen excedit in infinitum, quia utraque virtus est finita. Unde non sequitur quod moveat in instanti.

Ad 4. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod celeritas in verbis Aug. est intelligenda, quantum ad hoc quod est imperceptibilis excessus unius respectu alterius, sicut et tempus motus est imperceptibile.

Ad 5. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod quamvis post resurrectionem non erit tempus quod est numerus motus cœli; erit tamen tempus consurgens ex numero prioris et posterioris in quocumque motu.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 173.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á 1. Corinth. 15. quod corpora beatorum erunt agilia, et sic: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Virtus enim hæc erit agilitas ad motum, et vivacitas. Item ibidem: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Ubi per spirituale intelligit maxime subjectum esse spiritus voluntati. Et hoc est, quod supra dictum est, quod beatis omnia succedent ad nutum; quasi per hoc diceretur. Si volent spiritus esse in Oriente, faciliter mox corpora eorum illuc movebuntur, et erunt: et sic de aliis hujusmodi, adeo quod, ubicumque voluerint spiritus, aderunt sine difficultate ipsorum corpora. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et probes. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas merito insinuatum ab Isa. 40. quod sancti agilitate sua utantur aliquando, ita quod moveantur: et sic: *Current et non laborabunt, volabunt, et non deficient.* Quod non laborent in tali citissimo motu, qui designatur per illum gravem cursum, vide art. 1. in ad 2. Dixi gravem cursum, quoniam ille erit gravitate plenus ad modum magnatorum, et non levium personarum. Nota ly volabunt: quod est modus loquendi de aliquo citissime moto: non autem, quod habeant materialiter alas. Item á Sap. 3. *Tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Ubi per illud exemplum notatur pulchritudo, et delectabilitas motus illorum sanctorum: ita quod, sicut videre scintillas in arundineto lucentes est quid pulchrum, ac delectabile, ita ille sanctorum motus ad videndum erit pulcherrimus et delectabilissimus, ut á simili dictum est de tactu illorum corporum q. 83. á 6. ad 3. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum fundamentaliter á Philos. 6. *Physicor.* quod motus corporum sanctorum non potest esse in instanti. Hoc autem insinuatum est, quando in 6. *Physicor.* probatur, quod spatium motus, et tempus simul dividuntur, id est, sibi invicem in divisione correspondent. Ac si dixisset: si spatium, quod per motum transitur, est divisibile; et tempus mensurans ipsum motum erit divisibile. Cum ergo spatium á corpore glorioso pertransitum sit divisibile, ut patet, sequitur secundum Philosophi præcedens dictum, quod tempus ei correspondens sit divisibile; et consequenter non sit in instanti. Item ab eodem ibidem, cum dixit: omne, quod movetur, partim est in termino á quo, et partim in termino ad quem. Cum ergo non possit fieri utrumque in instanti, alioquin altera pars esset in duobus locis simul, patet secundum illum, quod corpora sanctorum moveri non possunt localiter in instanti. Dixi in principio appendicis ly funda-

mentaliter: quia Philosophus non cognovit ista de sanctis directe, cum fidem non habuerit, sed horum solummodo fundamenta, quæ naturaliter, usquequo licet deservire possint, posuit. De hoc, et hujusmodi, vide qu. 83. art. 5. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Philosophi, proquanto fundamentaliter insinuant, quod diximus, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUARTA.

DE CLARITATE CORPORUM BEATORUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de claritate corporum beatorum resurgentium.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum claritas inerit corporibus gloriosis.

Secundo, utrum claritas illa videri poterit ab oculo non glorioso.

Tertio, utrum corpus gloriosum necessario videbitur á corpore non glorioso.

ARTICULUS I.

Utrum corporibus gloriosis conveniet claritas.

Pro negativa.=Videtur quod corporibus gloriosis claritas non conveniet.

1. *Omne corpus luminosum constat ex partibus perviis*, ut Avicen. dicit in 6. natural. Sed partes corporis gloriosi non erunt perviæ. Ergo non erunt lucidæ.

2. Omne corpus lucidum occultat illud quod est post se. Sed corpora gloriosa non occultabunt illud quod intra ipsa continetur. Ergo non erunt lucida.

Maior patet, quia luminare, unum post aliud, eclipsatur, et flamma prohibet videre quod est post se.

Minor prob. quia Greg. lib. 18. Moral. cap. 36. super illud Job. 28. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum*, dicit. Ibi, scilicet in cœlesti patria, uniuscujusque mentem, ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, patebitque corporalibus oculis ipsa etiam corporalis armonia.

3. Corpora colorata non possunt esse lucida. Sed corpora gloriosa erunt colorata. Ergo non poterunt esse lucida.

Maior prob., quia lux et color contrariam dispositionem requirunt in subjecto. «Lux enim est extremitas perspicui in corpore non terminato:» color autem est extremitas perspicui in corpore terminato, ut patet in lib. de sensu et Sensato. cap. 3.

Minor prob., quia Aug. dicit lib. 22. de Civit. Dei, cap. 19. *quod pulchitudo corporis* (quæ corporibus gloriosis non deerit) *est partium convenientia, cum quadam coloris suavitate.*

4. Si claritas erit in corporibus gloriosis, oportet quod sit æqualis in omnibus partibus corporis. Sed non poterit esse æqualis in omnibus partibus corporis. Ergo in corporibus gloriosis non erit claritas.

Maior prob., quia omnes partes corporis erunt ejusdem impassibilitatis, subtilitatis, et agilitatis. Ergo et claritatis.

Minor prob., quia una pars habet maiorem dispositionem ad claritatem, quam alia; sicut oculi, quam manus; et spiritus, quam ossa; et humores, quam caro, vel nervi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 13. dicitur. *Fulgebunt justi, sicut sol, in regno Patris mei.* Et Sap. 3. dicitur. *Fulgebunt justi tamquam scintillæ.*

2. Cor. 1. c. 15. dicitur: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria quod ad claritatem pertinet, ut patet per sequentia, ubi corporum resurgentium

gloriam comparat claritati stellarum. Ergo resurgent lucida.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Oportet ponere corpora sanctorum, post resurrectionem, fore lucida.

Prob. quia in Sacra Scriptura hoc promittitur, ut patet per auctoritates inductas in argumentis pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Causa claritatis corporum beatorum non erit prædominium quintæ essentiæ in humano corpore, sed redundantia gloriæ animæ in corpus.

Manifestatur, quia quod recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis, sed per modum recipientis: et ideo claritas, quæ est in anima spirituali, recipitur in corpore, ut corporalis.

Ex quo duo sequuntur. Primum quod sicut anima erit maioris vel minoris claritatis, secundum maius vel minus meritum; ita erit differentia claritatis in corporibus, ut patet 1. Corint. 15. Secundum quod in corpore glorioso cognoscetur gloria animæ, sicut in vitro cognoscitur color corporis quod continetur in vase vitreo, ut Gregor. dicit super illud Job. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum* lib. 18. Moral. cap. 30.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ejus prob. quod Avicen. loquitur de illo corpore quod habet claritatem ex natura componentium, quomodo corpus gloriosum non habebit claritatem, sed ex merito virtutis.

Ad 2. Dicitur quod maior est vera de corpore quod est lucidum ex natura; corpus autem gloriosum erit lucidum ex alia causa, scilicet, ex gloria animæ.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod corpora colorata non possunt ex sua natura esse lucida, possunt tamen esse lucida ex extrinseco lumine. Unde corpora gloriosa, quæ sunt ex sui natura colorata, erunt lucida ex redundanti gloria.

Ad 4. Negatur maior. Sicut enim gloria animæ redundat in corpus, secundum modum corporis, in quo erit alio modo, quam sit in anima; ita in qualibet parte corporis redundabit, secundum suum modum. Unde non est inconveniens quod diversæ partes habeant diversimode claritatem, secundum quod sunt diversimode dispositæ, ex sui natura ad ipsam. Nec est simile de dotibus aliis, quia respectu illarum, partes corporis non habent diversam dispositionem.

ARTICULUS II.

Utrum claritas corporis gloriosi possit videri á non glorioso oculo.

Pro negativa.=Videtur quod claritas corporis gloriosi non possit videri á non glorioso oculo.

1. Oculus non glorificatus non est proportionatus ad videndum claritatem gloriæ. Ergo non potest ipsam videre.

Antecedens prob., quia claritas gloriæ est alterius generis á claritate naturæ.

Conseq. prob., quia oportet esse proportionem visibilis ad visum.

2. Oculus non gloriosus non potest inspicere Soiem in rota sua, propter magnitudinem claritatis. Ergo multo minus poterit inspicere claritatem corporis gloriosi.

Conseq. prob., quia claritas corporis glorioso erit maior, quam nunc sit claritas solis.

3. Visibile oppositum oculis videntis, necesse est videri, nisi sit læsio aliqua in oculo. Sed claritas corporis gloriosi opposita oculis non gloriosis, non necessario videtur ab eis, quod patet de discipulis qui corpus Domini post resurrectionem viderunt, non intuentes ejus claritatem. Ergo claritas illa non erit visibilis ab oculo non glorioso.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. interl. super illud ad Philip. 3. « Configuratum corpori claritatis suæ, dicit. Assimilabitur claritati quam habuit in transfiguratione. Sed illa claritas visa fuit á discipulorum oculis non glorifi-

catis. Ergo claritas corporis glorificati ab oculis non gloriosis poterit videri.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dixerunt quod claritas corporis gloriosi non poterit videri ab oculo non glorioso, nisi forte per miraculum.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse, nisi claritas illa æquivoce diceretur: quia lux, secundum id quod est, nata est movere visum; et visus, secundum id quod est, natus est percipere lucem sicut verum se habet ad intellectum, et bonum ad effectum. Unde, si esset aliquis visus, qui non posset percipere aliquam lucem omnino, vel ille visus, vel illa lux æquivove dicerentur; quod non potest in proposito dici. Quia sic, per hoc quod corpora gloriosa dicuntur lucida, nihil nobis notificaretur. Sicut qui dicit carnem esse in cœlo, nihil notificat ei qui non novit nisi carnem, qui est animal.

Conclusio. Claritas corporis gloriosi potest ab oculo non glorioso naturaliter videri.

Quæ conclusio remanet probata ex ratione, ad reprobandam prædictam positionem inducta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod claritas gloriæ est alterius generis á claritate naturali, quantum ad causam, sed non quantum ad speciem. Unde, sicut claritas naturæ, ratione suæ speciei, est proportionata visui, ita et claritas gloriosa.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut corpus gloriosum non potest pati aliquid passione naturæ, sed solum passione animæ, ita ex proprietate gloriæ non agit nisi actione animæ. Claritas autem naturalis intensa non offendit visum, in quantum agit actione animæ, sed secundum hoc magis delectat: offendit autem, in quantum agit actione naturæ, calefaciendo et dissolvendo organum visus et disgregando spiritus. Et ideo claritas corporis gloriosi, quamvis excedat claritatem solis; tamen de sui natura non offendit visum, sed magis demulcet, propter quod claritas illa comparatur claritati Jaspidis. Apoc. 21.

Ad 3. Dicitur quod claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis: unde voluntati subdetur, ut secundum ejus imperium videatur, vel non videatur. Et ideo in potestate corporis gloriosi erit, ostendere vel occultare claritatem suam. Ad maiorem igitur dicitur quod visibile oppositum oculis videntis necesse est videri, nisi tale sit quod possit pro libito voluntatis videri, et non videri. *Vide* 3. *p.* q. 54 *Arg.* ad 2.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 174.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Matth. 13. quod corporibus gloriosis claritas conveniat, et sic. *Tunc justi fulgebunt, sicut Sol, in regno Patris eorum.* Ubi intellige per ly *sicut Sol,* dari similitudinem non pro æqualitate præcisa fulgoris eorum: sed pro captu nostro. Quasi dicat: Maioris fulgoris similitudo dari non potest apud vos, quam de Sole, licet fulgor justorum secundum se sit admodum major, ut art. 2. arg. 2. Ibi etiam in Matth. nota ly tunc, scilicet, quando damnati torquebuntur in inferno. Ut enim opposita juxta se posita magis elucescant, Matthæus dixit, immediate prius: *ibi erit fletus, et stridor dentium,* et mox subjunxit ly tunc, etc. Quasi dixerit per hoc, claritas justorum erit maxima quidem in seipsa; sed cum hoc videbitur etiam maior ex

comparatione ad tenebrositatem damnatorum. Item á Sap. 3. " Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ, etc. Item á Dan. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt, sicut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt plurimos, sicut stellæ in perpetuas æternitates » Ubi et claritatem ponit in corporibus beatorum, de quibus prædixerat, quod evigilabunt de pulvere, et unam claritatem alia perfectionem. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Matthæi 17. quod claritas corporum gloriosorum potest videri á non glorioso; et sic: " Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus, sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix; et respondens Petrus, dixit: Domine bonum est nos hic esse. » Ubi per ly facies, sicut Sol, et ly vestimenta, sicut nix, ostenditur, quod claritas in corporibus gloriosis non erit æqualis in omnibus partibus corporis, sed, etc. ut art. 1. ad 4. Ubi et per ly *bonum est nos hic esse* denotatur, quod claritas corporis gloriosi de sui natura non offendit visum, sed demulcet, ut dicitur hic ad secundum. Et licet illa claritas transfigurationis quantum ad modum essendi non fuerit claritas gloriæ; tamen quantum ad essentiam fuit, ut 3. par. quæst. 45. art. 2. Cum igitur talis claritas ab oculis discipulorum fuerit visa, quod denotatur per ly transfiguratus est ante eos, patet intentum. Item á Sapient. 5. " Stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Videntes autem turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione inspiratæ salutis, gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se. Ecce: quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. » Ubi designatur ex contextu, ut patet consideranti, quod impii videbunt claritatem Sanctorum corporum. Nisi enim eorum gloriam corporalem viderent, non adeo torquerentur, neque sic admirantes dicerent; « Ecce; quomodo computati sunt inter filios Dei. » Ex quæst. 90. art. 2. patet intentum, scilicet, quod videbunt corpoream claritatem. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito este insinuatum á Luc. 24. quod necessario non videtur corpus gloriosum á non glorioso, sed potest videri et non videri, et sic « Aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, et ipse evanuit ex oculis eorum. » Ecce, quod corpus gloriosum Christi ab oculis discipulorum visum est, quando voluit, et non visum, quando noluit. Et hoc est, quod significatur per ly evanuit, id est, disparuit ab oculis eorum. Non enim fuit necesse, ut in longinquum iret corpus illud, ne videretur: sed potuit remanere præsens, ut prius, et tamen non videri, ut prius. Unde non dicitur absolute evanuisse, sed evanuisse ab oculis eorum. Constat autem, quod in Christo resurgente præcesserunt futura in resurrectione beatorum, cum ipsius resurrectio sit exemplaris ipsorum, quæst. 76. art. 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUINTA.

DE CONDITIONIBUS CORPORUM DAMNATORUM RESURGENTIUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de conditionibus corporum damnatorum resurgentium.

Circa hoc quæruntur tria.

Primo, utrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.

Secundo, utrum eorum corpora erunt corruptibilia,

Tertio, utrum erunt impassibilia,

ARTICULUS 1.

Utrum corpora damnatorum, cum suis deformitatibus resurgent.

Pro affirmativa.=Videtur quod corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.

1. Illud, quod in pœnam peccati inductum est, non debet desinere, nisi peccato dimisso. Sed deffectus membrorum, qui accidunt per mutilationem, in pœnam peccati inducti sunt, et similiter etiam omnes aliæ deformitates corporales. Ergo á damnatis qui peccatorum remissionem non sunt consecuti, in resurrectione, non removebuntur.

2. Sicut resurrectio sanctorum erit ad ultimam fælicitatem, ita resurrectio impiorum ad ultimam miseriam. Sed á sanctis resurgentibus non auferetur aliquid quod ad eorum perfectionem pertinere possit. Ergo nec ab impiis resurgentibus aliquid auferetur quod ad eorum defectum, aut miseriam pertineat, inter quæ sunt deformitates.

3. A corporibus damnatorum resurgentium non removebitur tarditas. Ergo eadem ratione nec deformitas removebitur ab eis.

Antecedens, quia eorum corpora non erunt agilia.

Conseq. quia sicut ad defectum passibilis corporis pertinet deformitas; ita et tarditas.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cor. 15. dicitur: *mortui resurgent incorpore*, id est, sine aliqua diminutione membrorum. Quod etiam de peccatoribus interpretatur Gloss.

Determinatio.

Distinctio. In corpore humano potest esse deformitas dupliciter. Uno modo, ex defectu alicujus membri, sicut mutilatos, turpes dicimus; deest enim eis debita proportio partium ad totum. Alio modo contingit deformitas ex indebita partium dispositione, vel ex indebita quantitate, qualitate, vel situ. Ut sunt gibbositas, lippitudo, febris, et alia hujusmodi.

1.ª Conclusio. Corpora damnatorum resurgent sine deformitatibus, quæ sunt ex mutilatione membrorum.

Prob. quia absque omni dubio, omnia corpora, tam bonorum, quam malorum, integra resurgent.

De deformitatibus ex indebita partium dispositione, diversæ positiones.

De aliis autem deformitatibus, provenientibus ex indebita partium dispositione, Aug. in Enchirid. c. 92. indeterminatum reliquit, an damnati cum hujusmodi deformitatibus sint resurrecturi, ut etiam Magister refert in dist. 44. 4. Sent.

Modernorum positio.

Sed apud modernos doctores est duplex super hoc opinio. Quidam enim dicunt, quod hujusmodi deformitates et defectus in corporibus damnatorum remanebunt, considerantes eorum damnationem, qua ad summam miseriam deputantur, cum nihil incommoditatis subtrahi possit, vel debeat.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur rationabiliter dici, quia in resurrectione corporis resurgentis, magis attenditur naturæ perfectio, quam conditio quæ prius fuit. Unde et qui infra perfectam ætatem decedunt, in statura juvenilis ætatis resurgent, ut dictum est supra quæst. 171. art. 2. Similiter et illi qui aliquos defectus naturales in corpore habuerunt, vel deformitates ex naturalibus defectibus provenientes, in resurrectione sine illis defectibus, vel deformitatibus reparabuntur, nisi peccati meritum impediat; et ita, si aliquis cum defectibus resurget, hoc erit ei in pœnam, cujus modus est secundum mensuram culpæ. Contingit autem quod aliquis peccator damnandus, minoribus peccatis subjectus,

aliquas deformitates vel defectus habeat, quas non habuit aliquis damnandus, peccatis gravioribus irretitus. Unde, si ille qui in hac vita deformitates habuit, cum eis resurgat, sine quibus constat quod resurget alius puniendus, qui eas in hac vita non habuit, modus pœnæ non responderet quantitati culpæ; sed magis videretur aliquis puniri pro pœnis, quas in hoc mundo passus fuit, quod est absurdum.

Rationabilior sententia.

Et ideo alii rationabilius dicunt, quod quidquid defectus, vel turpitudinis ex corruptione, vel debilitate naturæ, sive principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur, sicut febris, lippitudo, et similia. Et hoc, quia auctor, qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporis integre reparabit. Defectus autem, qui in humano corpore ex naturalibus principiis naturaliter consequuntur, sicut ponderositas, passibilitas, et similia, in corporibus damnatorum erunt. Ab electorum vero corporibus hos defectus gloria resurrectionis excludet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod pœnæ in quolibet foro infliguntur secundum conditionem illius fori. Et quia pœnæ, quæ in hac vita temporali infliguntur, temporales sunt, et ultra vitæ terminum non se extendunt; ideo, etsi peccatum non sit dimissum damnatis, non tamen oportet quod sustineant ibi easdem pœnas, quas in hoc mundo sunt passi; sed divina justitia requirit ut ibi gravioribus pœnis in æternum crucientur.

Ad 2. Neg. conseq. Non enim similis ratio de bonis et malis. Et quod aliquid potest esse pure bonum, non autem pure malum. Unde sanctorum ultima fœlicitas hoc requirit ut ab omni malo sint pœnitus immunes. Ultima autem malorum miseria non excludit omne bonum; quia, *si malum integrum sit, corrumpet se ipsum*, ut dicitur 4. Ethic. cap. 5. Unde oportet, quod miseriis damnatorum substernatur bonum naturæ, quod est opus perfecti conditoris, qui naturam in perfectione suæ speciei reparabit.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod tarditas est de illis defectibus, qui naturaliter consequuntur principia humani corporis, non autem deformitas; et ideo á damnatis deformitas removebitur, non autem tarditas.

ARTICULUS II.

Utrum corpora damnatorum erunt incorruptibilia.

Pro negativa. = Videtur quod corpora damnatorum non erunt incorruptibilia.

1. Omne compositum ex contrariis est corruptibile. Sed corpora damnatorum erunt composita ex contrariis. Ergo corpora damnatorum erunt corruptibilia.

Minor prob., quia alias corpora damnatorum non essent ejusdem speciei, et per consequens nec eadem numero cum his quæ nunc habent.

2. Si corpora damnatorum erunt incorruptibia, aut hoc erit per naturam, aut per gratiam, aut per gloriam. Sed per nullum horum incorruptibilia erunt. Ergo erunt corruptibilia.

Minor. Non per naturam; quia erunt eorum corpora ejusdem naturæ, cujus nunc sunt. Non per gratiam, neque per gloriam; quia his damnati carebunt.

3. Ab illis qui sunt in maxima miseria, inconveniens est subtrahere maximam pœnarum. Sed damnati erunt in summa miseria. Mors autem est pœnarum maxima, ut dicitur 3. Ethic. cap. 6. Ergo mors et corruptibilitas á damnatis non subtrahentur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apocal. 9. dicitur. « In diebus illis « quærent homines mortem et non invenient eam, et desiderabunt mori et « fugiet mors ab eis.»

2. Damnati punientur in anima et corpore pœna perpetua, ut dicitur Matth. 2. Quod esse non posset, si eorum corpora corruptibilia essent. Ergo eorum corpora erunt incorruptibilia.

Determinatio.

Conclusio. Corpora damnatorum corrumpi non poterunt.

Prob. Illud, cujus principium movens ad corruptionem removetur, non potest corrumpi. Sed principium movens humanum corpus ad corruptionem removebitur in futura vita, sive beata, sive misera. Ergo corpora damnatorum non poterunt corrumpi.

Maior manifestatur. Nam in omni motu oportet esse aliquod principium motus. Dupliciter autem removetur motus aliquis, vel mutatio ab aliquo mobili. Uno modo, per hoc quod deest principium motus. Alio modo, per hoc quod principium motus impeditur. Quomodo corpus Adæ incorruptibile fuit, quia contrariæ qualitates in corpore existentes continebantur per gratiam innocentiæ, ne ad dissolutionem corporis agere possent. Corruptio autem mutatio quædam est. Unde dupliciter potest contingere ut corpus, quod ex conditione suorum principiorum corruptionem habet, incorruptibile reddatur. Uno modo, ex hoc quod principium ad corruptibilitatem movens, totaliter tollitur. Alio modo, ex hoc quod principium corruptionis impeditur. Et sic patet maior, scilicet quod illud cujus principium corruptionis tollitur, non potest corrumpi.

Minor ostenditur. Quia, cum primum cœlum sit alterans per suum motum localem, et omnia alia agentia secunda in virtute ipsius primi cœli agant, quasi ab ipso mota, oportet quod motu cæli cessante, nullum sit agens quod possit corpus per alterationem aliquam transmutare á naturali sua proprietate; et ideo post resurrectionem, cessante motu cœli, nulla qualitas erit sufficiens, ut corpus humanum alterare possit á sua naturali qualitate, ac per hoc incorruptibile manebit. Et hæc incorruptio corporum damnatorum deserviet divinæ justitiæ, ut in perpetuum viventes perpetuo puniantur.

Corpora autem gloriosa non solum erunt incorruptibilia ex hoc quod removebitur principium corrumpens, sed etiam ex hoc quod per gloriæ virtutem continebuntur contraria; ex quibus corpus constat, ne ad corruptionem movere possint.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod contraria, ex quibus corpora componuntur, sunt secundaria principia agentia ad corruptionem, et primum est motus cœlestis corporis. Unde supposito motu cœli, necesse est quod corpus compositum ex contrariis corrumpatur, nisi sit aliqua potior causa impediens. Sed remoto motu cæli, contraria, ex quibus corpus componitur, non sufficiunt (etiam secundum naturam) ad corruptionem faciendam. Et, quia Philosophi cessationem motus primi cœli non cognoverunt, pro infallibili habebant, quod omne compositum ex contrariis esset corruptibile; quod tamen est falsum, non existente motu cœli.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod erit per naturam illa incorruptibilitas: non quod in corporibus damnatorum sit aliquod incorruptionis principium, sed hoc erit per defectum primi moventis ad corruptionem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod quamvis mors simpliciter sit maxima pœnarum; secundum quid tamen nihil prohibet mortem esse pœnarum remedium: et per consequens, ablationem mortis esse pœnarum argumentum. *Vivere enim videtur omnibus delectabile esse*, ut Phil. dicit 9. Ethic. cap. 9. eo quod omnia appetunt esse. *Non oportet autem* (uti ibidem dicitur) *accipere malam vitam, neque corruptam, neque quæ est in tristitiis.* Sicut ergo vivere, simpliciter est

delectabile, non tamen vita quæ est in tristitiis; ita et mors, quæ est privatio vitæ, simpliciter est pœnosa et maxima pœnarum, in quantum subtrahit primum bonum, scilicet esse, cum quo omnia alia bona subtrahuntur; sed in quantum privat mala vita, quæ est in tristitiis, est in remedium pœnarum quas terminat: et per consequens mortis subtractio est augmentum pœnarum, quas perpetuas facit. Si autem dicatur mors pœnalis propter corporalem dolorem, quem sentiunt morientes, non est dubium quod multo maiorem dolorem damnati continue sustinebunt. Unde in perpetua morte esse dicuntur, sicut in Psal. 48. dicitur. *Mors depacet eos.*

ARTICULUS III.

Utrum corpora damnatorum futura sint impassibilia.

Pro affirmativa.=Videtur quod corpora damnatorum futura sint impassibilia.

1. Quod est incorruptibile, est impassibile. Sed corpora damnatorum sunt incorruptibilia, ut art. præced. dictum est. Ergo corpora damnatorum erunt impassibilia.

Maior prob., quia « omnis passio magis facta, abjicit á substantia, » ut dicitur 6. Ethic. Si autem « á finito « semper aliquid abjiciatur, necesse est « illud tamdem consumi, » ut dicitur 1. Phys. tex. 37. Ergo omne passibile est corruptibile, et é converso. Unde, si corpora damnatorum essent passibilia, semper paterentur, et sic quandoque deficerent et corrumperentur.

2. Si corpora damnatorum patientur ab igne, ignis ea sibi assimilabit. Ergo, si erunt passibilia, ab igne quandoque consumentur.

Antecedens prob., quia omne agens assimilat sibi patiens.

Conseq. prob, quia ignis assimilat sibi combustibile, resolvendo et consumendo illud.

3. Si corpora damnatorum in igne sine corruptione remanere possent, videtur quod nullam afflictionem ibi sustinerent. Quod non esset, nisi eorum corpora impassibilia essent.

Conseq. prob., quia animalia, quæ in igne, sine corruptione dicuntur vivere, ut de Salamandra dicitur, ab igne non affliguntur; animal enim non afligitur, nisi lædatur.

4. Propter immensitatem doloris, quandoque contingit in hac vita animam á corpore separari. Ergo multo fortius, si corpora damnatorum futura sunt passibilia, ex immensitate doloris, qui omnem præsentis vitæ dolorem superabit, animæ á corporibus separabuntur; et sic corpora essent corruptibilia, quod est falsum. Ergo erunt impassibilia.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicit Glos. interl. super illud 1. Cor. 15. *Et nos immutabimur.* Nos boni tantummodo immutabimur gloriæ immutabilitate et impassibilitate. Ergo corpora damnatorum non erunt impassibilia.

Determinatio.

Conclusio. Corpora damnatorum erunt passibilia, non passione naturæ, sed passione animæ.

Manifestatur, præmittendo quod principalis causa, quare corpora damnatorum ab igne non consumentur, erit divina justitia, qua eorum corpora ad perpetuam pœnam sunt addicta. Tamen, quia divinæ justitiæ servit etiam naturalis dispositio ex parte corporis patientis; ideo etiam ex naturali dispositione erunt corpora illa et incorruptibilia et passibilia. Sciendum est igitur quod duplex est passionis modus, secundum quod aliquid potest recipi in aliquo dupliciter. Potest enim aliqua forma recipi in aliquo subjecto. Uno modo secundum esse naturale materialiter: sicut calor, qui est in igne, recipitur materialiter in aëre, sive in aqua. Et secundum hunc modum receptionis est unus modus passionis,

qui dicitur passio naturæ. Alio modo, aliquid recipitur in alio spiritualiter, per modum intentionis cujusdam: sicut similitudo albedinis recipitur in aëre et in pupilla. Et hæc receptio assimilatur illi receptioni, qua anima recipit similitudines rerum. Unde secundum hunc modum receptionis est alius modus passionis, qui vocatur passio animæ, ex quibus patent termini conclusionis, scilicet quid significet passio naturæ, et quid passio animæ.

Nunc probatur conclusio quantum ad ambas partes. Et quantum ad primam, scilicet quod corpora damnatorum non erunt passibilia passione naturæ, sic ostenditur. Post resurrectionem, cessante motu cœli, non poterit aliquod corpus alterari á sua naturali qualitate, ut dictum est art. præced. in corp. Ergo nullum corpus poterit pati passione naturæ. Unde, quantum ad hunc modum passionis, corpora damnatorum erunt impassibilia, sicut sunt incorruptibilia.

Altera pars, scilicet quod futura sint passibilia passione animæ, ostenditur; quia cessante motu cœli, adhuc remanebit passio, quæ est per modum animæ, quia et aër á sole illuminabitur et colorum differentias aër deferet ad visum; et ideo secundum hunc modum passionis corpora damnatorum passibilia erunt. Et quia in tali passione sensus perficitur, propterea in corporibus damnatorum, sensus pœnæ erit sine mutatione naturalis dispositionis.

Objectio.

Sed, si hæc receptio per modum animæ passionem facit, sequitur quod etiam corpora beatorum passibilia dicenda sint; cum et ipsa aliquas species sint receptura.

Responsio.

Dicitur quod etsi corpora gloriosa recipient aliquid, et quodammodo patientur id sentiendo, non tamen erunt passibilia; quia nihil recipient per modum afflictivi vel læsivi, sicut corpora damnatorum, quæ propter hoc passibilia dicuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod Phil. loquitur de illa passione, per quam transmutatur patiens á sua naturali dispositione, quæ passio non erit in corporibus damnatorum.

Ad 2. Neg. conseq. Ignis enim ille assimilabit sibi damnatorum corpora per modum causæ æquivocæ; et ideo assimilabit sibi, illa corpora non consumendo; et maxime cum divina virtute sint conservanda in illo igne absque consumptione.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod secundum Phil. « Nullum animal in igne vivere potest. » Galenus etiam in lib. de simplic. medic. in init. dicit quod « nullum corpus est quod tandem ab igne non consumatur, » quamvis quandoque sint quædam corpora, quæ ad horam in igne sine læsione permaneant, ut patet de Ebeno. Unde, quod inducitur de Salamandra, non est omnino simile, quia non posset perseverare finaliter in igne sine corruptione, sicut perseverabunt corpora damnatorum in inferno. Neque tamen oportet quod, quia corpora damnatorum ab igne inferni per corruptionem non lædentur, propter hoc ab igne non afligantur; quia sensibile non solum natum est delectare, vel affligere sensum secundum quod agit actione naturæ, confortando vel corrumpendo organum; sed etiam secundum quod agit actione spirituali; quia, quando sensibile est in debita proportione ad sensum, delectat: quando vero se habet, ut superabundantia vel defectus, contristat. Unde et voces consonantes sunt delectabiles, inconsonantes autem offendunt auditum.

Ad 4. Negatur conseq. Dolor enim in præsenti vita non separat animam á corpore, secundum quod dolor manet tantum in potentia animæ, cujus est dolere, sed secundum quod ad passionem

animæ mutatur corpus á sua naturali dispositione, secundum modum, quo videmus quod ex ira corpus calescit, et ex timore frigescit. Sed post resurrectionem corpus non poterit transmutari á sua naturali dispositione, ut patet ex dictis in præcedentibus duobus articulis. Unde, quantuscumque futurus sit ille dolor, non poterit animam á corpore separare.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 175.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum esse á 1. Cor. 15. quod sine deformitatibus resurgent damnati: et sic. Mortui resurgent incorrupti. Ubi per ly motus intelligit omnes. Unde ibidem prædixerat, « omnes resurgemus; sed non omnes immutabimur: » et etiam discrimen posuerat inter resurgentes incorruptos, subdens ibidem ly et nos immutabimur. Et damnati igitur ab Apostolo intelliguntur habitur; istam incorruptionem, id est, esse non mancum, ut nunc patebit per authoritatem sequentem. Item ab Apostolicis constitutionibus lib. 5. cap. 8. « Excitabit nos omnipotens Deus tales, quales modo sumus, nil mancum habentes; quoniam mundus totus Dei manu continetur. Capillus, inquit, de capite vestro non peribit; non solum autem martyribus promisit resurrectionem, sed etiam omnibus hominibus justis, atque injustis, piis, atque impiis. Ubi nota ly nil mancum habentes, et ly injustis, atque impiis. » *Secundo* habes quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo* quomodo per rationem interimas hæresim Origenis dicentis: resuscitata corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, et post multum temporis in nihilum redigenda. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Apoc. 9. et sic. " In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam; desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. " Item Lucæ 23. et Oseæ 10. " Dicent montibus, operite nos, et collibus, cadite super nos. Ubi per hæc ostenditur tale quid, quod in Apoc. Item á Dan. 12. " Alii evigilabunt in opprobrium: ut videant semper. Nisi autem per hoc monstraretur, quod corpora eorum futura sint incorruptibilia; non posset eorum supplicium esse semper, sive æternum, ut dicitur Matth. 25. Item á, etc. ut q. 82. art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum, á 1. Cor. 15. quod corpora damnatorum non erunt impassibilia, sicut nec agibilia, nec clara, nec subtilia, et sic. " Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur. Ubi per immutationem intelligit quatuor prædictas dotes corporum bonorum. Quod enim de bonis tantum intelligat sic immutandis, patet per illud, quod ibi sequitur; " sc. mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Ubi patet, quod distinguit bonos, significatos per ly nos, á malis resurrecturis simul contentis in ly " mortui resurgent incorrupti. " Item á 2. Cor. 4. " Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. " Quasi dicat, quod corpora, quæ cooperata sunt sive ad bonum, sive ad malum, remunerabuntur, sive punientur á Christo. Et, cum judicium illius tribunalis sit malis ad supplicium æternum, significavit per illud Apostolus, quod corpora damnatorum durabunt in æternum in supplicio, quod est illa esse semper passibilia. Item á Matth. 13. Ibi erit fletus, et stridor dentium. Ubi loquitur de damnatis. Item á, etc. ut qu. 70. art. 3. in tex. et appen. *Secundo* habes: quomodo prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto corpora damnata fore passibilia insinuant: et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEXTA.

DE COGNITIONE QUAM HABEBUNT RESUSCITATI IN JUDICIO RESPECTU MERITORUM ET DEMERITORUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Post hæc agendum est de his quæ sequuntur resurrectionem. Quorum prima consideratio erit de cognitione quam habebunt resuscitati in judicio respectu meritorum et demeritorum. Secunda de ipso judicio generali, ac tempore, et loco in quo erit. Tertia de judicantibus, et judicatis. Quarta de forma in qua judex veniet ad judicandum. Quinta de statu mundi, et resurgentium post judicium.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum cognoscet quilibet homo in judicio omnia peccata sua.

Secundo, utrum poterit quilibet legere omnia quæ sunt in conscientia alterius.

Tertio, utrum omnia merita, et demerita uno intuitu quis videre poterit.

ARTICULUS I.

Utrum post resurrectionem quilibet cognoscet peccata, quæ fecit.

Pro negativa. — Videtur quod post resurrectionem non quilibet cognoscet omnia peccata, quæ fecit.

1. Omne, quod cognoscimus, vel de novo per sensum accipimus, vel de thesauro memoriæ educitur. Sed homines, post resurrectionem, non poterunt sua peccata per sensum percipere: quia sensus est tantum præsentium, et peccata jam transierunt: neque poterunt omnia de thesauro memoriæ educi: quia multa peccata de memoria peccantis excident. Ergo resurgens non habebit cognitionem omnium peccatorum quæ fecit.

2. *Crescente causa, crescit effectus.* Sed causa, quæ facit nos dolere de peccatis, quæ ad memoriam revocamus, est charitas, quæ in resurgentibus gloriose erit perfecta. Ergo maxime de peccatis dolebunt, si peccata ad eorum memoriam revocentur. Quod tamen est contra id quod dicitur Apoc. 21. *Fugiet ab eis dolor, et gemitus.*

3. Sicut se habebunt resurgentes damnati ad bona, quæ aliquando fecerunt, ita se habebunt resurgentes boni ad peccata, quæ aliquando commiserunt. Sed resurgentes damnati non habebunt cognitionem de bonis, quæ aliquando fecerunt. Ergo nec beati habebunt cognitionem peccatorum quæ commisserunt.

Minor prob., quia per hoc multum eorum pœna alleviaretur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. lib. 20 de Civit. Dei, cap. 14. dicit quod « quædam divina vis adeo « rit, qua fiet ut cuncta peccata ad me« moriam revocentur.

Determinatio.

Conclusio. Post resurrectionem, quilibet omnium operum suorum notitiam habebit.

Prob. Testis, accusator, et defensor in quolibet judicio oportet quod habeant notitiam omnium eorum, quæ in judicio versantur. Sed in universali judicio, cum judicabit Dominus, conscientia uniuscujusque erit testis, et cogitationes erunt defendentes, et accusantes, ut dicitur Rom. 2. Et in eodem communi judicio omnia opera hominum venient in judicium. Ergo oportet quod tunc unusquisque de omnibus suis operibus notitiam habeat.

Unde conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri, continentes res gestas, ex quibus judicium procedet. Sicut etiam in judicio humano, registris utimur. Et isti sunt libri, de quibus dicitur Apoc. 20. « Libri aperti sunt, et « alius liber apertus est, qui est vitæ, et « judicati sunt mortui ex his quæ scrip« ta erant in libris, secundum opera ip« sorum. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor quoad secundam partem. Ad prob. dicitur quod quamvis multa merita et demerita à me-

moria exciderint, tamen nullum eorum erit quod non aliquo modo in suo effectu non sit remansurum; quia merita, quæ non sunt mortificata, manebunt in præmio, quod eis reddetur: quæ autem mortificata sunt, manent in reatu ingratitudinis, quæ augetur ex hoc quod homo post gratiam susceptam peccavit. Similiter etiam demerita quæ non sunt per pœnitentiam deleta, manent in reatu pœnæ, quæ eis debetur: quæ autem pœnitentia delevit, manent in ipsa pœnitentiæ memoria; quam simul cum aliis meritis in notitia habebunt. Unde in quolibet homine erit aliquid, ex quo possit ad memoriam sua opera revocare, et tamen etiam divina virtus ad hoc principaliter operabitur, ut Aug. dicit lib. 20. de Civit. Dei, cap. 14.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod quamvis charitas nunc sit causa dolendi de peccato; tamen sancti in patria erunt ita perfusi gaudio quod dolor in eis locum habere non poterit; et ideo de peccatis non dolebunt, sed potius de divina misericordia gaudebunt, qua eis sunt peccata relaxata. Sicut etiam nunc angeli gaudent de divina justitia, qua fit ut deferti á gratia, in peccatum ruant illi quos custodiunt, quorum tamen saluti sollicite invigilant.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod mali cognoscent omnia bona quæ fecerunt, et ex hoc non minuetur eorum dolor; sed magis augebitur, quia maximus dolor est, multa bona perdidisse. Summum enim infortunii genus est, fuisse fœlicem, ut Boët. dicit, lib. 2. pros. 4. de consol.

ARTICULUS II.

Utrum quilibet poterit legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius.

Pro negativa. = Videtur quod tunc non poterit quilibet legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius.

1. Angeli non possunt invicem in suis cordibus videre ea, quæ dependent á libero arbitrio: unde indigent locutione. Ergo nec resurgentes poterunt inspicere ea, quæ continentur in conscientiis aliorum.

Conseq. prob. quia resurgentium non erit limpidior cognitio, quam nunc sit angelorum, quorum æqualitas resurgentibus promittitur. Matt. 22.

2. Omne, quod cognoscitur, vel in se, vel in sua causa, vel in suo effectu cognoscitur. Sed merita vel demerita, quæ continentur in conscientia alicujus, non poterit alius cognoscere in seipsis, quia solus Deus cordi illabitur et secreta ejus intuetur. Nec in causa sua, quia non omnes videbunt Deum, qui solus potest imprimere in affectum, ex quo procedunt merita vel demerita. Nec in effectu, quia multa demerita erunt quorum nullus effectus remanebit, eis totaliter per pœnitentiam abolitis. Ergo non omnia, quæ sunt in conscientia alicujus, poterit quilibet alius cognoscere.

3. Si quilibet peccatum alterius cognosceret, cujuslibet peccatoris erubescentia multum minueretur, quod non est conveniens. Ergo non omnes omnium peccata cognoscent.

Conseq. prob., quia solatium est alicui, si scit se multos habere socios in peccato. et minus inde verecundatur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Glos. interl. Super illud 1. Cor 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum*, dicit: gesta, et cogitata bona et mala, tunc aperta erunt omnibus, et nota.

Determinatio.

Positio Magistri.

Magister in lib. 4. Sent. dist. 43. posuit quod peccata, quæ sunt per pœnitentiam deleta, in judicio aliis non patefient.

Reprobatio.

Sed ex hoc sequeretur, quod nec etiam pœnitentia de peccatis illis perfecte tunc cognosceretur, in quo multum detraheretur sanctorum gloriæ et

laudi divinæ, quæ tam misericorditer sanctos liberavit.

Probabilior sententia.

Conclusio. In generali judicio, quilibet cognoscet merita et demerita alterius.

Prob. In ultimo et communi judicio oportet quod justitia divina, quæ nunc plerosque latet, omnibus evidenter appareat. Ergo omnibus erunt nota merita et demerita omnium.

Conseq. manifestatur, quia sententia condemnantis, vel præmiantis justa esse non potest, nisi secundum merita vel demerita proferatur. Et ideo, sicut oportet quod judex et assessor judicis merita causæ cognoscant, ad hoc ut justam sententiam proferant; ita oportet ad hoc ut justa sententia appareat quod omnibus sententiam cognoscentibus innotescant et merita vel demerita judicati. Et quia omnibus erit nota, et propria, et aliorum præmiatio vel punitio, ita omnibus nota erunt merita vel demerita omnium judicandorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etsi angeli non possint videre ea quæ sunt in aliorum cordibus in se ipsis, possunt tamen ea ex effectibus cognoscere. Unde in judicio, quilibet cognoscet merita vel demerita alterius ex effectu, quatenus scilicet merita facient aliquam quantitatem gloriæ, et demerita aliquam quantitatem miseriæ, quæ gloria et miseria apparebunt omnibus. Ex quibus merita vel demerita alterius cognoscentur, et maxime operante ad hoc divina virtute.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod merita vel demerita poterunt ab aliis cognosci in suis effectibus, vel etiam in se ipsis per divinam virtutem.

Ad 3. Neg. conseq. Ex hoc enim quod peccator aliorum peccata inspiciet, in nullo sua confusio minuetur, sed magis augebitur in alieno vituperatio, proprium vituperium cognoscens. Ad prob. dicitur quod confusio minuitur ex tali causa, ex hoc quod verecundia respicit æstimationem hominum, quæ ex consuetudine redditur levior; sed tunc confusio respiciet æstimationem Dei, quæ secundum veritatem, de quolibet peccato sive unius sive multorum judicat.

ARTICULUS III.

Utrum omnia merita vel demerita, propria et aliena, uno intuitu ab aliquo videbuntur.

Pro negativa. = Videtur quod non omnia merita vel demerita, propria et aliena, ab aliquo uno intuitu videbuntur.

1. Ea, quæ sigillatim considerantur, non videntur, uno intuitu. Sed damnati sigillatim considerabunt sua peccata, et ea plangent; ut patet Sap. 5. Ubi in eorum persona dicitur: *quid nobis profuit superbia*, etc. Ergo non videbunt omnia uno intuitu.

2. Ea, quæ videntur intellectu, non videntur uno intuitu. Sed merita vel demerita non videntur nisi intellectu. Ergo non videbuntur uno intuitu.

Maior prob., quia *non contingit plura simul intelligere*, ut dicitur 2. Top. cap. 4.

3. Angeli cognitione naturali, qua cognoscunt nunc per species innatas, non vident plura unico intuitu. Ergo nec damnati poterunt plura simul videre.

Conseq. prob., quia intellectus damnatorum non erit post resurrectionem limpidior, quam nunc sit beatorum angelorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Job. 8. *Induetur confusione*, dicit Gloss. ordin. Viso judice, mala omnia ante oculos mentis versabuntur. Sed judicem subito videbunt. Ergo, et mala, quæ commisserunt, et omnia alia, uno intuitu perspicient.

Determinatio.

Diversorum positiones.

Circa hoc est duplex opinio. Quidam

enim dicunt quod omnia merita et demerita simul aliquis videbit, sua et aliena, in instanti. Et hanc positionem roborare posset argumentum pro affirmativa inductum.

Judicium de hac positione.

Hoc, quod dicta positio asserit, de beatis facile credi potest, quia beati omnia in uno videbunt: et sic non est inconveniens quod plura simul videant. Sed de damnatis, quorum intellectus non est elevatus, ut possit Deum videre, et in eo omnia alia, est magis difficile.

Et ideo alii dicunt quod malî videbunt simul omnia peccata sua in genere; et quod hoc sufficit ad accusationem illam, quæ debet esse in judicio, vel ad absolutionem, non autem videbunt simul omnia descendendo ad singula.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur consonum dictis Augustini lib. 20. de Civit. Dei. cap. 14. ubi dicit quod omnia mentis intuitu enumerabuntur; quod autem in genere cognoscitur, non enumeratur.

Verior sententia.

Et ideo potest eligi media via inter duas has positiones, quæ est.

Conclusio. Resurgentes, singula considerabunt, non in instanti, sed in tempore brevissimo, divina virtute ad hoc adjuvante. Et hanc probant argumenta pro negativa. Et est conformis his, quæ dicit Aug. loco citato in 20. de Civit. Dei quod *mira celeritate enumerabuntur.*

AD ARGUMENTA.

Ad omnia argumenta pro negativa dicitur quod probant veriorem sententiam, scilicet, quod non videbunt omnia in instanti. Argumentum pro affirmativa probat tantum quod videbunt singula in brevissimo tempore.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 176.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum, á Matt. 12. quod quilibet in judicio cognoscet peccata, quæ fecit, etc. «Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.» Patet autem, quod nullus potest reddere rationem de aliqua re, nisi illam cognoscat. Denotavit ergo Dominus per hoc, quod in die judicii cognoscent singuli minutissima etiam peccata, quæ fecerunt; alioquin de iis rationem reddere non possent. Item ab *Ecclesiast.* 12. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum.* Ecce, quod per hoc designatur illa vis divina, quam ponit August. 20 de civit. Dei, qua (inquit) fiet, ut cuncta peccata ad memoriam revocentur. Alioquin non apparet, quomodo Deus adduceret cuncta in judicium pro omni errato. Illud enim adducere in judicium est facere, quod homines pro omni errato rationem reddant judici: quam cum reddere non possint, nisi omnia illa cognoscant, sequitur, quod adducere illud sit Deum revocare ad memoriam uniuscujusque ejus errata pro judicio faciendo. Item (ex quo etiam nunc dicta magis declarantur) ab Apoc. 20. «Vidi mortuos magnos, et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.» Ubi vides, quod judicium fit ex his, quæ scripta sunt in libris: id est, in conscientia uniuscujusque, et consequenter, quod, unumquemque in libris ipsis cognoscere opera propria, denotatur per hoc. Ubi nota super ly mortuos magnos, et pusillos, quod authoritas hæc multum facit ad quæst. 81. art. 2. append. Item á Daniel. 7. judicium sedit, et libri aperti sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum á etc.

1. Corinth. 4. quod quilibet poterit legere omnia, quæ sunt in conscientia alterius: et sic. «Quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.» Ubi secundum glossam insinuatur, quod gesta tam bona quam mala, aperta, et nota erunt omnibus. Item á Nahum 3. «Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam in gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. Ubi sub exemplo civitatis Ninive monstrat, et quidem á fortiori, quid facturus sit circa peccatores in die judicii. A fortiori, inquam, quia judicium generale fiet districtius seu rigorosius, judicio quocumque temporaliter seu corporaliter contra speciales personas facto. Item Oseæ 2. *Revelabo stultitiam suam in oculis amatorum ejus.* Ubi dicito, ut supra. Item ab Isa 47. «Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, et non resistet mihi homo.» Ubi dicito, ut supra. Item á Job. 26. «Revelabunt cœli iniquitatem ejus, terra consurget adversus eum: apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.» Ubi ad litteram loquitur de peccatore in die judicii, de quo dicit, quod cœli revelabunt iniquitatem ejus, quia sancti cognoscent illius iniquitates, et dicit, quod terra consurget adversus eum; hoc est, quod omnes tam de cœlo, quam de terris existentes, præ cognitione iniquitatum ejus irascentur contra eum, quasi ipsum condemnantes, laudando scilicet et approbando, tamquam justam sententiam á judice contra ipsum latam, ut dicebatur in corp. Item ab Isa. 45. *Mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua.* Ubi secundum aliam translationem dicit, confitebitur omnis lingua. Non autem judicia Dei tunc omnis lingua confitebitur, id est, laudabit, nisi cognosceret judicia ejus esse justa, et non cognosceret per experimentum (quod maxime requiritur ad convincendum impios) nisi cognosceret latentia in conscientia cujusque. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, intelligas et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Matth. 24. quod in brevissimo tempore facta aliena, et propria tunc cognoscentur; et sic: «Sicut fulgur exit ab Oriente, et apparet usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis.» Item á Luc. 17. «Sicut fulgur coruscans de sub cælo in ea, quæ sub cælo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. Patet autem, quod fulguris coruscatio tempore brevissimo fit; unde per ante dicta videntur Evangelistæ designasse, quod præsentia judicis parvo tempore durabit. Et cum, durante judicio, singulis appareant singulorum acta; per illa eadem videntur denotare, quod ista eorum cognitio erit intuitu brevissimo, et consequenter brevissimo tempore completa. His tanto plus assentiendum videtur, quanto magis etiam ab August. 20. de civit. Dei, et á Glossa super Job. 8. fulcimentum habent, ut patet consideranti arg. 1. et 2. ly sed contra. Item á quæst. 88. art. 2. hic idem sensus videtur approbari. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

DE JUDICIO GENERALI, TEMPORE, ET LOCO IN QUO FIET, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de judicio generali, tempore, et loco in quo fiet.

Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, utrum generale judicium sit futurum.

Secundo, utrum quantum ad disceptationem fiet per vocalem locutionem.

Tertio, utrum fiet tempore ignoto.

Quarto, utrum fiet in valle Josaphat.

ARTICULUS I.

Utrum generale judicium sit futurum.

Pro negativa. = Videtur quod generale judicium non sit futurum.

1. Nunc Deus judicat de singulis operibus hominum, cum post mortem unicuique pœnas vel præmia pro meritis tribuit, et dum etiam quosdam in hac vita pro bonis vel malis operibus remunerat vel punit. Ergo videtur quod non sit aliud judicium futurum.

Conseq. prob., quia *non judicabit Deus bis in idipsum* ut dicitur Nahum cap. 1. 3.

2. Modo sit executio divinæ sententiæ. Ergo non est aliud judicium futurum.

Antecedens prob., quia sententia divini judicii, quoad homines, est de adeptione regni, vel exclusione á regno: ut patet Matt. 25. Modo autem aliqui adipiscuntur regnum æternum, et quidam ab eo perpetuo excluduntur, in quibus executio divinæ sententiæ consistit.

Conseq. prob., quia in nullo judicio executio sententiæ judicium præcedere habet.

3. Ante finem mundi unicuique determinata est sua damnatio, et unicuique sanctorum determinata est sua beatitudo. Ergo non est aliud judicium faciendum.

Conseq. prob., quia propter hoc aliqua in judicium oportet adduci, quia dubium est, quid de eis sit definiendum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Matt. 12. dicitur. «Viri ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et «condemnabunt eam.» Et Jo. 5. dicitur: «procedent, qui bona fecerunt, in resur«rectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.» Ergo post resurrectionem est aliquod judicium futurum.

Determinatio.

Conclusio. Judicium generale est futurum.

Prob. Duplex est divina operatio circa creaturas, scilicet, creatio et gubernatio. Ergo duplex debet esse divinum judicium, scilicet particulare, gubernationi; et universale, primæ rerum productioni respondens.

Conseq. probat. quia, sicut operatio divina pertinet ad rerum principium, quo producuntur in esse; ita judicium pertinet ad terminum, quo res ad finem perducuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod quilibet homo est singularis quædam persona, et est pars totius generis humani, et ideo duplex ei judicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta quæ in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius humani generis; sicut aliquis judicari dicitur, etiam secundum humanam justitiam, quando judicium datur de communitate, cujus ipse est pars. Unde et tunc, quando fiet universale judicium totius humani generis, per universalem separationem bonorum á malis, etiam quilibet per consequens judicabitur. Et secundum hæc ad argumentum negatur conseq. Ad probat. dicitur quod Deus non judicat *bis in idipsum*, quia non infert duas pœnas pro uno peccato, sed pœna, quæ in primo judicio incomplete inflicta fuerat, in ultimo judicio complebitur; dum damnati in anima et corpore cruciabuntur, et boni quantum ad utrumque glorificabuntur.

Ad 2. Negatur antecedens. Sententia enim propria illius universalis judicii, erit universalis separatio bonorum á malis, et executio istius sententiæ non præcedet judicium, ut patet. Sed etiam respectu judicii particularis uniuscujusque non complete præcessit effectus judicii sententia, quia etiam boni amplius post judicium præmiabuntur, tum ex gloria

corporis adjuncta, tum ex numero sanctorum completo: et mali etiam plus torquebuntur ex adjuncta pœna corporis, et impleto in pœnis numero damnatorum. Quia, quanto cum pluribus ardebunt, magis ardebunt.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod quamvis cuilibet hominum ante judicium generale erit certa noticia de sua damnatione, vel præmio; non tamen omnibus innotescet hominum damnatio, vel præmium, quam notitiam directe judicium universale respiciet. Et ideo ad hoc universale judicium fiet.

ARTICULUS II.

Utrum judicium fiet per vocalem locutionem.

Pro affirmativa.=Videtur quod judicium illud, quantum ad disceptationem et sententiam fiet per locutionem vocalem.

1. August. dicit lib. 20 de Civit. Dei. cap. 1. *Per quot dies futurum hoc judicium tendatur, hoc incertum est.* Ergo judicium illud vocaliter, non mentaliter tantum fiet.

Conseq. prob., quia non esset incertum, si illa, quæ in judicio dicuntur futura, tantum mentaliter complerentur.

2. Gregor. dicit 26. Moral. cap. 20. *Illi saltem verba judicis audient, qui fidem ejus saltem verbo tenuerunt.* Quod non potest intelligi de verbo interiori, quia sic omnes audient verbum judicis, eo quod omnibus bonis et malis nota erunt facta aliorum. Ergo videtur, quod judicium illud sit vocaliter peragendum.

3. Christus secundum formam hominis judicabit, in qua corporaliter ab omnibus possit videri. Ergo eadem ratione videtur quod corporali voce loquetur, ut ab omnibus audiatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si vocaliter essent facta et merita singulorum discutienda, non possent omnes et singuli judicari, nisi in longissimo temporis spatio: quod est contra August. in lib. 20. de Civit. Dei cap. 14. dicentem, quod fiet mira celeritate.

2. Testimonium, accusatio et excusatio in universali judicio mentaliter fient. Ergo sententia, et totum illud judicium mentaliter complebitur.

Antecedens prob. quia Rom. 2. dicitur. « Testimonium reddente illis cons-« cientia ipsorum, et inter se invicem « cogitationum accusantium, aut etiam « defendentium, in die, cum judicabit « Deus occulta hominum.»

Conseq. prob. quia sententia debet proportionaliter testimonio respondere.

Determinatio.

Conclusio. Quid circa hanc quæstionem verum sit, pro certo definiri non potest. Tamen probabilius existimatur, quod totum illud judicium, et quoad discussionem, et quoad accusationem malorum, et commendationem bonorum, et quoad sententiam, de utrisque mentaliter erit perficiendum.

Probat. quia, si vocaliter singulorum facta narranda essent, inæstimabilis temporis prolixitas exigeretur. Unde August. dicit in lib. 20. de Civit. Dei cap. 14. quod *si liber*, ex cujus Scriptura omnes judicabuntur, ut dicitur Apocalyp. 20. « carnaliter cogitetur, quis ejus « magnitudinem aut longitudinem valeat « æstimare? aut quanto tempore legi po-« terit liber, in quo scriptæ sunt univer-« sæ universorum vitæ?» Et eadem ratio est, si essent vocaliter narranda: unde probabile est, quod illa, quæ dicuntur Matth. 25. Non vocaliter, sed mentaliter sint perficienda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ideo August. dicit quod « incertum est, « per quot dies hoc judicium tendendum « sit, » quia non est determinatum, utrum mentaliter, vel vocaliter perficiendum sit. Si enim vocaliter perficeretur, prolixum tempus ad hoc exigeretur. Si autem mentaliter, in momento fieri poterit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod,

etiam si judicium fiat mentaliter tantum, verbum Greg. poterit salvari, quia, etsi omnibus innotescent sua et aliorum facta, divina virtute hoc faciente, quæ virtus in Evangelio locutio dicitur; tamen illi qui fidem habuerunt, quam ex verbis Dei conceperunt, ex ipsis verbis judicabuntur, quia dicitur Rom. 2. « Qui« cumque in lege peccaverunt, per legem « judicabuntur. » Unde quodam speciali modo dicetur aliquid his qui fuerunt fideles.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de visione corporali et locutione. Visio enim statim fieri potest, non autem locutio. Christus igitur corporaliter apparebit, ut ab omnibus corporaliter judex cognoscatur, quod subito fieri poterit. Si vero judicium per locutionem corporalem fieret, immensam temporis exigeret longitudinem.

ARTICULUS III.

Utrum tempus futuri judicii sit ignotum.

Pro negativa.=Videtur quod tempus futuri judicii non sit ignotum.

1. Sancti patres sciverunt tempus primi adventus: sicut patet per numerum hebdomadarum, qui describitur Dan. 9. Unde et reprehendantur Judæi, quod tempus adventus Chisti non cognoverint; ut patet Luc. c. 12. Ergo videtur nobis esse determinatum tempus secundi adventus, quo Deus ad judicium veniet.

Conseq. prob., quia, sicut sancti patres expectabant primum adventum; ita nos expectamus secundum.

2. Illud, de quo multa signa proponuntur, non est ignotum. Sed de futuro judicio proponuntur nobis multa signa in Scripturis; ut patet Matt. 24. Luc. 21. et Marc. 13. Ergo in cognitionem illius temporis possumus pervenire.

Maior prob. quia per signa devenimus in cognitionem signatorum.

3. Dicit Apost. 1. Cor. 10. « Nos su« mus, in quos fines sæculorum devene« runt. » Et 1. Jo. 2. « Filioli, novissi« ma hora est. » Ergo nunc scire possumus, quod ultimum judicium sit propinquum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Marc. 13. dicitur. « De die illo, « vel hora, nemo scit, neque angeli in cœ« lo, neque filius, nisi Pater. Et filius dicitur nescire, in quantum scire non facit.

2. Adventus furis in nocte est omnino incertus. Sed dies Domini erit, sicut adventus furis in nocte: ut dicitur 1. Thessal. 5. Ergo dies Domini ad judicium est omnino incertus.

Determinatio.

Conclusio. Tempus futuri judicii soli Deo est notum.

Probat. Ea, quæ soli divinæ subjacent potestati, soli Deo debent esse nota. Sed finis mundi, in quo erit judicii dies, soli divinæ subjacet potestati. Ergo tempus generalis judicii soli Deo est notum.

Maior manifestatur. Quia Deus per suam scientiam est causa rerum, et utrumque, scilicet et scientiam et causalitatem creaturis communicat, dum et rebus tribuit virtutem agendi alias res, quarum sunt causæ, et quibus etiam cognitionem rerum præbet. In utroque tamen aliqua sibi soli reservat. Operatur enim Deus quædam, in quibus nulla creatura ei cooperatur, ut patet in operatione miraculorum. Et cognoscit quædam, quæ á nulla pura creatura cognoscuntur. Et hæc nulla alia magis esse debent, quam illa quæ soli subjacent potestati divinæ, in quibus nulla ei creatura cooperatur.

Minor vero ostenditur. Quia mundus non finietur per aliquam causam creatam, sicut etiam á solo Deo esse incœpit.

Et confirmatur ratio. Quia hanc Dominus assignare videtur Act. 1. dicens: « non est vestrum nosse tempora, vel « momenta, quæ Pater posuit in sua po« testate. » Quasi diceret: Dei judicii

cognitionem vos non decet habere, quia soli divinæ potestati reservata est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. In primo enim adventu Christus venit occultus, secundum illud Isaiæ 45. «Vere tu es Deus «absconditus, Deus Israel Salvator.» Et ideo, ut á fidelibus posset cognosci, oportuit determinare tempus; sed in secundo adventu veniet manifeste, ut dicitur Ps. 49. *Deus manifeste veniet*, etc. Et ideo, circa cognitionem adventus ipsius, error esse non poterit. Unde ad prob. dicitur, quod sancti patres antiqui expectabant adventum occultum, et ideo eis fuit signatum tempus. Nos autem manifestum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod, sicut dicit August. in epist. ad Hesych. de die judicii, quæ est 80. «Signa, quæ «in Evangeliis ponuntur, non omnia «pertinent ad secundum adventum, qui «erit in fine, sed quædam eorum perti«nent ad tempus destructionis Jerusa«lem, quæ jam præterit. Quædam vero, «et plura, pertinent ad adventum, quo «quotidie venit in Ecclesiam eam spiri«tualiter visitans, prout nos inhabitat «per fidem et amorem.» Et illa, quæ in Evangeliis vel in epistolis ponuntur ad ultimum adventum spectantia, non possunt ad hoc valere, ut per ea determinatum tempus judicii possit cognosci; cum illa etiam tempore primitivæ Ecclesiæ fuerint, quandoque quidem intensius, quandoque remissius. Unde et ipsi dies apostolorum dicti sunt novissimi dies, ut patet Act. 2. Ubi Petrus apostolus exponit illud Joël. 2. *Erit in novissimis diebus*, pro tempore illo, et tamen ex illo tempore multum jam tempus pertransivit, scilicet mille et sexcentum viginti annorum. Et quandoque plures, et quandoque pauciores tribulationes in Ecclesia fuerunt. Unde non potest determinari, quantum tempus sit futurum, nec de mense, nec de anno, nec de centum, nec de mille annis; ut Aug. dicit epist. 80.

Ad 3. Dicitur, quod ex hoc quod dicitur: novissima hora est, vel ex similibus locutionibus, quæ in scriptura leguntur, non potest aliqua determinata quantitas temporis sciri. Non enim est dictum ad significandam aliquam brevem moram temporis, sed ad significandum novissimum statum mundi, qui est quasi novissima ætas, quæ, quanto temporis spatio duret, non est deffinitum; cum etiam nec senio, quod est ultima ætas hominis, sit aliquis certus terminus deffinitus; cum quandoque inveniatur durare quantum præcedentes ætates, vel plus; ut dicit August. lib. 83; qq. quæst. 58. Unde etiam Apost. 2. Thess. 2. excludit falsum intellectum, quem quidam ex suis verbis conceperant, ut crederent diem Domini jam instare.

ARTICULUS IV.

Utrum judicium fiet in valle Josaphat.

Pro negativa.=Videtur quod generale judicium non fiet in valle Josaphat, vel circa.

1. Tota terra promissionis non poterit capere multitudinem judicandorum, quos saltem oportet in terra stare, judicantibus tantum in aëre elevatis. Ergo, non potest esse quod circa vallem illam judicium sit futurum.

2. Christus injuste fuit judicatus in prætorio Pilati, et sententiam injusti judicii in Golgota suscepit. Ergo illa loca magis debent ad judicium determinari.

Conseq. prob., quia Christo in humanitate datum est judicium, ut juste judicet; quia ipse fuit injuste judicatus.

3. Nubes fiunt ex resolutione vaporum. Sed tunc nulla erit evaporatio, vel resolutio. Ergo, non poterit esse, quod «justi in nubibus obviam Christo in aëra «rapiantur.» Et sic oportebit, et bonos et malos esse in terra: et ita multo amplior locus requiretur, quam sit vallis Josaphat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

«1. Joel 3. dicitur: congregabo omnes «gentes, et deducam eas in vallem Jo«saphat, et disceptabo cum eis ibi.»

2. Act. 1. dicitur: «quemadmodum «vidistis eum ascendentem in cœlum, ita «veniet.» Sed ipse ascendit in cœlum de monte Oliveti, qui præeminet valli Josaphat. Ergo et circa loca illa ad judicandum veniet.

Determinatio.

CONCLUSIO. Qualiter illud judicium sit futurum, et quomodo homines ad judicium convenient, non potest multum per certitudinem sciri; tamen probabiliter potest colligi ex scripturis, quod circa loca montis Oliveti descendet, sicut et inde ascendit. Ut idem esse ostendatur, qui descendit et qui ascendit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod magna multitudo in parvo spatio comprehendi non potest. Sufficit autem ponere quantumcumque spatium circa locum illum ad capiendum multitodinem judicandorum, dummodo ab illo spatio Christum videre possint, qui in aëre præeminens, et maxima claritate refulgens á longinquo inspici poterit.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis Christus per hoc, quod judicatus est injuste, judiciariam meruerit potestatem, non tamen judicabit in forma infirmitatis, in qua injuste est judicatus; sed in forma gloriosa, in qua ad Patrem ascendit. Unde locus ascensionis ejus magis competit judicio, quam locus in quo est condemnatus.

Ad 3. Dicitur quod nubes appellantur hic (ut quidam dicunt) quædam densitates lucis resplendentis á corporibus sanctorum, et non aliquæ evaporationes ex terra et aqua. Vel potest dici, quod nubes illæ generabuntur divina virtute, ad ostendendum conformitatem in adventu ad judicium et ascensione, ut qui ascendit in nube, ad judicium veniat in nube. Nubes etiam propter refrigerium, indicat misericordiam judicantis.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 177.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Davidicorum*, *Flagellantium*, *Samaritanorum*, *Sadducæorum*, *Barbarianorum*, *Gnosticorum*, *Albanensium*, dicentium: judicium universale extremum non esse futurum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illam damnari á Joan. 5. «Qui in monumentis sunt, procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala, in resurrectionem judicii.» Vide, quod post resurrectionem in monumentis restat judicium, quo aliqui ad vitam æternam, alii ad judicium, id est, supplicium æternum addicuntur. Item á Matth. 25. «Cum venerit filius hominis in sede majestatis suæ, etc. tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, etc. Tunc dicet Rex, esurivi, sitivi, etc. et dedistis, vel non dedistis, etc. Venite benedicti Patris mei, ite maledicti in ignem æternum.» Ecce judicium universale manifestissime per omnia ibi declaratum. Item á regul. catholicæ fidei, quæ ponuntur in lib. B. Augustini de fid. ad Petr. c. 28. «firmissime tene, et nullatenus dubites Christum Filium Dei ad judicandos vivos, et mortuos venturum, ut homines, quos suæ gratiæ dono hic gratis per fidem judicat, eisdemque justificatis in fide, et charitate sanctæ matris Ecclesiæ usque in finem perseverantiam donat, in suo adventu resuscitet, et glorificet, et secundum promissionem suam æquales sanctis Angelis faciat, et ad eum statum perducat, in quo ab ipsa perfectione deinceps mutari non possint. Ubi diversa erit Sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna. Diabolum vero

et Angelos ejus in ignem æternum á Christo esse mittendos, ubi numquam carebunt pœna, quam eis præparavit divina justitia. Cum ipso etiam diabolo impios homines pro eo, quia eum in malis operibus imitati sunt, et ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, resumptis corporibus, supplicio æternæ combustionis arsuros.» Ubi multa etiam advertet prudens lector, quæ ad supradicta valebunt. Item á Symbolo fidei Apostolorum. *Inde venturos es judicare vivos, et mortuos.* Quibus subscribit Athanasius in suo Symbolo. *Quicumque vult salvus esse*, etc. quod est compendiosa regula fidei, teste Concil. Florentin. in decret. Eugenii IV. Armen. dato. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto judicium generale futurum esse insinuant, et intelligas, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á, etc. ut q. 87. art. 3. appen. Hoc tamen observato, quod, sicut ibi dicta applicantur ad notitiam tantum conscientiarum: ita hic debent applicari et ad illam, et ad discussionem, seu examen meritorum, et ad accusationem malorum, et commendationem bonorum, et sententiam simul. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, locutionem vocalem quoad illa non fore, sed mentalem, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem excludas errorem temerarium quorumdam, ut ponit Alphon. Castr. de just. hær. punit. lib. 1. cap. 3. dicentium, quod judicii dies erit infra annum. Item errorem, etc. ut quæst. 73. art. 1. append. et quæst. 77. art. 2. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores prædictos merito damnari a. 1. Thessalon. 5. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Item á Matth. 24. «De die illo, vel hora, nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi Pater solus.» Item á quæst. 73. art. 1. append. et quæst. 73. art. 2. append. ubi etiam videbis expositionem rectam dicti præcedentis Matth. ne quando cadas in errorem Ignoitarum (Prat. Ignoitæ) dicentium, Filium Dei ignorare diem ultimum. Item á Luc. 17. «Sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus filii hominis. Edebant, et bibebant, et uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter, sicut factum est in diebus Loth: edebant et bibebant, emebant et vendebant. plantabant et edificabant: qua die autem exiit Loth á Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo et omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die Filius revelabitur.» Item á Concil. Lateranensi sub Leo X. sess. 11. «Tempus præfixum futurorum malorum vel Antichristi adventum, aut certum diem judicii prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora, vel momenta, etc. Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, á qua, nonnisi á Romano Pontifice absolvantur. Et eis prædicationis officium interdictum esse perpetuo decernimus, non obstantibus quibuscumque. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et Patrum pro quanto tempus generalis judicii esse ignotum insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Joel. 3. et art. 1. quod judicium fiet in valle Josaphat; et sic: «Congregabo omnes gentes, etc. Item: quemadmodum vidistis eum ascendentem, etc.» ut in argum. sed contra, ubi circa authoritatem Joelis nota, quod congregatio omnium gentium non virtute præcisa angelorum colligentium pulveres fiet, sed concurrente principaliter speciali Dei virtute. Sic enim intelligitur ly congregabo, videlicet, principaliter ego talis congregationis ero author. Circa authoritatem vero actuum nota, quod secundum Divum Thomam ly *ita veniet* significat etiam locum, quo venturus est. Colligendo igitur plures ejus expositiones, dicemus quod ly *ita veniet* significat Christum esse venturum et in forma humanitatis; et in ea gloriosa; et concomitantibus angelis, atque animabus, sic enim ascendit, ex Psal. 46. ascendit Deus, etc. et Psal. 67. Ascendit in altum,

etc. et circa locum vallis Josaphat. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

DE JUDICANTIBUS, ET JUDICATIS IN JUDICIO GENERALI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de judicantibus, et judicatis in judicio generali.

Circa quod quæruntur octo.

Primo, utrum aliqui homines judicaturi sint cum Christo.

Secundo, utrum voluntariæ paupertati correspondeat judiciaria potestas.

Tertio, utrum etiam Angeli sint judicaturi.

Quarto, utrum dæmones exequentur sententiam judicis in damnatos.

Quinto, utrum omnes homines in judicio comparebunt.

Sexto, utrum aliqui boni judicandi sint.

Septimo, utrum aliqui mali.

Octavo, utrum etiam Angeli sint judicandi.

ARTICULUS I.

Utrum aliqui homines judicabunt cum Christo.

Pro negativa. = Videtur quod nulli homines judicabunt cum Christo.

1. Jo. 5. dicitur: *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent*, etc. Sed talis honorificentia debetur soli Christo. Ergo solus Christus est judicaturus.

2. Quicumque judicat, habet auctoritatem super illud quod judicat. Sed nulli homines habent auctoritatem super ea, de quibus erit ultimum judicium. Ergo nulli homines cum Christo judicabunt.

Minor prob., quia ea, de quibus debet esse futurum judicium, sunt merita vel demerita humana, quæ soli divinæ subsunt auctoritati.

3. Judicium illud exercebitur non vocaliter, sed mentaliter, ut probabilius existimatur. Sed hoc quod cordibus omnium hominum notificentur merita et demerita, quod est quasi accusatio vel commendatio, vel retributio pœnæ et præmii, quod est quasi sententiæ prolatio sola divina virtute fiet. Ergo nulli homines cum Christo judicabunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 19. dicitur: *sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.*

2. Isaiæ 3. dicitur. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* Ergo videtur quod etiam alii cum Christo judicabunt.

Determinatio.

Distinctio. Judicare dupliciter dicitur. Uno modo, improprie. Alio modo, proprie. Judicare improprie, multipliciter dicitur. Uno modo, quasi causaliter: ut dicatur illud judicare, unde apparet aliquis judicandus. Et secundum hoc, aliqui dicuntur judicare comparatione, in quantum ex comparatione aliorum, aliqui judicandi ostenduntur. Alio modo dicitur judicare, quasi interpretative. Interpretamur enim aliquem facere, qui facienti consentit. Tertio modo dicitur aliquis judicare, assessorie et quasi per similitudinem; quia scilicet similitudinem judicis habet, in quantum sedet in loco eminenti, sicut judex: et sic assessores dicuntur judicare. Quarto dicitur aliquid judicare, quia continet decreta justitiæ: sicut liber continens leges, quibus judex judicat, judicare dicitur. Et his modis dicitur judicare improprie.

Proprie autem judicare dicitur, qui sententiam loquendo, in alterum fert.

Hoc autem dupliciter contingit. Uno modo, auctoritative, et hoc est illius qui habet dominium et potestatem in alios, cujus regimini subduntur qui judicantur. Unde ejus est in eos jus ferre. Alio modo judicare proprie, est sententiam auctoritate alterius latam, in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronuntiare, eo modo, quo notarius judicare dicitur, quatenus judicis sententiam manifestat et promulgat.

1.ª Conclusio. Judicare causaliter in judicio, conveniet communiter et bonis et malis.

Manifest. quia mali in comparatione bonorum, quorum opera bona non fecerunt, et in comparatione illorum malorum, quibus fuerunt pejores, judicabuntur. Sicut Dominus dicit Matt. 2. quod viri ninivitæ surgent in judicio contra hebræos, et condemnabunt eos.

2.ª Conclusio. Judicare interpretative, erit omnium electorum.

Manifestatur, quia omnes electi sententiam Christi judicantis probabunt. Et secundum hoc dicitur Sap. 3. *Judicabunt sancti nationes.*

Positio de judicio assessorio.

Quidam dicunt quod perfecti viri judicabunt cum Christo, judicio assessorio, scilicet, per honorabilem confessionem, quia cæteris superiores apparebunt in judicio, obviantes *Christo in aëra*; et quod hæc est judiciaria potestas, quæ eis promittitur á Domino. Matth. 19.

Reprobatio.

Sed istud non videtur sufficere ad promissionem Domini complendam, qua dicitur, *sedebitis judicantes.* Videtur enim superaddere confessioni judicium.

Aliorum positio.

Et ideo alii dixerunt quod perfectis viris conveniet judicare, quatenus in eis continentur decreta divinæ justitiæ, ex quibus homines judicabuntur, tamquam libri, in quibus lex divina, secundum quam homines judicabuntur, erit conscripta. De quibus dicitur. Apoc. 20. *Judicium sedit, et libri aperti sunt:* et hæc est positio Richardi de sancto Victore tract. de judic. potest. in fioali judicio qui dicit: «qui divinæ contempla-«tioni assistunt, qui in libro sapientiæ «quotidie legunt, velut in cordium vo-«luminibus transcribunt quidquid pers-«picua veritatis intelligentia compre-«hendunt. Et infra subdit. Quid vero «sunt judicantium corda divinitus in «omnem veritatem edocta; nisi quædam «canonum decreta.»

Reprobatio.

Sed hoc non sufficit ad complendam Domini promissionem, quia si sic tantum judicare dicerentur viri perfecti, non proprie judicaturi essent, quia judicare, importat actionem judicantis in alterum procedentem. Et ideo proprie loquendo, judicare dicitur, qui sententiam loquendo, in alterum fert: quod de perfectis viris dici non posset, si tantum essent quasi libri continentes divinæ justitiæ decreta.

Vera sententia.

3.ª Conclusio. Solus Christus judicabit propria auctoritate.

Prob. quia solus Christus habebit auctoritatem super judicandos.

4.ª Conclusio. Perfecti viri simul cum Christo judicabunt pronuntiando sententiam á Christo latam, et in aliorum notitiam eam ducendo, ut sciant, quid juste pro meritis debeatur.

Hanc conclusionem idem Richardus jam cit. probat, dicens: «judices coram «judicandis decretorum suorum libros «aperire, est ad cordium suorum ins-«pectionem inferiorum quorumlibet vi-«sum admittere, sensumque suum in «his, quæ ad judicium pertinent, reve-«lare.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. et 2. simul dicitur quod probant tertiam conclusionem.

Ad 3. Dicitur quod non est inconveniens aliquem sanctorum aliis quædam revelare, vel per modum illuminationis,

vel per modum locutionis. Sicut superiores angeli inferiores illuminant, et inferiores superiores alloquuntur.

ARTICULUS II.

ALIAS III.

Utrum angeli debeant judicare.

Pro affirmativa.=Videtur quod angeli debeant judicare.

1. Dominus Matt. 25. de adventu suo ad judicium loquens, dicit. « Cum « venerit filius hominis in majestate sua, « et omnes angeli ejus cum eo.» Ergo angeli judicabunt cum Christo.

2. Quidam ordo angelorum est thronorum, quod videtur pertinere ad judiciariam potestatem; thronus enim est « sedes judicis, solium regis, cathedra « doctoris.» Ergo aliqui angeli judicabunt.

Conseq. prob., quia angelorum ordines sortiuntur nomina ex officio quod exercent.

3. Homines habebunt judicandi potestatem, ut art. præcedenti dictum est. Ergo multo fortius angeli potestatem hanc habebunt.

Conseq. prob, quia sanctis post hanc vitam promittitur angelorum æqualitas. Matt. 22.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ministris judicis non competit judicare. Sed angeli in illo judicio erunt judicis ministri. Ergo eis non competit judicare.

Maior prob., quia non est ejusdem judicare, et esse judicis ministrum.

Minor prob., quia Matt. 13. dicitur. « Mittet filius hominis angelos suos, et « colligent de regno ejus omnia scandala.»

Determinatio.

1.ª CONCLUSIO. Angelis non competit judicare.

Prob. Assessores judicis debent esse judicio conformes. Sed angeli non sunt Christo judici conformes Ergo angeli cum Christo non judicabunt.

Minor simul cum maiori prob. quia etsi tota Trinitas judicet per auctoritatem; judicium tamen filio hominis attribuitur; unde dicitur Jo. 5. Potestatem dedit ei, judicium facere, quia filius hominis est. Quia secundum humanam naturam apparebit bonis et malis. Et ideo assessores judicis Christi debent humanam naturam habere, ut possint ab omnibus, tam bonis, quam malis videri; quod angelis non competit.

2.ª CONCLUSIO. Angeli possunt dici judicare, per sententiæ approbationem.

Quia hoc omnibus bonis conveniet, ut Art. præced. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod sicut ex Gloss. ibidem patet, angeli cum Christo venient, non ut judices, sed « ut « sint testes humanorum actuum, sub « quorum custodia homines male vel bene « egerunt.» Unde consequentia non est efficax.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod nomen throni attribuitur angelis, ratione illius judicii quod Deus semper exercet, omnia justissime gubernando, cujus judicii angeli sunt quodammodo executores et promulgatores. Sed judicium, quod de hominibus per hominem Christum fiet, requirit etiam homines assessores, ut dictum est.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod hominibus promittitur æqualitas angelorum, quantum ad præmium essentiale, nihil tamen prohibet aliquod præmium accidentale exhiberi hominibus quod angelis non dabitur. ut patet de aureola virginum, aut martyrum, et hoc potest de judiciaria potestate dici, quæ hominibus, et non angelis datur.

ARTICULUS III.

ALIAS IV.

Utrum dæmones exequentur sententiam judicis in damnatos.

Pro negativa.=Videtur quod post diem judicii dæmones non exequentur sententiam judicis in damnatos.

1. Executores sententiæ judicis ha-

bent quamdam prælationem. Sed dæmones, post judicium non habebunt aliquam prælationem. Ergo dæmones, post diem judicii non exequentur sententiam judicis.

Maior prob., quia executio sententiæ, quamdam prælationem designat.

Minor prob. quia 1. Cor. 15. dicitur. « Tunc evacuabit omnem principa- « tum et potestatem et virtutem. »

2. Dæmones magis peccaverunt quam homines. Ergo non est justum quod homines per dæmones torqueantur.

3. Præmiare bonos non erit officium bonorum angelorum. Ergo nec punire malos erit officium demonum.

Antecedens prob. quia hoc erit immediate á Deo.

Conseq. prob., quia sicut dæmones suggerunt hominibus mala, ita angeli boni bona suggerunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Homines peccatores se subdiderunt diabolo, peccando. Ergo justum est ut ei subjiciantur in pœnis, quasi ab eo puniendi.

Determinatio.

Positiones diversorum.

Circa hoc quæsitum fuit duplex opinio, ut Magister innuit in 4. dist. 47. Una est, quæ asserit, dæmones debere exequi sententiam Christi contra damnatos, post judicium; et ratio est, quæ adducta est pro affirmativa; quia scilicet justum est, ut qui se, peccando, diabolo subdiderunt, á diabolo et angelis ejus torqueantur. Altera negat dæmones debere reprobos et damnatos torquere, quia dæmon injuste homini præest. Et ideo non debet dæmon post judicium damnatis in pœnis præesse. Unde hæc positio robur habet á secunda ratione inducta pro negativa.

Judicium de his opinionibus.

Utraque opinio Dei justitiæ competere videtur. Ex hoc enim quod homo peccat, juste dæmoni subjicitur. Sed tamen dæmon propter suam malitiam injuste homini præest. Opinio ergo illa, quæ ponit dæmones in futurum, post diem judicii, hominibus non præesse in pœnis, respicit ordinem divinæ justitiæ ex parte demonum punientium. Contraria vero opinio respicit ordinem divinæ justitiæ, ex parte hominum punitorum. Quæ autem harum opinionum sit verior, certum nobis esse non potest.

Propria sententia.

Conclusio. Verior videtur opinio, quæ ponit quod dæmones exequentur sententiam Christi judicis in damnatos.

Manifestatur, quia sicut servabitur ordo in salvatis, quo quidam á quibusdam illuminabuntur, et perficientur, eo quod ordines cœlestis hierarchiæ perpetui sunt; ita servabitur ordo in pœnis, ut homines per demones puniantur, ne totaliter divinus ordo, quo angelos medios inter naturam humanam et divinam constituit, annulletur. Et ideo, sicut hominibus per angelos bonos divinæ illuminationes deferuntur; ita etiam dæmones sunt executores divinæ justitiæ in malos.

Ad tacitam objectionem.

Nec per hoc minuitur aliquid de pœna dæmonum, quia in hoc etiam, quod alios torquent, ipsi torquebuntur; ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod prælatio illa, quæ dicitur evacuanda per Christum in futuro, est accipienda secundum modum prælationis, qui est secundum statum hujus mundi, in quo et homines hominibus, et angeli hominibus et angeli angelis, et angeli dæmonibus, et dæmones dæmonibus, et dæmones hominibus principantur; et hoc totum, ad perducendum ad finem, vel abducendum á fine. Tunc autem, cum omnia ad finem illum pervenerint, non erit prælatio abducens á fine, vel adducens ad finem, sed conservans in fine

boni vel mali: et talis erit prælatio dæmonum in damnatos.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod quamvis meritum dæmonum non requirat, ut hominibus præferantur, quia injuste dæmones sibi homines subjecerunt; tamen hoc requirit ordo ipsorum ad humanam naturam. Bona enim naturalia in demonibus integra manserunt, ut dicit Dion. cap. 4. de diu. nom. parte 4.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et consequentiam simul, quod angeli boni non sunt electis causa principalis præmii, quia hoc omnes immediate á Deo percipiunt. Sed tamen quorumdam accidentalium præmiorum angeli hominibus sunt causa, in quantum per superiores angelos, inferiores et angeli et homines illuminantur de aliquibus secretis divinorum, quæ ad substantiam beatitudinis non pertinent. Et similiter etiam principalem pœnam damnati immediate á Deo excipient, scilicet per exclusionem á Dei visione.

Alias autem sensibiles pœnas non est inconveniens hominibus per dæmones infligi. In hoc tamen est differentia, quia meritum exaltat, peccatum vero deprimit. Unde, cum natura angelica sit altior, quam humana, quidam propter excellentiam meriti in tantum exaltabuntur, quod eorum exaltatio excedet altitudinem naturæ et præmiii in quibusdam Angelis. Unde etiam quidam angeli per quosdam homines illuminabuntur. Sed nulli homines peccatores propter aliquem gradum malitiæ pervenient ad illam eminentiam, quæ naturæ dæmonum debetur. Unde simpliciter negatur consequentia. Et ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de bonitate et malitia, et de præmio et pœna, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

ALIAS V.

Utrum omnes homines in judicio comparebunt.

Pro negativa. = Videtur quod non omnes homines in judicio comparebunt.

1. Matt. 19. dicitur. *Sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.* Ergo non omnes in judicio comparebunt.

Conseq. prob.. quia non omnes homines pertinent ad illas duodecim tribus.

2. In Psal. 1. dicitur. *Non resurgent impii in judicio.* Sed multi inter homines sunt impii. Ergo non omnes in judicio resurgent.

3. Quidam sunt, qui nulla merita habuerunt: sicut pueri, ante perfectam ætatem decedentes. Ergo illos in judicio comparere non erit necesse.

Conseq. prob., quia ad hoc aliquis ad judicium adducitur, ut ejus merita discutiantur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Act. 10. dicitur quod «Christus «constitutus est á Deo judex vivorum «et mortuorum.» Ergo omnes homines in judicio comparebunt.

Conseq. prob., quia sub istis duabus differentiis comprehenduntur omnes homines, qualitercunque vivi á mortuis distinguantur.

2. Apoc. 1. dicitur: «ecce venit cum «nubibus, et videbit eum omnis oculus.» Ergo omnes convenient ad judicium.

Conseq. prob., quia non viderent eum omnes, si non omnes in judicio comparerent.

Determinatio.

Conclusio. Omnes homines in generali judicio congregabuntur.

Prob. Christus in sua passione sanguinem suum pro omnibus fudit quantum ad sufficientiam, licet non in omnibus effectum habuerit, propter impedimentum in aliquibus inventum. Ergo congruum est ut omnes homines in judicio congregentur, ad videndum Christi exaltationem in humana natura, secundum quam constitutus est á Deo judex vivorum et mortuorum.

Conseq. prob., quia potestas judiciaria, Christo homini collata, est in præ-

mium humilitatis, quam in passione exhibuit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod sicut dicit Aug. lib. 20. de civit. Dei c. 5. « Non quia dictum est, judicantes « duodecim tribus Israel; tribus Levi, « quæ tertia decima est judicanda non « erit, aut solum illum populum, sed « etiam gentes cæteras judicabunt; » ideo autem pro duodecim tribus omnes aliæ gentes significatæ sunt, quia per Christum in sortem duodecim tribuum sunt vocatæ.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod hoc, quod dicitur, *non resurgent impii in judicio*, si referatur ad omnes peccatores, intelligendum est quod non resurgent ad hoc quod judicent. Si autem impii dicantur infideles, intelligendum est quod non resurgent ad hoc quod judicentur, quia *jam judicati sunt*: ut dicitur Jo. 3. Omnes tamen resurgent, ut in judicio compareant, ad gloriam judicis intuendam.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod etiam pueri, ante perfectam ætatem decedentes, in judicio comparabunt, non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicantis.

ARTICULUS V.

ALIAS VI.

Utrum boni in judicio judicabuntur.

Pro negativa. = Videtur quod nulli boni in judicio judicabuntur.

1. Qui credunt in Christum, non judicabuntur, ut dicitur Jo. 3. *Sed omnes boni crediderunt in Christum.* Ergo nulli boni judicabuntur.

2. Illi, qui certi sunt de propria beatitudine, non judicabuntur. Sed sancti homines certi tunc erunt de propria beatitudine. Ergo nulli sancti homines judicabuntur.

Maior prob. quia, quod certum est, non adducitur ad judicium.

Minor prob. quia, si non essent certi de propria beatitudine, beati nequaquam essent. Per hoc enim Aug. lib. 11. per. Genes. cap. 17. probat dæmones numquam fuisse beatos, quia de propria beatitudine non fuerunt certi.

3. Illi, qui in extremo judicio judicabuntur, timebunt. Sed beati non timebunt. Ergo beati non judicabuntur.

Maior prob., quia extremum judicium quod tremendum maxime dicitur, non poterit fieri sine timore eorum qui sunt judicandi.

Minor prob., quia timor beatitudini repugnat.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur 2. Cor. 5. « Omnes nos ma- « nifestari oportet ante tribunal Christi, « ut referat unusquisque propria corpo- « ris, prout gessit, sive bonum, sive ma- « lum. » Quod nihil aliud est quam judicari. Ergo omnes, etiam boni, judicabuntur,

2. In judicio universali omnes sunt judicandi. Sed extremum illud judicium erit universale. Ergo in eo omnes sunt judicandi.

Maior prob., quia universale omnia comprehendit.

Determinatio.

Distinctio. Ad judicium duo pertinent: scilicet, discussio meritorum, et retributio præmiorum.

1.ª Conclusio. Quantum ad retributionem præmiorum, omnes boni judicabuntur.

Prob. quia unusquisque recipiet ex divina sententia præmium merito respondens.

2.ª Conclusio. Judicio discussionis meritorum, non omnes boni judicabuntur.

Manifestatur, quia discussio meritorum non fit, nisi ubi est quædam meritorum commixtio bonorum, cum malis. Illi ergo, qui ædificant super fundamentum fidei, aurum, argentum, et lapides pretiosos, divinis servitiis totaliter insistentes, qui nullam notabilem ad-

mixtionem alicujus mali meriti habent, in eis discussio meritorum locum non habet; sicut sunt illi qui, rebus mundi penitus abjectis, solicite cogitant solum quæ Dei sunt; et tales salvabuntur, sed non judicabuntur. Illi vero, qui ædificant super fidei fundamentum ligna, fœnum et stipulam, qui scilicet adhuc amant sæcularia, et terrenis negotii, implicantur, ita tamen quod nihil Christo præponant, sed studeant peccata eleemosynis expiare, habent commixtionem malorum meritorum cum bonis meritis, et in eis discussio meritorum locum habet. Unde tales boni, quantum ad hoc, judicabuntur et salvabuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod, quia punitio est effectus justitiæ, præmiatio autem misericordiæ, ideo antonomastice punitio judicium dicitur, ita ut interdum judicium pro ipsa condemnatione accipiatur: et sic intelligitur inducta auctoritas, scilicet quod, qui credit in Christum, non condemnabitur.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod discussio meritorum in electis non erit ad tollendum certitudinem beatitudinis á cordibus ipsorum; sed ut præeminentia bonorum meritorum ad mala ostendatur omnibus manifeste, et Dei justitia sic comprobetur.

Ad 3. Neg. maior. Non enim est vera de bonis, quia tunc non timebunt. Ad prob. dicitur quod judicium illud est tremendum his, qui in mortali vita existunt, etiam justis: et tunc erit malis maxime tremendum; utpote qui eorum damnationis sententiam sunt audituri.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad argumenta pro altera parte dicitur, quod probant omnes bonos esse judicandos judicio præmiationis.

ARTICULUS VI. ALIAS VII.

Utrum mali judicabuntur in extremo judicio.

Pro negativa. = Videtur quod nulli mali tunc judicabuntur.

1. Illi, quorum certa est damnatio, non judicabuntur. Sed omnium malorum infidelium, et qui in peccato mortali decedunt, tunc certa erit damnatio. Ergo nulli mali judicabuntur.

Maior prob., quia propter damnationis certitudinem de non credentibus dicitur Jo. 3. *Qui non credit, jam judicatus est.*

2. Si mali essent in generali judicio judicandi, sequeretur quod infideles ex sua infidelitate commodum reportarent, quod est valde absurdum.

Conseq. prob., quia ad malos fideles fieret vox judicis, quæ est valde terribilis eis, qui per judicium condemnantur: quæ *vox ad infideles non fiet*, ut Greg. 26. Moral. cap. 20. dicit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Omnibus malis infligetur pœna, secundum quantitatem culpæ. Ergo omnes mali judicabuntur.

Conseq. prob., quia hoc sine definitione judicii fieri non potest.

Determinatio.

Distinctio. Judicium malorum duplex est. Unum est retributivum pœnarum pro peccatis. Alterum est discussivum demeritorum.

Conclusio. Judicio discussionis non judicabuntur omnes mali, sed solum fideles. Judicio vero retributivo omnes mali judicabuntur.

Manifestatur, quia in infidelibus non est fidei fundamentum, quo sublato, omnia opera sequentia perfecta rectitudine intentionis carent. Unde non est in eis aliqua permixtio bonorum operum, vel meritorum cum malis, quæ discussionem requirat. Fideles autem in quibus manet fidei fundamentum, ad minus fidei actum laudabilem habent, quamvis non sit meritorius sine charitate; tamen quantum est de se, est ordinatus ad meritum, et ideo in eis judicium discussionis locum habet. Unde ipsi fideles, qui numero saltem fuerunt

cives civitatis Dei, judicabuntur ut cives, in quos sine discussione meritorum sententia mortis non fertur. Infideles vero condemnabuntur, ut hostes qui consueverunt (apud homines) absque meritorum audientia exterminari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior: quamvis enim de damnatione eorum, qui in mortali decedunt, pro certo constet; quia tamen aliqua, quæ pertinent ad bene merendam, habent annexa, oportet ad manifestationem divinæ justitiæ, ut discussio de eorum meritis fiat, per quam ostendatur eos juste á sanctorum civitate excludi, cujus videbantur numero esse cives. Ad probationem, dicitur quod non est eadem ratio de malis fidelibus, et de infidelibus, ut in corp. dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem, dicitur quod allocutio illa spiritualiter intellecta, non erit aspera fidelibus condemnandis, quia in eis aliqua sibi placentia manifestabit, quæ in infidelibus inveniri non possunt, quia *sine fide impossibile est placere Deo*. Hebr. 11. Sed sententia condemnationis, quæ in omnes ferretur, omnibus terribilis erit.

Ratio pro affirmativa probat quod omnes mali judicandi sunt judicio retributionis.

ARTICULUS VII.

ALIAS VIII.

Utrum angeli in futuro judicio judicabuntur.

Pro affirmativa. = Videtur quod angeli in futuro judicio judicabuntur.

1. Dicitur 1. Cor. 6. *Nescitis quoniam angelos judicavimus*. Quod non potest referri ad statum præsentis temporis. Ergo angeli in futuro judicio judicabuntur.

2. Job cap. 40. dicitur: Behemoth, per quem diabolus intelligitur, *videntibus cunctis, præcipitabitur*. Et Marc. 1. Exclamavit dæmon ad Christum: *Venisti ante tempus perdere nos*. Ubi Gloss. ex Beda dicit quod dæmones, in terra Dominum cernentes, se continuo judicandos esse credebant. Ergo angeli in futuro judicio judicabuntur.

2. Petri 2. cap. 2. dicitur: « Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari. » Ergo angeli judicabuntur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Qui sunt jam judicati, non sunt amplius judicandi. Sed mali angeli sunt jam judicati. Ergo non sunt amplius judicandi.

Maior prob., quia *Deus non judicat bis in idipsum*.

Minor prob., quia Jo. 16. dicitur: *princeps hujus mundi jam judicatus est*.

2. Quidam homines boni et mali non judicabuntur, ut dictum est. Ergo nec angeli boni vel mali judicabuntur.

Conseq. prob., quia perfectior est bonitas vel malitia angelorum, quam aliquorum hominum in statu viæ.

Determinatio.

1.ª *Distinctio*. Judicium duplex est, scilicet, discussionis, et retributionis.

2.ª *Distinctio*. Retributio angelis sive bonis sive malis debita, duplex est. Una respondens propriis meritis angelorum: alia respondens meritis bonis, vel malis per angelos procuratis, quatenus scilicet homines ad malum, vel ad bonum induxerunt.

1.ª Conclusio. Judicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis, neque in malis angelis.

Prob. quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad judicium pertinens.

2.ª Conclusio. Angeli boni, vel mali non erunt judicandi judicio retributionis, quæ respondet propriis meritis vel demeritis.

Prob. quia hæc retributio fuit utrisque facta á principio. Unde quidam ad beatitudinem sublimati sunt, quidam vero in miseriam demersi.

3.° Conclusio. Angeli judicandi sunt judicio retributionis respectu meritorum vel demeritorum per eos procuratorum.

Prob. quia boni angeli majus gaudium habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt: et mali amplius torquebuntur, multiplicata malorum ruina, quos ad mala induxerunt. Ex quibus sequitur quod judicium directe loquendo, neque ex parte judicantium, neque ex parte judicatorum, erit angelorum, sed tantum hominum. Indirecte autem, quodammodo respiciet angelos, in quantum actibus hominum fuerunt commixti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod verbum Apostoli est intelligendum de judicio comparationis, quia quidam homines respectu meritorum, quibusdam angelis superiores invenientur.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod ipsi dæmones, cunctis videntibus, precipitabuntur, quia in perpetuum in inferni carcerem detrudentur, ut jam eis non sit liberum inde egredi, quod eis nunc conceditur ex divina providentia, ad vitam hominum exercendam.

Ad 3. Eodem modo dicitur quod dæmones reservantur cruciandi in judicium, quando absque ulla egressionis spe in infernum detrudentur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 178.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse, quod aliqui simul cum Christo judicabunt, ab Isa. 3. « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. » Ubi per seniores intelligit, non quoscumque electos, sed perfectiores. Unde accipit ly seniores, non ut dicit numerum annorum, sed prudentiam et sanctitatem, supra ex quæst. 81. artic. 1. Item á Matth. 19. *Sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.* Ubi per ly *duodecim tribus Israel* intelligit totum mundum. Nam duodecim tribus Israel secundum carnem fuerunt filius Dei primogenitus, Exod. 4. quibus cadentibus á servitio Dei subrogati retinent nomen illud primævum, et dicuntur filii Israel secundum promissionem, Rom. 9. Si viri ergo perfecti judicabunt fideles, ergo á fortiori judicabunt infideles, et sic totum mundum. Et hoc voluit significare Dominus in Matth. Item 1. Corinth. 6. « Sancti de hoc mundo judicabunt. » Item Luc. 11. « Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas, tamquam multum á fortiori, hæreses *Joan. Spangeberg* dicentis: paupertatem voluntariam frustraneam esse, Item desiderii Langobardi pejus dicentis: scilicet paupertatem voluntariam non solum inutilem, sed etiam noxiam fore. Item *Gulielmi de sancto Amore* dicentis, paupertatem habitualem licitam esse, non autem actualem; quia, inquit, promptitudo animi tantum licita est ad relinqüendum omnia pro Christo, cum urget necessitas, qua necessitate exclusa, illicita est. Per hoc enim, quod voluntarii pauperes probantur hic merito judicaturi universum, patet apertissime, quod paupertas voluntaria est non inutilis, neque noxia vel illicita, sed valde licita, utilis et meritoria. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari directe á Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni et sequere me.* Ex ly si vis, patet, quod loquebatur de voluntaria, non necessaria paupertate. Ex ly da pauperibus, patet, quod de actuali, non habituali tantum: quoniam pauperes non reficerentur ab illo divite, si venderet omnia, et distraheret habitualiter tantum, non ac-

tualiter. Et hoc magis patet ibidem. « Cum autem audisset, abiit tristis; erat enim habens multas posessiones. » Nam sic tristis non abiisset, si possessiones tantum habituaIiter, hoc est, secundum affectum, vendere debuisset, et eas actualiter, id est, secundum effectum, sibi ipsi retinere. Ex tristitia igitur contracta patet, quod ipse intellexit, Dominum loqui de paupertate non habituali tantum, sed etiam actuali. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito, et quidem á fortiori, damnari á Job. 36. *Et judicium pauperibus tribuet.* Item Matthæi 9. *Vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis judicantes. Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto voluntariis pauperibus judicare alios tribuunt, insinuant et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides; quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas recte insinuatum á Jo. 5. quod Angeli non judicabunt, et sic: « potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. » Nota ly *quia filius hominis est*, quoniam per hoc significatur, ipsum Christum in forma humana judicaturum, et consequenter judicaturos cum Christo non esse, qui non habent naturam humanam. Item á Matth. 13. « Mittet filius hominis angelos, et colligent de regno ejus omnia scandala. » Et Matth. ibid. «In consummatione seculi exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. » Ubi denotatur, quod angeli sunt messores, seu ministri Dei ad hoc officium, scilicet, colligendi cineres pro resurrectione, qu. 76. art. 3. et separandi electos resuscitatos á reprobis: non autem ad hoc officium, ut sint judices. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Sapient. 11. quod dæmones post diem judicii torquebunt damnatos, et sic. *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur.*» Ubi ostenditur, quod consentiens persuasori ad malum, meretur puniri per eum. Unde contingit frequenter, quod consentientes alicui in malo, succedente tempore, puniuntur ab eodem. Deo enim permittente, fit, ut inter eos inimicitiæ nascantur; ita ut ille malus persuasor superior effectus vincat hunc, qui sibi alias male consensit, ipsumque pessime torqueat. Hoc et ex scripturis studiosus per se colligere poterit: Item á. 2. Petr. 2. "A quo quis superatus est, hujus et servus est.» Item á Joan. 8. « Qui facit peccatum, servus est peccati. » Diabolus autem ab initio peccavit, et ante hominem. Consequenter ergo, qui facit peccatum, servus est diaboli. Cum igitur servi pro malefactis castigentur á suis dominis, videtur per hæc denotari, quod per dæmones torqueantur damnati. Item ab Isa. decimonono "Tradam eam in manus inimicorum crudelium. » Item ab Apocal. decimooctavo. "Quantum glorificavit se, et in delitiis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum. » Ubi Deus videtur loqui de ministris, et significare, ut supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam (Direct. Inquisit. 2. par. quæst. 8.) dicentis, quod in die judicii omnes homines ante tribunal Christi non comparebunt cum suis corporibus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Papa Benedicto, XI. in extravag. "Benedictus Deus, etc. Definimus insuper, quod in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt. Item ab Apocal. 20. Vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors, et infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant. Item á Matth. 25. Cum venerit filius hominis in majestate sua, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Item á Corinth. 5. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Qui autem dicit omnes, nihil excludit secundum regulam 80, quæ ait; in toto partem non est dubium contineri,» de reg. jur. in 6. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto omnes comparituros ad judicium insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam (ut refert direct. Inquisit. 2. par. qu. 8.) dicentis, quod in die judicii omnes homines non reddituri suntde factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc utpote édiametro sibi contrariam damnari ab Apostolo 1. Corinth. 5. "Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propia corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum." Ubi, si intelligatur de judicio retributionis, accipitur ly referat, pro reportet inde: si vero intelligatur de judicio discussionis, accipitur ly referat, pro recitare, sive (ut in proposito loquamur) pro reddere rationem de factis, sive bonis, sive malis. Ubi et ly omnes sumitur universaliter, nullo, sive electo, sive reprobo, excepto, quando ly referat accipitur in primo sensu: sumitur autem ly omnes pro quibusdam tum electis, tum reprobis, quando accipitur ly referat in secundo sensu. His tamen annotatis, non excusandus venit ille quidam hæresis prædictæ author, sed accusandus magis; quoniam absque distinctione aliqua contra Apostolum invectus est, verbis oppositis ad litteram utens. Item á Matth. 25. "Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere, etc." Ubi patentissime explicatur discussio judicii quoad bonos. Item á Symbolo Athanasii, quod est regula fidei compendiosa secundum Concilium Florentinum in decret. Armenis dat. "Eugenii IV. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem." Ubi ly *reddituri sunt ratione*, accipitur de facto, vel de virtute, hoc est, quod reddent rationem, vel per discussionem actualiter factam operum suorum, vel per hoc, quod in retributione á judice recepta cognoscetur, quantum operati sunt; ac si actualiter reddidissent rationem. Quemadmodum existentes in platea extra palatium Regis, ex hoc quod vident multos exeuntes extra palatium illud sumptuosis vestibus ornatos á Rege secundum magis, et minus, judicant talem, vel talem magis, vel minus meruisse apud Regem; licet ipsi eos non viderint in palatio reddere rationem de propriis meritis Regi, neque illam de facto reddiderint: tamquam in effectu cognoscentes conjecturaliter saltem causam, vel aliquid de causa, Quod autem dico de bonis, intellige etiam de malis. *Tertio* habes: quomodo prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto bonos esse judicandos insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem excludas hæresim illam, et ceter. ut art. 6. app. pro quanto loquitur de reprobis. In præsenti enim articulo monstratur, quod judicandi sunt. Item et quomodo per rationem interimas hæresim Gregorii David (Prat. Gregorius David) dicentis, quod animæ tam eorum, quos fideles vocamus, quam infidelium salvabuntur; et Apostolorum corpora æque damnabuntur, atque infidelium. Et hæc pro ultima parte, in quantum loquitur de corporibus Apostolorum, potest etiam per rationem damnari ex superioribus articulis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito has damnari á Matth. 25. *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. Quibus et dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*, etc. Ubi manifestissime docet, malos fideles esse judicandos judicio discussionis. Item á Joan 3. *Qui non credit, jam judicatus est.* Id est, jam condemnatus est. Hoc est, non erit opus discussione operum suorum ad hoc quod condemnetur. Item ab Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quis autem dicat aliquem posse salvari, qui non placet Deo? Item ab Apocali. 21. "Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, habentem claritatem Dei, et fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina Apostolorum. Item á 1. Corint. 15. Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur." Ubi clare patet, quod de Apostolis etiam, inter quos Apostolus seipsum numerat, per ly nos, loquitur, et quod de ipsorum etiam corporibus per ly immutabimur, cointelligit. Item 1. Thess. 4. "Mortui, qui in Christo, sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera: et sic semper cum Domino erimus." Si ergo cum Domino semper erimus post resurrectionem corporum, ut verum est, corpora utique Apostolorum non damnabuntur, sed nec

etiam aliorum sanctorum, de quibus omnibus ibi cointelligit. Item ab Ecclesia catholica, quæ de Apostolis canit: " Ecclesiarum principes, belli triumphales duces, cœlestis aulæ milites, et vera mundi lumina. Hæc illa in hymno ad laudes. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto malos fore judicandos, vel non judicandos insinuant, et probes et defendas. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem confundas superbam, atque temerariam phantasiam cujusdam Menonis Frisii jactanter, atque mendaciter dicentis, se judicaturum in die recti judicii per suam doctrinam et Angelos, ac principes, et mundum. Hinc enim patet quod Angeli, neque boni, neque mali judicabuntur ab hominibus et si ab Apostolis, quod judicio comparationis, ut in ad 1. Mennon autem prædictus, neque Deus, neque Apostolus, neque major Apostolis, sed pessimus homo fuit. Narrat siquidem Lindanus Dubitan. dialog. 2. quod fuit Anabaptistarum dux, qui non contenti baptisma violasse, etiam Christum negant ex Virginis carne, aut humana substantia natum; et, quamvis seipsos jactent Apostolos, Helias, Henochos, nullus tamen eorum extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Quin Mennon "ipse, qui varios suæ perfidiæ reliquit ministros, Hollandiam, Frisiam, et Ebdensem contaminantes; jactitans eos á Deo missos, vi Evangelii sui, multa fecisse miracula; mirum; cum se tot per annos claudicantem sanare nequiverit. » Hæc ibi Lindanus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam phantasiam merito damnari á Matth. 25. " Tunc separabit oves ab hædis, et his, qui á sinistris ejus erunt, dicet: Ite maledicti in ignem æternum. « Ubi vides, quod Mennon ipse cum suis similibus tempore judicii mittentur in ignem æternum simul cum corporibus suis: tantum abest, ut judicet Angelos. Item á etc. ut art. 2. et 7. app. secundum quod ibi dicta faciliter contra Mennonem applicare poterit sapiens. *Tertio* vides: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Angeli non judicabuntur. Et hoc quandocumque loquentes de Angelis tempore judicii attribuunt eis, vel collectionem cinerum omnium in judicio compariturorum, Matth. 24. vel separationem malorum de medio justorum, Matth. 13. vel alligationem zizaniorum in fasciculos ad comburendum, et tritici in cœleste horreum, Matth. 13, vel convocationem hominum ad judicium per sonitum tubæ, Matth. 24. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4, vel aliquid simile: numquam autem, quod judicandi sint, nisi comparative, ut in ad primum. De malis vero Angelis dicitur Joan. 16. *Princeps hujus mundi jam judicatus est.* Hæc ibi: ubi innuitur, quod judicandus amplius non est. *Quarto* habes: quomodo prædicta scripturarum, pro quanto Angelos non fore judicandos insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA NONA.

DE FORMA JUDICIS VENIENTIS AD JUDICIUM, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de forma judicis venientis ad judicium:

Circa hoc quæruntur tria.

Primo utrum Christus in forma humanitatis sit judicaturus.

Secundo, utrum apparebit in forma humanitatis gloriosa.

Tertio, utrum divinitas possit sine gaudio videri.

ARTICULUS. I.

Utrum Christus in forma humana sit judicaturus.

Pro negativa.=Videtur quod Christus non sit judicaturus in forma humanitatis.

1. Christus habet auctoritatem super vivos et mortuos, secundum quod est Deus; sic enim est Dominus et creator

omnium. Ergo non judicabit in forma humanitatis.

Conseq. prob., quia judicium requirit auctoritatem in judicante.

2. Christo convenit virtus invincibilis, secundum quod est Deus. Ergo Christus in forma divinitatis judicabit.

Conseq. prob. quia in judice requiritur virtus invincibilis, secundum illud Eccles. 7. « Nolli quærere fieri judex, « nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. » Unde in ea forma judicare debet Christus, in qua ei hæc virtus invincibilis convenit.

3. Filio debetur honor æqualis Patri, non secundum humanam naturam, sed secundum divinam. Ergo Filius judicabit secundum formam divinitatis, et non humanitatis.

Conseq. prob., quia Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, Jo. 5.

4. Dan. 7. « Aspiciebam, donec throni « positi sunt, et antiquus dierum sedit.» Throni judiciariam potestatem designant. Antiquitas dicitur de Deo ratione æternitatis, ut Dion. dicit in lib. de div. nom. Ergo judicare convenit Filio ut est æternus, et non secundum quod est homo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Jo. 5. Dicitur. « Potestatem dedit « ei, judicium facere, quia filius hominis « est. »

2. Christus secundum humanam naturam judicatus est á Pilato. Ergo secundum humanam naturam judicabit.

Conseq. prob., quia Job. 36. dicitur. *Causa tua, quasi impii judicata est.* Glos. á Pilato. Ideo *causam judiciumque recipies.* Glos. ut juste judices.

3. Ejus est judicare, cujus est legem condere. Sed Christus in humana natura apparens, nobis legem Evangelii dedit. Ergo secundum eamdem naturam judicabit.

Determinatio.

Conclusio. Christus est judicaturus in forma humanitatis.

Prob. Judicium, quod ordinatur ad hoc ut aliqui homines admittantur ad regnum cœlorum, et ut ab eo aliqui excludantur, debet fieri á Christo in forma humanitatis. Sed extremum universale judicium ordinatur ad hoc ut aliqui homines ad regnum admittantur et aliqui ab eo excludantur. Ergo extremum universale judicium fiet á Christo in forma humanitatis.

Maior manifestatur, præmittendo quod judicium requirit aliquod dominium in judicando. Unde Rom. 14. dicitur: *tu quis es, qui judicas alienum servum?* Et ideo Christo competit judicare secundum quod dominium super homines habet, de quibus hominibus principaliter erit finale judicium. Ipse autem est noster Dominus, non solum ratione creationis, quia « dominus ipse est Deus, ipse « fecit nos et non ipsi nos. » Sed etiam ratione redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam. Unde Rom. 14. dicitur: « in hoc Christus mor« tuus est, et resurrexit, ut et mortuorum « et vivorum dominetur. » Ad præmium enim vitæ æternæ consequendum, nobis non sufficerent creationis bona, nisi redemptionis beneficium adderetur, propter impedimentum quod naturæ creatæ supervenit ex peccato primi parentis. Ex quibus patet quod ad regnum admittuntur homines beneficio redemptionis, quam Christus in humanitatis forma est operatus: et ideo conveniens est quod judicium, quod ordinatur ad admittendum bonos ad regnum et excludendum malos ab eodem regno, fiat á Christo in humana forma, in qua et regnum nobis promerunt, et sibi judiciariam potestatem, secundum quod dicitur Act. 10. *Ipse constitutus est á Deo judex vivorum et mortuorum.*

2.ª Conclusio. Christus in forma humanitatis, habet judiciariam potestatem

non solum super homines, sed etiam super omnem creaturam.

Manifestatur, quia Christus per redemptionem humani generis non solum homines, sed universaliter totam creaturam reparavit, secundum quod tota creatura, meliorato homine, reparatur et melioratur. Unde dicitur Colos. « 1. Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.» Propterea, non solum super homines, sed super universam creaturam, Christus per suam passionem, dominium et potestatem judiciariam promeruit: secundum quod dicitur Matt. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod in Christo, secundum divinam naturam, est auctoritas dominii respectu universalis creaturæ, ex jure creationis; sed in ipso secundum humanam naturam est auctoritas dominii, quam promeruit per passionem, et est quasi auctoritas secundaria et acquisita. Sed prima est naturalis et æterna.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod, quamvis Christus, secundum quod homo, non habeat á se invincibilem potestatem, ex naturali virtute humanæ speciei; tamen ex dono divinitatis etiam in humana natura invincibilem habet potestatem, secundum quod omnia subjecta sunt pedibus ejus, ut dicitur 1. Cor. 15. et Heb. 2. Et ideo Christus judicabit quidem in humana natura, sed ex virtute tamen divinitatis.

Ad 3. Dicitur ad conseq. quod Christus non suffecisset ad humani generis redemptionem, si purus homo fuisset; et ideo ex hoc ipso quod secundum humanam naturam genus humanum redimere potuit, ac per hoc judiciariam potestatem consecutus est, manifeste ostenditur quod ipse est Deus. Et ita æqualiter honorandus est cum Patre, non in quantum homo, sed in quantum Deus.

Ad 4. Dicitur quod in visione illa Danielis manifeste exprimitur totus ordo judiciariæ potestatis, quæ quidem, sicut prima origine est in ipso Deo, et specialius in Patre, qui est fons totius deitatis: et ideo præmittitur primo quod *antiquus dierum sedit.* Sed á Patre judiciaria potestas traducta est in Filium, non solum ab æterno, secundum divinam naturam; sed etiam in tempore, secundum humanam, in qua eam meruit: ideo subjungitur in visione prædicta: *ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem et honorem et regnum.*

ARTICULUS II.

Utrum Christus apparebit in forma humanitatis gloriosa.

Pro negativa. ═ Videtur quod Christus in judicio non apparebit in forma humanitatis gloriosa.

1. Christus est crucifixus in forma infirmitatis. Ergo Christus apparebit in forma humilitatis, et non gloriosa.

Conseq. prob. quia super illud Jo. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* dicit Glos. interlin. et August. de verbis omini, quia in ea carne venturus est, in qua crucifixus est.

2. Matt. 24. Dicitur quod *apparebit signum filii hominis in cœlo*, id est, signum crucis, ut Chrysost. dicit Hom. 77. in Matt. Videlicet quod veniet in judicio Christus, non solum vulnerum cicatrices sed esiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens. Ergo videtur quod non apparebit in forma gloriosa.

3. Christus, secundum formam humanitatis gloriosam, non poterit videri ab hominibus bonis et malis. Ergo Christus non apparebit in forma gloriosa.

Antecedens prob. quia oculus non glorificatus, non videtur esse proportionatus ad videndam claritatem corporis gloriosi.

Conseq. prob. quia Christus apparebit in judicio, secundum formam quæ ab omnibus conspici possit.

4. Illud, quod promittitur justis in

præmium, non conceditur injustis. Sed videre gloriam humanitatis, promittitur justis in præmium. Ergo in judicio non apparebit omnibus in forma humanitas gloriosa.

Minor prob. quia Jo. 10. dicitur. *Ingredietur, et egredietur, et pascha inveniet:* id est, refectionem in divinitate, et in humanitate, ut Aug. lib de spirit. et anim. cap. 9. exponit. Et Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt.*

5. Christus judicatus est in forma infirmitatis. Ergo in eadem in judicio apparebit.

Conseq. prob. quia Christus judicabit secundum illam formam, in qua judicatus est. Unde super illud Jo. 5. *Sic et Filius, quos vult, vivificat,* dicit Glos. ordin. In qua forma injuste judicatus est, juste judicabit, et c.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Luc. 21. dicitur. « Tunc videbunt « filium hominis venientem in nube, cum « potestate magna et majestate. » Sed majestas ad gloriam pertinet. Ergo in forma gloriosa Christus in judicio apparebit.

2. Ille qui judicat, debet eminere his qui judicantur. Sed electi, qui judicabuntur á Christo, corpora gloriosa habebunt. Ergo multo fortius judex in forma gloriosa apparebit.

3. In primo adventu, quo Christus venit ad hoc, quod judicaretur, in forma humilitatis apparuit. Ergo in secundo adventu, in quo veniet ut judicet, apparebit gloriosus.

Conseq. prob. quia sicut judicari est infirmitatis, ita judicare est auctoritatis.

Determinatio.

Conclusio. Christus in judicio apparebit in forma humanitatis gloriosa.

Prob. In adventu, in quo Christus veniet, ut justitiam Patris in homines exequatur, apparebit in forma humanitatis gloriosa. Sed in adventu ad judicium, ad hoc veniet Christus, ut justitiam Patris in homines exequatur. Ergo in secundo adventu debet apparere in forma humanitatis gloriosa, ut sic ostendat gloriam, quæ ei inest ex communicatione ad Patrem.

Maior manifestatur, quia Christus dicitur *Dei et hominum mediator,* in quantum pro hominibus satisfacit et pro eisdem interpellat apud Patrem, et ea quæ sunt Patris, hominibus communicat: secundum quod dicitur Jo. 17. *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Et ideo Christo convenit utrumque, secundum quod cum utroque extremorum communicat. In quantum enim cum hominibus communicat, vices hominum gerit apud Patrem. In quantum vero cum Patre communicat, dona Patris transmittit ad homines. Quia ergo in primo adventu ad hoc venit, ut pro nobis satisfaceret apud Patrem, in forma nostræ infirmitatis apparuit. Quia vero in secundo adventu veniet, ut justitiam Patris in homines exequatur, in majestate quam habet á Patre, debet apparere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob., dicitur quod Christus apparebit in eadem carne, aliter tamen se habente.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod signum crucis apparebit in judicio, non ad judicium infirmitatis tunc existentis, sed præteritæ, ut per hoc justior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt, et eorum præcipue, qui Christum injuste persecuti sunt. Cicatrices autem, quæ in ejus corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem, sed erunt indicia maximæ virtutis, qua Christus per passionem et infirmitatem de hostibus triumphavit. Etiam exprobratissimam mortem ostendet, non sensibiliter eam oculis ingerens ac si tunc eam pateretur, sed ex his quæ apparebunt, scilicet, indiciis præteritæ passionis homines in recogitationem præteritæ mortis adducet.

Ad 3. Neg. antec. Ad prob. dicitur,

qod corpus gloriosum habet in potestate sua ut se demonstret vel non demonstret oculo non glorioso, ut patet ex his quæ dicta sunt supra quæst. 175. art. 3. Et ideo Christus in forma gloriosa ab omnibus poterit videri.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod sicut gloria amici est delectabilis, ita gloria, et potestas ejus qui odio habetur, maxime constristat. Et ideo, sicut visio humanitatis gloriosæ Christi erit justis in præmium; ita inimicis Christi erit in supplicium. Unde dicitur Isaiæ 26. « Videant et confundantur zelantes populi, « et ignis » (id est invidia) « hostes tuos « devoret. »

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod forma ibi accipitur pro natura humana, in qua Christus judicatus est, et etiam in eadem judicabit: non autem accipitur pro qualitate naturæ, quæ non erit eadem in judicante, scilicet, infirma, sicut fuerat in judicato.

ARTICULUS III.

Utrum Divinitas á malis sine gaudio videri possit.

Pro affirmativa.=Videtur quod Divinitas á malis sine gaudio videri possit.

1. Impii in judicio manifestissime cognoscent Christum esse Deum. Ergo impii Dei divinitatem videbunt, de qua tamen non gaudebunt: ergo Divinitas sine gaudio potest videri.

2. Visio humanitatis gloriosæ Christi cedet impiis in pœnam, ut art. præced. ad 4. dictum est. Ergo multo fortius, si ejus Divinitatem viderent, magis contristarentur, quam gauderent.

Conseq. prob., quia voluntas impiorum perversa, non magis humanitati Christi, quam ejus divinitati, adversatur.

3. Ea, quæ sunt in effectu, non sequuntur de necessitate ab ea, quæ sunt in intellectu. Unde Aug. dicit conc. 8. super Psal. 118. « Præcedit intellectus, « et sequitur tardus aut nullus affectus. » Sed visio pertinet ad intellectum, gaudium autem ad effectum. Ergo poterit esse Divinitatis visio sine gaudio.

4. « Omne quod recipitur in aliquo, « recipitur in eo per modum recipientis « et non per modum recepti. » Sed omne, quod videtur, quodammodo in vidente recipitur. Ergo, quamvis in se Divinitas sit delectabilissima, tamen visa ab illis qui sunt in tristitia absorti, non delectabit, sed magis contristabit eos.

5. Sicut se habet sensus ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile. Sed ita est in sensibus quod «Palato non » sano pœna est panis, qui sano est suavis, » ut Aug. dicit 7 lib. conf. c. 16. Et similiter accidit in aliis sensibus. Ergo, cum damnati habeant intellectum indispositum, videtur quod visio lucis increatæ magis sit eis causa pœnæ, quam gaudii.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Illud, in quo consistit beatitudo, non potest sine gaudio videri. Sed in visione divinæ essentiæ consistit beatitudo, juxta illud Jo. 17. « Hæc est vita « æterna, ut cognoscant te Deum verum. » Ergo divina essentia non potest sine gaudio videri.

Maior prob., quia de ratione beatitudinis est gaudium.

2. Videre verum, unicuique est delectabile. Unde et *omnes natura scire desiderant.* Sed essentia divina est ipsa veritas. Ergo Divinitas sine gaudio videri non potest.

Determinatio.

Conclusio. Divinitas sine gaudio videri non potest.

Prob. Illud, in quo idem est delectabile et ratio delectabilitatis, non potest sine gaudio videri. Sed in divina essentia idem est delectabile et ratio delectabilitatis. Ergo divina essentia non potest sine gaudio videri.

Maior manifestatur. Nam in appetibili duo possunt considerari: scilicet, id quod appetitur, vel quod est delectabile,

et id quod est ratio appetibilitatis vel delectabilitatis in ipso. Sicut autem dicit Boët. in lib. de Hebd. lib. an omne quod est, bonum sit. « Id quod est, po- « test habere aliquid, præter id quod « est. Ipsum vero esse, nihil aliud præter « se habet admixtum. » Ita á simili. Id quod est appetibile vel delectabile, potest habere aliud admixtum, unde non sit delectabile vel appetibile. Sed id quod est ratio delectabilitatis, nihil habet vel habere potest admixtum, propter quod non sit delectabile vel appetibile. Res autem quæ sunt delectabiles per participationem bonitatis, quæ est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, possunt apprehensæ non delectare. Sed id quod est per essentiam suam bonum, impossibile est quod apprehensum non delectet. Et sic patet maior. Minor vero patet, quia divina essentia est ipsa essentia bonitatis, quæ est delectationis ratio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod impii manifeste cognoscent Christum esse Deum, non per hoc quod ejus divinitatem sint visuri; sed propter manifestissima divinitatis indicia.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod voluntas impiorum non potest adversari Divinitati secundum se, sed solum ratione alicujus affectus, qui est voluntati impiorum contrarius.

Ad 3. Dicitur ad maiorem et ad ejus prob. quod verbum Aug. est intelligendum, quando id, quod apprehenditur per intellectum præcedentem affectum, est bonum per participationem et non per essentiam, sicut sunt omnes creaturæ; propter quod potest in eis esse aliquid, quare affectus non moveatur. Similiter etiam in via Deus cognoscitur per effectus, et intellectus non attingit ad ipsam essentiam bonitatis ejus. Et ideo non oportet quod affectus intellectum sequatur, sicut sequeretur, si essentiam ejus, quæ est ipsa bonitas, videret.

Ad 4. Dicitur quod maior est vera, quando (li modus) significat dispositionem recipientis; non autem, quando significat passionem. Et ratio est, quia passio recipientis tollitur á contraria causa fortiori superveniente. Et quia tristitia significat passionem, ideo tristitia impiorum tolleretur, si divinam essentiam viderent.

Ad 5. Dicitur quod non est eadem ratio in omnibus, de sensu et sensibili, et intellectu et intelligibili, quia per indispositionem organi tollitur proportio naturalis ipsius organi ad objectum quod natum est delectare, et propter hoc delectatio impeditur. Sed indispositio, quæ est in damnatis, non tollit naturalem proportionem, quæ sunt ordinati ad beatitudinem: cum semper in eis maneat imago Dei, ad quam fuerunt creati.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 179.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Passionistarum* dicentium, quod Christus in passione ita carnem dimisit, et in cœlum sic ascendit, ut non sit jam in carne Divinitas: neque enim post passionem surrexit in carne, neque cum carne ascendit. Si enim in carne non ascendit, sequitur, quod nec in carne judicabit; quoniam, quemadmodum ascendit, ita et veniet, secundum quod testantur angeli, Actor. 1. Articulus ergo præsens per hoc, quod monstrat, Christum in forma humana judicaturum, militat contra Passionitas. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam hæresim merito damnari ab Hebr. 7. " Unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellan-

dum pro nobis.» Ubi loquitur de Christo jam sedente ad dexteram Patris. Patet autem, quod Christus secundum humanam naturam solum et potest interpellare, et interpellat pro nobis. Item á Rom. 8. " Christus, qui mortuus est, imo, qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.» Ex quo dic, ut supra. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum á Joan. 5. quod Christus in forma humanitatis judicabit; et sic:" Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.» Id est, quia meruit per humanitatem, et quod judicaret, et quod judicaret in forma humana. Item á Job. 16. " Causa tua quasi impii judicata est: ideo judicium, causamque recipies». Quæ ad Christum dicuntur, et debent exponi ut nunc supra. Item á Matth. 25. " Cum venit filius hominis, tunc dicet: Esurivi, et dedistis mihi manducare. Venite benedicti.» Ubi nota ly *Filius hominis*, quando de judicio agitur. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam ab effectu interimas hæresim *Arnoldi* dicentis, quod humana natura á Deo Verbo assumpta æqualis est Deo in omnibus bonis suis: adeo, ut tanta sit humanitas Christi, quanta est ejus divinitas, et tantumdem possit, et valeat. Item hæresim Augustini de Roma (ut refert, ac reprobat Cardin. Turrecrem. summa de Eccles. lib. 1. cap. 68. not. 5.) dicentis, quod humana natura assumpta á Verbo in unione personali est veraciter Deus naturalis, et proprius. Item hæresim Eutychetis (quam refert, ac reprobat Concil. Chalcedonense, et Ephesinum I.) dicentis, quod in momento incarnationis Christi caro in divinitatem fuit conversa. Cum enim in præsenti articulo monstretur quod forma humanitatis Christi gloriosa videbitur etiam á reprobis, quos tamen divinitatem posse videre negatur in art. 3., patet, quod per hoc, humanitatem et divinitatem non esse æquales, neque unam conversam in aliam, commonstratur, et consequenter patet, quod præsens articulus militat contra illas hæreses, tamquam ab effectu eas subruendo. *Secundo* habes: quomodo per rationem tamquam ab effectu ostendas, eas merito damnari á regula compendiosa fidei catholicæ, quæ est symbolum Athanasii secundum Concilium Florent. " Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus, assumptione humanitatis in Deum, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.» Ubi per ly «assumptione humanitatis in Deum, non confusione substantiæ,» ostenditur aperte, quod caro non est conversa in divinitatem. Item á, etc. ut 1. par. qu. 75. art. 7. append. Item á 3. par. quæst. 2. art. 1. et 7. app. Item a. 3. p. q. 3. a. 2. et 6. et 8. Item á Jo. 14. *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Ubi per contextum patet, quod loquitur de humanitate tantum. Quasi dicat. Eatenus, quatenus vado ad Patrem, Pater major me est, hoc est, secundum eam naturam, quam ascendendo in cœlum transfero ad Patrem, Pater major me est. Constat autem, quod Filius secundum divinitatem non ivit ad Patrem, sed semper fuit apud Patrem in cœlo secundum ipsum in terris positum dicentem Jo. 7. " Ubi sum ego, vos non potestis venire; Et Jo. 3. " Nemo ascendit in cœlum, nisi, qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.» Et Jo. 12. « Volo Pater ut, ubi ego sum, illic sit et minister meus. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Luc. 21. quod Christus judex apparebit in forma gloriosa; et sic: " Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate.» *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas duas primas hæreses prædictas art. 2. append. Pro quanto enim, quod non facit differentiam inter humanitatem Christi, et divinitatem, pro tanto articulus præsens reductive contra illas militat: dum Divinitatem sine gaudio videri non posse dicit, cum tamen humanitatem Christi etiam gloriosam sine gaudio posse videri ar. 2. docuerit. Item hæresim Arnaldi, Prat. Ar-

naldistæ, dicentis, in Deo esse quidpiam compositum. Item Tertulliani, Prat. Tertullianistæ, dicentis, Deum esse corporeum. Cum enim fundet art. conclusionem suam in hac ratione, quod Deus est ipsa bonitas, ut jam provaberat in 1. p. q. 6. art. 2. et 3., patet quod militat contra illas, cum é diametro pugnent esse compositum, vel esse corporeum, cum ipso esse simplici, quod est ipsa divina bonitas. Rursus. Cum demonstret articulus, Divinitatem sine gaudio videri non posse, et ad hæreses prædictas sequatur, ut patet discurrenti, Deum ipsum sine gaudio videri posse, constat de pugna articuli contra illas. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á, etc. ut ar. 2. appen. si recte applicetur. Item á, etc. ut 1. p. q. 3. ar. 1. et 7. app. Item ab ead. 1. p. q. 14. art. 4. Vide et D. Th. 1. cont. Gent. c. 10. Vide etiam decr. 24. q. 3. c. quidam. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á Jo. 17. quod Divinitas sine gaudio videri non potest, quod est addhuc prædictorum damnatio, et sic. " Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. » Ubi patet, et á fortiori quidem, quod essentia beatitudinis consistit in visione Dei, et consequenter, quod visio Dei non potest esse sine gaudio, cum de ratione beatitudinis sit gaudium. Dixi ly *á fortiori*: quia, si beatitudo, id est, vita æterna, quædam consistit in cognitione Dei per fidem, ut ibi videtur ad litteram loqui B. Joannes, sequitur apertissime, quod multo magis consistit in cognitione Dei aperta, et faciali. Ex hoc igitur patet, quod ii, qui ex authoritate ipsa concludunt cum D. Thoma, quod vita æterna complete dicta consistit in clara visione Dei, quod illi, inquam, efficacissime, et plusquam irrefragabiliter concludunt intentum; et in optimo sensum utuntur illa B. Joannis authoritate tamquam principale ejus intentum inspicientes. Et per hoc patet quod illi ipsi sic concludentes non negant, quod litteralem sensum de fide habuerit ibi B. Joannes: quinimo hoc ipsum præsupponunt, et confirmant, et ad quid altius manuducunt. Item á Sap. 8. " Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius: sed lætitiam, et gaudium: » Ubi loquitur ad litteram de contemplatione sapientiæ divinæ etiam in præsenti habita. Ex quo relinquit, idem á fortiori concludendum de visione, seu contemplatione aperta, ejusdem divinæ sapientiæ. Et hæc est Divinitas. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA.

DE QUALITATE MUNDI POST JUDICIUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Consequenter agendum est de qualitate mundi, et resurgentium post judicium: ubi triplex consideratio occurrit. Prima, de statu, et qualitate mundi. Secunda, de statu beatorum. Tertia, de statu malorum.

Circa primum quæruntur quinque.

Primo, utrum innovatio mundi sit futura.

Secundo, utrum motus corporum cœlestium cessabit.

Tertio, utrum corpora cœlestia tunc magis fulgebunt.

Quarto, utrum elementa majorem claritatem recipient.

Quinto, utrum animalia, et plantæ remanebunt.

ARTICULUS I.

Utrum mundus innovabitur.

Pro negativa.=Videtur quod mundus numquam innovabitur.

1. Mundus numquam habuit aliam dispositionem ab ea quam nunc habet, quantum ad partes essentiales, genera, et species. Ergo numquam innovabitur.

Conseq. prob., quia nihil est futurum,

nisi quod aliquando fuit secundum speciem, secundum quod dicitur Eccles. 1. *Quid est quod fuit ipsum quod futurum est.*

2. Illud quod innovatur, alteratur. Sed universum impossibile est alterari. Ergo universum non potest innovari.

Maior prob., quia innovatio est alteratio quædam.

Minor prob., quia omne alteratum reducitur ad aliquod alterans non alteratum: quod tamen secundum locum movetur, quod non est extra universum ponere.

3. In prima rerum conditione non fuit impositus rebus alius modus, quam iste quem nunc naturali ordine tenent. Ergo numquam alium habebunt.

Conseq. prob, quia Gen. 2. dicitur quod « Deus die septimo requievit ab « omni opere quod patrarat, id est, á no- « vis creaturis condendis, » ut sancti exponunt.

4. Ista dispositio, quæ nunc inest rebus, est naturalis. Ergo, si in aliam dispositionem transmutentur, illa dispositio erit eis in naturalis. Sed illud quod est innaturale et per accidens, non potest esse perpetuum. ut patet 1. cœl. com. 15. Ergo etiam illa dispositio novitatis, quandoque ab ipsis removebitur; et ita erit ponere circulationem quamdam in mundo, sicut Empedocles, et Origenes lib. 1. periarch. cap. 3. posuerunt. Et quod post hunc mundum sit alius mundus, et post illum alius etc.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isaiæ 65 Dicitur. « Ecce ergo creo « cœlos novos et terram novam, et non « erunt in memoria priora, » et Apoc. 21. « Vidi cœlum novum, et terram no- « vam; primum enim cœlum, et prima « terra abiit. » Ergo mundus innovabitur.

Determinatio.

Conclusio. Mundus innovabitur, quando homo glorificabitur.

Manifestatur. Nam omnia corpora propter hominem facta creduntur. Unde, et omnia dicuntur ei subjecta. Psal. 8. Serviunt autem corporalia homini dupliciter. Uno modo, ad sustentationem corporalis vitæ. Alio modo, ad profectum cognitionis divinæ, in quantum homo « per ea quæ facta sunt, invisibilia « Dei conspicit, » ut dicitur Rom. 1. Homo autem glorificatus non indiget primo ministerio creaturarum corporalium ullo modo: quia tunc ejus corpus erit omnino incorruptibile, divina virtute id faciente per animam, quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo glorificatus ad cognitionem intellectivam: quia tali cognitione sancti Deum videbunt immediate per essentiam.

Sed, quia hanc visionem essentiæ oculus carnis attingere non poterit; ideo, ut etiam ei solatium congruens de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta judicia divinæ majestatis apparebunt, et præcipue in carne Christi, et post in corporibus. Et ideo oportebit ut etiam alia corpora maiorem influentiam á divina bonitate suscipiant, quam nunc; non tamen variantem speciem, sed addentem cujusdam gloriæ perfectionem, et hæc erit mundi innovatio. Unde et simul mundus innovabitur et homo glorificabitur.

Aliter.

Conclusio. Post judicium universale mundus innovabitur.

Prob. Glorificato homine, mundus debet innovari. Sed post judicium glorificatur homo. Ergo tunc mundus innovabitur.

Maior manifestatur, quia creatura corporalis est facta propter hominem, ut ei deserviat; in hac quidem vita ad sustentationem et cognitionem intellectivam; post hanc vero vitam, ut deserviat sensui glorificato, ut in ipsa creatura corporali effectus divinitatis intueatur. Unde debet habere maiorem gloriæ influ-

xum, ut sit conveniens objectum sensus glorificati: etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod Salomon ibi loquitur de naturali cursu. Quod patet ex hoc quod subditur, *nihil sub Sole novum*, cum enim Sol circulariter moveatur, oportet ea, quæ virtuti Solis subsunt, circulationem aliquam habere, quæ consistit in hoc quod illa quæ priora fuerunt, iterum specie eadem redeant numero diversa; ea vero quæ ad statum gloriæ pertinent, Solis virtuti non subsunt.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod assumptum illud est verum de alteratione naturali, quæ pertinet ad agens naturale, quod ex necessitate naturæ agit. Non enim tale agens potest variam dispositionem inducere, nisi ipsum alio et alio modo se habeat. Sed ea quæ divinitus fiunt, procedunt ex libertate divinæ voluntatis. Unde sine aliqua immutatione Dei volentis potest nunc hæc nunc illa dispositio ab ipso in universo existere; et sic ista innovatio non reducetur in aliquod principium motum, sed ad principium immobile quod est Deus.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ideo dicitur Deus die septima á novis creaturis condendis cessasse, quia nihil postea factum est quod prius non præcesserit in aliqua similitudine secundum genus, vel speciem, vel ad minus sicut in principio seminali, vel etiam sicut in potentia obedientiali. Innovatio igitur mundi futura præcessit in operibus sex dierum in quadam remota similitudine, scilicet, in gratia et gloria angelorum. Præcessit etiam in potentia obedientiæ, quæ tunc creaturæ est indita ad talem novitatem suscipiendam.

Ad 4. Dicitur ad conseq. quod illa dispositio novitatis non erit naturalis, nec contra naturam, sed supra naturam, sicut gratia et gloria sunt supra naturam animæ, et erit á perpetuo agente quod eam perpetuo conservabit.

ARTICULUS II.

Utrum motus corporum cœlestium cessabit.

Pro negativa. = Videtur quod motus corporum cœlestium in illa mundi innovatione non cessabit.

1. Nox et dies, ætas et hyems non cessabunt. Ergo nec motus Solis cessabit.

Conseq. prob., quia nox et dies, ætas et hyems causantur á motu Solis.

Antecedens prob. quia Gen. 8. dicitur: « cunctis diebus terræ, frigus et « æstus, æstas et hyems, nox et dies non « requiescent. »

2. Semen Israel numquam deficiet, sed in perpetuum permanebit. Ergo leges diei et noctis, et fluctus maris, quæ ex motu cœli causantur, in perpetuum erunt ac per hoc motus cœli non cessabit.

Antecedens prob., quia Jerem. 31. dicitur. « Hæc dicit Dominus, quia dat « Solem in lumine diei, ordinem Lunæ « et stellarum in lumine noctis, qui turbat mare, et sonant fluctus ejus. Si de- « fecerint leges istæ coram me, tunc et « semen Israel deficient, ut non sit gens « coram me cunctis diebus. »

3. Substantia corporum cœlestium semper erit. Ergo et motus eorum semper manebit.

Conseq. prob., quia frustra esset substantia cœlorum, absque motu. Et hoc probatur, quia frustra ponitur aliquid, nisi ponatur etiam illud propter quod est factum. Corpora autem cœlestia facta sunt ad hoc, ut dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, quæ absque motu non fiunt.

4. Ea, quæ sunt de perfectione corporum, non removebuntur á corporibus in illa mundi innovatione. Sed motus est de perfectione cœlestium corporum. Ergo motus non removebitur á corporibus cœlestibus in illa mundi innovatione.

Maior prob., quia in illa mundi innovatione totus mundus meliorabitur.

Minor, quia corpora cœlestia parti-

cipant divinam bonitatem per motum, ut dicitur 2. Cœl. c. 66.

5. Si motus cœli cessaret, sequeretur quod in aliqua parte superficiei terræ erit perpetua obscuritas, quod non convenit illi novitati.

Conseq. prob., quia Sol successive illuminat diversas partes mundi, secundum quod circulariter movetur.

6. Si motus cœli cessaret, hoc non esset nisi quia motus aliquam imperfectionem ponit in cœlo, puta lassitudinis, vel laboris. Sed motus cœli non ponit in cœlo hujusmodi imperfectionem. Ergo motus cœli non cessabit.

Minor prob. quia motus ille est naturalis, et cœlestia corpora sunt impassibilia, et ideo in suo motu non fatigantur.

7. Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Sed in quocumque situ ponatur corpus cœli, est in potentia ad alium situm. Ergo, si non reduceretur ad actum, potentia illa frustra remaneret, et semper essset imperfecta. Sed non potest reduci ad actum, nisi per motum localem. Ergo semper movebitur.

8. Illud quod se habet indifferenter ad duo, aut utrumque aut nullum attribuetur ei. Sed Sol indiferenter se habet ad hoc quod sit in Oriente vel in Occidente; alias ejus motus non esset uniformis, sed ad locum naturaliorem esset velocior. Ergo vel neuter situs attribuetur Soli, vel uterque. Sed nec uterque nec neuter potest ei attribui, nisi successive per motum. Ergo corpus Solis perpetuo movebitur.

9. Tempus non potest deficere. Ergo nec motus cœli, qui est causa temporis, cessare potest.

Antecedens prob., quia si tempus potest deficere, deficiet in instanti. Definitio autem instantis est quod sit finis præteriti temporis et principium futuri. Ex 8. Phys. c. 11. Ergo post ultimum instans temporis esset tempus, et sic tempus non potest terminari.

10. Gloria non tollit naturam. Sed motus cœli est naturalis. Ergo motus cœli per gloriam illam non cessabit, sed in æternum cum ipsa gloriosa innovatione perseverabit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apoc. 10. dicitur: quod angelus, qui apparuit, «juravit per viventem in «sæcula, quod tempus amplius non erit» scilicet postquam septimus angelus tuba cecinerit, qua canente mortui resurgent, ut dicitur 1. Cor. 15. Sed motus cœli non est sine tempore. Ergo motus cœli cessabit.

Aliter. Tempus finietur. Ergo motus cœli cessabit. Antecedens patet ex inducta auctoritate.

Conseq. prob., quia motus cœli non est, si non sit tempus.

2. Occasus Solis et diminutio Lunæ cessabunt. Ergo, et motus cœli quandoque cessabit.

Antecedens probat. quia Isaiæ 70. dicitur: *non occidet ultra Sol tuus, et Luna tua non minuetur.*

Conseq. prob., quia occasus Solis et diminutio Lunæ ex motu cœli causantur.

3. Generatio cessabit, completo numero electorum. Ergo et motus cœli cessabit.

Conseq. prob. quia «motus cœli est «propter continuam generationem in is- «tis inferioribus,» ut dicitur lib. 2. de Genes. com. 56.

4. Motus, qui est propter finem, habito fine, cessat. Sed omnis motus est propter aliquem finem, ut dicitur 2. Met. cap. 8. Ergo omnis motus tandem cessabit.

5. Motus corporum inferiorum naturaliter terminatur ad quietem. Ergo multo magis motus corporum cœlestium naturaliter ad quietem terminari debet.

Conseq. prob., quia quies est nobilior, quam motus: cum secundum hoc quod res sint immobiles, magis assimilentur Deo, in quo est summa immobilitas,

Cum ergo corpora superiora inferioribus nobiliora sint, sequitur quod, si horum motus ad quietem terminatur, etiam illorum ad quietem terminari debeat.

Determinatio.

Variæ de hoc quæsito positiones.

Circa hanc quæstionem duplex est positio. Prima est Philosophorum, qui dicunt quod motus cœli semper durabit.

Reprobatio.

Sed hoc non est consonum nostræ fidei, quæ ponit certum numerum electorum præfinitum á Deo: et sic oportet quod generatio hominum terminetur. Et eadem ratione, ea quæ ad generationem hominum ordinantur, sicut est motus cœli et variationes elementorum, finiri debent.

Secunda positio.

Alii vero dicunt quod motus cœli cessabit secundum naturam. Et rationes hujus positionis poterant esse quarta et quinta inductæ pro affirmativa.

Reprobatio.

Sed hoc etiam est falsum, quia omne corpus quod naturaliter quiescit et naturaliter movetur, habet locum, ad quem naturaliter movetur et in quo naturaliter quiescit, et á quo non recedit, nisi per violentiam. Sed corpori cœlesti nullus talis potest assignari locus; quia non est magis naturalis Soli accessus ad punctum Orientis, quam recessus ab eo. Unde vel motus ejus non esset naturalis totaliter, vel non terminatur naturaliter ad quietem.

Vera sententia.

Conclusio. Motus cœli (glorificato homine) cessabit, non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate id faciente.

Prob. Illud, per quod corpora cœlestia deserviunt homini ad generationem et sustentationem vitæ, glorificato homine, cessabit. Sed per motum corpora cœlestia deserviunt homini ad generationem et sustentationem vitæ. Ergo motus cœli cessabit, homine glorificato, in illa mundi innovatione.

Maior manifestatur, quia, ut art. præced. dictum est, corpus cœleste sicut et alia corpora facta sunt in ministerium hominis, et ei deserviunt dupliciter: scilicet, ad generationem, et ad conservationem.

Minor. Quia corpora cœlestia deserviunt per motum ad generationem et sustentationem, in quantum per motum cœli multiplicatur genus humanum, et generantur plantæ, et animalia, quæ usui hominum sunt necessaria: et etiam temperies efficitur in aëre conservans sanitatem, quibus homo post sui glorificationem nullo modo indigebit.

Ad argumenta pro negativa.

Ad 1. Neg. antecedens. Ad prob. dicitur, quod verba illa intelliguntur de terra, secundum statum istum, in quo terra potest esse generationis principium et corruptionis. Quod patet ex hoc quod ibi dicitur: *cunctis diebus terræ, sementis et messis*: et hoc simpliciter concedendum est; quod, quamdiu terra erit sementibus et mensibus apta, motus cœli non cessabit.

Ad 2. Neg. antecedens. Semen enim Israël non semper durabit, secundum præsentem statum. Ad prob. dicitur, quod Dominus ibi loquitur de duratione seminis Israel, secundum statum præsentem; quod patet ex hoc quod dicitur « et semen Israël deficiet, ut non sit gens « coram me cunctis diebus. » Vicissitudo enim dierum post statum istum non erit; et ideo etiam leges, de quibus fecerat mentionem, post istum statum non erunt.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. Negatur assumptum. Ad cujus probat. dicitur, quod finis assignatus corporibus cœlestibus, Genes. 1, est finis proximus, quia est proprius eorum actus. Sed iste actus ordinatur ulterius ad alium finem, scilicet, ad humanum ministerium, ut patet per id quod habetur Deut. 4. « Ne « forte oculis elevatis ad cœlum, videas

« Solem et Lunam et omnia astra cœli, « et errore deceptus, adores ea, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium « cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.» Et ideo debet magis judicium sumi de corporibus cœlestibus secundum ministerium hominum, quam secundum finem in Genesi assignatum. Corpora autem cœlestia cedent in ministerium hominis glorificati per alium modum, ut art. præced. dictum est. Et ideo non sequitur quod substantia corporum cœlestium frustra maneat sine motu.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod motus non est de perfectione corporis cœlestis, nisi in quantum per motum est causa generationis et corruptionis in istis inferioribus; et secundum hoc etiam motus ille facit corpus cœleste participare divinam perfectionem, ut in probat. dicitur, per quamdam similitudinem causalitatis. Non autem est motus de perfectione substantiæ cœli, quæ remanebit: et ideo non sequitur quod, motu cessante, aliquid de perfectione cœli tollatur, secundum quod remanebit. Et brevius dicitur ad minorem, quod motus non est de perfectione cœli absolute, sed solum in ordine ad generationem horum inferiorum, qua cessante, motus ad cœli perfectionem amplius non pertinebit.

Ad 5. Neg. conseq. Cum enim omnia corpora elementorum claritatem gloriæ quamdam in seipsis sint habitura, etsi á Sole non illuminentur, non per hoc obscura remanebunt.

Ad 6. Dicitur ad maiorem, quod Glos. Ambros. super illud Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit.* etc. expresse dicit: quod omnia elementa cum labore explent sua officia, sicut Sol et Luna non sine labore statuta sibi implent spatia, quod est causa nostri. Unde quiescent, nobis assumptis.

Labor tamen ille non significat aliquam fatigationem, vel passionem illis corporibus accidentem ex motu: cum motus ille sit naturalis, nihil habens de violentia, ut prob. 1. de Cœl. et mundo com. 9. Sed ibi labor intelligitur defectus ab eo, ad quod aliquid intendit. Unde, quia motus ille ordinatus est ex divina providentia ad complendum numerum electorum, illo non completo, nondum assequitur illud ad quod ordinatus est. Et ideo similitudinarie dicitur labor. Qui defectus tolletur, completo numero electorum. Vel hic cœlorum labor potest ad desiderium futuræ innovationis, quæ ex divina dispositione expectatur, referri.

Ad formam igitur conceditur maior. Motus enim cœli ponit in cœlo quamdam imperfectionem lassitudinis et laboris, quia non habet finem, ad quem est ordinatum per motum. Et in hoc sensu negatur minor. Et ad prob. dicitur, quod prædicta imperfectio stat cum incorruptibilitate corporum cœlestium.

Ad 7. Dicitur, quod maior est vera de illa potentia, quæ perficitur per id ad quod ordinatur. Tunc dicitur ad minorem, quod corpori cœlesti non inest aliqua potentia quæ perficiatur per locum, vel quæ facta sit propter hunc finem, qui est esse in tali loco; sed hoc modo se habet potentia ad ubi in corpore cœlesti, sicut se habet potentia artificis ad hoc quod faciat diversas domos unius modi, quarum si unam tantum faciat, non dicitur frustra potentiam habere ad alias faciendas. Et similiter in quocumque situ ponatur corpus cœleste, potentia quæ est in ipso ad ubi, non remanebit incompleta, nec frustra.

Ad 8. Dicitur ad minorem quod, quamvis corpus cœleste, secundum suam naturam, æqualiter se habeat ad omnem situm, qui est ei possibilis; tamen, si comparetur ad ea quæ sunt extra ipsum, non æqualiter se habet ad omnes situs, sed secundum unum situm nobiliori modo disponitur respectu quorumdam, quam secundum alium. Sicut quoad nos, nobilius disponitur Sol in die, quam in nocte. Et ideo probabile est, cum tota

innovatio mundi ad hominem ordinetur, quod Sol, in illa novitate, habebit nobilissimum situm, qui est possibilis in respectu ad habitationem nostram. Vel secundum quosdam, dicendum est quod cœlum quiescet in illo situ, in quo factum fuit. Et rationem assignant, quia aliàs aliqua cœli revolutio remaneret incompleta. Sed ista ratio non videtur conveniens, quia, cum aliqua revolutio sit in cœlo, quæ non finitur nisi in triginta sex millibus annis, sequeretur quod mundus deberet tamdiu durare, quod non videtur probabile. Et præterea secundum hoc posset sciri quando mundus finiri deberet, cum ab astrologis probabiliter possit colligi, in quo situ fuerint facta cœlestia corpora. Et tamen finis mundi est ignotus.

Ad 9. Neg. antecedens. Tempus enim (motu cœli cessante) deficiet. Ad prob. dicitur quod deficiet in instanti, et illud instans erit finis totius temporis, et non principium temporis futuri. Deffinitio autem de instanti assignata, non datur nisi de nunc, quod partes temporis connectit, non autem de ultimo instanti terminante totum tempus.

Ad 10. Dicitur ad minorem, quod motus cœli non dicitur esse naturalis, quasi sit pars naturæ, eo modo, quo principia naturæ, naturalia dicuntur; nec iterum, quod habet principium activum in natura corporis, sed receptivum tantum. Principium enim activum est substantia spiritualis, ut Comment. lib. 1. de cœlo et mundo, tex. 1. com. 5. dicit: et ideo non est inconveniens, si per novitatem gloriæ motus ille tollatur; non enim, eo ablato, natura cœlestis corporis variabitur.

Ad argumenta pro affirmativa.

Ad 1. 2. et 3. non est aliquid respondendum, quia debito modo veritatem concludunt. Sed quia 4. et 5. videntur concludere quod motus cœli debeat naturaliter cessare, ideo ad illa dicendum est.

Ad 4. Dicitur, quod maior est vera, de fine motus, qui sequitur motum, non autem de fine, qui concomitatur motum. Ad minorem igitur dicitur, quod finis cœlestis motus concomitatur motum; est enim finis talis motus imitatio divinæ bonitatis in causalitate, quam habet super inferiora: et ideo non oportet quod ille motus naturaliter cesset.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis immobilitas sit simpliciter nobilior quam motus, tamen motus, in eo quod potest consequi aliquam perfectionem divinæ bonitatis, est nobilior quam quies in illo, quod nullo modo per motum posset illam perfectionem consequi. Et hac ratione terra, quæ est infimum elementorum, est sine motu, quamvis ipse Deus, qui est nobilissimus, sine motu sit, á quo corpora nobiliora moventur. Et inde est etiam quod motus corporum superiorum possent poni secundum viam naturæ perpetuari, et numquam ad quietem terminari, quamvis motus inferiorum corporum ad quietem terminetur.

ARTICULUS III.

Utrum in corporibus cœlestibus claritas augebitur in illa innovatione.

Pro negativa. = Videtur quod in corporibus cœlestibus claritas tunc non augebitur.

1. Ignis purgans non pertinget ad corpora cœlestia. Ergo corpora cœlestia non innovabuntur per susceptionem maioris claritatis.

Conseq. prob., quia innovatio erit per ignem purgantem.

2. Cessante generatione, cessabit motus. Ergo cessante generatione, cessabit etiam lux corporum cœlestium, magis quam augeatur.

Conseq. prob., quia, sicut corpora cœlestia sunt causa generationis per motum, ita per lucem.

3. Deteriorato homine per peccatum primi parentis, non fuerunt corpora cœ-

lestia deteriorata. Ergo, meliorato homine per glorificationem, non innovabuntur.

Antecedens prob., quia corpora cœlestia sunt invariabilia.

Conseq. prob., quia si, innovato homine, corpora cœlestia innoventur; oportet quod, homine deteriorato, deteriorentur.

4. Peccante primo homine, corpora cœlestia non sunt diminuta lumine. Ergo, glorificato homine, corpora cœlestia non adipiscentur luminis augmentum.

Antecedens prob. quia, si tunc corpora cælestia deteriorata fuissent, oportet quod tantum fuerint deteriorata, quantum dicuntur esse melioranda in hominis glorificatione. Sed hoc falsum appareret; quia dicitur Isaiæ 30. Quod *erit lux Lunæ, sicut lux Solis.* Ergo ante hominis peccatum Luna luxit, sicut nunc lucet Sol. Et sic in nocte fuisset tanta lux, quanta est nunc in die, et sic Luna non præfuisset nocti: quod est contra id quod dicitur Gen. 1. quod Luna facta est, *ut præesset nocti.*

5. Post resurrectionem, claritas Solis et Lunæ non cedet in usum hominis. Ergo eorum claritas non augebitur.

Antecedens prob., quia dicitur Isaiæ cap. 60. « Non erit tibi amplius Sol ad « lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te. » Et Apoc. 21 dicitur: « Civitas illa non eget Sole, neque « Luna, ut luceant in ea. »

Conseq. prob. quia claritas corporum cœlestium ordinatur ad usum hominis, sicut aliæ creaturæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isaiæ 30. dicitur: « erit lux Lunæ si- « cut lux Solis, et lux Solis septem- « pliciter.

Determinatio.

Conclusio. Corpora cœlestia meliorabuntur præcipue quantum ad claritatem. Quantitas autem, et modus meliorationis illi soli cognita est, qui erit melioratonis Auctor.

Manifestatur. Illud, quod pertinet ad pulchritudinem et decorem cœlestium corporum, augebitur in eis in glorificatione hominis. Sed in luce præcipue pulchritudo et decor coelestium corporum consistit. Ergo corpora coelestia, quantum ad claritatem præcipue, meliorabuntur per augmentum lucis.

Maior ostenditur. Nam innovatio mundi ad hoc ordinatur, ut in mundo innovato, manifestis indiciis etiam quasi sensibiliter Deus ab homine videatur. Creatura autem præcipue in Dei cognitionem ducit sua specie et decore, quæ manifestant sapientiam facientis et gubernantis. Unde dicitur Sap. 13. « A mag- « nitudine speciei cognoscibiliter poterit « Creator horum videri. » Illud igitur, quod spectat ad decorem corporum coelestium, augebitur in iis in glorificatione hominis, quæ erit in judicio.

Minor prob., quia Eccles. 43. dicitur: «species coeli, gloria stellarum mundum illuminans in excelsis Dominus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ignis purgans non causabit formam innovationis, sed disponet tantum ad eam, purgando á foeditate peccati et ab impuritate commixtionis quæ in corporibus cœlestibus non invenitur. Et ideo absque aliqua ignis purgatione, divinitus innovabuntur.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de motu et de luce. Motus enim non importat aliquam perfectionem in eo quod movetur, secundum quod in se consideratur: cum motus sit actus imperfecti, quamvis possit pertinere ad perfectionem corporis, in quantum est causa alicujus. Lux autem pertinet ad perfectionem corporis lucentis, etiam in substantia considerati: et ideo, postquam corpus coeleste desinet esse causa generationis, non remanebit motus, sed claritas ejus.

Ad 3. Negat. antecedens. Nam super illud Isaiæ 3. *Erit lux Lunæ, sicut lux Solis.* dicit Glos. interl. Omnia propter hominem facta sunt in ejus lapsu pejorata, Set ol et Luna suo lumine minorata. Quæ quidem minoratio, secundum realem minorationem luminis á quibusdam intelligitur. Nec obstat (inquiunt) quod corpora coelestia dùm naturam sunt incorruptibilia; quia illa variatio facta est divina virtute. Alii tamen probabilius intelligunt minorationem esse, non secundum realem defectum, sed quoad usum hominis, qui non tantum beneficium ex lumine corporum coelestium, post peccatum consequutus est, quantum, si non peccasset, consequutus fuisset. Per quem etiam modum dicitur Genes. 3. « Maledicta terra in opere tuo; spinas « et tribulos germinabit tibi»; quæ tamen etiam ante spinas et tribulos germinasset, sed non in hominis poenam. Antecedens igitur verum est de reali deterioratione luminis ex parte ipsorum. Non enim corpora coelestia per peccatum hominis fuerunt ex parte ipsorum deteriorata, sed solum deteriorata dicuntur, quia homo non est consequutus tantum beneficium ex ipsis, quantum fuisset, non peccante, consequutus. Tunc negatur consequentia. Non enim sequitur, quod si lux ceolestium corporum non est minorata per essentiam, homine peccante, quod non sit realiter augenda in hominis glorificatione; quia peccatum hominis non immutavit statum universi, cum etiam homo post, sicut et prius, animalem vitam habuerit, quæ motu et generatione corporalis creaturæ indiget. Sed glorificatio hominis immutabit statum totius corporalis creaturæ, ut alias dictum est qu. 474. art 7. corp. Et ideo tunc realiter ex parte ipsorum corporum coelestium lux augebitur.

Ad 4. Dicitur, quod intellecto antecedente, sicut in præcedenti responsione dictum est, debere intelligi, probabilius, scilicet, quod primo homine peccante, non est diminutum lumen ex parte ipsorum coelestium corporum; sed solum respectu hominis. Dicitur, quod ejus probatio nullam habet efficaciam. Non enim sequitur quod tunc Luna existens super terram, diem fecisset: cum ante peccatum non habuerit maius lumen, quam nunc habeat. Sed solum sequitur quod homo tantum commodum habuisset ex lumine Lunæ, quantum nunc habet ex lumine Solis. Sed post ressurrectionem, quando lux Lunæ augebitur secundum rei veritatem, non erit alicubi nox super terram, sed solum in centro terræ, ubi erit infernus. Quia tunc (ut dicitur) Luna lucebit, quantum lucet nunc Sol; Sol autem septuplum, quam modo luceat. Corpora autem beatorum septies magis, quam Sol. Quamvis hoc non sit aliqua auctoritate, vel ratione probatum.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod aliquid potest cedere in usum hominis dupliciter. Uno modo, propter necessitatem. Et sic nulla creatura post judicium cedet in usum hominis glorificati, quia ex Deo totam sufficientiam habebit. Et hoc significatur Apoc. 21. in inducta auctoritate, quæ dicit, quod *civitas illa non eget Sole, neque Luna.* Alius usus est ad maiorem perfectionem. Et sic homo aliis creaturis utetur, non tamen quasi necessariis ad perveniendum in finem, sicut nunc eis utitur.

ARTICULUS IV.

Utrum elementa innovabuntur per receptionem alicujus claritatis.

Pro negativa. = Videtur quod elementa non innovabuntur per receptionem alicujus claritatis.

1. Coeleste corpus innovabitur per augmentum claritatis, quæ est ei propria. Ergo elementa debent innovari, non per augmentum claritatis, sed per augmentum qualitatum activarum et passivarum, quæ sunt elementis propriæ.

Conseq. prob., quia, sicut lux propria

corporis coelestis, ita calidum et frigidum, humidum et siccum, sunt qualitates propriæ elementorum.

2. Rarum et densum sunt elementorum qualitates, quas in illa innovatione elementa non amittent. Ergo elementa non poterunt innovari per augmentum claritatis.

Conseq. prob., quia raritas et densitas videntur repugnare claritati; corpus enim clarum oportet esse condensatum. Unde raritas aëris non videtur quod possit claritatem habere. Et similiter densitas terræ, quæ pervietatem tollit, claritatis non est susceptiva.

Formalius: ea, quæ habent proprietates repugnantes claritati, non innovabuntur per susceptionem claritatis. Sed elementa aëris et terræ habent hujusmodi proprietates, ut dictum est. Ergo saltem hæc duo elementa non innovabuntur per susceptionem claritatis.

3. Damnati in terra existent, et erunt in tenebris interioribus et exterioribus. Ergo terra non dotabitur claritate in illa innovatione, et eadem ratione nec alia elementa.

4. Si in illa innovatione futura sit maior claritas elementorum, quam nunc sit; ergo erit etiam maior caliditas in eis. Ergo elementa transmutabuntur á suis naturalibus qualitatibus: quod videtur absurdum.

Prima conseq. prob., quia multiplicatio claritatis in elementis multiplicat calorem. Secunda vero, quia naturales qualitates insunt elementis, secundum certam mensuram.

5. Bonum universi, quod consistit in ordine et armonia partium, dignius est quam aliquod bonum alicujus naturæ singularis. Sed, si una creatura efficiatur melior, non remanebit eadem armonia, et sic tollitur bonum universi. Ergo, si corpora elementorum, quæ secundum gradum suæ naturæ quem tenent in universo, non debent habere claritatem, claritatem sint receptura; magis ex hoc perfectio universi deperibit, quam accrescet.

Aliter. Quod tollit ordinem universi, non fiet in mundi innovatione. Sed, si elementa lucem essent receptura, periret ordo universi. Ergo elementa non recipient claritatem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apoc. 21. dicitur: *vidi cœlum novum et terram novam.* Sed coelum innovabitur per susceptionem maioris claritatis. Ergo, et terra et alia elementa maiorem claritatem recipient.

Determinatio.

Conclusio. Elementa claritate quadam vestientur, non tamen æqualiter, sed secundum suum modum.

Probatio. In illa ultima rerum consummatione spiritus inferiores accipient proprietates superiorum spirituum. Ergo et corpora inferiora, quæ cum superioribus tantum in natura lucis et diaphani conveniunt, oportet perfici secundum claritatem.

Antec. prob. quia homines *erunt sicut angeli Dei.* Matth. 22. Et hoc erit in quantum ad maximam perfectionem pervenient, secundum quod humanus spiritus cum angelico convenit.

Conseq. prob. quia, sicut est ordo spiritum coelestium ad spiritus terrenos, scilicet humanos, ita etiam est ordo coelestium corporum ad corpora terrestria. Cum ergo creatura corporalis sit facta propter spiritualem, et per eam regatur; oportet similiter disponi corporalia, sicut spiritualia disponuntur.

Declaratur conclusio quoad illam particulam, secundum suum modum: nam terra, ut dicitur, erit in superficie exteriori pervia, sicut vitrum; aqua, sicut crystallus; aër, ut coelum; ignis, ut luminaria cœli.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia: nam, ut dictum est articulo 1., innovatio mundi ordinatur ad hoc quod homo etiam sen-

su in corporibus quodammodo per manifesta indicia Divinitatem videat. Inter sensus nostros spiritualior et subtilior est visus, et ideo quantum ad qualitates visivas, quarum principium est lux, oportet omnia corpora inferiora maxime meliorari. Qualitates autem elementares pertinent ad tactum, qui est maxime materialis, et excessus contrarietatis earum magis est contristativus quam delectativus. Excessus autem lucis erit delectabilis, cum contrarietatem non habeat, nisi propter organi debilitatem, quæ tunc non erit. Ad probationem igitur consequentiæ dicitur quod, etsi illæ qualitates sint propriæ elementorum, tamen non augebuntur; quia earum excessus non est delectabilis: lux autem augebitur, et quia delectabilis, et quia perfectiva est, utpote in qua inferiora corpora cum superioribus communicant.

Ad 2. Negatur consequentia vel minor. Ad probationem negatur assumptum; non enim rarum et densum repugnabunt claritati quam habitura sunt terra et aër; non enim aër erit clarus sicut radios projicens, sed sicut diaphanum illuminatum: terra vero, quamvis ex natura sua opacitatem habeat propter defectum lucis, tamen ex divina virtute in sui superficie gloria claritatis vestietur, non obstante densitate ipsius.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam, quod in loco inferni non erit terra glorificata per claritatem; sed loco hujus gloriæ habebit pars illa terræ spiritus rationales hominum et dæmonum, qui, quamvis ratione culpæ sint infimi, tamen ex dignitate naturæ sunt qualibet qualitate corporali superiores. Vel dicitur ad antecedens quod, etiamsi sit tota terra glorificata, nihilominus reprobi in tenebris exterioribus erunt, quia etiam ignis inferni, qui quantum ad aliquid eis lucebit, quantum ad aliquid eis lucere non poterit.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod claritas erit in illis corporibus, sicut erit in corporibus cælestibus, in quibus caliditatem non causat, quia corpora hæc tunc erunt inalterabilia, sicut modo sunt corpora cælestia.

Ad 5. Negatur minor utriusque formæ. Ad probationem dicitur quod propter meliorationem elementorum non tolletur ordo universi, quia etiam omnes aliæ partes universi meliorabuntur: et sic remanebit eadem armonia.

ARTICULUS V.

Utrum plantæ et animalia debeant remanere in illa innovatione.

Pro affirmativa. = Videtur quod plantæ et animalia remanebunt in illa innovatione.

1. Ea, quæ pertinent ad ornatum elementorum, remanebunt in illa innovatione. Sed animalia et plantæ pertinent ad ornatum elementorum. Ergo debent remanere.

Maior prob., quia in illa mundi innovatione non debet subtrahi aliquid ad ornatum elementorum pertinens.

2. Elementa, propter ministerium hominibus exhibitum, glorificabuntur. Ergo similiter animalia et plantæ debent glorificari.

Conseq. prob., quia, sicut elementa homini servierunt, ita etiam animalia, plantæ et mineralia.

3. Ea, quæ sunt de perfectione universi, in illa innovatione remanebunt. Sed species animalium, plantarum et mineralium, pertinent ad perfectionem universi. Ergo animalia, plantæ et minerali remanebunt.

Maior prob. quia universum remanebit imperfectum, si aliquid quod est de ejus perfectione auferatur.

4. Ea, quæ habent nobiliorem formam quam elementa, remanebunt post judicium. Sed animalia et plantæ habent nobiliorem formam quam elementa. Ergo magis quam elementa debent remanere.

Maior prob., quia mundus in finali innovatione meliorabitur.

5. Secundum naturalem appetitum animalia et plantæ appetunt esse perpetua, etsi non secundum individuum, saltem secundum speciem; et ad hoc eorum continua generatio ordinatur, ut dicitur 2. de Gen. com. 36. Ergo inconveniens est dicere quod istæ species aliquando debeant deficere.

Conseq. prob., quia inconveniens est dicere quod naturalis appetitus frustretur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Si plantæ et animalia remanebunt, aut omnia aut quædam remansura sunt. Si omnia, oportebit etiam animalia bruta, quæ prius fuerunt mortua, resurgere, sicut et homines resurgent: quod dici non potest, quia, cum eorum forma in nihilum cedat, non potest eadem numero resumi. Si autem non omnia, sed tantum quædam remanere debeant, cum non sit maior ratio de uno quam de alio, quod in perpetuum maneat, videtur quod nullum eorum in perpetuum remanebit. Sed quidquid remanebit post mundi innovationem, perpetuum erit, cessante generatione et corruptione. Ergo plantæ et animalia penitus post mundi innovationem non erunt.

2. In mundi innovatione cessabit motus cælestis. Ergo non poterit perpetuitas in speciebus plantarum et brutorum conservari.

Conseq. prob., quia in animalibus et plantis, et hujusmodi corruptibilibus, speciei perpetuitas non conservatur nisi ex continuatione motus cælestis.

3. Cessante fine, cessare debet id quod est ad finem. Sed in illa innovatione cessabit finis ad quem ordinantur animalia, plantæ et mineralia. Ergo et ipsa cessabunt.

Minor prob., quia animalia et plantæ factæ sunt ad animalem vitam hominis sustentandam: unde dicitur Gen. 9. *Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem*: vita autem animalis hominis post illam innovationem non erit.

Determinatio.

Conclusio. Plantæ, animalia et mineralia in ultima mundi innovatione non remanebunt, sed solum corpora cœlestia, elementa et homines.

Prob. Illa tantum manebunt in illa innovatione, quæ possunt habere aliquem ordinem ad incorruptionem. Sed animalia, plantæ et mineralia non possunt habere aliquem ordinem ad incorruptionem, sed solum cælestia corpora, elementa et homines. Ergo animalia, plantæ et mineralia non manebunt, sed solum ea quæ dicta sunt.

Maior manifestatur: nam, cum innovatio mundi propter hominem fiat, oportet quod innovationi hominis conformetur. Homo autem innovatus de statu corruptionis in incorruptionem transibit ad perpetuæ quietis statum, unde dicitur 1. ad Cor. 15. «Oportet corruptibile hoc «induere incorruptionem, et mortale «hoc induere immortalitatem:» et ideo mundus hoc modo innovabitur, ut abjecta omni corruptione, perpetuo in quiete maneat. Nihil igitur ad illam innovationem ordinari poterit, nisi quod habet ordinem ad incorruptionem. Et sic patet maior.

Minor prob., quoad utramque partem. Et primo quoad primam; quia corpora cœlestia secundum suam naturam incorruptibilia sunt secundum totum et secundum partes. Elementa vero sunt quidem corruptibilia secundum partes, sed sunt incorruptibilia secundum totum. Homines vero corrumpuntur et secundum totum et secundum partem; sed hoc est ex parte materiæ, non ex parte formæ, scilicet, animæ rationalis, quæ post corruptionem hominis remanet incorrupta. Secunda pars probatur; quia animalia, et plantæ, et mineralia et omnia corpora mixta corrumpuntur et secundum totum et secundum partem, et

hoc tam ex parte materiæ, quæ formam amittit, quam ex parte formæ, quæ actu non manet, et sic nullo modo habent ordinem ad incorruptionem, et propterea non manebunt in mundi innovatione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod animalia et plantæ et alia hujusmodi pertinent ad ornatum elementorum non simpliciter, sed solum in statu generationis et corruptionis; qui quia cessabit in ultima innovatione, ideo prædicta non remanebunt.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non omnia quæ homini servierunt, glorificanda sunt, sed solum ea, quæ ad incorruptibilitatem possunt ordinari, qualia sunt corpora cœlestia et elementa. Plantæ vero, animalia et alia mixta nonordinantur secundum totum, nec secundum partem, ad incorruptionem, et ideo pro his non potuit homo mereri, ut in illa innovatione conservarentur.

Ad 3. Dicitur, quod sicut perfectio hominis est duplex, scilicet, perfectio naturæ conditæ et glorificatæ; ita perfectio universi est duplex. Una secundum statum hujus mutabilitatis. Altera secundum statum futuræ novitatis. Maior est vera de his quæ sunt de perfectione universi secundo modo. Et ad minorem dicitur, quod planetæ et animalia sunt de perfectione universi secundum istum statum, non autem secundum statum novitatis: cum ad eum ordinem non habeant.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod quamvis animalia et plantæ quantum ad aliqua sint nobiliora, quam ipsa elementa; tamen, quantum ad ordinem incorruptionis, elementa sunt nobiliora, ut ex dictis in corpore patet.

Ad 5. Dicitur ad minorem et ad ejus prob, quod naturalis appetitus ad perpetuitatem, qui inest animalibus et plantis, est accipiendus secundum ordinem ad motum cœli: ut tantum, scilicet, in esse permaneant, quantum motus cœli durabit. Non enim potest esse appetitus in effectu, ut permaneat ultra suam causam. Et ideo, si cessante motu primi mobilis, plantæ et animalia non remaneant secundum speciem, non sequitur appetitum naturalem frustrari.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 180.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Mundinatarum*, *Rabbi Moysis*, ut refert Direct. Inq. 2. p. q. 4. dicentium, mundum numquam finiendum, sed semper in eodem statu mansurum. Item hæresim cujusdam innominati, ut refert August. de hæres. c. 67. dicentis: mundum, etiam post universalem resurrectionem mortuorum, in eodem statu, in quo nunc est, permansurum; neque ita esse mutandum, ut sit cœlum novum, et terra nova. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ad litteram ab Apoc. 21. « Vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit. » Ubi ly *prima terra, et primum cœlum* accipitur pro qualitatibus nunc transmutabilibus, et pro motu, habitis ab eis, et ly *cœlum novum et terra nova* accipitur pro qualitate gloriæ immutationis eorum. Quasi dicat. Vidi cœlum, et terram glorificatam, seu immutatam: mutatio enim prima, quæ erat in cœlo et terra, cessavit. Unde patet, quod B. Joannes utrobique eamdem substantiam cœli, et terræ supponit, et ipsorum qualitates, seu status variari dicit. Item á, etc. ut q. 74. art. 1. et 2. appen. Item á Isa. 66. " Ecce ego creo novos cœlos, et terram novam, et non erunt in memoria priora. » Item á q. 88. art. 1. appen. et ab aliis multis præcedentibus. Patet enim in scripturis, quod judicium

generale, et consequenter resurrectio corporum electorum, tum reproborum, et consequenter mutatio electorum quoad dotes, non fiet, nisi in novissimo die: et ex alia parte philosophice etiam patet, quod dies non potest esse novissimus, durante ulteriori motu coelorum, et ex consequenti quoque patebit, quod omnia illa et sacrarum literarum, vel summorum Pontificum, aut Conciliorum, quæ ponunt judicium generale, ponunt per hoc etiam simul resurrectionem universalem mortuorum, dotes bonorum, et coelestis motus cessationem: et ex consequenti per hoc damnant hæreses in præsenti narratas. Item á Psal. 101. "Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur." Ubi nota, quod per ly ipsi, connotat totum, quod præmiserat, scil. coelos, et terram, quasi per figuram evocationis faciens, quod genus masculinum, quod est ipsi, comprehendat femininum, denominationem tamen faciendo á proximiori, quod est ly coeli. Item á Matth. 24. *Cœlum et terra transibunt.* Ubi ad litteram ultra tropos ibi ab expositoribus declaratos de ista innovatione mundi loquitur. Item a. 1. Cor. 7. *Præterit figura hujus mundi.* Ubi nota, quod dixit figuram mundi, et non substantiam. Quasi sub exemplo á mundo minori, qui est homo, dicat. Sicut infans, cum in puero creverit, puerque in juvenem, atque juvenis in virum, necnon vir in senem, manet substantialiter idem, qui prius fuit, licet pedetentim immutetur, ac priori ætati perire dicatur: ita mundus major, cum in statum gloriæ sibi convenientis supra naturam adducetur, substantialiter quidem manebit idem, sed accidentaliter mutabitur, et peribit. Nisi enim periret secundum statum priorem, non posset inducere novum subsequentem. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto innovationem mundi futuram insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*; quomodo per rationem excludas errorem *Aristotelis* (Direct. Inquis. 2, par. q. 4.) dicentis: motum duraturum in æternum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito rejici ab Apoca. 10. *Tempus amplius non erit.* Item ab Isa. 60. "Non occidet ultra Sol tuus, et Luna tua non minuetur." Ex quibus dic, quod Isaias directe negat, motum in æternum fore, quia occasio Solis et diminutio Lunæ fiunt per motum cæli, sed Apocal. negat eumdem quasi consecutive, ex eo, quod tempus, et motus se consequuntur ad invicem. Unde negando unum, negat et aliud. Adverte nihilominus, errorem hunc dici, et esse errorem, et sane contra fidem, si consideretur, ut jacet. Si enim consideraretur secundum intentionem Philosophi expressam, nullus est error. Intendebat namque Aristoteles, quod motus secundum naturam suam consideratus numquam cessabit, et hoc esse verum approbavit text. in corp. et in responsione argumentorum sed contra. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto motum cessaturum aliquando insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Isa. 30. quod claritas luminarium augebitur tunc: et sic. "Erit lux Lunæ, sicut lux Solis septempliciter." Unde potes etiam argumentari ad stellas alias juxta modum suum, maxime quia decor, seu species coeli est gloria stellarum, Eccl. 43. Item á Rom. 8. "Omnis creatura expectat revelationem gloriæ filiorum Dei." Unde argumentare tu efficaciter ad intentum, sicut fit in arg. 3. sed cont. Pro qua authoritate melius capienda vide art. 2. ad 6. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apoc. 21. quod elementa claritatem majorem recipient in mundi innovatione: et sic. *Vidi cœlum novum, et terram novam.* Nomine autem terræ in sacris litteris sæpe intelliguntur alia etiam elementa, ut Genes. 1. *Creavit Deus cœlum et terram.* Maxime autem tunc nomine terræ intelliguntur, quando id, quod ei tribuitur, magis vide-

tur aliis tribuendum. Ut in proposito est de claritate. Hæc enim, ut patet, minus videtur attribuenda terræ tamquam infimo elementorum, quam aliis elementis. Cum igitur Apocalypsis attribuat innovationem claritatis terræ, per hoc á fortiori eam aliis tribuisse vult, secundum illam regulam logicalem dicentem, "si de quo minus videtur inesse, et inest: ergo de quo magis." Item ab Isa. 66. "Ecce ego creo novos coelos, et novam terram." Circa ly terram discurre, ut nunc supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tueatis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apocal. 10. quod animalia, et plantæ, ac similia non innovabuntur; et sic: "Angelus, quem vidi stantem supra mare, et terram, juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius: sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cæperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei." Ubi per Angelum canentem tuba, intellige convocationem ad judicium, supra quæst. 76. art. 2. post illud: *ergo non amplius erit tempus*; et consequenter coelorum motus cessabit: Cum igitur ex continuatione motus coelestis solummodo conservetur perpetuitas speciei in animalibus, et plantis, et hujusmodi secundum Philosophum 2. de generat. patet, quod Apocalyp. per hoc quod dixit, tempus cessaturum, connotavit simul omnia hujusmodi corruptibilia, animalia, videlicet, plantas, mineralia et alia mixta, præter hominem, non esse conservanda amplius, et consequenter nec innovanda. Item á Gen. 9. *Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem*. Id est, sicut dedi vobis hominibus in cibum olera virentia, cum Gen. 1. dixit ly *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem*, etc.; ita nunc concedo vobis in cibum omnem carnem: ut sicut absque scrupulo oleribus pro cibo utebamini; sic nunc uti possitis omni carne. Cum igitur omnia hujusmodi secundum Scripturam hanc sint ordinata ad vitam animalem hominis, et hæc vita tunc defectuosa sit tempore innovationis, ut supra dictum est; patet, quod per hoc denotavit etiam Scriptura simul, quod animalia, et plantæ et á simili alia secundum totum corruptibilia non remanebunt post judicium, et per consequens non innovabuntur. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAGESIMA PRIMA.

DE SANCTORUM BEATITUDINE, ET EORUM MANSIONIBUS IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sanctorum beatitudine, et eorum mansionibus.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum sanctorum beatitudo augeatur post judicium.

Secundo, utrum gradus beatitudinis mansiones dici debeant.

Tertio, utrum diversæ mansiones distinguantur penes diversos gradus charitatis.

ARTICULUS I.

An beatitudo sanctorum sit maior futura post judicium, quam ante.

Pro negativa. — Videtur quod beatitudo sanctorum non sit maior futura post judicium.

1. Quanto magis aliquid accedit ad similitudinem divinam, tanto perfectius beatitudinem participat. Sed anima á corpore separata, Deo est similior, quam corpori conjuncta. Ergo maior est beatitudo ante resumptionem corporis, quam postea sit futura.

2. Virtus unita potentior est, quam multiplicata. Sed animæ virtus extra corpus est magis unita, quam cum est

corpori conjuncta. Ergo tunc est potentior ad operandum, et ita perfectius participat beatitudinem, quæ in actu consistit.

3. Corpus resumptum non facit intellectum perfectius intelligere. Ergo beatitudo animæ non erit major post resurrectionem, quam ante.

Antecedens prob., quia intellectus in suo actu non utitur corporali organo.

Conseq. prob., quia beatitudo consistit in actu intellectus speculativi.

4. Finitum additum infinito non facit infinitum majus. Sed anima beata, ante resumptionem corporis, beatitudinem habet de hoc quod gaudet de bono infinito, scilicet de Deo. Post resurrectionem vero corporis, non habebit de alio gaudium, nisi forte de gloria corporis, quæ est quoddam bonum finitum. Ergo gaudium eorum post resurrectionem, non erit majus, quam ante.

Maior patet. Quia infinito non potest esse aliquid majus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Super illud Apoc. 6. *Vidi sub altare animas interfectorum*, dicit Glos. ordin. Modo animæ sanctorum sunt existentes subtus altare, id est, in minori dignitate, quam sint futuræ. Ergo, maior erit eorum beatitudo post resurrectionem corporum.

2. Miseria malorum, post corporis resurrectionem, erit maior, quam ante resurrectionem. Ergo, et beatitudo sanctorum erit maior post resurrectionem, quam ante.

Antecedens prob., quia tunc non solum in anima, sed etiam in corpore punientur.

Conseq. prob., quia, sicut bonis redditur beatitudo pro præmio, ita et malis miseria pro pœna.

Determinatio.

Distinctio. Beatitudinem sanctorum augeri post resurrectionem, potest dupliciter intelligi. Uno modo intensive. Alio modo, extensive. Intensive, ut magis debeant gaudere. Extensive, ut de pluribus bonis gaudeant.

1.ª Conclusio. Beatitudo sanctorum post resurrectionem erit maior extensive.

Prob. Quia beatitudo tunc erit, non solum in anima, sed etiam in corpore.

2.ª Conclusio. Etiam animæ beatitudo erit maior extensive.

Prob. quia tunc anima gaudebit, non solum de bono proprio, sed etiam de bono corporis.

3. Potest etiam dici, quod ipsius animæ beatitudo intensive augebitur.

Manifestatur. In statu, in quo anima poterit perfectius operari, augebitur ejus beatitudo, etiam intensive. Sed post corporum resurrectionem et reassumptionem, anima perfectius operabitur. Ergo post corporum resurrectionem, beatitudo animæ erit intensive maior, quam ante.

Maior prob Quia beatitudo consistit in operatione. Unde ex perfectiori operatione, maior argüitur beatitudo.

Minor manifestatur. Nam corpus hominis dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum quod est ab anima perfectibile. Alio modo, secundum quod est in eo aliquid repugnans animæ in suis operationibus, prout non perfecte corpus per animam perficitur: propter quod non potest ei anima perfecte dominari. Secundum primam considerationem conjunctio corporis ad animam addit animæ aliquam perfectionem; quia omnis pars est imperfecta, et completur in suo toto. Unde et totum se habet ad partem, ut forma ad materiam. Et ideo anima perfectior est in suo esse naturali cum est in toto, quam cum est pars á toto separata. Unio vero corporis cum anima, quantum ad secundam ejus considerationem, impedit animæ perfectionem. Unde dicitur Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Si ergo á corpore removeatur, omne illud quod resistit actioni animæ, simpliciter anima

perfectior est in tali corpore existens, quam separata. Quanto autem est perfectius esse, tanto potest perfectius operari, et sic operatio animæ tali corpori conjunctæ, erit perfectior quam operatio animæ separatæ: et tale erit corpus gloriosum, quod omnino spiritui subdetur. Et sic patet minor.

Et confirmatur hæc ratio: quia ex hoc quod operatio animæ separatæ est imperfectior, quam unita corpori, (cum omne imperfectum suam appetat perfectionem) anima separata naturaliter appetit corporis conjunctionem: et propter hunc appetitum ex imperfectione procedentem, ejus operatio, qua in Deum tendit, est minus intensa. Et hoc est quod dicit Jeronym. et August. in Genes. cap. 35. «Quod ex appetitu corporis retardatur, ne tota intentione pergat in illud summum bonum.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Anima enim conjuncta corpori glorioso est Deo similior, quam ab eo separata, in quantum conjuncta habet esse perfectius. Quanto enim aliquid est perfectius, tanto est Deo similius; sicut cor, cujus vitæ perfectio consistit in motu, est Deo similius cum movetur, quam quando quiescit, quamvis Deus nonquam moveatur.

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera de virtute á materia separata: hæc enim potentior est quam conjuncta. Virtus tamen, quæ de sua natura habet quod sit in materia, qualis est animæ virtus, magis potens est in materia existens, quam ab ea separata.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probat. dicitur, quod quamvis in actu intelligendi anima non utatur corpore; tamen perfectio corporis quodammodo ad perfectionem intellectualis operationis cooperabitur, in quantum ex conjunctione corporis gloriosi anima erit in sua natura perfectior, et per consequens in operatione efficacior. Et secundum hoc, ipsum bonum corporis cooperabitur quasi instrumentaliter ad operationem illam, in qua beatitudo consistit: sicut etiam Philip. ponit 1. Ethic. cap. 5. Quod bona exteriora cooperantur instrumentaliter ad fœlicitatem vitæ.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod quamvis finitum infinito additum non faciat majus, facit tamen plus; quia finitum et infinitum sunt duo, cum infinitum per se acceptum, sit tantum unum. Extensio autem gaudii non respicit majus, sed plus: unde extensive augetur gaudium, secundum quod est de Deo et de gloria corporis, respectu gaudii quod erat solum de Deo. Gloria etiam corporis operabitur ad intensionem gaudii, quod est de Deo, in quantum cooperabitur ad perfectiorem operationem, qua anima in Deum fertur. Quanto enim operatio conveniens fuerit perfectior, tanto delectatio erit maior, ut patet 4. Ethic.

ARTICULUS II.

Utrum gradus beatitudinis debeant dici mansiones.

Pro negativa. = Videtur quod gradus beatitudinis non debeant dici mansiones.

1. Illud, quod importat rationem præmii, non debet dici mansio. Sed beatitudo importat rationem præmii. Ergo, beatitudinis gradus non debent dici mansiones.

Maior prob., quia mansio nihil significat, quod ad præmium pertineat.

2. Locus, in quo sancti beatificantur, est tantum unus. Sed mansio significat locum, in quo sancti beatificantur. Ergo gradus beatitudinis non debent dici plures mansiones. Minor probatur, quia locus in quo sancti beatificantur, non est corporalis, sed spiritualis, scilicet Deus, qui est unus.

3. In purgatorio, et in lymbo, non distinguuntur diversæ mansiones. Ergo, nec in patria debent distingui.

Conseq. prob., quia, sicut in patria erunt homines diversorum meritorum;

ita nunc sunt in purgatorio, et in lymbo patrum fuerunt.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Joan. 14. dicitur: *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, etc. quod Aug. tract. 67. in Joan. exponit de variis gradibus præmiorum.

Determinatio.

Conclusio. Diversi gradus beatitudinis convenienter mansiones dicuntur.

Manifestatur. Assecutio ultimi finis appetitivi motus convenienter dicitur mansio, et diversi modi consequendi hunc ultimum finem convenienter mansiones dicuntur. Sed beatitudo est ultimus finis motus appetitivi, et diversi beatitudinis gradus sunt diversi modi acquirendi finem. Ergo beatitudo convenienter dicitur mansio, et diversi ejus gradus diversæ mansiones appellantur.

Manifestatur tota hæc ratio simul. Pro quo est sciendum, quod quia motus localis est prior omnibus aliis motibus; ideo nomen motus et distantiæ et omnium hujusmodi, á motu locali est derivatum ad omnes alios motus. Finis autem localis motus est locus, ad quem cum aliquis pervenerit, ibi manet quiescens, et in eo conservatur: et ideo in quolibet motu ipsam quietem in fine motus dicimus collocationem, vel mansionem. Et cum nomen motus derivetur usque ad actum appetitus et voluntatis, ipsa assecutio finis appetivi motus dicitur collocatio, aut mansio; et diversi modi acquirendi ultimum finem, mansiones dicuntur. Ut sic unitas domus, seu mansionis respondeat unitati beatitudinis, quæ est ex parte objecti, et pluralitas mansionum respondeat differentiæ, quæ in beatitudine ex parte beatorum invenitur. Sicut etiam videmus in rebus naturalibus, quod est idem locus sursum, ad quem tendunt omnia levia, sed unumquodque pertingit propinquius, secundum quod est levius: et ita habent diversas mansiones diversa levia, secundum differentiam levitatis. Sic sancti omnes eamdem beatitudinem consequentur, tamen secundum diversos gradus, juxta diversitatem meritorum. Et sic patet ratio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. negatur assumptum. Mansio enim importat rationem finis, et per consequens rationem præmii, quod est finis meriti.

Ad 2. Dicitur ad majorem, quod quamvis locus beatitudinis sit unus spiritualis locus: tamen sunt diversi gradus appropinquandi ad locum illum, et secundum hoc constituuntur diversæ mansiones.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod illi qui erant in lymbo, et nunc qui sunt in purgatorio, nondum pervenerunt ad suum finem: et ideo in purgatorio, vel in lymbo non distinguuntur mansiones. Sed solum in paradiso et in inferno, ubi est finis bonorum et malorum.

ARTICULUS III.

Utrum diversæ mansiones distinguantur penes diversos gradus charitatis.

Pro negativa. = Videtur quod diversæ mansiones non distinguantur penes diversos gradus charitatis.

1. Ea, quæ dantur unicuique secundum propriam uniuscujusque virtutem, non distinguuntur secundum diversos gradus charitatis. Sed diversæ mansiones, sive diversi gradus gloriæ dantur unicuique secundum uniuscujusque propriam virtutem. Ergo diversæ mansiones non distinguuntur secundum diversos gradus charitatis.

Maior prob., quia propria uniuscujusque rei virtus est vis naturalis. Charitas autem est supernaturalis.

Minor prob. quia Matth. 25. dicitur: *dedit unicuique secundum propriam virtutem.*

2. Illud, quod datur juxta opera ejus cui datur, non distinguitur secundum diversos gradus charitatis, sed secun-

dum diversitatem operum. Sed beatitudinis mensura datur unicuique juxta uniuscujusque opera: ut dicitur in Psal. 61. *Tu reddes unicuique juxta opera sua.* Ergo, diversæ mansiones non dantur secundum diversos gradus charitatis.

3. Præmium debetur actui, et non habitui. Sed beatitudo est præmium, charitas vero est habitus, et opera sunt actus. Ergo diversi gradus beatitudinis erunt secundum diversos gradus operum, et non secundum diversos gradus charitatis.

Maior prob., quia fortissimi non coronantur, sed agonizantes, ut patet 1. Ethic. cap. 8. et 2. Tim. 2 dicitur: *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quanto aliquis erit Deo magis conjunctus, tanto erit beatior. Sed secundum modum charitatis, est modus conjunctionis ad Deum. Ergo secundum differentiam charitatis, erit et diversitas gradus beatitudinis.

2. Habere beatitudinem, sequitur ad habere charitatem. Ergo habere majorem beatitudinem, sequitur ad habere majorem charitatem.

Conseq. prob. *Si simpliciter sequitur ad simpliciter; magis sequitur ad magis.*

Determinatio.

Distinctio. Principium distinctivum mansionum, sive graduum beatitudinis est duplex: scilicet, propinquum, et remotum. Propinquum est diversa dispositio, quæ erit in beatis, ex qua contingit diversitas perfectionis apud eos in operatione beatitudinis. Principium autem remotum est meritum, quo talem beatitudinem consequuti sunt.

1.ª Conclusio. Mansiones distinguuntur secundum diversos gradus charitatis patriæ, tamquam per principium propinquum.

Manifestatur. Quia, quanto in aliquo erit perfectior charitas patriæ, tanto reddet eum capaciorem divinæ charitatis, secundum cujus augmentum augebitur perfectio divinæ visionis.

2.ª Conclusio. Mansiones distinguuntur secundum charitatem viæ, tamquam per principium remotum.

Manifestatur, quia actus noster non habet quod sit meritorium ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis, quo informatur. Vis autem merendi in omnibus virtutibus est ex charitate, quæ habet ipsum finem pro objecto. Et ideo diversitas in merendo, tota revertitur ad diversitatem charitatis. Et sic charitas viæ distinguit mansiones per modum meriti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod in minori, et in prob. non accipitur virtus solum pro naturali capacitate, sed pro naturali capacitate simul cum conatu ad habendam gratiam; et tunc virtus hoc modo accepta, erit quasi materialis dispositio ad mensuram gratiæ, et gloriæ suscipiendæ. Charitatis vero est formaliter complens meritum ad gloriam: et ideo distinctio gradum gloriæ accipitur penes gradus charitatis potius quam penes gradus virtutis, prædicto modo acceptæ.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod opera non habent, ut eis retributio gloriæ reddatur, nisi in quantum sunt charitate informata. Et ideo secundum diversos charitatis gradus, erunt diversi gradus in gloria.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod quamvis habitus charitatis, vel cujuscumque virtutis non sit meritum, cui debeatur præmium; est tamen principium et tota ratio merendi in actu charitatis, et ideo secundum ejus diversitatem, præmia distinguuntur. Quamvis etiam ex ipso genere actus possit aliquis gradus in merendo considerari, non quidem respectu premii essentialis, quod est gaudium de Deo, sed respectu alicujus accidentalis præmii, quod est gaudium de aliquo bono creato.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 181.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Apocal. 6. quod beatitudo sanctorum erit major post judicium, et sic: " vidi subtus altare animas interfectorum Dei propter verbum Dei, et clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum, et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiesceret tempus adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum. » Ubi denotatur ad litteram desideriumanimarum sanctarum ad resumendum corpora propria, in quibus multa passæ sunt propter verbum Dei. Ex desiderio autem prædicto datur intelligi recte sapientibus, quod beatitudo illarum augebitur ex hoc. Alioquin, aut non desiderarent, aut, si desiderarent hoc, non tamen sic intense, ut notatur per ly clamabant voce magna. Item á Roman. 8. " Nos ipsi primitias spiritus habentes intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri.» Ex quibus dic, ut sup. Item ab Hebr. 11. " Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. » Ergo post acceptam repromissionem, de qua ibi intelligit, id est, post resumptionem corporum gloriosum, erunt magis consummati, id est, perfecti, et melius provisi. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Joviniani* dicentis, beatos omnes pares esse in gloria, et in beatitudine cœlesti nullam esse præmiorum differentiam. Item Philosophorum (Direct. Inquisit. 2. p. qu. 4.) dicentium, quod omne peccatum est uniforme, et æquale: unde sic nocens est ille, qui paleas furatus est, sicut, qui aurum, vel argentum, et non plus, neque minus. Item Joviniani Apostatæ, ut refert August. dicentis: paria esse peccata in hac vita, et merita in alia, et pares omnes esse peccatores in peccatis, et pares fore in pœnis. Item Catharorum, ut refert Cardinalis Turrecremata in de Ecclesia, lib. 4. c. 35. dicentium, pares omnes erunt in pœna, vel in gloria. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito damnari á Joan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* » Id est, varii gradus præmiorum. Item á, etc. ut 1. p. qu. 12. ar. 6. et qu. 20. ar. 3. appen. Item á. 1. Cor. 15. *Stella á stella differt in claritate.* Item á, etc. ut p. 92. ar. 3. appen. Item ab Apoc. 21. " Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem agni. Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, etc. » Ubi per hanc sponsam, et civitatem intelligit cœlestem patriam, id est, ibi existentes. Significat ergo diversas mansiones et gradus: quoniam et in civitatibus, á quibus metaphoram sumit, diversi gradus reperiuntur, et maxime hoc significat, quia ibi ad litteram B. Joan. ponit diversa, sc. et fundamenta, et murum, et portas, et diversos lapides pretiosos, et alia plurima, quæ diversitatem mansionum significant. Item á Luc. 7. " Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. » Ubi peccatores diversi, dispariaque peccata ad litteram significantur. Item á Luc. 12. " Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulavit plagis multis: nesciens autem, et non faciens, vapulavit plagis paucis. Item á Conc. Florent. sessione ul. in lit. sanct union. " Definimus, animas, quæ sunt purgatæ in cœlum, mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. » *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto diversas mansiones beatitudinis esse insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis: *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse tamquam in radice, á Luc. 7. quod mansiones distinguuntur penes gradus charitatis: et sic. " Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. » Ubi monstratur, quod

secundum gradus charitatis correspondet remissio peccatorum, et consequenter meritum vitæ æternæ, cum in remissione peccatorum apperiatur janua coelestis, q. 10. art. 3. Cum ergo in coelesti patria mansiones distinguantur art. 2., relinquitur quod per illud idem ostendat Evangelista, quod gradus diversi mansionum distinguuntur penes gradus charitatis viæ, quæ est ratio merendi, te consequenter charitatis patriæ, quæ est ratio capacitatis actualiter præmium pro merito recipiendi. Item á Concil. Florent. ut art. 2. app. per ly *meritorum tamen diversitate alium alio perfectius*. Ubi, hoc annotato, applica ad propositum, ut nunc supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAGESIMA SEGUNDA.

DE MODO QUO SANCTI SE HABEBUNT ERGA DAMNATOS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo quo se sancti habebunt erga damnatos.

Circa quod quæruntur tria.

Primo, utrum sancti poenas damnatorum videant.

Secundo, utrum eis compatiantur.

Tertio, utrum de eorum poenis lætentur.

ARTICULUS I.

Utrum beati in patria existentes, sint visuri pœnas damnatorum.

Pro negativa. — Videtur quod beati, qui erunt in patria, non sint visuri pœnas damnatorum.

1. Beati non vident facta viatorum. Ergo, multo minus pœnas damnatorum videre possunt.

Antecedens prob. quia super illud Isaiæ 63. *Abraham nescivit vos*, dicit Glossa interl. et Aug. lib. de cura agenda pro mortuis cap. 13. et 15. Nesciunt mortui, etiam sancti, quid faciunt vivi, etiam eorum filii.

Conseq. prob., quia maior est distantia damnatorum á beatis, quam viatorum.

2. Illi, in quibus nulla erit imperfectio, non videbunt pœnas damnatorum. Sed in beatis nulla erit imperfectio. Ergo, sancti non videbunt miserias damnatorum.

Maior prob., quia perfectio visionis dependet á perfectione visibilis. Unde dicitur 10 Ethic. c. 4. « Quod perfectissima sensus visus operatio est sensus « maxime dispositi ad pulcherrimum sub « visu cadentium. » Ergo é contrario, turpitudo visibilis redundat in imperfectionem visionis. Cum ergo in miseria damnatorum sit summa turpitudo; sequitur quod visio illarum miseriarum sit imperfecta, ac per hoc non possit esse in his, in quibus nulla potest esse imperfectio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Isaiæ ultimo. « Egredientur, et videbunt cadavera vivorum qui « prævaricati sunt in me; » dicit Glossa ordin. Electi egredientur intelligentia, vel visione manifesta, ut ad laudem Dei magis accendantur.

Determinatio.

Conclusio. Sanctis, qui erunt in patria, dabitur, ut pœnas damnatorum perfecte videant.

Prob. Illud, quod pertinet ad perfectionem beatitudinis sanctorum in patria existentium, non debet ab eis subtrahi. Sed videre pœnas damnatorum pertinet ad perfectionem beatitudinis sanctorum in patria existentium. Ergo, sancti in patria existentes pœnas damnatorum videbunt.

Minor manifestatur, quia unumquodque ex comparatione contrarii magis

lucescit et cognoscitur. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt. Beatitudo autem sanctorum, et pœnæ damnatorum sunt maxime contraria. Igitur, videre pœnas damnatorum, facit ad perfectionem beatitudinis sanctorum. Videntes enim hujusmodi pœnas, magis complacent de beatitudine, et uberiores Deo gratias agunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. antecedens. Ad prob. dicitur, quod Gloss. illa loquitur de sanctis mortuis, secundum possibilitatem naturæ. Non enim oportet, ut naturali cognitione cognoscant omnia, quæ erga vivos aguntur. Sed sancti, qui sunt in patria, omnia clare cognoscunt, quæ aguntur, et apud viatores et apud damnatos. Unde Greg. dicit lib. 12. Moral. cap. 13. « De animabus sanctis sentien-« dum non est hoc, » scilicet quod Job. dicit cap. 14. « Sive nobiles fuerint filii « ejus, sive ignobiles, nescient, quia, qui « intus habent Dei claritatem, nullo modo « credendum est quod foris sit aliquid « quod ignorent. »

Ad 2. Negat. minor. Ad prob. dicitur, quod quamvis pulchritudo visibilis ad perfectionem visionis faciat; visibilis tamen turpitudo sine imperfectione visionis esse potest. Species enim rerum in anima, per quas contraria cognoscuntur, non sunt contrariæ. Unde etiam Deus, qui perfectissimam cognitionem habet, omnia pulchra et turpia videt.

ARTICULUS II.

Utrum beati compatiantur miseriis damnatorum.

Pro affirmativa.=Videtur quod beati compatiantur miseriis damnatorum.

1. Illi, in quibus est perfectissima charitas, compatiuntur pœnis damnatorum. Sed in beatis est perfectissima charitas. Ergo, beati compatiuntur pœnis damnatorum.

Maior prob., quia compassio ex charitate procedit.

2. Deus quodammodo miseriis nostris compatitur. Unde et misericors dicitur. Similiter et angeli. Ergo, beati compatientur miseriis damnatorum.

Conseq. prob., quia beati numquam erunt tantum elongati á compassione, quantum Deus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quicumque alicui compatitur, fit miseriæ ejus quodammodo particeps. Sed, beati non possunt esse alicujus miseriæ participes. Ergo, beati miseriis damnatorum non compatiuntur.

Determinatio.

Conclusio. Beati, qui erunt in gloria, nullam compassionem ad damnatos habebunt.

Prob. Beati, qui erunt in patria, non compatientur pœnis damnatorum per modum passionis, neque per modum electionis. Ergo nullo modo sancti compatientur damnatis.

Conseq. prob. quia misericordia, vel compassio illis duobus modis in aliquibus potest inveniri, scilicet, vel per modum electionis, vel per modum passionis.

Antecedens, quoad primam partem, scilicet quod sancti non compatiantur damnatis per modum passionis, ostenditur; quia in beatis non erit aliqua compassio in parte inferiori, nisi consequens electionem rationis. Et ideo non erit in eis compassio, neque misericordia, nisi secundum modum electionis. Altera pars antecedentis, scilicet, quod neque per modum electionis sancti compatiantur damnatis, probatur; quia ex electione rationis misericordia vel compassio nascitur, prout aliquis vult malum alterius repelli. Unde de illis, á quibus (secundum rationem) mala repelli nolumus, compassionem electivam non habemus. Peccatores, quamdiu sunt in hoc mundo, in tali statu sunt, quod sine præjudicio divinæ justitiæ possunt in beatitudinem á statu miseriæ et peccati transferri; et ideo beatorum compassio ad eos locum habet, et secundum electionem voluntá-

tis, prout Deus, angeli, et beati eis compati dicuntur, eorum salutem volendo; et secundum passionem, secundum quod eis compatiuntur homines boni, in statu viæ existentes. In futuro autem non poterunt damnati transferri á sua miseria. Et ideo ad eorum miserias non poterit esse compassio, secundum electionem rectam. In forma igitur sic probatur hæc secunda pars antecedentis. Ad eos, qui non possunt á statu miseriæ ad beatitudinem transferri, non potest esse beatorum misericordia, secundum rectam electionem. Sed damnati sunt hujusmodi. Ergo, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod charitas tunc est compassionis principium, quando possumus ex charitate velle remotionem miseriæ alicujus. Sed sancti hoc velle ex charitate de damnatis non possunt: quia hoc divinæ justitiæ repugnat. Et ideo in eis non potest esse talis compassio ad damnatos.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Deus dicitur esse misericors, in quantum subvenit illis, quos, secundum ordinem sapientiæ et justitiæ suæ, convenit á miseria liberari, et non quod misereatur damnatorum, nisi forte eos citra condignum puniendo.

ARTICULUS III.

Utrum beati lætentur de pœnis damnatorum.

Pro negativa. = Videtur quod beati non lætentur de pœnis damnatorum.

1. Illi, in quibus nullum erit odium, non lætabuntur de pœnis damnatorum. Sed in beatis nullum erit odium. Ergo, beati non lætabuntur de miseriis damnatorum.

Maior probat. quia lætari de malo alterius, ad odium pertinet.

2. Illi, qui sunt maxime Deo conformes, non lætabuntur de pœnis damnatorum. Sed beati in patria sunt maxime Deo conformes. Ergo beati non delectabuntur in pœnis damnatorum.

Maior prob., quia Deus non delectatur in pœnis nostris.

3. Illud, quod est vituperabile in viatore, nullo modo cadit in comprehensore. Sed in homine viatore maxime est culpabile, quod reficiatur aliorum pœnis, et maxime laudabile, ut de aliorum pœnis doleat. Ergo beati nullo modo lætabuntur in pœnis damnatorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In Psalm. 57. dicitur: *lætabitur justus cum viderit vindictam.*

2. Isa, ult. dicitur de damnatis. *Erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Satietas autem visionis refectionem mentis designat. Ergo beati gaudebunt de pœnis impiorum.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid potest esse materia gaudii dupliciter. Uno modo per se, quando scilicet de aliquo est gaudium, in quantum hujusmodi. Alio modo per accidens, id est, ratione alicujus adjuncti.

Hanc probant argumenta pro negativa.

2.ª Conclusio. Beati lætabuntur de pœnis damnatorum per accidens.

Manifestatur. Beati enim de pœnis damnatorum lætabuntur, considerando in eis justitiæ divinæ rectitudinem, et suam liberationem: et sic divina justitia et liberatio eorum ab illis pœnis, erunt per se causa gaudii beatorum, Sed ipsorum pœnæ erunt causa gaudii per accidens.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. Quod lætari de malo alterius, in quantum hujusmodi, pertinet ad odium. Non autem lætari de malo alterius ratione adjuncti. Sic enim etiam de malo proprio aliquis quandoque lætatur; sicut cum aliquis gaudet de propriis afflictionibus, secundum quod prosunt ei ad meritum vitæ. Jac. 1. « Omne gaudium » existimate fratres, cum in tentationes » varias incideritis. »

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis Deus non delectetur in pœnis nostris, in quantum hujusmodi; delectatur tamen in eis, in quantum sunt per suam justitiam ordinatæ.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod in viatore non est laudabile, delectari de aliorum pœnis secundum se; est tamen laudabile, si delectetur de eis in quantum habent aliquid boni annexum. Dicitur etiam ad maiorem, quod alia est ratio de viatore, et comprehensore. Quia in viatore passiones frequenter insurgunt sine judicio rationis, quod in comprehensore non accidit. Et tamen tales passiones interdum sunt laudabiles, secundum quod bonam dispositionem mentis indicant.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 182.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum ab Is. ult. quod beati in patria videbunt pœnas damnatorum, et sic. « Egredientur, et videbunt cadavera vivorum, qui prævaricati sunt in me. » Ubi non tantum ante judicium, sed etiam post, sanctos talem visionem habere, denotare videtur. Propter hoc enim dicit ly cadavera, quod nomen significat corpora mortuorum. Patet autem quod damnati non habent corpora, nisi post judicium. Corpora autem ipsorum vocantur hic cadavera propter interpretationem quamdam hujus nominis. Cadaver enim dicitur quasi caro data vermibus. Et hujusmodi sunt damnatorum corpora, etiam quod sint viva. Nam data sunt vermibus corrodentibus continue corpora eorum. Unde Isaias supradicta confirmans, mox subdit ibid. *Vermis eorum non morietur*. Hic autem vermis, licet sit directe in animas, est tamen indirecte per quamdam reverberationem in corpora. Animæ namque ex verme illo, id est, ex synderesi, seu conscientiæ remorsu admodum afflictæ, et tristes, effundent similem tristitiam in corpora sua: propter quod scriptum est. Prover. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa*. Nota etiam in authoritate Isaiæ ly egrediuntur, quod illa egressio sanctorum non erit aliqua cessatio, vel interruptio á divina visione, eo modo quo quis viator á contemplatione præcedenti egrediens, applicatur ad aliquid aliud: sed egressio illa dicit solummodo rem cognitam inferiorem, quam sit divina essentia. Quasi dixerit, videndo essentiam, videbunt etiam per illam pœnas damnatorum, sed essentia divina illos essentialiter beatificabit, visio autem pœnarum, ut sic, non item. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim *Origenis* dicentis: miseriam non fore perpetuam, et miseriæ quædam erunt alternationes: et miseriæ fiet circulus quidam. Item Libertinorum dicentium, quod misericordia Dei diabolo post judicium præsto erit. Item et Origenistarum dicentium idem, videlicet, doemones aliquando fore salvandos. Per hoc enim, quod comprehensoribus denegat misericordiam erga damnatos articulus præsens, monstrat simul, ut discurrenti patere potest, quod numquam damnati salutis capaces erunt. Adde, quod istud est fundamentum super quod pendet tota conclusio, ut patet in corp. et argument. Adde et illud dictum responsi ad secundum, quod sc. damnatos secundum ordinem sapientiæ, et justitiæ divinæ non convenit liberari á miseria, et sic videbis articulum præsentem et multis partibus militare contra phantasmata illa hæreticalia. Militat enim art. 3. et quidem á fortiori, contra easdem hæreses. Vide tu ibi, et bene considera. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Luc. 16. « Inter nos, et vos chaos magnum firmatum est, ut, qui volunt hinc transire ad vos, non pos-

sint, neque inde huc transmeare.» Item á, etc. ut qu. 16. art. 3. append. et 1. par. qu. 62. art. 8. et qu. 64. art. 2. Item á Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Item á regulis fidei catholicæ ab Augustino recitatis, etc. ut supra, quæst. 88. art. 1. append. ubi nota ly numquam carebunt poena, etc. Item á Marc. 9. «Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem; ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.» Ubi replicat idem bis, et sic ter ibi ad litteram confundit prædictas hæreses. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á fortiori per Psal. 57. quod Sancti non compatientur damnatis, et sic: *lætabitur justus, cum viderit vindictam. Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum á Psalm. 57. quod sancti lætantur de poenis impiorum, et sic. «Lætabitur justus, cum viderit vindictam, et manus suas lavabit in sanguine peccatoris.» Ubi non solum lætitia, sed et maxima lætitia ostenditur in ipsis justis circa poenas impiorum; lætitia quidem per ly letabitur: maxima vero per ly *manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Quando enim magnopere lætatur quis de effusione sanguinis alicujus, dicitur proverbialiter, quod lavat manus suas in sanguine, quando quis maxime odit aliquem, si viderit eum ex effussione sanguinis mortuum, etiam ad litteram quandoque lavabit manus in sanguine ejus, et quod mirabilius est, quandoque bibet sanguinem ejusdem. Dicuntur autem á Propheta justi lavare manus suas in sanguine peccatoris, in quantum liberationem suam cognoscunt esse maiorem, quanto maiorem cognoscunt esse poenam peccatorum. Et, quia á Deo liberati sunt mediantibus operibus propriis, et opera significantur per manus, pro quanto manus, secundum Philosoph. est organum organorum, ideo convenienter ad liberationem eorum accommodantur manus, ut dicantur tunc lavare manus in sanguine peccatoris, quando gaudent se liberatos mediantibus operibus suis á poena maxima peccatoris, quæ denotatur per sanguinem effusum. Nam inter alias poenas maxima est mors, et inter mortes mors violenta, per tam magnam effussionem sanguinis, ut in ea lavari possint manus, causata. Item ab Is. ult. *Erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Ubi loquitur de impiorum cadaveribus, quæ ideo dicuntur esse omnibus beatis; hi significantur per ly omni carni, usque ad satietatem, ut per metaphoram hanc locutionis describatur non solum gaudium, sed et magnum ipsorum beatorum de poenis impiorum visis. Proportionaliter enim tantum gaudent de illis, quantum de sua beatitudine: cum hoc per accidens, ut declaratur in textu, sit ratio gaudendi de poenis illorum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA TERTIA.

DE DOTIBUS BEATORUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de dotibus beatorum.

Circa primum quæruntur quinque.

Primo, utrum beatis sint assignandæ aliquæ dotes.

Secundo, utrum dos á beatitudine differat.

Tertio, utrum Christo competat habere dotes.

Quarto, utrum Angelis.

Quinto, utrum convenienter assignentur tres animæ dotes.

ARTICULUS 1.

Utrum sint ponendæ aliquæ dotes in hominibus beatis.

Pro negativa. = Videtur quod non sint ponendæ aliquæ dotes in hominibus beatis.

1. Illi, quibus dantur dotes, gerunt figuram sponsi. Sed beati non gerunt figuram sponsi, sed magis figuram sponsæ, in quantum sunt Ecclesiæ membra. Ergo, beatis non dantur aliquæ dotes.

Maior prob., quia dos, secundum jura, datur sponso ad sustinenda onera matrimonii.

2. Id, quod datur á patre sponsi, non habet rationem dotis. Sed dona beatitudinis dantur beatis á Patre sponsi, scilicet, Christi. Jac. 1. « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens á Patre luminum. » Ergo hujusmodi dona, quæ dantur beatis, non sunt dotes appellanda.

Maior prob., quia dotes non dantur, secundum jura, á patre sponsi, sed á patre sponsæ.

3. In matrimonio spirituali non sunt aliqua onera, maxime secundum statum Ecclesiæ triumphantis. Ergo, non sunt ibi aliquæ dotes assignandæ.

Conseq. probat. Quia in matrimonio carnali dantur dotes ad onera matrimonii facilius toleranda.

4. Sanctis in via existentibus non assignantur aliquæ dotes. Ergo nec sanctis existentibus in patria, debent dotes assignari.

Conseq. prob. quia matrimonium spirituale, ratione cujus beatis in patria existentibus dotes assignantur, contrahitur cum Christo per fidem, etiam ab his qui sunt in Ecclesia militanti.

5. Dotes pertinent ad bona exteriora, quæ dicuntur bona fortunæ. Sed præmia beatorum non pertinent ad bona exteriora, sed interiora. Ergo, præmia beatorum non debent dotes nominari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In matrimonio carnali sponsa, quæ in domum sponsi traducitur, dotatur. Ergo in matrimonio spirituali, in quo sancti in domum Christi sponsi traducuntur, cum beatificantur, debent aliquos dotes accipere.

Conseq. prob., quia spirituale matrimonium per carnale significatur, secundum illud ad Ephes. 5. « Sacramentum « hoc magnum est, dico autem in Christo et in Ecclesia. »

2. Matrimonium spirituale delectabilius est, quam corporale. Ergo, matrimonio spirituali maxime sunt dotes assignandæ.

Conseq. probat. Quia in matrimonio corporali dotes assignantur ad matrimonii solatium.

3. Ornamenta sponsarum ad dotem pertinent. Sed sancti ad gloriam traducuntur ornati, secundum illud Isaiæ 61. « Induit me vestimentis salutis, quasi « sponsam ornatam monilibus suis. » Ergo, sancti in patria dotes habent.

Determinatio.

Conclusio. Beatis, quando ad gloriam transferuntur, aliqua dona divinitus dantur ad eorum ornatum, quæ dona convenienter á magistris dotes appellantur.

Manifestatur per deffinitionem dotis. *Dos* enim (prout nunc de dote loquimur) « est perpetuus animæ et corporis « ornatus vitæ sufficiens, in eterna beatitudine jugiter perseverans. » Et sumitur hæc descriptio ad similitudinem dotis corporalis, per quam sponsa ornatur, et providetur viro, unde possit sufficienter sponsam et liberos nutrire, et tamen inamissibiliter dos sponsæ conservatur, ut ad eam, si solvatur matrimonium, revertatur.

De ratione nominis dotis, diversæ positiones.

Sed de ratione nominis dotis, diversi diversimodo opinantur. Quidam enim dicunt, quod dos in proposito non accipitur ex aliqua similitudine ad matrimonium corporale, sed prout secundum modum loquendi, omnem perfectionem seu ornamentum cujuscumque hominis dotem nominamus : secundum quem

modum loquendi aliquis dicitur esse dotatus scientia, qui scientia pollet. Et Ovid. Usus est nomine dotis dicens: *Et quacumque potes dote placere, place.*

Reprobatio.

Sed hoc non videtur usquequaque conveniens, hac ratione. Quandocumque aliquod nomen est impositum ad aliquid principaliter significandum, non consuevit ad alia transferri, nisi secundum aliquam similitudinem ad illud. Sed dos, secundum primam nominis institutionem, ad carnale matrimonium pertinet. Ergo oportet quod in qualibet alia acceptione attendatur aliqua similitudo ad principale significatum.

Aliorum alia positio.

Et ideo alii dicunt, quod secundum hoc similitudo attenditur, quod dos proprie dicitur donum, quod in matrimonio datur sponsæ ex parte sponsi, quando in domum sponsi traducitur, ad ornatum sponsæ pertinens. Quod patet ex hoc, quod dixit Sichem Jacob, et filius ejus Genesi 34. « Augete dotem, et munera « postulate. » Et Exod. 22. « Si seduxe- « rit quis virginem, dormieritque cum « ea, dotabit eam et accipiet eam in « uxorem. » Et ad hujus similitudinem ornatus, qui á Christo exhibetur sanctis, quando traducuntur in domum gloriæ, dos nominatur.

Reprobatio.

Sed hoc manifeste est contra id quod juristæ dicunt, ad quos pertinet de dote tractare. Dicunt enim quod dos proprie est quædam datio ex parte mulieris facta his qui sunt ex parte viri, pro onere matrimonii, quod sustinet vir. Illud vero, quod sponsus dat sponsæ, vocatur donatio propter nuptias: et secundum hunc modum á juristis descriptum, accipitur dos. 3. Reg. 9. Ubi dicitur, quod « rex Pharao cœpit Gazer, et dedit « eam in dotem filiæ suæ uxori Salomo- « nis. Nec contra hoc faciunt duæ auctoritates in præcedenti positione inductæ, scilicet ex Gen. 34. et Exod. 22. in quibus habetur quod sponsus sponsæ dotem assignat. Quia quandoque contingit quod sponsus, vel pater sponsi assignat dotem vice patris puellæ: et hoc potest ex duplici causa contingere. Vel pro nimio affectu sponsi ad sponsam, sicut fuit de Sichem qui voluit assignare dotem, quam á sponsa debebat accipere, propter vehementem filii sui amorem ad puellam. Vel hoc fit in poenam sponsi, ut virgini á se corruptæ dotem de suo assignet, quam pater puellæ debuerat assignare. Et in hoc casu loquitur Moyses in auctoritate inducta, Exod. 22.

Vera sententia.

Et ideo secundum alios dicendum est, quod dos in matrimonio corporali proprie dicitur id quod datur ab his qui sunt ex parte mulieris his qui sunt ex parte viri, ad sustentanda onera matrimonii, ut cum juristis dictum est.

Sed tunc remanet difficultas. Quomodo hæc significatio possit aptari ad propositum, cum ornatus, qui sunt in beatitudine, dentur sponsæ spirituali á patre sponsi, ut in argüendo ostensum est. Sed solvendo argumenta apparebit, quomodo convenienter (hoc non obstante) illa dona dotes appellentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis dotes in carnali matrimonio assignentur sponso ad usum; proprietas tamen et dominium dotis pertinet ad sponsam: quod patet ex hoc quod soluto matrimonio, dos secundum jura remanet sponsæ. Et sic in matrimonio spirituali, ipsi ornatus qui sponsæ spirituali dantur, scilicet Ecclesiæ in membris suis, sunt quidem ipsius sponsi, in quantum ad ejus gloriam et honorem cedunt; sed sunt sponsæ, in quantum per eos ornatur: et quantum ad hoc tenet similitudo, et dotes dicuntur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod pater sponsi, scilicet Christi, est sola persona Patris. Pater autem sponsæ est tota Trinitas. Et quia effectus Dei in crea-

turis ad totam Trinitatem pertinet, dotes in spirituali matrimonio, proprie loquendo, magis dantur á Patre sponsæ, quæ est tota Trinitas, quam á Patre sponsi Christi, qui est solus Pater. Sed quamvis hæc collatio dotis ab omnibus personis divinis fiat; singulis tamen personis per aliquem modum potest appropiari. Personæ quidem Patris, ut danti, quia in ipso est auctoritas; ei etiam Paternitas respectu creaturarum appropriatur: ut sic idem sit pater sponsi et sponsæ. Filio vero appropriatur, in quantum propter ipsum et per ipsum dantur. Sed Spiritui Sancto, in quantum in ipso et secundum ipsum dantur. Amor enim est omnis dominationis ratio. Et sic simpliciter loquendo, minor non est undequaque vera.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod doti convenit aliquid per se, et aliquid per accidens. Per se convenit doti illud, quod per dotem efficitur, scilicet, solatium matrimonii. Per accidens convenit doti id, quod per eam removetur, scilicet onus matrimonii, quod per eam levigatur. Sicut gratiæ convenit per se facere justum; per accidens autem, quod de impio faciat justum. Quamvis ergo in matrimonio spirituali non sint aliqua onera, est tamen ibi summa jucunditas, et ad hanc jucunditatem perficiendam dantur sponsæ dotes, ut scilicet per eas delectabiliter sponso conjungatur.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod dotes non consueverunt assignari sponsæ, quando desponsatur, sed quando in domum sponsi traducitur, ut præsentialiter sponsum habeat. « Quamdiu autem in hac vita sumus, peregrinamur á Domino, » ut dicitur 2. Cor. 5. Et ideo dona quæ sanctis in hac vita conferuntur, non dicuntur dotes, sed illa quæ conferuntur eis, quando transferuntur in gloriam, in qua sponso præsentialiter perfruuntur, convenienter dotes nominantur.

Ad 5. Dicitur, quod major vera est de dotibus, quæ dantur in corporali matrimonio, in quo requiritur decor exterior; non autem de matrimonio spirituali, in quo interior tantum decor requiritur. Unde dicitur in Psal. 44. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Et ideo non oportet quod in matrimonio spirituali dotes exteriores assignentur, sicut fit in matrimonio corporali.

ARTICULUS II.

Utrum dos sit idem quod beatitudo.

Pro affirmativa. — Videtur quod dos sit idem quod beatitudo.

1. Ornatus animæ beatorum idem est quod beatitudo. Sed dos est animæ beatæ ornatus. Ergo dos est ipsa beatitudo.

Minor prob. Ex deffinitione dotis, qua dicitur quod « dos est ornatus corporis et animæ in æterna beatitudine « jugiter perseverans. »

2. Illud, per quod sponsa delectabiliter conjungitur sponso in matrimonio spirituali, est ipsa beatitudo. Sed dos dicitur illud, per quod sponsa delectabiliter sponso conjungitur. Ergo dos est idem quod beatitudo.

3. Visio, secundum August, lib. de Trin. cap. 8. *est tota substantia beatitudinis.* Sed una de dotibus est ipsa visio. Ergo dos est idem quod beatitudo.

4. Fruitio beatum facit. Sed una dos est fruitio. Ergo dos est ipsa beatitudo.

5. Ea, quæ perficiunt beatitudinem sunt beatitudinis partes. Sed status beatorum perficitur per dotes. Ergo dotes sunt beatitudinis partes.

Maior prob. quia secundum Boët. lib. 3. de consol. Theol. prosa 2. « Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quod datur sine meritis, non est ipsa beatitudo. Sed dos datur sine meritis. Ergo dos non est ipsa beatitudo.

Maior prob., quia beatitudo non da-

tur, sed redditur pro meritis.

2. Beatitudo est tantum una. Sed dotes sunt plures. Ergo beatitudo non est dos.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod beatitudo et dos sunt idem re, sed differunt ratione. Quod sint idem re, remanet probatum per argumenta pro affirmativa. Quod vero differant ratione, ostendunt, quia dos respicit spirituale matrimonium quod est inter Christum et animam, non autem beatitudo.

Reprobatio.

Sed hoc non potest esse (ut videtur) quia beatitudo consistit in operatione; dos autem non est operatio, sed magis qualitas vel dispositio quædam.

Verior positio.

Conclusio. Beatitudo et dos differunt non solum secundum rationem, sed etiam secundum rem.

Manifestatur, quia beatitudo dicitur ipsa operatio perfecta, qua anima beata Deo conjungitur. Dotes vero dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem: et sic dotes magis ad beatitudinem ordinantur, quam sint ipsa beatitudo, vel partes ejus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod beatitudo, proprie loquendo, non est animæ ornatus, sed est aliquid quod provenit ex animæ ornatu. Beatitudo enim est operatio, ornatus vero est quidam decor beati.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod beatitudo non ordinatur ad conjunctionem, sed est ipsa conjunctio animæ cum Christo, quæ est per operationem; dotes vero sunt dona disponentia ad hujusmodi conjunctionem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod visio dupliciter potest accipi. Uno modo pro ipso actu visionis. Alio modo pro habitu, á quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa gloriæ claritate, qua anima divinitus illustratur ad Deum videndum. Visio primo modo accepta est beatitudo, et non dos: visio vero secundo modo non est beatitudo, sed dos.

Ad 4. Eodem modo dicitur, quod fruitio actualiter accepta, est beatitudo. Habitualiter vero est dos.

Ad 5. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod beatitudo colligit omnia bona, non quasi omnia sint partes essentiæ beatitudinis, sed quædam sunt quasi ad beatitudinem aliquo modo ordinata.

ARTICULUS III.

Utrum competat Christo habere dotes.

Pro affirmativa. = Videtur quod Christo competat habere dotes.

1. Ei, cui sancti sunt conformes, competit habere dotes, sicut ipsis sanctis. Sed Christo in gloria sancti conformantur. Ergo Christo competit habere dotes, sicut et sanctis.

Minor prob. Ad Philip. 3. dicitur: « qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis « suæ. »

2. Ei, in quo invenitur spirituale matrimonium, competit habere dotes. Sed in Christo invenitur quoddam spirituale matrimonium. Ergo Christo competit habere dotes.

Maior prob., quia in spirituali matrimonio assignantur dotes ad similitudinem matrimonii corporalis.

Minor prob., quia in Christo invenitur quoddam spirituale matrimonium, quod est sibi singulare, scilicet, duarum naturarum in una persona, secundum quod dicitur, naturam humanam in ipso esse á Verbo desponsatam, ut patet ex Glossa ex Cassiod. super illud Psal. 18. « In « sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. » Et Apoc. 21. « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, » etc.

3. Sponsæ debentur dotes. Sed juxta

Aug. ad 3. de doctrina Christ. cap. 31. « Christus quandoque dicitur sponsa. » Ut Isaiæ 61. « Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Ergo Christo debentur dotes.

4. Omnibus membris Ecclesiæ debentur dotes. Sed Christus est membrum Ecclesiæ. Ergo Christo debentur dotes.

Maior prob., quia Ecclesia est sponsa.

Minor vero, quia 1. Cor. 12. dicitur: « Vos estis corpus Christi et membra de membro, id est, de Christo.

5. Ei, qui habet visionem, dilectionem, et fruitionem, competit habere dotes. Sed Christus habet perfectam visionem, dilectionem, et fruitionem. Ergo Christus habent dotes.

Maior prob., quia visio, dilectio, et fruitio sunt dotes.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Cui competit habere dotes, est sponsa. Sed Christus non est sponsa, sed sponsus. Ergo Christo non competit habere dotes.

Maior prob., quia dotes sponsæ, vel pro sponsa assignantur.

Minor prob., quia inter sponsum et sponsam exigitur distinctio personarum. Sed in Christo non est aliquid personaliter distinctum á filio Dei, qui est sponsus, ut patet Joan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ergo Christus non potest dici sponsa.

2. Qui dat spirituales dotes, non recipit dotes. Sed Christus est qui dat spirituales dotes. Ergo Christo non competit dotes recipere.

Maior prob., quia non est ejusdem dare, et recipere.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod in Christo est triplex unio. Una, quæ dicitur consentaneæ, qua Christus unitur Deo per conjunctionem amoris. Alia condignativa, et est, qua humana natura unitur divinæ. Tertia, qua ipse Christus unitur Ecclesiæ. Dicunt ergo, quod secundum duas primas uniones competit Christo habere dotes, sub ratione dotis; sed quantum ad tertiam, convenit ei excellentissime id quod est dos, non tamen sub ratione dotis: quia in tali conjunctione Christus est ut sponsus, et Ecclesia ut sponsa. Dos autem, quantum ad proprietatem et dominium, datur sponsæ, quamvis detur sponso ad usum.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur esse conveniens. In illa enim conjunctione, qua Christus unitur Patri per consensum amoris, etiam ut est Deus, non dicitur esse aliquod matrimonium, quia non est ibi aliqua subjectio, quam oportet esse sponsæ ad sponsum. Similiter etiam, in conjunctione humanæ naturæ ad divinam, quæ est in unione personæ, vel etiam per conformitatem voluntatis, propter tria non potest esse ratio dotis. Primo, quia exigitur conformitas naturæ inter sponsum et sponsam in matrimonio, in quo dantur dotes; et hoc deficit in conjunctione humanæ naturæ ad divinam. Secundo, quia exigitur ibi distinctio personarum; humana autem natura non est personaliter distincta á Verbo. Tertio, quia dos datur, quando sponsa de novo traducitur in domum sponsi, et sic videtur ad sponsam pertinere, quod de non conjuncta fiat conjuncta. Humana autem natura, quæ assumpta est in unitatem personæ á Verbo, numquam fuit, quin esset verbo perfecte conjuncta.

Vera sententia.

Conclusio. Christo, vel omnino non convenit ratio dotis, vel non ita proprie sicut aliis sanctis. Et tamen ea quæ dotes dicuntur, excellentissime ei conveniunt.

Prima pars hujus conclusionis remanet probata per rationes, quibus reprobata est præcedens positio.

Alteram vero partem probat argumentum quintum inductum pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod conformatio illa sanctorum ad Christum intelligenda est, secundum quod dotes quædam res sunt, non autem secundum quod habent rationem dotis; sic enim dotes non sunt in Christo. Nec oportet quod id, secundum quod Christo conformamur, sit eodem modo in Christo, et in nobis.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod natura humana non proprie dicitur esse sponsa in conjunctione illa, qua Verbo conjungitur, cum non servetur ibi personarum dictinctio qua inter sponsum et sponsam requiritur; sed quod quandoque dicatur humana natura desponsata, secundum quod Verbo conjuncta est, hoc est, in quantum habet aliquem actum sponsæ: quia scilicet inseparabiliter conjungitur, et quia in illa conjunctione humana natura est Verbo inferior, et per Verbum regitur, sicut sponsa per sponsum.

Ad 3. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod aliquando dicitur Christus sponsa, non quia ipse vere sit sponsa, sed in quantum sibi assumit personam sponsæ suæ, scilicet, Ecclesiæ, quæ est ei spiritualiter conjuncta. Unde nihil prohibet quin per illum modum loquendi, possit dici habere dotes, non quod ipse habeat, sed quia Ecclesia eas habet.

Ad 4. Dicitur quod nomen Ecclesiæ dupliciter accipitur. Quandoque enim nominat tantummodo corpus quod Christo conjungitur, sicut capiti, et sic tantum Ecclesia habet rationem sponsæ; ipse vero Christus non est Ecclesiæ membrum, sed caput influens in omnibus Ecclesiæ membris. Alio modo accipitur Ecclesia secundum quod nominat caput et membra capiti conjuncta. Et sic Christus aliquo modo potest dici membrum Ecclesiæ, in quantum habet distinctum officium abomnibus aliis, scilicet, influere aliis vitam. Quamvis Christus non multum proprie dicatur membrum: quia membrum importat partialitatem quamdam. In Christo autem bonum spirituale non est partitum, sed totaliter integrum. Unde ipse est totum bonum Ecclesiæ: nec est aliquid majus ipso et aliis, quam ipse solus. Sic autem loquendo de Ecclesia, nominat non solum sponsam, sed sponsum et sponsam, prout per conjunctionem spiritualem est ex eis efectum unum. Unde, licet Christus aliquo modo possit dici membrum Ecclesiæ; nunquam tamen potest dici membrum sponsæ, et sic ei non debentur dotes secundum rationem dotis. Ad formam igitur dicitur, quod, si accipiatur Ecclesia primo modo, est vera maior, sed est falsa minor. Omnibus enim membris Ecclesiæ primo modo acceptæ debentur dotes, sed Christus non est membrum Ecclesiæ sic acceptæ. Si vero accipiatur Ecclesia secundo modo, vera est aliquo modo minor, sed est falsa maior.

Ad 5. Jam dictum est quod probat secundam partem conclusionis. Conveniunt enim Christo excellentissime res quæ sunt dotes, non tamen conveniunt ei sub ratione dotis. Committitur ergo in argumento fallacia accidentis, transeundo á quid in qualiter.

ARTICULUS IV.

Utrum angeli habeant dotes.

Pro affirmativa. = Videtur quod angeli habeant dotes.

1. Membris Ecclesiæ convenit habere dotes. Sed angeli sunt membra Ecclesiæ. Ergo angelis competit habere dotes.

Maior prob., quia Ecclesia est sponsa.

Minor prob., quia super illud Cant. 6. *Una est columba mea*; dicit Gloss. Una Ecclesia in hominibus et angelis.

2. Sponsæ Christi debentur dotes. Sed multitudo angelorum est sponsa Christi. Ergo angelis debentur dotes.

Minor prob., quia super illud Lucæ 12. « Et vos similes hominibus expec« tantibus Dominum suum, quando re-

« vertatur á nuptiis, dicit Glos. ordin. Ad nuptias Dominus ivit, cum post resurrectionem novus homo angelorum multitudinem sibi copulavit.

3. His, qui sunt Deo per spirituale matrimonium conjuncti, debentur dotes. Sed angeli sunt Deo per spirituale matrimonium conjuncti. Ergo angelis debentur dotes.

Maior prob., quia dotes, de quibus nunc agitur, ratione spiritualis matrimonii assignantur.

Minor prob., quia spiritualis conjunctio, in qua spirituale matrimonium consistit, non est minor inter angelos et Deum, quam sit inter homines beatos et Deum.

4. Et est alia probatio minoris præcedentis argumenti. Spirituale matrimonium requirit spiritualem sponsum et spiritualem sponsam. Sed Christo, in quantum est summus spiritus, magis sunt in natura conformes angeli, quam homines. Ergo magis potest esse spirituale matrimonium angelorum ad Christum, quam hominum ad Christum.

5. Maior convenientia exigitur inter caput et membra, quam inter sponsum et sponsam. Sed conformitas, quæ est inter Christum et angelos, sufficit ad hoc quod Christus dicatur caput angelorum. Ergo eadem ratione, eadem conformitas sufficit ad hoc quod Christus dicatur sponsus angelorum. Et hæc est tertia probatio ejusdem minoris argumenti tertii.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Origenes super Cant. in prologo secundæ exposit. distinguit quatuor personas, scilicet, « sponsum et sponsam, « adolescentulas et sodales sponsi, » et dicit quod *angeli sunt sodales sponsi*. Sed dotes debentur tantum sponsæ. Ergo angelis non debentur dotes.

2. Illi, qui habent dotes, sunt membra Ecclesiæ, secundum quod Ecclesia est sponsa Christi. Sed angeli non sunt de Ecclesia; ut est sponsa Christi. Ergo angeli non habent dotes.

Maior patet, quia dotes sponsæ et membris sponsæ debentur.

Minor prob., quia Christus desponsavit sibi Ecclesiam per incarnationem et passionem. Unde figuratur per hoc quod dicitur Exodi 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es*. Sed Christus per incarnationem et pasionem, non aliter fuit conjunctus angelis, quam prius esset. Ergo angeli non pertinent ad Ecclesiam, ut est sponsa.

Determinatio.

Conclusio. Ea, quæ ad dotes animæ pertinent, conveniunt angelis, sicut et hominibus. Sed secundum rationem dotis, non ita proprie angelis, sicut hominibus conveniunt.

Quæ conclusio, quoad primam partem, scilicet, quod angelis conveniant res quæ sunt dotes, patet; quia angeli habent visionem, dilectionem, et fruitionem, excelenti modo. Quoad vero ad secundam partem, probatur et declaratur. Probatur, inquam, quod angelis non proprie conveniant res quæ sunt dotes secundum rationem dotis; hac ratione. Illi quibus competunt dotes secundum rationem dotis, convenit ratio sponsæ; cui soli dos debetur. Sed angelis non convenit proprie ratio sponsæ. Ergo eis non competunt dotes.

Minor manifestatur Nam inter sponsum et sponsam exigitur naturæ conformitas, ut scilicet sint ejusdem speciei. Sed angeli non habent naturam conformem Christo, ut est sponsus Ecclesiæ, sed solum homines, quibus filius Dei per humanæ naturæ assumptionem factus est conformis. Et ideo angelis non convenit ratio dotis ita proprie, sicut hominibus. Deinde declaratur conclusio quoad illos terminos, non ita proprie; nam in his quæ metaphorice dicuntur, non requiritur similitudo quantum ad omnia, et ideo non potest ex aliqua dissimilitudine concludi quod metaphorice aliquid de aliquo non prædicetur; et,

quia nomen dotis metaphorice accipitur in proposito; propterea ex ratione inducta ad probandam secundam partem conclusionis, non potest simpliciter haberi quod angelis non conveniant dotes, sed solum concluditur quod eis non ita proprie, sicut hominibus, ratione dissimilitudinis naturæ convenit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Quamvis enim angeli pertineant ad unitatem Ecclesiæ, non tamen sunt membra Ecclesiæ secundum quod Ecclesia dicitur sponsa Christi per conformitatem naturæ: et propter hoc non convenit eis proprie habere dotes.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod desponsatio illa large accipitur pro unione, quæ non habet conformitatem naturæ in specie, et sic etiam nihil prohibet ponere dotes in angelis, large accipiendo dotes.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod quamvis in matrimonio non sit nisi conjunctio spiritualis, tamen illos qui conjunguntur ad perfectam matrimonii rationem, oportet in specie naturæ convenire. Et propter hoc desponsatio proprie ad angelos non pertinet.

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod illa conformatio, qua angeli conformantur Christo in quantum est Deus, non est talis quod sufficiat ad perfectam rationem matrimonii, quia non est secundum convenientiam in eadem specie, sed adhuc remanet infinita distantia.

Ad 5. Dicitur dupliciter. Primo, negando minorem. Nam Christus non proprie dicitur caput angelorum secundum illam rationem, qua caput requirit conformitatem naturæ ad membra. Dicitur secundo ad maiorem quod, licet caput et alia membra sint partes individui et unius speciei; tamen, si unumquodque membrum per se consideretur, non est ejusdem speciei cum alio. Manus enim habet aliam speciem partis á capite. Unde, loquendo de membris secundum se, non requiritur inter ea alia convenientia quam proportionis, ut unum ab alio accipiat et unum alteri subserviat; et propterea convenientia, quæ est inter Deum et angelos, sufficit ad rationem capitis, non autem sufficit ad rationem sponsi et sponsæ quæ debent esse ejusdem naturæ et speciei. Unde maior non est simpliciter vera.

ARTICULUS V.

Utrum convenienter ponantur tres animæ dotes.

Pro negativa.=Videtur quod non convenienter ponantur tres animæ dotes, scilicet, *visio, dilectio, et fruitio*.

1. Anima conjungitur Deo secundum mentem, in qua est imago Trinitatis secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem. Sed dilectio pertinet ad voluntatem, visio ad intelligentiam, fruitio autem etiam ad voluntatem videtur pertinere. Ergo debet poni aliquid respondens memoriæ. Et sic erunt quatuor dotes. Vel istæ tres non convenienter assignantur.

2. Dotes beatitudinis debent respondere virtutibus viæ quibus Deo conjungimur, quæ sunt fides, spes, et charitas. Sed tres dotes assignatæ non respondent his tribus virtutibus. Ergo non convenienter assignantur.

Minor prob., quia dilectio respondet charitati, visio fidei fruitio; autem non respondet spei, sed potius charitati.

3. Deo non fruimur, nisi per dilectionem, et visionem. Ergo fruitio non debet poni alia dos á dilectione.

Antecedens probatur ex Augus. lib. 1. de Doctr. Christian. cap. 4. dicentis quod dicimur *illis frui quæ diligimus propter se.*

4. Ad perfectionem beatitudinis requiritur comprehensio. 1. Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis.* Ergo comprehensio debet poni quarta dos.

5. Anselmus dicit in lib. de similitudinibus cap. 48. quod hæc pertinent ad beatitudinem animæ; «sapientia, amici-

tia, concordia, potestas, honor, severitas, gaudium.» Et sic videtur inconvenienter assignari tantum tres dotes.

6. Aug. dicit lib. 22. de Civit. Dei, cap. ult. quod «Deus in illa beatitudine «sine fine videbitur, sine fastidio ama«bitur, sine fatigatione laudabitur.» Ergo laus inter dotes assignari debet.

7. Boet. lib. 3. de cons. pros. 10. Ponit quinque pertinentia ad beatitudinem, quæ sunt hæc, scilicet: *sufficientia*, quam promittunt divitiæ. *Jucunditas*, quam promittit voluptas. *Celebritas*, quam promittit fama. *Securitas*, quam promittit potentia. *Reverentia*, quam promittit dignitas. Et sic videtur quod istæ potius deberent assignari dotes, quam prædictæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est assignatio quorumdam ponentium has tres dotes.

Determinatio.

Diversæ positiones.

Ab omnibus communiter ponuntur tres animæ dotes: Diversimode tamen. Quidam enim dicunt quod tres animæ dotes sunt *visio*, *dilectio*, *et fruitio*. Quidam vero quod sunt *visio*, *fruitio*, *et comprehensio*. Quidam quod sunt *visio*, *dilectio*, *et comprehensio*.

Judicium de his positionibus, et vera sententia.

Omnes tamen hæ assignationes reducuntur ad idem; et eodem modo earum numerus assignatur. Unde ponitur sequens conclusio.

Conclusio. Convenienter tres animæ dotes ponuntur, scilicet, visio, dilectio, et fruitio.

Manifestatur. Dictum est enim art. 2. hujus quæst. quod dos est aliquid animæ inhærens, per quod anima ordinatur ad operationem, in qua consistit beatitudo. In qua operatione duo requiruntur, quorum primum est ipsa substantia operationis, et hæc est visio: et perfectio operationis, et hæc est delectatio. Et quod hæc duo requirantur ad beatitudinem patet, quia oportet beatitudinem esse operationem perfectam. Est ergo beatitudo visio delectabilis. Visio autem est delectabilis dupliciter. Uno modo ex parte objecti, in quantum id quod videtur, est delectabile. Alio modo ex parte visionis, in quantum ipsum videre, delectabile est. Sicut delectamur quandoque etiam videndo mala, quamvis mala nos non delectent. Et quia operatio illa, in qua beatitudo consistit, debet esse perfectissima, requiritur quod visio illa, in qua beatitudo consistit, sit utroque modo delectabilis, scilicet ex parte objecti et ex parte visionis. Ad hoc autem quod visio illa sit delectabilis ex parte visionis, requiritur quod sit facta connaturalis videnti, per aliquem habitum. Ad hoc vero quod sit delectabilis ex parte visibilis, requiruntur duo; scilicet, quod ipsum visibile sit conveniens, et quod sit conjunctum videnti. Ex his igitur quæ requiruntur ad delectabilem visionis, accipitur numerus dotium animæ beatæ. Ad hoc enim quod visio illa sit delectabilis ex parte sui, requiritur habitus per quem illa visio efficiatur connaturalis videnti, qui habitus visionem eliciat; et sic ponitur una dos, quæ ab omnibus dicitur visio. Ad hoc vero quod visio sit delectabilis ex parte objecti visibilis, requiritur convenientia, quæ est per affectum; et quantum ad hoc ponitur á quibusdam dos dilectio, et á quibusdam fruitio, secundum quod fruitio ad effectum pertinet. Illud enim, quod summe diligimus, convenientissimum æstimamus. Requiritur etiam ad hoc quod visio sit delectabilis ex objecto, conjunctio. Et sic ponitur á quibusdam comprehensio, quæ nihil aliud est, quam præsentialiter Deum habere, et in se ipso tenere. Sed secundum alios, ponitur fruitio, prout est non spei, sicut est in via, sed jam rei, sicut est in patria.

Et sic, secundum omnes, tres sunt

dotes animæ beatæ. Et iterum omnes ponunt visionem esse primam animæ dotem. Sed secundam quidam ponunt dilectionem, et quidam fruitionem. Tertiam vero quidam ponunt comprehensionem, et quidam fruitionem. Sed, ut ex dictis patet, dilectio et fruitio, ut ponuntur secunda dos, idem sunt; similiter comprehensio et fruitio, ut ponuntur tertia dos, idem etiam sunt.

Ex his probatur conclusio hoc modo. Tot sunt assignandæ dotes, quod sunt requisita ad perfectissimam delectationem operationis, in qua beatitudo consistit. Quia scilicet dotes ad hoc ponuntur. Sed tria requiruntur ad hoc quod visio beatifica sit delectabilis, ut dictum est: scilicet, habitus, per quem visio ex parte ipsius visionis sit delectabilis, ut sic fiat videnti connaturalis. Et hic habitus dicitur visio, ex quo elicitur actus visionis. Et convenientia objecti, et hoc fit per dilectionem vel fruitionem. Et conjunctio objecti ad videntem; et hoc fit per comprehensionem vel per fruitionem. Ergo convenienter tres dotes animæ beatæ assignantur.

Et sic tres dotes respondent tribus virtutibus theologicis; scilicet, visio fidei; spei comprehensio, vel fruitio; charitati vero fruitio, vel dilectio. Fruitio enim perfecta qualis in patria habebitur, includit in se dilectionem et comprehensionem: et ideo á quibusdam accipitur pro uno, et á quibusdam pro alio.

Quidam vero attribuunt has tres dotes tribus animæ viribus; visionem scilicet rationali, dilectionem concupiscibili, fruitionem vero irascibili, in quantum fruitio est per quamdam victoriam adepta.

Sed hoc non proprie dicitur, quia irascibilis et concupiscibilis non sunt in parte intellectiva, sed in parte sensitiva. Dotes autem animæ ponuntur in ipsa mente.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad conseq. quod memoria et intelligentia non habent nisi unam operationem, vel quia ipsa intelligentia est operatio memoriæ, vel si intelligentia dicatur esse potentia quædam, memoria non exit in operationem, nisi mediante intelligentia, quia memoriæ est notitiam retinere. Unde etiam memoriæ et intelligentiæ non respondet nisi unus habitus, scilicet notitia; et ideo utrique respondet una tantum dos, scilicet visio.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod fruitio respondet spei, in quantum includit comprehensionem, quæ spei succedet. Quod enim speratur, non habetur. Et ideo spes quodammodo affligit propter distantiam amati. Et propter hoc non remanebit spes in patria, sed succedet ei comprehensio.

Ad 3. Dicitur ad conseq. quod fruitio secundum quod includit comprehensionem, distinguitur á visione et dilectione, alio tamen modo quam distinguatur dilectio á visione. Dilectio enim et visio diversos habitus nominant, quorum unus pertinet ad intellectum, alter vero ad effectum. Sed comprehensio vel fruitio, secundum quod pro comprehensione ponitur, non important alium habitum ab illis duobus, scilicet, á visione et dilectione; sed importat remotionem impedimentorum, ex quibus efficiebatur, ut non posset mens Deo, quasi præsentialiter conjungi. Et hoc quidem fit per hoc quod ipse habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat. Sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatibus, et ad prædominandum corpori et ad alia hujusmodi, per quæ excluduntur impedimenta, quibus fit ut nunc peregrinemur á Domino.

Ad 4. Jam dictum est quod comprehensio ponitur una dos, non distincta tamen á dilectione, vel fruitione.

Ad 5. Dicitur quod dotes proprie sunt immediata principia illius operationis, in qua perfecta beatitudo consistit, per quam anima Christo conjungitur. Ea vero, quæ Anselmus enumerat

præter prædictas, non sunt dotes, sed sunt qualitercumque beatitudinem concomitantia vel consequentia, non solum in comparatione ad sponsum, ad quem sola sapientia inter enumerata ab eo pertinet, sed etiam in comparatione ad alios pates, ad quos pertinet amicitia, quantum ad unionem affectuum; et concordia quantum ad consensum in agendis; vel ad inferiores, ad quos pertinet potestas, secundum quod á superioribus inferiora disponuntur; et honor secundum id quod ab inferioribus superioribus exhibetur: et etiam per comparationem ad se ipsum, ad quos pertinet securitas, quantum ad remotionem mali; et gaudium, quantum ad adeptionem boni.

Ad 6. Dicitur quod laus, quæ ab Aug. ponitur tertium eorum quæ in patria erunt, non est dispositio ad beatitudinem, ut possit dici dos; sed magis ad beatitudinem consequens. Ex hoc enim ipso quod anima Deo conjungitur, in quo beatitudo consistit, sequitur quod in laudem prorumpat. Et propterea laus non habet rationem dotis.

Ad 7. Dicitur quod illa quinque supra dicta, quæ enumerat Boët. sunt quædam beatitudinis conditiones, non autem dispositiones ad beatitudinem, vel ad beatitudinis actum: eo quod beatitudo ratione suæ perfectionis, sola et singulariter habet per se ipsam quidquid ab hominibus in diversis rebus quæritur, ut patet 1. et 10. Ethic. cap. 7. lib. 3. de cons. Philo, prosa 10. Et secundum hoc ostendit Boët. illa quinque in vera beatitudine esse; quia hæc sunt, quæ ab hominibus in vera fælicitate temporali quæruntur, quæ vel pertinent ad immunitatem á malo, sicut est securitas; vel ad consecutionem boni convenientis, sicut jucunditas; vel perfecti, sicut sufficientia; vel ad manifestationem boni, sicut celebritas, in quantum bonum unius est in notitia multorum. Et reverentia, in quantum illius notitiæ, vel boni signum aliquod exhibetur. Reverentia enim consistit in exhibitione honoris, qui est testimonium virtutis. Unde patet quod ista quinque non debent dici dotes, sed quædam beatitudinis conditiones.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 183.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Isa. 61. quod ponendæ sunt dotes in hominibus beatis; et sic. *Induit me vestimentis salutis et quasi sponsam ornatam monilibus.* Ubi loquitur ad litteram de lætitia sempiterna, gaudio, et exultatione animæ, quam habebit in Deo suo: et consequenter per ipsa indumenta salutis, et monilia, intelligit aliqua ordinata aliquo modo ad beatitudinem illam pertinentia. Hæ autem sunt dotes, ut patet articulo *secundo*, in fine. Item ab Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Ubi matrimonium carnale monstrat significare spirituale: et per hoc ad similitudinem ipsius carnalis sumit convenienter aliqua similia in spirituali. Patet autem, quod in matrimonio carnali datur dos, et consequenter in spirituali convenienter dandam esse per hoc insinuat. Prædictam similitudinem subindicabit et Isaias ibi supra, dum ex monilibus in præsentis vitæ matrimonio sponsæ datis non recusavit nominare similiter ea quæ dantur animabus in spirituali matrimonio patriæ. Hanc et Joan. Apoc. 21. « Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo á Deo, paratam, sicut « sponsam ornatam viro suo. » Ubi clarius etiam demonstrat, dotes dari animabus sanctis. Hæ namque sunt illæ sponsæ, de quibus ait, quod sunt ornatæ viro suo, id est,

Christo: tamquam ex sensatis metaphorice loquens. Ex 1. par. q. 1. art. 9. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fundamentaliter á Philosoph. 1. Ethic. quod dos non est idem quod beatitudo: et sic. « Beatitudo inest homini secundum id, quod est potissimum in eo. » Potissimum autem in homine est animæ secundum partem intellectivam, et consequenter per hoc dixisse voluit, quod beatitudo proprie dicta non est in corpore. Patet autem, quod doti non repugnat esse in corpore: alioquin non assignarentur dotes corpori, quas tamen assignat Apostolus loco nunc citando. Item a. 1. Cor. 15. « Surget in incorruptione, surget in gloria, surget in virtute, surget spirituale. » Ecce quatuor dotes corporis. Item 2. Cor. 12. « Scio, hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum: et quoniam raptus est in paradisum. » Per quæ ostenduntur dotes animæ plures. Nam per ly *tertium cœlum* designatur contemplatio summa, seu visio: et per ly *paradisum* denotatur fruitio, cum cœlum de se dicat quid altissimum, et paradisus dicat quid delectabilissimum. Modo quis nesciat, solam unam beatitudinem attribui unicuique? unde Ps. 1. « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, » etc. designat per singularem locutionem, quod unius viri est tantum una beatitudo. Hoc idem, et clarius Matth. 10. significatur; dum beatitudo sanctis promissa vocatur denarius diurnus, ibi, *conventione autem sancta ex denario diurno.*

Per hoc ergo, quod scriptura sacra dotes plures assignat uni, unam vero beatitudinem tantum, ostendit, quod beatitudo, et dos non sunt idem. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Joan. 3. quod Christo non competit habere dotes, et sic. « Quem visit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. » Hæc ibi, sc. ei, quem misit. Cum ergo Christo data esse dona spiritus non ad mensuram dicat, testificatur per hoc, quod Christo proprie, sicut sanctis, dotes non conveniunt: quoniam particularizatæ non sunt in eo. Vide supra exam. post conc. Item ab eod. 1. "Plenum gratiæ, et veritatis: et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Ubi ratio dotium et excluditur á Christo, et affirmatur de aliis sanctis: ut patet inspicienti, et applicanti, secundum quod nunc supra ex Jo. 3. Item ab eod. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Item a. 2. Cor. 10. « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Ubi et denotatur, Christum esse sponsum: et per consequens ei non convenire dotes. Nam sponsæ, non autem sponso proprie secundum jura conveniunt ex art. 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Symbolo fidei, quod angeli non habent proprie dotes; et sic: "Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est, et passus. » Ubi nota ly *propter nos homines*, ad differentiam angelorum, pro quibus salvandis neque incarnatus, neque passus est. Et, quia talis salutis initium est fides, ut declarat Conc. Trid. sess. 6. ca. 8. cum Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, et expressit, ut sc. per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. » Et quia, inquam, fides est talis salutis initium, ideo incarnatus, et passus est, ut hominibus fidem conferret, mediante qua animæ eorum fiunt ejus sponsæ, juxta illud Os. 2. ubi ad animam Christus dicit: *sponsabo te mihi in fide.* Et, licet angeli habuerint fidem, tamen de illis numquam dictum est simile quid, ut in Osea, qui tamquam speciale quoddam, ad differentiam angelorum, dixit illud. Nec mirum est de ista differentia, quoniam secundum Aposto-

lum ad Hebræos: "Nusquam Angelos filius Dei apprehendit, sed semen Abrahæ." Hoc est, angeli non conveniunt cum Christo in natura creata. Patet autem, quod inter sponsum, et sponsam exigitur talis convenientia. Cum igitur scripturæ ostendant (ut connectentibus simul prædicta patet) animas hominum proprie dici sponsas Christi, non autem angelos, relinquitur, ut intelligamus, eas per hoc simul demonstrasse, quod Angeli proprie dotes non habent, sicut homines, cum dotem proprie nonnisi sponsa habeat. Faciunt etiam hæc ad art. 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum a. 1. Cor. 13. quod tres sunt dotes animæ, correspondentes fidei, spei, et charitati: et sic. « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc manent fides, spes, charitas: major autem horum est charitas. » Ubi dicens, quod nunc videmus per speculum, tunc autem facie ad faciem, et subdens de tribus illis, monstrat per hoc á simili, quod, sicut visio perfecta correspondet fidei, ita aliquid perfectum correspondebit spei, et aliquid idem perfectum correspondebit charitati. Ac si dixisset: videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem habebimus aliquid perfectum visioni huic respondens: speramus nunc id, quod non habemus, habebimus tunc aliquid huic spei perfecte respondens; charitate amamus nunc imperfecte, amabimus tunc perfecte. Ecce intentum. Illud enim perfectum respondens fidei est dos illa, quæ vocatur visio, respondens autem spei, est alia dos, quæ vocatur fruitio, id est, comprehensio, correspondens vero charitati est dos alia, quæ vocatur dilectio. Item á Joan. 17. « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. » Et Cantic. 1. "Tenuit eum, nec dimittam. » Et Isa. 31. Dixit Dominus cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem. Per hæc siquidem designantur dotes animæ: visio per Joannem, comprehensio per Cantic., dilectio per Isaiam. Qui tamquam á notioribus nobis loquens, dilectionem ipsam in præsenti vocat ignem, et in patria vocat caminum ignis. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAGESIMA QUARTA.

DE AUREOLIS, IN TREDECIM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de aureolis.

Circa quod quæruntur tredecim.

Primo, utrum aureola differat á præmio essentiali.

Secundo, utrum differat á fructu.

Tertio, utrum fructus soli virtuti continentiæ debeatur.

Quarto, utrum convenienter assignentur tres fructus tribus partibus continentiæ.

Quinto, utrum virginibus debeatur aureola.

Sexto, utrum debeatur martyribus.

Septimo, utrum debeatur doctoribus.

Octavo, utrum Christo debeatur.

Nono, utrum angelis.

Decimo, utrum corpori humano debeatur.

Undecimo, utrum convenienter tres aureolæ assignentur.

Duodecimo, utrum aureola virginum sit potissima.

Decimotertio, utrum unus alio intensius eamdem aureolam habeat.

ARTICULUS. 1.

Utrum aureola sit aliud á præmio essentiali quod aurea dicitur.

Pro negativa. = Videtur quod aureola non sit aliquod aliud præmium á præmio essentiali quod aurea dicitur.

1. Illud quod includitur in beatitudi-

ne, non est aliud præmium á beatitudine. Sed aureola includitur in beatitudine. Ergo aureola non est aliud præmium ab aurea, quæ est essentiale præmium.

Minor prob., quia beatitudo, quæ habetur in patria, omnẽ bonum includit. Unde Boët. lib. 3. de Consol. philos. prosa 2. dicit quod beatitudo *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

2. *Magis et minus* non diversificant speciem. Sed aurea et aureola non videntur diferre, nisi secundum magis et secundum minus. Ergo aurea et aureola non diferunt secundum speciem præmii.

Minor, quia aurea datur servantibus præcepta, aureola autem servantibus præcepta et consilia; quæ præmia non videntur differre, nisi secundum magis et minus.

3. Radix totius meriti est charitas, cui respondet aurea in patria. Ergo in patria non erit aliquod præmium ab aurea distinctum.

Conseq. probatur, quia præmium respondet merito: unde, sicut unum tantum est meritum, unum est præmium.

4. Præmium quod erit omnibus commune, non est distinctum ab aurea quod est essentiale præmium. Sed in patria omne præmium erit beatis omnibus commune. Ergo nullum præmium erit ab aurea distinctum.

Maior patet, quia essentiale præmium erit omnibus commune.

Minor prob., quia «omnes homines «beati assumuntur ad ordines angelo«rum,» ut Greg. hom. 21. et 34. in Evang. dicit: in quibus, «licet, quæ«dam data sint quibusdam excellenter, «nihil tamen ibi possidetur singulariter,» ut idem Greg. dicit.

5. Excellentiori merito, excellentius debetur præmium. Sed aurea debetur operibus quæ sunt in præcepto, aureola vero his quæ sunt in consilio, quæ perfectiora sunt. Ergo, si aureola ab aurea distingueretur, sequeretur quod aureola esset excellentius præmium, quam aurea.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Super illud Exod. 25. *Facies et alteram coronam aureolam*, dicit Glos. ordin. Ad coronam pertinet canticum novum quod virgines tantum coram agno concinunt. Ex quo videtur quod aureola sit quædam corona non omnibus, sed aliquibus specialiter reddita. Aurea autem omnibus beatis redditur.

In forma. Præmium, quod tantum quibusdam beatis redditur, est aliud ab aurea. Sed aureola tantum quibusdam redditur, ut Glos. ordin. dicit. Aurea autem omnibus. Ergo aureola differt ab aurea.

2. Ubi est specialis ratio certaminis et victoriæ, ibi debet esse corona specialis. Sed in aliquibus operibus est specialis ratio certandi. Ergo præ aliis aliam coronam habere debent, quæ est aureola.

Maior probatur, quia pugnæ, quam sequitur victoria, debetur corona, 2. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Unde speciali pugnæ specialis debetur corona.

3. In Ecclesia militante, habentibus specialia opera redduntur specialia præmia; sicut victoribus corona, currentibus bravium, etc. Ergo similiter debet esse in Ecclesia triumphante.

Conseq. prob., quia Ecclesia militans á triumphante descendit, ut patet Apoc. 21. *Vidi civitatem sanctam, etc.*

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt quod aurea et aureola non distinguuntur ab invicem, sed quod ipsum præmium commune, quod est aurea, accipit nomen aureolæ, secundum quod virginibus, vel martyribus, vel doctoribus redditur; sicut et denarius accipit nomen debiti, ex hoc quod alicui debetur, quamvis omnino idem sit debitum et denarius. Non tamen ita quod præmium essentiale oporteat esse maius, quando aureola dicitur; sed, quia excellentiori actui respondet, non quidem secundum intensionem meriti, sed

secundum modum merendi, ita ut, etsi in duobus sit æqualis limpiditas divinæ visionis, in uno tamen dicetur aureola, non in altero, in quantum in uno correspondet excellentiori merito, secundum modum agendi.

Reprobatio.

Sed hoc videtur esse contra intentionem Gloss. inductæ in primo argumento pro affirmativa. Si enim idem esset aurea et aureola, non diceretur aureola aureæ superponi. Et præterea, cum merito respondeat præmium, oportet quod illi excellentiæ meriti, quæ est ex modo agendi, respondeat aliqua excellentia in præmio, et hanc excellentiam aureolam vocamus.

Vera sententia.

Conclusio. Aureola est aliud á præmio essentiali, quod aurea dicitur.

Prob. Illud quod additur præmio essentiali, est aliud á præmio essentiali. Sed aureola superadditur præmio essentiali. Ergo aureola est præmium distinctum á præmio essentiali, quod aurea dicitur.

Maior patet, quia nihil dicitur superaddi sibi ipsi.

Minor manifest. ostendendo, quid sit aurea et quid aureola, ex quo patebit quod unum alteri superadditur. Sciendum est igitur quod præmium essentiale hominis quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum eó perfecte fruitur ut viso et amato perfecte. Hoc autem præmium metaphorice corona dicitur, vel aurea. Tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur, (Militia enim est vita hominis super terram Job. 7.) Tum etiam ex parte præmii, per quod homo quodammodo efficitur Divinitatis particeps, et per consequens regiæ potestatis, Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, etc. Corona autem est signum regiæ potestatis. Et eadem ratione, præmium accidentale quod essentiali additur, coronæ rationem habet. Significat etiam corona perfectionem quamdam ratione figuræ circularis, ut ex hoc etiam competat perfectioni beatorum. Huic autem essentiali præmio superadditur aliquod aliud præmium accidentale, et hoc dupliciter: Uno modo ex conditione naturæ ejus qui præmiatur, sicut supra beatitudinem animæ gloria corporis adjungitur. Et hoc præmium interdum aureola vocatur. Unde, super illud Exod. 25. *Facies et alteram coronam aureolam*, dicit Glos. ordin. quod in fine aureola superponitur, cum in scriptura dicatur quod eis sublimior gloria in receptione corporum servetur. Sed sic de aureola nunc non agitur. Alio modo potest præmio essentiali superaddi præmium accidentale ex ratione operis meritorii. Opus autem habet rationem meriti ex duobus, ex quibus etiam habet rationem bonitatis, scilicet: ex radice charitatis, qua refertur in finem ultimum, et sic operi debetur præmium essentiale, scilicet perventio in finem quæ est aurea: et ex ipso genere actus, qui laudabilitatem quamdam habet ex debitis circumstantiis et ex habitu eliciente et proximo fine, et sic debetur operi aliquod accidentale præmium quod aureola dicitur; et hoc modo de aureola est sermo præsens. Aureola igitur dicitur aliquid aureæ superadditum, id est, quoddam gaudium de operibus á se factis, quæ habent rationem excellentis victoriæ, quod est aliud gaudium ab eo quod de conjunctione ad Deum quis gaudet; et sic patet minor, quæ erat probanda. Patet enim quid sit aurea et quid aureola, et quomodo aureola aureæ superponatur, ac per hoc quomodo distinguantur ab invicem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod beatitudo includit omnia bona, quæ sunt necessaria ad perfectam hominis vitam, quæ consistit in perfecta hominis operatione; sed quædam possunt superaddi, non quasi necessaria ad

perfectam operationem, ut sine eis esse non possit, sed quia, his additis, est beatitudo clarior; unde pertinent ad bene esse beatitudinis et ad decentiam quamdam ipsius. Et hoc modo se habet aureola ad beatitudinem patriæ.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod ille qui servat consilia et præcepta, semper magis meretur quam ille qui servat præcepta tantum, secundum quod ratio meriti consideratur in operibus ex ipso genere operum, non autem semper magis meretur, secundum quod ratio meriti pensatur ex radice charitatis; cum quandoque aliquis ex majori charitate servet præcepta tantum, quam alii præcepta et consilia. Sed ut in pluribus accidit quod servantes præcepta et consilia magis merentur, quia *probatio dilectionis exhibitio est operis*. Non ergo ipsum essentiale præmium magis intensum dicitur aureola; sed id quod præmio essentiali superadditur indifferenter, sive majus præmium essentiale habentis aureolam, sive minus, sive æquale præmio essentiali aureolam habentis.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod charitas est primum principium merendi, actus tamen noster est quasi instrumentum quo meremur. Ad consequendum autem effectum, non solum requiritur dispositio in primo movente, sed requiritur etiam recta dispositio in instrumento. Et ideo in effectu aliquid consequitur ex parte primi principii quod est principale, et aliquid ex parte instrumenti quod est secundarium. Unde in præmio aliquid est ex parte charitatis, scilicet, aurea, et aliquid ex genere operationis, scilicet, aureola.

Ad 4. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod non est simile de angelis et hominibus beatis in proposito: nam omnes angeli in eodem genere actus suam beatitudinem meruerunt, scilicet, in hoc quod sunt conversi ad Deum; et ideo nullum singulare præmium invenitur in uno quod alius aliquo modo non habeat. Homines autem diversis actuum generibus beatitudinem meruerunt. Potest etiam dici, quod etiam in hominibus beatis nihil singulariter possidetur, quia, quod unus singulariter habere videtur, quodammodo omnes communiter habent, in quantum per charitatem perfectam unusquisque bonum alterius suum reputat. Non tamen hoc gaudium, quo unus alteri congaudet, potest aureola nominari, quia non datur in præmium victoria ejus qui gaudet, sed magis respicit victoriam alienam. Corona autem ipsis victoribus redditur, non victori congaudentibus.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod maior est excellentia meriti, quæ consurgit ex charitate, quam illa, quæ consurgit ex genere actus. Sicut finis, ad quem ordinat charitas, potior est his quæ sunt ad finem, circa quæ actus nostri consistunt. Unde etiam præmium respondens merito ratione charitatis, quantumcumque parvum sit, majus est quolibet præmio respondente actui, ratione sui generis, et ideo aureola diminutive dicitur ab aurea.

ARTICULUS II.

Utrum aureola differat á fructu.

Pro negativa. = Videtur quod aureola non differat á fructu.

1. Præmia quæ respondent eidem merito, sunt idem. Sed aureola et fructus respondent eidem merito. Ergo aureola et fructus sunt idem.

Maior prob., quia eidem merito non debentur diversa præmia.

Minor prob., quia virginitati respondet aureola, et fructus centesimus, ut patet in Gloss. ordin. Matt. 13.

2. Fructus est quoddam præmium commune virginibus et martyribus. Ergo aureola est idem quod fructus.

Antecedens prob., quia Aug. dicit in lib. de Virginit. cap. 45. quod «centesimus fructus debetur martyri, et virginibus.

Conseq. prob., quia eisdem etiam debetur aureola.

3. Præmium accidentale essentiali superadditum, est idem quod aureola. Sed fructus est præmium accidentale, essentiali superadditum. Ergo fructus est idem quod aureola.

Maior prob., quia in beatitudine non invenitur nisi duplex præmium, scilicet, essentiale, et accidentale, quod essentiali superadditur. Hoc autem est aureola, quod patet Exod. 25. ubi dicitur quod aureola, aureæ superponitur. Omne igitur præmium superpositum essentiali, est aureola.

Minor prob., quia fructus, si esset præmium essentiale, deberetur omnibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Quæcumque non sunt ejusdem rationis, sunt ejusdem divisionis. Sed fructus et aureola non similiter dividuntur. Ergo fructus et aureola ab invicem differunt.

Minor prob., quia aureola dividitur in aureolam virginum, martyrum, et doctorum. Fructus autem in fructum conjugatorum, viduarum, et virginum.

2. Si fructus et aureola essent idem, cuicumque debetur fructus, debetur et aureola. Sed hoc est falsum, quia viduitati debetur fructus, et non aureola. Ergo fructus differt ab aureola.

Determinatio.

Conclusio. Aureola differt á fructu.

Probatur et declaratur. Probatur, inquam, per duo argumenta inducta pro affirmativa, quia, scilicet, aureola et fructus non sunt ejusdem divisionis; et quia aliquibus debetur fructus, quibus non debetur aureola.

Declaratur vero ostendendo quomodo, et per quid distinguatur aureola á fructu, circa quod variæ sunt positiones.

Prima positio.

Quidam distinguunt inter aureolam et fructum, dicentes quod aureola debetur pugnanti, juxta illud 2. Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit, fructus autem debetur laboranti, secundum illud Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus.

Reprobatio.

Sed contra hoc est, quia labor et pugna sunt in eodem secundum idem. Unde, si tantum per hoc distingueretur aureola á fructu, sequeretur quod differrent tantum secundum rationem; et sic quorumcumque esset aureola, esset etiam fructus; et é converso.

Secunda positio.

Alii vero dicunt quod aurea respicit conversionem ad Deum; aureola et fructus consistunt in his quæ sunt ad finem; ita tamen quod fructus principalius respicit voluntatem, aureola autem magis respicit corpus.

Reprobatio.

Sed ex hac positione sequeretur idem inconveniens. Quia enim præmium corporis ex animæ præmio dependet, si aurea non differret á fructu, nisi per hoc quod corpus respicit, cuicumque conveniret fructus, conveniret et aureola, cum in omnibus beatis, post resurrectionem, futura sit gloria corporis.

Vera sententia.

Ad habendam veram differentiam inter aureolam et fructum, videndum est quomodo accipiatur fructus in proposito. Ad cujus evidentiam est considerandum, quod fructus in proposito metaphorice dicitur; proprie enim dicitur fructus in rebus corporalibus á terra nascentibus. Et quia ea quæ metaphorice dicuntur, possunt varie accipi, secundum adaptationem ad proprietates ejus, á quo fit transsumptio, ideo secundum diversos conditiones, quæ in fructibus corporalibus inveniri possunt, diversimode fructus spiritualiter accipitur.

Fructus autem corporalis plures habet conditiones. Primo enim habet dulcedinem, qua reficit secundum quod in usu hominis venit. Est etiam ultimum, ad quod operatio naturæ pervenit. Est et

id quod ex agricultura expectatur per seminationem, vel per quoscumque alios modos.

Primo igitur accipitur fructus spiritualiter pro eo quod reficit, quasi ultimus finis; et secundum hanc significationem dicimur Deo frui, perfecte quidem in patria, imperfecte autem in via; et ex hac significatione accipitur fruitio, quæ est dos; et sic nunc non loquimur de fructibus.

Secundo, sumitur fructus spiritualiter pro eo quod reficit tantum, quamvis non sit ultimus finis. Et sic virtutes fructus dicuntur, in quantum *mentem sincera dulcedine reficiunt*, ut Amb. dicit lib. de Parad. c. 13. Et sic accipitur fructus, ad Gal. 5. *Fructus autem spiritus gaudium*, etc.

Tertio modo potest sumi fructus spiritualis ad similitudinem corporalis, in quantum corporalis fructus est quoddam commodum, quod ex labore agriculturæ expectatur. Ut sic fructus dicatur illud præmium, quod homo consequitur ex labore, quo in hac vita laborat, et sic omne præmium, quod in futuro habebitur, ex nostris laboribus fructus dicitur. Et sic accipitur fructus. Ad Rom. 6. «Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.» Et sic etiam nunc de fructu non agimus.

Quarto modo potest accipi fructus spiritualiter ad similitudinem corporalis fructus, secundum quod ex semine consurgit. Et sic nunc de spirituali fructu loquimur. Sic enim de fructu loquitur Dominus, Matt. 13. Ubi fructum dividit in trigesimum, sexagesimum, et centesimum. Fructus autem potest prodire ex semine secundum hoc, quod vis sementina est efficax ad convertendum humores terræ in suam naturam, et quanto hæc virtus est efficacior et terra ad hoc paratior, tanto fructus sequitur uberior. Spirituale autem semen, quod in nobis seminatur, est Verbum Dei. Unde, quanto aliquis magis in spiritualitatem convertitur, á carne recedens, tanto est in eo maior fructus Verbi.

Secundum hoc igitur fructus differt ab aurea et ab aureola, quia aurea consistit in gaudio, quod habetur de Deo; aureola in gaudio quod habetur de perfectione operum. Fructus autem in gaudio, quod habetur de ipsa dispositione operantis, secundum gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine Verbi Dei. Et hæc est vera differentia inter auream, aureolam, et fructum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod non est inconveniens eidem merito, secundum diversa quæ in ipso sunt, diversa præmia respondere; unde et virginitati respondet aurea, secundum quod propter Deum servator imperio charitatis; et aureola, secundum quod est quoddam perfectionis opus habens rationem victoriæ excellentis; fructus vero, secundum quod per virginitatem homo in quamdam spiritualitatem transit á carnalite recedens.

Ad 2. Negatur antecedens. Fructus enim secundum propriam acceptionem, prout nunc de fructu loquimur, non dicit præmium commune martyrio et virginitati, sed tribus continentiæ gradibus. Ad prob. dicitur, quod Gloss. illa, quæ ponit fructum centesimum martyribus respondere, large accipit fructum secundum quod quælibet remuneratio fructus dicitur, ut sic per centesimum fructum remuneratio designetur, quæ quibuslibet operibus perfectionis debetur.

Ad 3. Negatur maior. Non enim omne accidentale præmium est aureola, sed aureola est præmium de operibus perfectionis, quibus homo maxime conformatur Christo, secundum perfectam victoriam; unde non est inconveniens, quod abstractioni á carnali vita aliquod aliud accidentale præmium debeatur, quod fructus dicitur.

ARTICULUS III.

Utrum fructus debeatur soli virtuti continentiæ.

Pro negativa.—Videtur quod fructus non debeatur soli virtuti continentiæ.

1. Quia super illud 1. Cor. 15. *Alia claritas solis*, et c. dicit Gloss. quod claritati solis illorum dignitas comparatur, qui centesimum fructum habent; lunari autem, qui sexagesimum; stellis vero, qui trigesimum. Sed illa diversitas claritatis, secundum intentionem Apostoli, pertinet ad quamcumque beatitudinis differentiam. Ergo diversi fructus non debent respondere soli virtuti continentiæ.

2. Fruitio pertinet ad præmium essentiale quod omnibus virtutibus respondet. Sed fructus á fruitione dicitur. Ergo fructus omnibus virtutibus, et non soli continentiæ respondet.

3. Fructus labori debetur, secundum illud Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Sed in fortitudine est maior labor, quam in temperantia, vel in continentia. Ergo fructus non respondet soli continentiæ, sed etiam fortitudini.

4. Maior est labor parsimoniæ, quam continentiæ. Ergo parsimoniæ magis respondet fructus, quam continentiæ.

Antecedens prob., quia difficilius est non excedere modum in cibis, qui sunt necessarii ad vitam, quam in venereis, sine quibus vita potest conservari.

5. Quod importat refectionem, debetur etiam Theologicis virtutibus. Sed fructus refectionem importat. Ergo fructus debetur etiam Theologicis virtutibus.

Maior prob., quia refectio est de fine; Theologicæ autem virtutes habent Deum, qui est ultimus finis, pro objecto.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Gloss. ordin. super Matt. 13. *aliud trigesimam*, et assignat fructus virginitati, viduitati, et continentiæ conjugali, quæ sunt partes continentiæ.

ARTIC. III.

Determinatio.

Conclusio. Fructus magis respondet continentiæ, quam alteri virtuti.

Prob. Virtuti, quæ hominem præcipue á subjectione carnis liberat, precipue respondet fructus. Sed continentia præcipue hominem á subjectione carnis liberat. Ergo continentiæ magis, quam alteri virtuti fructus respondet.

Maior prob., quia fructus est quoddam præmium, quod debetur homini ex hoc quod á carnali vita in spiritualem transit; et ideo illi virtuti præcipue fructus respondet, quæ hominem præcipue á subjectione carnis liberat.

Minor prob. quia per delectationes venereas, anima præcipue carni subditur; adeo ut in actu carnali, secundum Jeron. Epist. ad Geront. de monogamia, nec spiritus Profetiæ corda tangit Prophetarum. «Nec in illa delectatione «est possibile aliquid intelligere.» ut dicitur 7. Ethic. Et ab hac subjectione, continentia hominem liberat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Gloss. illa accipit fructum large, secundum quod quælibet remuneratio fructus nominatur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod fruitio non sumitur á fructu, prout nunc de fructu loquimur, ut patet art. præced. in corp.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod fructus, secundum quod nunc de fructu loquimur, non respondet labori ratione fatigationis, sed secundum quod per laborem semina fructificant. Unde et ipse segetes labores dicuntur, in quantum propter eas laboratur, vel labore acquiruntur. Similitudo autem fructus, secundum quod oritur ex semine, magis aptatur continentiæ, quam fortitudini; quia per passiones, circa quas est fortitudo, homo non subditur carni, sicut per passiones, circa quas est continentia.

Ad 4. Neg. anteced. Ad prob. dicitur, quod quamvis delectationes quæ sunt in cibis, sint magis necessariæ quam

illæ quæ sunt in venereis, non tamen sunt ita vehementes. Unde per eas anima non subditur carni.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod fructus non sumitur hic secundum quod frui dicitur, qui reficitur in fine, sed alio modo, ut in hoc et in præcedenti articulo ostensum est.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter assignentur tres fructus, tribus continentiæ partibus.

Pro negativa. — Videtur quod inconvenienter assignentur tres fructus tribus continentiæ partibus.

1. Galat. 5. Ponuntur duodecim fructus spiritus. *Gaudium, pax*, etc. Ergo videtur quod non debeant poni tantum tres fructus.

2. Fructus nominat aliquod præmium speciale. Sed præmium, quod assignatur virginibus, viduis et conjugatis non est speciale. Ergo inconvenienter tribus gradibus continentiæ tres fructus assignantur.

Minor prob., quia omnes salvandi continentur sub aliquo horum trium, cum nullus salvetur qui continentia careat; et continentia per has tres species sufficienter dividatur.

3. Sicut viduitas excedit continentiam conjugalem, ita virginitas vidualem. Sed non similiter excedit sexagenarius tricenarium, sicut centenarius sexagenarium, ut de se patet. Ergo inconvenienter aptantur fructus tribus continentiæ gradibus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est communis doctorum positio. Ut Bedæ in Luc. et Jeron. lib. 1. contra Jovin.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter assignantur tres fructus, tribus continentiæ partibus, scilicet, fructus trigesimus, conjugatis. Sexagesimus viduis, et centesimus virginibus.

Prob. Tribus spiritualitatis gradibus convenienter tres fructus assignantur. Sed tres continentiæ partes, tres faciunt spiritualitatis gradus. Ergo tribus continentiæ partibus convenienter tres fructus assignantur.

Maior prob. quia fructus respondent diversis spiritualitatis gradibus. Unde, secundum numerum graduum spiritualitatis, convenienter assignatur numerus fructuum.

Minor manifestatur. Nam spiritualitas duplex est. Una quæ est necessaria, et alia est superabundans. Necessaria spiritualitas est in hoc quod rectitudo spiritus ex delectatione carnis non pervertatur, quod fit cum aliquis per rectum ordinem rationis utitur delectationibus carnis. Et hæc est spiritualitas conjugatorum. Spiritualitas vero superabundans est, per quam homo ab hujusmodi delectationibus carnis spiritum suffocantibus omnino se abstrahit. Sed hoc contingit dupliciter, vel respectu cujuslibet temporis, præteriti, præsentis et futuri. Et hæc est spiritualitas Virginum, vel secundum aliquod tempus, Et hæc est spiritualitas viduarum. Servantibus ergo continentiam conjugalem, datur fructus trigesimus, vidualem sexagesimus, virginalem centesimus. Quare autem in specie conjugatis trigesimus, viduis sexagesimus, et virginibus centesimus assignentur, docet Jer. contra Jovin. et Beda, citati in argum. pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod ibi fructus non accipiuntur hoc modo, sicut de his nunc loquimur, ut in præcedentibus articulis dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod nihil cogit ad ponendum fructum esse speciale præmium, et non esse commune omnibus salvandis. Non enim solum essentiale præmium commune est omnibus, sed etiam aliquod accidentale, sicut gaudium de operibus illis, sine quibus non est salus. Potest etiam dici

negando minorem. Ad prob. dicitur, quod hujusmodi fructus non conveniunt omnibus salvandis, sicut patet de his qui incontinenter vixerunt, sed in fine pœnitentiam egerunt. Eis enim non debetur fructus, sed essentiale præmium tantum.

Ad 3. Dicitur, quod, quia conjugatus abstinet á non sua tantum, et vidua á suo et non suo, ideo status vidualis excedit statum conjugalem in duplo, sicut sexagesimus trigesimum. Centenarius autem excedit sexagenarium per quadragenarium, qui consurgit ex ductu quaternarii in denarium. Quaternarius autem est primus numerus solidus et cubicus: et sic convenit talis additio virginitati, quæ supra perfectionem viduitatis perpetuam incorruptionem adjungit.

ARTICULUS V.

Utrum aureola debeatur ratione virginitatis.

Pro negativa. — Videtur quod ratione virginitatis non debeatur aureola.

1. Ubi est maior difficultas in opere, ibi debetur majus præmium. Sed maiorem difficultatem patiuntur in abstinendo á delectationibus carnis viduæ, quam virgines. Ergo aureola magis debetur viduis, quam virginibus.

Minor prob. Tum auctoritate Jeronymi in Epistola ad Geruntiam de Monogamia. Tum Phil. in lib. de Histor. Animal. cap. 1. dicentis quod « Juvenes « corruptæ magis appetunt coitum, prop« ter commemorationem delectationis. »

2. Si virginitati deberetur aureola, ubi esset perfectissima virginitas, maxime inveniretur aureola. Sed in Beata Virgine est perfectissima virginitas, unde et *virgo virginum* nominatur, et tamen ei non debetur aureola, quia nullam pugnam sustinuit in continendo, cum non fuerit infestata corruptione fomitis. Ergo virginitati non debetur aureola.

3. Ei, quod non est secundum omne tempus laudabile, non debetur præmium excellens. Sed virginitatem servare in statu innocentiæ, non fuisset laudabile, cum tunc præceptum esset; *crescite et multiplicamini*. Nec tempore legis, quando steriles erant maledictæ. Ergo virginitati aureola non debetur.

4. Non debetur idem præmium virginitati servatæ et virginitati amissæ. Sed pro virginitate amissa quandoque datur aureola, ut si aliqua invita prostituatur á Tyranno, quia Christum confitetur. Ergo virginitati servatæ non debetur aureola.

5. Excellens præmium non debetur ei quod inest nobis á natura. Sed virginitas inest cuilibet homini, et bono et malo, á natura. Ergo virginitati aureola non debetur.

6. Sicut se habet viduitas ad fructum sexagesimum, ita virginitas ad fructum centesimum et ad aureolam. Sed non cuilibet viduæ debetur fructus sexagesimus, sed solum voventi viduitatem: ut quidam dicunt. Ergo videtur, quod nec cuilibet virginitati aureola debeatur, sed solum ex voto servatæ.

7. Præmium non respondet necessitati. Sed quidam sunt virgines ex necessitate, ut naturaliter frigidi et Eunuchi. Ergo virginitati non semper aureola debetur.

Maior prob., quia omne meritum in voluntate consistit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Exod. 25. *Facies, et alteram coronam aureolam*, dicit Gloss. ordin. Ad coronam pertinet canticum novum, quod virgines coram agno concinunt, scilicet, *qui sequuntur agnum quocumque ierit*. Ergo præmium, quod virginitati debetur, est aureola.

Determinatio.

Conclusio. Virginitati specialis corona debetur, quæ aureola nominatur.

Prob. Ubi est præcellens ratio victoriæ, ibi debetur aliqua specialis corona. Sed per virginitatem aliquis singularem quamdam victoriam obtinet de carne,

contra quam continue bellum geritur, ut patet Galat. 5. *Spiritus concupiscit adversus carnem*, etc. Ergo virginitati specialis corona debetur, quæ aureola nominatur.

Cui virginitati debeatur aureola.

Quod virginitati aureola debeatur, ab omnibus communiter tenetur. Sed, cui virginitati debeatur aureola, non similiter omnes dicunt.

Prima positio.

Quidam enim dicunt, aureolam actui deberi. Unde, illa quæ actu virginitatem servat, aureolam habebit, si sit de numero salvandorum.

Reprobatio.

Sed hoc videtur esse inconveniens, quia secundum hoc, illæ quæ habent voluntatem nubendi, et tamen antequam nubant, decedunt, aureolam haberent.

Secunda positio.

Unde alii dicunt, quod aureola debetur statui et non actui, ut illæ tantum virgines aureolam mereantur, quæ in statu virginitatis perpetuæ servandæ, per votum se posuerunt.

Reprobatio.

Sed hoc etiam non videtur conveniens. Quia aliquis ex pari voluntate potest servare virginitatem non vovens, sicut aliquis alius vovens.

Vera sententia.

Et ideo aliter dici potest quod meritum omne debetur actui virtutis á charitate imperato. Virginitas autem secundum hoc, ad genus virtutis pertinet, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis sub electione cadit, ut patet ex his, quæ dicta sunt 2. 2. quæst. 152. artic. 3. Et ideo, illis tantum virginibus aureola debetur proprie, quæ propositum servandi perpetuo virginitatem habuerunt, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non. Et hoc dico secundum quod aureola proprie accipitur, ut quoddam præmium merito redditum. Quamvis hoc propositum fuerit aliquando interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitæ inveniatur. Quia virginitas mentis reparari potest, non carnis. Si autem aureolam large accipiamus pro quocumque gaudio quod in patria habebitur super gaudium essentiale, sic etiam incorruptis carne aureola respondebit; etiam si non habuerit propositum servandi perpetuo virginitatem. Non enim est dubium, quod de incorruptione corporis gaudebunt, sicut et innocentes de hoc quod sunt immunes á peccato, quamvis occasionem peccandi non habuerint, ut patet in pueris baptizatis, ante usum rationis decedentibus. Sed hæc non est propria acceptio aureolæ, sed valde communis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur primo ad minorem, quod in continendo, secundum aliquid, maiorem pugnam sustinent virgines, et secundum aliquid viduæ. Virgines enim concupiscentia inflammat, et experiendi desiderium, quod ex quadam quasi curiositate procedit, qua, scilicet, fit ut homo libentius videat quæ numquam vidit, et etiam quandoque in eis concupiscentiam auget æstimatio maioris delectationis, quam sit secundum veritatem, et etiam inconsideratio eorum incommodorum quæ hujusmodi delectationi adjunguntur. Et quantum ad hæc viduæ minorem sustinent pugnam: maiorem autem propter delectationis memoriam, et in diversis unum alteri præponderat, secundum diversas hominis conditiones et dispositiones: quia quidam moventur magis hoc et quidam magis moventur illo. Unde, minor propositio non est semper et in omnibus vera. Dicitur tamen secundo ad maiorem, quod maius præmium non debetur maiori pugnæ, sed victoriæ de pugna. Quidquid igitur sit de quantitate pugnæ virginum et viduarum, hoc tamen certum est quod perfectior est victoria virginum, quam viduarum. Perfectissimum enim et pulcherrimum genus victoriæ est, numquam hosti cessis-

se. Et talis est virginum excellens victoria: unde eis magis, quam viduis, aureola debetur.

Ad 2. Dicitur, quod circa hoc, an scilicet Beatiss. Virgini Matris Domini nostri Jesu Christi debeatur aureola, est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod Beata Virgo pro virginitatis præmio non habet aureolam, si aureola proprie accipiatur secundum quod respicit pugnam; tamen, quod habet aliquid maius aureola propter perfectissimum propositum servandæ virginitatis, et secundum hanc positionem, potest dici ad maiorem argumenti, quod, ubi est excellentissima virginitas, est etiam pro præmio aureola, vel aliquid maius aureola, et tale præmium collatum fuit B. Virgini. Alii vero dicunt quod aureolam etiam sub propria ratione aureolæ habet et excellentissimam, et quod quamvis pugnam non senserit, pugnam tamen carnis aliquam habuit. Sed ex vehementia virtutis habuit adeo carnem subditam, quod hujusmodi pugna ei erat insensibilis, et secundum hanc positionem, ad argumentum negatur minor quoad illam partem quod nullam habuerit pugnam, licet pugnam non senserit.

Reprobatio.

Sed istud videtur inconvenienter dici, quia, cum Virgo Beata fuerit omnino immunis á fomitis inclinatione, propter ejus perfectam sanctificationem, non est pium ponere aliquam pugnam á carne fuisse in ea, cum talis pugna non sit nisi ab inclinatione fomitis, nec tentatio, quæ est á carne, sine peccato esse potest, ut patet per Gloss. super illud 2. Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ.*

Vera sententia.

Unde dicendum est, quod Beatiss. Virgo aureolam proprie habet, ut in hoc aliis Ecclesiæ membris conformetur, in quibus virginitas invenitur. Et quamvis non habuerit pugnam per tentationem quæ est á carne, habuit tamen pugnam per tentationem quæ est ab hoste, qui nec etiam ipsum Christum reveritus fuit, ut patet Matth. 4. Et sic ad formam argumenti negatur minor quoad illam partem quod Beata Virgo non habuerit pugnam, et ad prob. nunc dictum est quod habuit pugnam ab hoste, licet non á carne.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod virginitati non debetur aureola, nisi in quantum addit quamdam excellentiam super alios continentiæ gradus. Si autem Adam non peccasset, virginitas nullam perfectionem supra continentiam conjugalem habuisset, quia fuissent tunc honorabiles nuptiæ et torus immaculatus, nulla concupiscentiæ fœditate existente. Unde virginitas tunc servata non fuisset, nec ei tunc aureola fuisset debita. Sed mutata humanæ naturæ conditione, virginitas specialem decorem habet, et ideo ei speciale redditur præmium. Tempore autem legis Moysis, quando cultus Dei per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile á commixtione carnis abstinere. Unde nec tali proposito speciale præmium adderetur, nisi ex divino processisset instinctu, ut creditur de Helia, et Jeremia, quorum conjugia non leguntur. Unde ad formam argumenti negatur maior. Potest enim quod in uno tempore non fuit laudabile, mutatis rebus, in alio tempore esse laudabile et speciali gloria dignum.

Ad 4. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob., quod si aliqua per violentiam oppressa fuerit, propter hoc non amittit aureolam, dummodo propositum servandi perpetuo virginitatem inviolabiliter servet, illi actui nullo modo consentiens, nec per hoc etiam virginitatem perdit; et hoc dico sive pro fide, sive pro quacumque alia causa corrumpatur violenter. Sed, si hoc pro fide sustineat, hoc ei erit ad meritum, et ad genus martyrii pertinebit. Unde Lucia dicit, *si me invitam violari feceris, castitas mihi du-*

plicabitur ad coronam; non quod habeat duas virginitatis aureolas, sed quia duplex præmium reportabit, unum pro virginitatis custodia, aliud pro injuria quam passa est. Dato etiam quod taliter oppressa concipiat, nec ex hoc meritum virginitatis perdit. Nec tamen Matri Christi æquabitur, quia in ea fuit cum integritate mentis etiam integritas carnis. Minor igitur argumenti supponit quod per violentiam oppressa, non consentiens, virginitatem perdiderit: quod ostensum est non esse verum.

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod virginitas in nobis nascitur á natura, quantum ad id quod est materiale in virginitate; sed propositum perpetuæ incorruptionis servandæ, ex quo virginitas meritum habet, non est innatum, sed ex munere gratiæ proveniens.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod sicut non cuilibet viduæ fructus sexagenarius debetur, sed ei solum quæ servandæ viduitatis propositum retinet, etsi votum non emittat; ita non cuilibet virgini aureola debetur, sed solum ei, quæ virginitatis servandæ propositum retinet, ut in corpore dictum est.

Ad 7. Dicitur ad minorem, quod si frigidi et Eunuchi voluntatem habeant perpetuam incorruptionem servare; etiam si coëundi adesset facultas, virgines sunt dicendi, et aureolam merentur. Faciunt enim de necessitate virtutem. Si vero voluntatem habent conjugem ducendi si possent, aureolam non merentur. Unde dicit August. in lib. de Sancta Virginitate, cap. 24. « Quibus « ipsum virile membrum debilitatur, ut « generare non possint, ut sunt Eunuchi, « sufficit, cum Christiani fiunt, et Dei « præcepta custodiunt, eo tamen propo« sito sunt, ut conjuges, si possent, habe« rent, conjugatis fidelibus adæquari. »

ARTICULUS VI.

Utrum martyribus aureola debeatur.

Pro negativa.=Videtur quod martyribus aureola non debeatur.

1. Operibus, quæ sunt de necessitate salutis, non debetur aureola. Sed martyrium, quandoque est de necessitate salutis. Ergo martyribus non debetur aureola.

Maior prob., quia aureola est præmium, quod operibus supererogationis redditur. Unde dicit Gloss. ordin. ex Beda, super illud Exod. 25. *Facies et alteram coronam*, etc. De eorum præmio potest recte intelligi, qui generalia mandata spontaneæ vitæ perfectionis electione transcendunt.

Minor prob., quia mori, quandoque pro confessione fidei est necessitatis, et non supererogationis, ut patet ex hoc quod dicitur Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

2. Operi, quod minimum habet de libertate, non debetur speciale præmium. Sed martyrium minimum habet de libertate. Ergo martyrio non debetur speciale præmium aureolæ.

Maior prob., quia Greg. et August. de adult. conjug. cap. 14. dicit et refertur 28. quæst. 1. cap. Jam nunc, quod *servitia quanto sunt magis libera, tanto sunt magis grata.*

Minor prob., quia martyrium est pœna ab alio violenter inflicta.

3. Martyrio voluntatis non debetur aureola. Ergo nec martyrio exteriori aureola debetur.

Conseq. prob., quia martyrium non solum consistit in exteriori passione mortis, sed etiam in interiori voluntate. Unde Bernardus in Serm. Innocent. distinguit tria genera martyrum, scilicet, *voluntate, non nece*, ut Joannes Evangelista. *Voluntate, et nece*, ut Stephanus. *Nece, et non voluntate.* Ut innocentes. Si ergo alicui martyrio aureola deberetur, magis deberetur martyrio voluntatis, quam exteriori martyrio, cum meritum ex voluntate procedat. Ex hoc igitur quod martyrio voluntatis sine nece, non

datur aureola, sequitur quod nec etiam exteriori martyrio detur aureola.

4. Interiori afflictioni mentis non debetur aureola. Ergo nec exteriori corporis afflictioni, quæ est per martyrium, aureola est assignanda.

Conseq. prob., quia afflictio corporis est minor, quam afflictio mentis, quæ est per interiores dolores et animæ passiones; quæ mentis afflictio est etiam quoddam martyrium. Unde Joron. in serm. de Assumpt. qui incipit; *cogitis me, Paula*, etc. dicit: *ratione recte dixerim, Dei genitrix virgo, et martyr fuit, quamvis in pace vitam finierit*, etc.

5. Pœnitentiæ, quæ in exterioribus operibus consistit, aureola non debetur. Sed pœnitentia est quoddam martyrium: ergo non omni exteriori martyrio aureola debetur.

Minor prob., quia Gregor. dicit Hom. 3. in Evangel. *Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen et pax nostra martyrium suum, quia, etsi carnis colla ferro non subjicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.*

6. Illicito operi non debetur aureola. Sed martyrium quandoque est illicitum opus. Ergo non semper martyrio debetur aureola.

Minor prob. quia sibi injicere manus, est illicitum, ut patet per Aug. lib. de Civit. Dei, cap. 17. et 20. Et tamen quorumdam martyria in Ecclesia celebrata sunt, qui sibi manus injecerunt, tyrannorum rabiem fugientes, ut patet in Eccles. Hist. lib. 8. c. 12. de quibusdam mulieribus apud Alexandriam.

7. Contingit aliquando aliquem pro fide vulnerari, et postmodum aliquo tempore supervivere. Hunc autem constat martyrem esse, et tamen ei, ut videtur, aureola non debetur, quia ejus pugna non duravit usque ad mortem. Ergo non semper martyrio debetur aureola.

8. Illi, quibus temporalia bona propter Christum deripiuntur, videtur quod sint martyres. Sed his aureola non debetur. Ergo, non omnibus martyribus debetur aureola.

Maior prob., quia quidam magis affliguntur in amissione rerum temporalium, quam etiam in propria corporis afflictione; quod patet ex hoc quod multas corporum afflictiones sustinent ad lucra conquirenda.

9. Si quis mortem patiatur pro conservanda justitia, charitate et hujusmodi, non habet aureolam. Ergo multo minus habebunt aureolam martyres.

Antecedens prob., quia qui pro his virtutibus moriuntur, non sunt martyres; tantum enim ille martyr esse dicitur, qui pro fide occiditur. Unde dicit Isid. lib. 7. Ethym. cap. 11. « Martyres Græce, Latine Testes dicuntur, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt. »

Conseq. vero prob., quia dictæ aliæ virtutes sunt fide excellentiores, quia sine gratia esse non possunt.

10. Sicut veritas fidei est á Deo, ita et quælibet alia veritas; omne enim verum á quocumque dicatur á Spiritu Sancto est, inquit Ambrosius, super illud Rom. 12. « Nemo potest dicere Dominus « Jesus, nisi in Spiritu Sancto. » Ergo, si sustinenti mortem pro veritate fidei debetur aureola; eadem ratione videtur quod debeatur sustinentibus mortem pro qualibet alia veritate, quod tamen non videtur esse verum.

11. Si aliquis pro conservatione reipublicæ moriatur in justo bello, non debetur ei aureola. Ergo, multo minus debetur aureola ei qui occiditur pro conservatione fidei in se ipso, sicut martyres occiduntur.

Conseq. prob., quia bonum commune est potius bono particulari. Si igitur non debetur aureola morienti pro bono communi reipublicæ, multo minus de-

bebitur morienti pro bono privato ipsius qui occiditur.

12. Omne meritum ex libero arbitrio procedit. Sed quorumdam martyria celebrat Ecclesia, qui usum liberi arbitrii non habuerunt, ut innocentium. Ergo his martyribus aureola non debetur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Virginitati debetur aureola ut articulo præcedenti dictum est. Sed martyrium præfertur virginitati. Ergo et martyrio debetur aureola.

Minor prob., quia dicit Aug. lib. de virginitate, c. 46. « Nemo, quantum putó, ausus fuit præferre virginitatem « martyrio. »

2. Certanti debetur corona. Sed in martyrio est specialis difficultas pugnæ. Ergo ei debetur specialis aureola.

Determinatio.

Conclusio. Martyrio debetur aureola.

Prob. Perfectissimæ victoriæ de passionibus exterioribus debetur aureola. Sed per martyrium habetur perfectissima victoria de passionibus exterioribus. Ergo martyrio debetur aureola.

Maior probatur, quia, sicut inest quædam pugna spiritui contra spirituales concupiscentias, ita inest homini quædam pugna contra passiones exterius illatas. Unde, sicut perfectisimæ victoriæ, qua de concupiscentiis carnis triumphatur, scilicet, virginitati, debetur specialis corona, quæ aureola dicitur; ita etiam perfectissimæ victoriæ, quæ habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola.

Minor prob. Nam perfectissima victoria de passionibus exterioribus consideratur ex duobus. Primo, ex magnitudine passionis; inter omnes autem passiones exterius illatas, præcipuum locum mors tenet, sicut in passionibus interioribus, præcipuæ sunt venereorum concupiscentiæ, et ideo, quando aliquis obtinet victoriam de morte et ordinatis ad mortem, perfectissimem vincit.

Secundo, perfectio victoriæ consideratur ex causa pugnæ, quando videlicet pro honestissima causa pugnatur, quæ scilicet est ipse Christus; et hæc duo considerantur in martyrio, mors enim, suscepta propter Christum, est martyrium: *martyrem enim facit non pœna, sed causa.* Et sic pater minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod sustinere mortem propter Christum, quantum est de se, est opus supererogationis. Non enim quilibet tenetur fidem suam coram persequutore semper confiteri. Sed in aliquo casu, et fidem confiteri et pro ea mori, est de necessitate salutis, quando scilicet aliquis á persequutore comprehensus, de fide sua requiritur, quam tunc confiteri tenetur. Nec tamen sequitur quod in tali casu aureolam non mereatur: quia aureola non debetur operi supererogationis, in quantum est supererogationis, sed in quantum perfectionem quamdam habet. Unde, tali perfectione manente, etiamsi non sit supererogationis, aliquis tale opus faciens, aureolam meretur.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod martyrio non debetur aliquod præmium secundum hoc quod ab exteriori infligitur, sed secundum hoc, quod voluntarie sustinetur. Quia non meremur, nisi per ea quæ sunt in nobis, et quanto id quod aliquis voluntarie sustinet, est difficilius et magis natum voluntati repugnare, tanto voluntas, quæ propter Christum illud sustinet, ostenditur firmius fixa in Christo, propter quod ei excelentius premium debetur.

Ad 3. Negat. conseq. Ad prob. dicitur, quod quidam actus sunt, qui in ipso exercitio habent quamdam vehementiam delectationis vel difficultatis, et in talibus exercitium actus semper addit ad rationem meriti vel demeriti, secundum quod in actu oportet voluntatem variari ex vehementia actus á statu, in quo prius erat. Et ideo, cæteris paribus, actu luxuriam exercens, plus peccat

quam qui solum in actum consentit, quia in ipso actu propter delectationem voluntas augetur. Similiter in proposito, cum actus martyrii maximam difficultatem habeat, voluntas sola martyrii non pertingit ad gradum meriti, quod actui martyrii debetur ratione dificultatis, quæ est in exercitio actus: quamvis martyr sola voluntate possit pervenire ad altius præmium, considerata radice merendi, quia aliquis potest velle ex maiori charitate sustinere martyrium, quam alius actu sustineat. Unde voluntarie martyr absque actu, potest mereri sua ardenti voluntate præmium essentiale equale vel majus eo, quod martyri debetur: aureolam tamen non meretur; quia aureola debetur difficultati quæ est in ipsa pugna martyrii, et non voluntati patiendi.

Ad 4. Negat. consequentia: Ad prob. negatur assumptum: sicut enim delectationes tactus, circa quas est temperantia, præcipuum locum tenent inter omnes delectationes interiores et exteriores, ita dolores tactus omnibus aliis doloribus præeminent; et ideo difficultati illi, quæ accidit in sustinendo dolores tactus, puta qui sunt in verberibus et hujusmodi, debetur aureola magis quam difficultati sustinendi interiores dolores, pro quibus non proprie dicitur aliquis martyr, nisi secundum quamdam similitudinem, secundum quem modum loquutus est Jer. in citatis verbis.

Ad 5. Negat. minor. Ad prob. dicitur, quod afflictio pœnitentiæ, proprie loquendo, non est martyrium, quia non consistit in his, quæ ad mortem inferendam ordinantur; cum ordinetur solum ad carnem domandam, cujus mensuram si quis excedat, erit afflictio culpanda. Dicitur tamen, propter quamdam similitudinem martyrium, quia afflictio pœnitentiæ excedit afflictione martyrii diuturnitate, sed exceditur intensione.

Ad 6. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod secundum Aug. l. 1. de Civ. Dei, cap. 17. et 20. nulli licitum est sibi ipsi manus injicere, quacumque ex causa, nisi forte divino instinctu fiat ad exemplum fortitudinis ostendendum, ut mors contemnatur. Illi autem, de quibus objectum est, divino instinctu sibi mortem intulisse creduntur, et propter hoc eorum martyria Ecclesia celebrat.

Ad 7. Dicitur ad antecedens, quod si aliquis propter fidem, vulnus mortale accipiat, et supervivat, non est dubium quin aureolam mereatur, sicut de beata Cæcilia patet, quæ triduo supervixit, et de multis martyribus, qui in carcere sunt defuncti. Sed etiam, si vulnus non mortale accipiat, et tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam mereri (quamvis quidam dicant quod aureolam non merentur, si ex incuria, vel negligentia mortem incurrat:) non enim ista negligentia eum ad mortem induxisset, nisi præsupposito vulnere quod pro fide acceperat, quod est prima occasio mortis. Unde propter hoc, aureolam non videtur amittere, nisi sit talis negligentia, quæ culpam mortalem inducat, quæ ei et auream et aureolam auferat. Si vero ex mortali vulnere suscepto, non moriatur aliquo casu contingente, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, et adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur. Unde et quorumdam sanctorum martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus vulneribus longe ante susceptis, sicut patet de Marcello Papa. Qualiscumque igitur afflictio propter Christum illata, si usque ad ad mortem continuetur, sive mors inde sequatur, sive non, efficitur quis martyr et aureoleam meretur. Si vero non continuetur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur martyr. Sicut patet de Beato Silvestro, de quo non solemnizat Ecclesia sicut de martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.

Ad 8. Neg. maior. Sicut enim tem-

perantia non est circa delectationes pecuniarum, vel honorum et hujusmodi, sed solum circa delectationes tactus, quasi præcipuas, ita etiam fortitudo est circa pericula mortis, sicut circa præcipua pericula, ut dicitur 3. Ethic. ca. 6. Et ideo, soli injuriæ, quæ irrogatur circa corpus proprium, ex qua nata est mors sequi, debetur aureola. Ad prob. dicitur, quod nullus potest ordinate res exteriores plus diligere, quam proprium corpus. Amor autem inordinatus non coadjuvat ad meritum aureolæ. Nec etiam potest dolor de amissione rerum temporalium coæquari dolori de corporis occisione et aliis hujusmodi.

Ad 9. Negatur antecedens. Ad probat. dicitur, quod causa sufficiens ad martyrium, non solum est confessio fidei, sed quæcumque alia virtus, non politica, sed infusa, quæ finem habeat Christum. Quolibet enim actu virtutis, aliquis testis Christi efficitur, in quantum opera, quæ in nobis Christus perficit, testimonia sunt bonitatis illius. Unde aliquæ virgines sunt occisæ pro virginitate, quam servare volebant, sicut beata Agnes et quædam aliæ, quarum martyria in Ecclesia celebrantur.

Ad 10. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi omnis veritas á Deo sit, tamen veritas fidei habet Christum pro fine et pro objecto; et ideo confessio ipsius aureolam meretur, si pœna addatur, non solum ex parte finis, sed etiam ex parte materiæ. Confessio autem cujuscumque alterius veritatis, non est causa sufficiens ad martyrium, ratione materiæ, sed solum ratione finis, utpote, si aliquis vellet potius occidi pro Christo, quam quodcumque mendacium dicendo, contra ipsum peccaret.

Ad 11. Negat. conseq. Ad prob. dicitur, quod bonum increatum excedit omne bonum creatum; unde, quicumque finis creatus, sive sit bonum commune, sive privatum, non potest actui tantam bonitatem præstare, quantam finis increatus tribuit, cum scilicet aliquid propter Deum agitur. Et ideo cum quis propter bonum commune, non relatum ad Christum, mortem sustinet, aureolam non meretur. Sed, si hoc refertur ad Christum, aureolam merebitur, et martyr erit, utpote si rempublicam defendat ab impugnatione hostium qui fidem Christi corrumpere moliuntur, et in tali defensione mortem sustineat.

Ad 12. Dicitur ad minorem, quod quidam dicunt, quod in innocentibus occisis pro Christo, virtute divina accelleratus est usus rationis, sicut et in Joanne Baptista, dum esset adhuc in utero materno. Et secundum hoc, vere martyres fuerunt et voluntate et actu, et aureolam habent; unde secundum hoc neganda esset minor.

Alii dicunt, quod fuerunt martyres actu tantum, et non voluntate, quod videtur sentire Bernard. distingüens tria genera martyrum, ut dictum est. Et secundum hoc, sicut innocentes non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed solum aliquid martyrii habent, ex hoc quod passi sunt pro Christo: ita etiam et aureolam habent, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse, ut dictum est art. præcedenti de pueris baptizatis, qui habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate.

ARTICULUS VII.

Utrum doctoribus aureola debeatur.

Pro negativa. ==Videtur quod doctoribus aureola non debeatur.

1. Omne præmium, quod in futuro habebitur, respondet alicui actui virtutis. Sed prædicare, vel docere, non est actus alicujus virtutis. Ergo doctrinæ, vel prædicationi non debetur aureola.

2. Ea, quæ præmiantur in futuro, non sunt acquisita per humanum studium. Sed docere et prædicare proveniunt ex humano studio. Ergo pro doc-

trina et prædicatione nullus in futuro aureolam promerebitur.

Maior prob. quia in naturalibus et acquisitis, non meremur.

3. Ei, quod non est humilitatis, sed magis superbiæ occasio, non debetur aureola. Sed in docendo et prædicando non est humilitatis, sed magis superbiæ occasio. Ergo prædicationi et doctrinæ aureola non debetur.

Maior prob., quia exaltatio in futuro, respondet humiliationi in præsenti.

Minor prob., quia Glos. ord. super illud Matth. 4. « Tunc diabolus assumsit eum. » etc. dicit, quod « diabolus « multos decepit honore magisterii inflatos.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Gloss. ord. super illud ad Ephes. 1. *Ut scialis, quæ sit supereminens*, etc. dicit. Quoddam incrementum gloriæ habebunt sancti doctores, ultra illud quod communiter omnes habebunt.

2. Super illud Cant. 8. *Vineæ meæ coram me est*, dicit Glos. ordin. in illud Cant. 8. tradidit eam custodibus. Ostendit quid singularis præmii doctoribus ejus disponat. Ergo doctores habebunt singulare præmium, et hoc aureolam vocamus.

Determinatio.

Conclusio. Prædicationi et doctrinæ aureola debetur, sicut virginitati et martyrio.

Prob. Ei, per quod obtinetur perfectissima victoria contra diabolum, debetur aureola, sicut virginitati et martyrio. Sed per prædicationem et doctrinam obtinetur victoria perfectissima contra diabolum. Ergo prædicationi et doctrinæ debetur aureola, sicut virginitati et martyrio.

Maior probat. Et quod virginitati debeatur aureola, quia per ipsam obtinetur victoria perfectissima contra carnem. Et martyrio, quia per ipsum obtinetur victoria perfectissima contra mundum; et ideo pari ratione debetur aureola ei, per quod perfectissima victoria contra diabolum, quis obtinet.

Minor prob. Nam perfectissima victoria contra diabolum quis obtinet, quando non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam expellit eum, non solum á se, sed etiam ab aliis, et hoc fit per prædicationem, et doctrinam.

Positionis quorumdam exclusio.

Nec est dicendum, ut quidam dicunt, quod aureola debeatur tantum prælatis, quibus ex officio competit prædicare et docere. Sed debetur quibuscumque licite hunc actum prædicandi et docendi exercent. Prælatis autem non debetur, quamvis habeant officium prædicandi, nisi actu prædicent. Quia corona non habitui, sed actuali pugnæ debetur. Secundum illud 2. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Prædicare enim et docere, sunt actus alicujus virtutis, scilicet, misericordiæ. Unde, et inter spirituales eleemosynas computantur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis facultas prædicandi et docendi, quandoque ex studio proveniat, usus tamen doctrinæ ex voluntate procedit, quæ informatur per charitatem á Deo infusam, et sic actus ejus est meritorius aureæ et aureolæ.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod exaltatio in hac vita non diminuit alterius vitæ præmium, nisi ei quæ in tali exaltatione propriam gloriam quærit. Qui autem talem exaltationem in utilitatem aliorum convertit, ex ea sibi mercedem acquirit.

Amplior conclusionis explanatio.

Cum autem dicitur, quod doctrinæ debetur aureola, intelligendum est de doctrinis pertinentibus ad salutem, per quas diabolus á cordibus hominum expugnatur, sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur 2. Cor. 10.

«Arma militiæ nostræ, non sunt carnalia sed spiritualia.

ARTICULUS VIII.

Utrum Christo aureola debeatur.

Pro affirmativa. = Videtur, quod Christo aureola debeatur.

1. Virginitati, martyrio, et doctrinæ debetur aureola. Sed in Christo præcipue fuerunt virginitas, martyrium et doctrina. Ergo Christo debetur aureola.

2. Omne, quod est perfectissimum in rebus humanis, Christo est attribuendum. Sed præmium aureolæ debetur excellentissimis meritis. Ergo Christo debetur aureola.

3. Cyprianus in libro de habitu virginum dicit, quod *imaginem Dei virginitas portat*. Ergo virginitatis exemplar est in Deo. Et sic videtur quod Christo, etiam in quantum Deus, competat aureola.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aureola est gaudium de conformitate ad Christum. Ergo aureola non debetur Christo.

Conseq. prob., quia nullus sibi ipsi conformatur, aut assimilatur, ut dicitur 10. Metaph. com. 11.

2. Christus in instanti suæ conceptionis non habuit aureolam. Ergo numquam postea aureolam habuit.

Antec. prob., quia tunc numquam pugnaverat.

Conseq. prob., quia præmium animæ Christi non est augmentatum.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt, quod in Christo est aureola secundum propriam aureolæ rationem. Et hoc, quia ipse pugnavit et vicit, et ideo ei debetur corona secundum propriam rationem.

Reprobatio et vera sententia.

Positionis hujus falsitas patebit ex ratione, qua vera sententia comprobabitur.

Conclusio. Christo non debetur aureola, sed aliquid majus et omni aureolâ excellentius, ex quo omnes sanctorum aureolæ originantur.

Prob. Ei, in quo invenitur principalis et plena victoriæ ratio, per cujus victoriam omnes alii victores constituuntur, competit aurea et corona, et non aureola sub ratione aureolæ, sed aliquid excellentius omni aureola, ex quo omnis sanctorum aureola originatur. Sed in Christo est hujusmodi principalis et plena victoriæ ratio, per cujus victoriam, omnes alii victores constituuntur, ut patet Jo. 6. *Confidite: Ego vici mundum*, et Apoc. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Juda*. Ergo Christo competit aurea et corona, sed non aureola; sed aliquid aliud aureola excellentius, á quo aureolæ sanctorum originantur.

Maior manifestatur, quia aureola ex hoc ipso quod diminutive dicitur, importat aliquid, quod participative, et numquam secundum sui plenitudinem possidetur. Unde, illis tantum competit aureolam habere, in quibus est aliqua perfectæ victoriæ participatio, secundum imitationem ejus, in quo perfectæ victoriæ ratio plena consistit.

Ultima conclusionis pars, scilicet, quod á corona Christi aureolæ sanctorum originentur, prob. ex hoc quod dicitur Apoc. 3. «Qui vicerit, faciam eum «sedere in Throno meo, sicut ego vici et sedeo in Throno Patris mei.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Christus fuit virgo, martyr et doctor; sed tamen præmium accidentale his respondens, in Christo non habet notabilem quantitatem aliquam in comparatione ad magnitudinem essentialis præmii. Et propterea non habet aureolam sub ratione aureolæ.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis aureola debeatur operi perfec-

tissimo quoad nos; tamen aureola, in quantum diminutive dicitur, significat quamdam participationem perfectionis ab aliquo, in quo plenarie invenitur; et secundum hoc ad aliquam minorationem pertinet; et sic non invenitur in Christo, in quo est plenissime omnis perfectio.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod quamvis virginitas habeat aliquo modo exemplar in Deo; non tamen habet exemplar unius rationis. Incorruptio enim Dei, quam virginitas imitatur, non eadem ratione est in Deo, et in aliquo virgine.

ARTICULUS IX.

Utrum angelis aureola debeatur.

Pro affirmativa. — Videtur quod Angelis aureola debeatur.

1. Virginitati respondet aureola. Sed in Angelis est virginitas. Ergo Angelis debetur aureola.

Minor prob., quia Jeronym. de virginitate loquens in ser. de B. M. Assumpt. super ord. dicit: « in carne præ« ter carnem vivere, potius est vita an« gelica, quam humana, » et Glóss. ord. super illud 1. Cor. 7. « Propter instan« tem necessitatem, etc. dicit, quod vir« ginitas est vita Angelica.

2. Illis, in quibus invenitur incorruptio spiritus, multo magis, quam his qui aliquando peccaverunt, debetur aureola. Sed in Angelis invenitur incorruptio spiritus, utpote qui nunquam peccaverunt. Ergo, eis magis debetur aureola quam hominibus incorruptis carne, qui tamen aliquando peccaverunt mente.

Maior prob., quia nobilior est incorruptio spiritus, quam carnis.

3. Doctrinæ debetur aureola, sed Angeli nos docent, purgando, illuminando et perficiendo, ut Dion. dicit ca. 6. Eccl. Jerarch. par. 3. Ergo, eis debetur saltem aureola doctorum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. In his quibus debetur aureola, est pugna. In Angelis non est pugna. Ergo Angelis non debetur aureola.

Maior prob., quia dicitur 1. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.*

2. Spiritibus incorporeis non debetur aureola. Sed Angeli sunt spiritus incorporei. Ergo Angelis non debetur aureola.

Maior prob., quia aureola non debetur actui, qui per corpus non exercetur. Unde amantibus virginitatem, martyrium et doctrinam, si exterius eis hæc non insint, aureola non debetur.

Determinatio.

Conclusio. Angelis non debetur aureola.

Prob. Eis, in quibus ea, quæ in hominibus pertinent ad excellentiam meriti, sunt connaturalia, vel etiam spectant ad communem eorum statum, aut etiam ad ipsum præmium essentiale, non debetur aureola. Sed Angelis, ea quæ in hominibus pertinent ad excellentiam meriti, sunt connaturalia, vel spectant ad communem eorum statum, vel etiam ad eorum essentiale præmium. Ergo Angelis non debetur aureola.

Maior prob., quia aureola respondet cuilibet perfectioni excellenti in merito, et non his quæ sunt connaturalia, vel pertinent ad essentiale præmium, vel quæ pertinent communiter ad omnes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod virginitas dicitur esse vita Angelica, in quantum per gratiam, virgines imitantur id quod Angeli habent per naturam. Non enim in Angelis pertinet ad virtutem, quod omnino á delectabilibus carnis abstineant: cum hujusmodi delectationes in eis esse non possint, sed hoc ad eorum naturam pertinet. Unde, absolute negatur minor. Non enim est in Angelis virginitas, quæ aureolam mereatur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod illa incorruptio spiritus in Angelis, præ-

mium essentiale meretur. Est enim de necessitate salutis: cum in eis non possit subsequi reparatio post ruinam.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod illi actus, quibus Angeli nos docent, pertinent ad gloriam eorum et communem ipsorum statum. Unde per hujusmodi actus aureolam non merentur.

ARTICULUS X.

Utrum aureola etiam corpori debeatur.

Pro affirmativa.=Videtur quod aureola etiam corpori debeatur.

1. Dos quæ ad præmium essentiale pertinet, non solum est in anima, sed etiam in corpore. Ergo et aureola, quæ ad præmium accidentale pertinet, est non solum in anima, sed etiam in corpore.

Conseq. prob., quia præmium essentiale potius est, quam accidentale. Si igitur corpus est capax essentialis præmii, multo magis poterit in eo esse præmium accidentale.

2. Peccato, quod per corpus exercetur, respondet pœna in anima et corpore. Ergo et merito quod exercetur per corpus, debetur præmium animæ et corpori. Sed meritum aureolæ exercetur per corpus. Ergo aureola debetur etiam corpori.

3. In corporibus martyrum, quædam nitens virtutis pulchritudo apparebit in ipsis cicatricibus corporis, ut Aug. dicit in lib. 22. de Civ. Dei, cap. 20. Ergo videtur quod aureola martyrum in corpore, sit et eadem ratione in aliis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Animæ quæ modo sunt in paradiso, habent aureolas, nec tamen habent corpora. Ergo proprium subjectum aureolæ non est corpus, sed anima.

2. Omne meritum est ab anima. Ergo omne præmium est in anima.

Determinatio.

Conclusio. Aureola est principaliter in mente. Sed per quamdam redundantiam refulgebit etiam in corpore, vel in carne.

Probatur. Gaudium de operibus, quibus aureola debetur, est in mente, et per quamdam redundantiam in corpore. Sed aureola est gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur. Ergo aureola est principaliter in mente, et per redundantiam in corpore, sive in carne.

Maior ostenditur; quia, sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidem decor in corpore, qui est gloria corporis, ita ex gaudio accidentalis premii, quod est aureola, resultat aliquis decor in corpore.

AD ARGUMENTA.

Argumenta pro affirmativa probant, quod aureola aliquo modo sit in corpore, quod conceditur. Unde non est aliter respondendum. Sciendum tamen ad tertium, quod cicatrices et eorum decor, quæ in corpore martyrum remanebunt, non potest dici aureola; quia multi martyrum non habebunt cicatrices, ut qui submersi fuerunt, vel inedia famis in carceribus consumpti; habebunt tamen aureolam martyrii. Et sic aureola non erit decor cicatricum.

ARTICULUS XI.

Utrum convenienter designentur tres aureolæ virginum, martyrum, et doctorum.

Pro negativa. = Videtur quod inconvenienter designentur tres aureolæ, virginum, martyrum, et doctorum.

1. Aureola martyrum respondet virtuti fortitudinis eorum. Aureola virginum, virtuti temperantiæ. Aureola vero doctorum, virtuti prudentiæ. Ergo, videtur quod debeat esse quarta aureola, quæ respondeat virtuti justitiæ.

2. Glossa super Exod. 25. dicit, quod «Corona aurea additur, cum per Evangelium, his qui mandata custodiunt, vita æterna promittitur.» Matth. 19. «Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Huic aureola superponitur, cum «dicitur: si vis perfectus esse, vade, ven-

« de omnia quæ habes; et da pauperibus. » Ergo paupertati debetur aureola.

3. Per votum obedientiæ aliquis se subjicit Deo totaliter. Ergo in voto obedientiæ maxima perfectio consistit. Et ita videtur, quod obedientiæ aureola debeatur.

4. Multa sunt etiam alia supererogationis opera, de quibus homo speciale gaudium in futuro habebit. Ergo, multæ sunt aliæ aureolæ, præter tres prædictas.

5. Sicut aliquis divulgat fidem prædicando et docendo, ita scripta compilando. Ergo et talibus, quarta aureola debetur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Supra ostensum est, quod Virginibus, Martyribus et Doctoribus aureola debetur.

Determinatio.

Conclusio. Convenienter tres aureolæ designantur, virginum, martyrum et doctorum, seu Prædicatorum.

Prob. Quot sunt privilegiatæ victoriæ, tot aureolæ convenienter designantur. Sed tres sunt privilegiatæ victoriæ, videlicet, virginum, martyrum et doctorum, seu Prædicatorum. Ergo convenienter tres aureolæ his tribus designantur.

Maior prob. quia aureola est quoddam priveligiatum præmium, privilegiatæ victoriæ respondens. Et ideo, secundum privilegiatas victorias, aureolarum numerus accipitur.

Minor manifestatur. Homini enim tres pugnæ imminent, scilicet, contra carnem, contra mundum et contra diabolum. In pugna quæ est contra carnem, ille potissimam victoriam obtinet, qui á delectabilibus venereis, quæ sunt precipuá in hoc genere, omnino abstinet: hujusmodi est Virgo. Et ideo virginitati aureola debetur.

In pugna vero, quá contra mundum pugnatur, illa est præcipua victoria, per quam á mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus. Unde et martyribus qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur.

In pugna vero, qua contra diabolum pugnatur, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem, non solum á se, sed etiam á cordibus aliorum removet; quod fit per doctrinam et prædicationem; et ideo doctoribus et prædicatoribus tertia aureola debetur.

Quorumdam aliorum positio.

Quidam distinguunt tres aureolas, secundum tres vires animæ, ut dicantur tres aureolæ respondere potissimis trium virium animæ actibus. Potissimus enim actus rationalis, est veritatem fidei etiam in alios diffundere, et huic actui debetur doctorum aureola. Irascibilis vero actus potissimus, est etiam mortem propter Christum superare, et huic actui debetur aureola martyrum. Concupiscibilis vero actus potissimus, est á maximis delectabilibus carnis abstinere, et huic debetur aureola virginum.

Quorumdam adhuc aliorum distinctio.

Alii vero, aureolas tres distinguunt, secundum ea, quibus Christo nobilissime conformatur. Ipse enim mediator fuit inter Patrem et mundum. Fuit ergo doctor, secundum quod veritatem quam á Patre accepit, mundo manifestavit. Fuit martyr, secundum quod á mundo persecutionem sustinuit. Fuit virgo, in quantum puritatem in se ipso servavit. Et ideo doctores, martyres et virgines ei perfectissime conformantur. Unde talibus debetur aureola.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. In actu enim justitiæ non attenditur aliqua pugna, sicut in actibus trium aliarum virtutum.

Dicitur secundo, negando antecedens. Non enim verum est, quod docere sit actus prudentiæ, immo potius est actus charitatis vel misericordiæ, secundum quod ex tali habitu inclinamur ad exer-

citiam hujusmodi actus, vel etiam est actus sapientiæ, ut dirigentis.

Vel potest dici secundum alios, etiam negando consequentiam: nam justitia circuit omnes virtutes, et ideo ei specialiter aureola non debetur.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod paupertas, quamvis sit opus perfectionis, non tamen tenet summum locum in aliqua spirituali pugna, quia amor corporalium minus impugnat, quam concupiscentia carnis, vel persecutio inflicta in corpus proprium. Unde paupertati non debetur aureola, sed debetur ei judiciaria potestas, ratione humiliationis, quæ consequitur paupertatem. Glos. autem inducta, large accipit aureolam pro quolibet præmio quod redditur excellenti merito.

Ad 3. at ad 4. eodem modo dicitur, quod obedientiæ et aliis supererogationis operibus debetur quidem speciale præmium, non aureola.

Ad 5. conceditur quod doctoribus debeatur aureola, his, scilicet, qui sacram doctrinam scribant. Sed hæc aureola non distinguitur ab aureola doctorum et prædicatorum, quia scripta componere est quidam modus docendi et prædicandi.

ARTICULUS XII.

Utrum aureola virginum sit potissima inter alias.

Pro affirmativa. — Videtur quod aureola virginum sit inter alias potissima.

1. Apoc. 14. de virginibus dicitur quod «sequuntur agnum quocumque ierit.» Et quod «nemo poterat dicere «canticum quod virgines cantabant.» Ergo virgines habent excellentiorem aureolam.

2. Cyprianus de virginibus dicit, quod est *illustrior portio gregis Christi*. Ergo eis maior aureola debetur.

Videtur quod potissima sit aureola martyrum.

3. Illud quod dat virginitati præeminentiam, habet excellentiorem aureolam. Sed martyrium dat virginitati præeminentiam. Ergo martyrium habet excellentiorem aureolam.

Minor prob., quia Haymo dicit quod «non omnes virgines conjugatos præce«dunt. Sed hi specialiter, qui in tor«mento passionis, virginitate insuper «custodita, coæquantur martyribus con«jugatis.»

Videtur quod potissima aureola debeatur doctoribus.

4. In Ecclesia militante, maximus honor debetur doctoribus. Ergo in Ecclesia triumphante doctoribus potior aureola debetur.

Antecedens prob., quia 1. Tim. 5. dicitur, «Qui bene præsunt presbyteri, «duplici honore digni habentur; maxime «qui præsunt in verbo et doctrina.»

Conseq. prob., quia Ecclesia militans ab Ecclesia triumphante est exemplata.

Determinatio.

Distinctio. Præeminentia aureolæ ad aureolam potest dupliciter attendi. Uno modo ex parte pugnæ, ut dicatur aureola potior, quæ fortiori vel periculosiori pugnæ debetur. Alio modo ex parte eorum, de quibus est pugna.

1.ª Conclusio. Aureola martyrum præeminet aliis ex parte pugnæ quodammodo, et quodammodo aureola virginum.

Manifestatur, quia pugna martyrum est fortior secundum se ipsam, et vehementius affligens. Pugna vero virginum est periculosior, in quantum est diuturnior, et magis nobis imminet e vicino.

2.ª Conclusio. Aureola doctorum est potior ex parte eorum de quibus est pugna.

Manifestatur, quia hujusmodi pugna circa intelligibilia versatur. Aliæ vero pugnæ circa sensibiles passiones.

3. Aureola martyrum simpliciter supereminet aliis aureolis.

Manifestatur, quia difficultas, quæ attenditur ex parte ipsius pugnæ, ut est pugna martyrum, est potentior, quam illa quæ attenditur ex parte nostri in

quantum est nobis vicinior, ut est pugna virginum, et ideo Glos. ordin. in illud Matt. 5. Beati, qui persecutionem pati, etc. dicit quod « in octava beatitudine, quæ ad martyres pertinet » scilicet; « Beati, qui persecutionem patiuntur, etc. omnes aliæ perficiuntur. » Et propter hoc etiam Ecclesia in connumeratione sanctorum, martyres doctoribus et virginibus præordinat. Et per hæc patet responsio ad omnia argumenta. Nam, etsi simpliciter aureola martyrum aliis præemineat, tamen secundum aliquid nihil prohibet alias aureolas excellentiores esse; virginum, scilicet, propter periculum, diuturnitatem, et vicinitatem. Doctorum vero propter ea, de quibus est pugna. Et hoc probant argumenta allata.

ARTICULUS XIII.

Utrum unus alio excellentius aureolam habeat.

Pro negativa. — Videtur quod unus aureolam virginitatis, vel martyrii, vel doctoratus excellentius alio non habeat.

1. Ea quæ sunt in termino, non intenduntur, neque remittuntur. Sed aureola debetur operibus, quæ sunt in termino perfectionis. Ergo aureola non intenditur, nec remittitur. Ac per hoc non potest esse excellentior in uno, quam in alio.

2. Virginitas non suscipit magis et minus. Ergo nec præmium virginitatis, scilicet, aureola virginum, intenditur, nec remittitur.

Antecedens prob., quia virginitas importat privationem quamdam, privatio autem intensione et remissione caret.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aurea est intensior in uno, quam in alio. Sed aureola superponitur aureæ. Ergo aureola est intensior in uno, quam in alio.

Determinatio.

Conclusio. Aureolam virginitatis, martyrii, vel doctoratus, unus altero excellentius habere potest.

Prob. Meritum martyrii, virginitatis et doctoratus, potest esse majus in uno, quam in alio. Ergo et aureola potest excellentius esse in uno, quam in alio.

Conseq. prob., quia meritum est quodammodo causa præmii, et ideo oportet diversificari præmia secundum quod merita diversificantur. Et iterum, quia unumquodque intenditur, vel remittitur ex intensione et remissione suæ causæ.

Declaratur conclusio. Sciendum est enim quod meritum aureolæ potest intendi dupliciter. Uno modo ex parte radicis meriti, quæ est charitas. Alio modo ex parte operis. Contingit namque esse aliquos duos, quorum unus ex minori charitate majus tormentum martyrii sustinet, vel magis prædicationi instat, aut etiam magis á delectabilibus carnis se elongat, quam alter. Intensioni ergo meriti, quæ attenditur pænes radicem, non respondet intensio aureolæ, sed intensio aureæ. Intensioni vero meriti, quæ est ex genere actus, respondet intensio aureolæ. Unde potest esse quod aliquis, qui minus martyrio meretur quantum ad essentiale præmium, habiturus sit pro martyrio maiorem aureolam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliqua esse in termino, potest dupliciter intelligi. Uno modo simpliciter. Alio modo secundum quid. Ea quæ sunt in termino simpliciter, non possunt intendi, nec remitti; ea vero quæ sunt in termino secundum quid, vel solum ratione suæ speciei, possunt intendi et remitti. Sicut ignis est subtilissimus corporum tantum in sua specie, et ideo unus ignis potest esse altero subtilior. Tunc ad minorem dicitur, quod merita quibus debetur aureola, non attingunt ad terminum simpliter, sed solum ratione suæ speciei; et ideo unum meritum potest esse altero majus et ex

consequenti una aureola potest esse altera excellentior.

Ad 2. Negatur antecedens. Nam una virginitas potest esse maior alia propter maiorem recessum á virginitatis contrario, ut dicatur in illá esse maior virginitas, quæ magis occasiones corruptionis vitat. Ad probationem dicitur, quod privationes non possunt intendi et remitti secundum se; possunt tamen intendi et remitti ratione habitus, per minorem et maiorem elongationem ab eo: sicut dicitur homo magis cæcus, quia magis est elongatus á visu.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 184.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab Apoc. 14. quod aureola differt ab aurea: et sic, « Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. » Ubi manifeste monstrat, quod quidam Sancti, puta virgines, habent quoddam præmium, quod alii communiter non habent, per ly nemo poterat dicere canticum, nisi, etc. Illis autem omnibus qui in cœlo sunt, communis est aurea, id est, gaudium contemplationis de Deo. Unde ad hoc significandum dicitur Jer. 31. et recitatur Hebr. 8. « Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens, cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me á minimo eorum usque ad maximum; ait Dominus. » Quod et Apocal. 21. sub nomine civitatis Jerusalem denotabit dicens. « Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in eo. Nam claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus et agnus. Et Psal. 68. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. » Ubi de Civitate Dei loquitur quantum ad auream, sicut et Apoc. et Jer. Per hoc ergo, quod aureola non est communis omnibus, declaratur ad litteram ab Apoc. 14. intentum supradictum. Item ab Exod. 26. « Facies alteram coronam, Aureolam super illam coronam. » Ecce ad litteram duæ coronæ, una quarum dicitur absolute corona: altera vero cum diminutione vocatur aureola. Imo ad tollendum omne dubium planiori sensu prædixerat; «facies coronam auream per circuitum.» Sciunt vero catholici omnes ex Apostolo, quod illa, quæ in veteri testamento fiebant, omnia contingebant illis in figura. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum Matth. 13. quod fructus differt ab aureola: et sic, « Alia ceciderunt in terram bonam: et dederunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. » Ubi per ly alia intelligitur semina verbi Dei. Per hoc ergo, quod tripliciter fructum ex illis productum designat, et aureola non omnibus tribus illis convenit secundum Doctores sanctos, demonstrat, quod fructus differt ab aureola. Pro quo distinctius capiendo, sciendum, quod fructus trigesimus est conjugatorum, et sexagesimus viduarum, et centesimus virginum, art. 4. et aureola non convenit conjugatis, ut sic, neque viduis, ut sic sed virginibus, martyribus, et Doctoribus art. 5. et 7. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum á Matth. 13. quod fructus debetur soli virtuti continentiæ, et sic: *Alia ceciderunt in terram bonam*, etc. ut art. 2. app. Ubi Glossa fructum centesimum assignat virginitati, sexagesimum viduitati, trigesimum immaculato toro conjugali. Hæc autem tria, scilicet, virginitas, viduitas, et immaculatum conjugium sunt partes continentiæ, ut patet 2. 2. qu. 52. art. 4. et qu. 155. art. 1. Per hoc igitur, quod his tribus fructum

illum triplicem assignat, demonstrat, quod convenienter fructus respondet continentiæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam ab effectu, interimas hæresim *Joviniani, et Elvidii* dicentium: virginitatem non esse apud Deum majoris meriti, quam conjugium. In quo dogmate erroneo etiam continetur virtualiter, et quidem á fortiari (ut constat intelligenti) viduitatem non esse majoris meriti apud Deum, quam conjugium. Cum enim fructum majorem apud Dominum virginitatem, viduitatemque habere præ conjugio monstret articulus presens, militat utique efficaciter contra prædictas hæreses. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Concilio Tellensi ad Siricium Papam dicente. « Agrestis ululatus est, nullam virginitatis gratiam, nullam castitati ordinem reservare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur. Bonum conjugium, quo est inventa posteritas successionis humanæ, sed melior virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, et cœlestium meritorum reperta successio.» Item á Siricio Papa in Epistola ad Episcopus Africanos de condemnatione Joviniani. «Nos sane nuptiarum vota non aspernanter accepimus, quibus valamini interfuimus: sed virgines Deo devotas majori honorificentia muneramus Apostolicum secuti præceptum. Unde omnium nostrorum, tum presbyterorum, tum diaconorum, tum etiam totius cleri unam factam constat esse sententiam: ubi Jovinianus, Auxentius, Genialis, Geminata, Felix, Plotinus, Marcianus, Januarius, et Ingeniosus, qui novæ hæresis, et blasphemiæ accentores inventi sunt, divina sententia, et nostro judicio perpetuo damnati extra Ecclesiam remanerent.» Item á Cor. 7. «Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut et ego: quod si non se continent, nubant.» Ubi clare patet, ipsum præferre viduitatem, tamquam continentiam majorem, ipsi conjugio. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Matth. 13. adjuncta Glossa, quod tres fructus convenienter tribus continentiæ partibus prædictis atribuuntur. Vide art. 3. app. de hujusmodi authoritatibus: et applica huc, pro quanto sufficit. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides; quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ex superabundante interimas hæresim *Joviniani et Elvidii*, ut recitatur art. 4. app. Item erroneam dementiam Balacii Ducis Ægypti, Arianæ perfidiæ studiosissimi, qui (ut refert D. Athanasius in vita S. Antonii heremitæ) virgines nudas in publico verberibus afficiebat. Iste enim pro honore, quem articulo præsenti superabundanter ostendente virginibus debebat, injuriam ignominiosam inferebat. Ex superabundantiori, inquam, quoniam virginitati ultra sibi debitum fructum, ut ibi, debetur etiam aureola, ut hic. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito ipsas damnari á, etc. ut ibi supra append. Item ab Apoc. 14. "Nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Virgines enim sunt.» Ubi manifestissime ad litteram monstratur, quod inter continentes solis virginibus debetur aureola, id est, præmium aliquod speciale. Item ab effectu divinæ justitiæ vindicativæ, ut refert ibidem idem Athanasius contra Balacium. Huic Div. Antonius scripsisse fertur. "Video, ó Balaci, iram Dei super te venientem: ideo sine, quæso, Christianos persequi, ut facis, ne Dei vindicta te occupet, quæ proximum jam tibi minatur interitum. Qua epistola spreta, cum in ipsum Antonium sævire cæpisset, dum cum Nestorio Alexandriæ præfecto equitaret; morsu repentino Balacium equus in terram decussit, ejusque fœmora dentibus laceravit, qui post tertium diem é vivis sublatus est juxta D. Antonii vaticinium.» Hæc Athanasius ibi. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Isa. 56. quod virginitatis ratione debeatur aureola, et sic. "Hæc dicit Dominus, Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, et elegerint, quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo ei in domo mea locum, et nomen melius á filiis, et filiabus.» Ubi per Eunuchos designat

illos, qui non possunt uti conjugio ex defectu membrorum. Istis, inquit, "dabo nomen melius á filiis, et filiabus," id est, aliorum præmium speciale, quod non habebunt illi qui filios, et filias ex matrimonio genuerunt, si tamen, illi Eunuchi ultra observationem fœderis mei, id est, decalogi, elegerint, quæ ego volui, id est, conformaverint voluntatem suam voluntati meæ, qua ego feci eos nasci, vel fieri Eunuchos: hoc est, si voluntatem perpetuam habuerint conservandi continentiam virginalem, ad quam importat illud esse Eunuchum. Ecce, quam aperte ad sensum litteræ monstrat intentum. Hoc autem melius capies adjutus ex responso ad 7. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis: *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim, tamquam ab effectu præcellenti, Barbaræ Imperatricis dicentis: virgines pro Christi nomine pati stultum est, eo quod voluptatis gaudia non gustent. Item Basilidis dicentis: martyrium pati pro Christi confessione, dementia est: cum citra crimen possit Christus negari. Item Vigilantii dicentis: martyrum sepulchra non esse veneranda, et sanctorum vigilias esse damnandas. Item Georgii David dicentis: martyres stolidos fuisse, et Apostolos nolendo abjurare Christum coram hominibus, et ob id se occidi permittendo. Per hoc namque, quod aureolam martyrio deberi decernit præsens articulus, oppugnat utique illas omnes, egregieque expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas damnari á Luc. 12. « Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Cui subscribit Matth. 10. et Marc. 8. Item ab eod. Luc. ibid. Dico vobis amicis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hoc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. » Ubi loquitur de constancia martyrii pro veritate ab ipsis prædicanda in tectis, id est, in manifesto, ut patet in contextu. Item á Matth. 10. eadem sententialiter dicente. Item á Joan. 12. " Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Item ab Apocal. 7. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et servient ei die, ac nocte, et qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Item á Concil. Trid. sess. 25. de invocatione, et veneration. et reliq. sanct. "Mandat sancta synodus omnibus docendi munus, coramque sustinentibus, ut juxta catholicæ, et Apostolicæ Ecclesiæ usum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, in primis de sanctarum reliquiarum honore fidelis diligenter instruant: docentes illos, qui negant sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti ab ipso ad vitam æternam suscitanda, et glorificanda, á fidelibus veneranda esse, et affirmantes, reliquis sanctorum, et aliorum, venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta á fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. » *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á fortiori á, etc. ut art. 5. append. quod martyribus debetur aureola. Quæcumque enim authoritates probant, aureolam deberi virginitati; multo magis probant per hoc, eam deberi martyrio. Martyrium namque virginitati præstat, ut Ecclesia catholica universaliter in celebritate festivitatum sanctorum declarat. Item a. 2. Timot. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ubi præsupponit ad litteram, coronam dari legitime certantibus. Ergo maiorem coronam magis legitime certantibus. Ergo maxime coronam dari maxime certantibus: juxta illam

regulam Philosophi in Topic. « Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: ita maxime ad maxime. » Constat autem, quod difficilius est certamen in martyrio, quam in virginitate servanda, quanto difficilius est mortem violentam sufferre libenter, quam á voluptatibus carnis abstinere. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam ab effectu præcellenti, interimas errores *Lucinii* Imperat. dicentis, quod litteræ appellandæ sunt virus, ac pestis. Item *Quintini* dicentis: litteras esse adjiciendas, et spiritum vivificantem sequendum. Ubi videre est, quod iste misellus sub specie boni, scil. spiritus vivificantis sequendi, á phantasia deceptus, miserrime in errorem tam apertum cecidit, scil., quod litteræ sint adjiciendæ. Cum enim per hunc articulum aureolam doctoribus deberi sanctus Doctor liquido monstret; contra prædictos militare legitime se ostendit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos merito damnari á 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse doctorem*. Item á etc. ut qu. 36. artic. 2. append. et 1. par. qu. 117. artic. 1. append. Item á 1. Timot. 5. " Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina. Ubi et ipsis aureolam deberi subindicat per ly *duplici honore digni habeantur*. Item ab Eph. 1. *ut sciatis, quæ sit*, etc. et á Cant. 4, *vinea mea*, etc. maxime adjunctis glossis, ut in arg. *sed contra*. Per quas authoritates non solum damnari prædictos merito, sed et merito poni doctoribus esse dandas aureolas, per rationem articuli monstrare poteris. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Joann. 1. quod in Christo non est aureola. et sic. " Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti á Patre, plenum gratiæ, et veritatis. » Ubi quantum ad sensum tamquam á definitione ad definitum argumentando, monstrat intentum. Aureola enim est quædam gloria in participatione quadam consistens (ut dictum est in corp.) et gloria Christi est quasi unigeniti á Patre idest est in summo illi data. Nam ly quasi non dicit ibi similitudinem, sed expressionem: quasi dicat illi, est data gloria talis, et tanta, qualem, et quantam decebat habere unigenitum á Patre secundum humanitatem sibi personaliter unitam. Sicut ergo absolute in summo conjungitur humanitas Divinitati Christi, ita ut absolute nihil ei possit esse conjunctius, ita gloria humanitati data, ad hoc, quod sit condecens tantæ rei, debet esse magna in summo, et hoc est, quod, Evangelista intendebat in supradictis verbis. Item ab eod. 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum*. Ubi loquitur de Filio quoad humanitatem. Ex quibus dic, ut supra. Item ab eod. 1. *De plenitudine ejus non omnes accepimus*. Per quæ demonstrat, et quod in Christo est quid excellentius, á quo originantur aliorum sanctorum omnes aureolæ, et, quod ipse Christus non habet aureolam. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Concil. *Lateranensi* sub Innoc. III. de fide cathol. cap. 1. quod Angeli non habent aureolam. " Unus est Deus indivisus in essentia, et discretus in personis Creator omnium, etc. Is ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam corporalem, et spiritualem, Angelicam, scilicet, et mundanam; deinde humanam, quasi communem, ex spiritu, et corpore constitutam. » Ubi clare monstrat, quod angeli sunt spirituales, id est omnino incorporei. Sic enim insinuat illa contrapositio, scil. *spiritualem, et corporalem*. Dum igitur aureolæ non nisi corporibus indutis dentur ratione pugnæ maxime per corpora exercitæ, ar. 5. 6. 7. et 12. patet, quod per hoc denotat Concilium, Angelos non habere aureolas proprie dictas. Nec obstat. quod in Conc. Nicæno secundo actio. 5. post disputationem de Angelis videtur acceptari, quod corporei sunt: quoniam hoc verum non est. In cujus signum post disputationem illam Tharasius Patriarcha reassu-

mens disputationem factam inter gentilem quemdam, et Episcopum Joannem dixit. «Ostendit autem pater, quod et Angelos pingere oporteat, quando circunscribi possunt, et ut homines apparuerunt. Sacra Synodus respondit; etiam, domine. Ubi per responsionem illam Synodi non habetur, nisi quod ipsa affirmat, Tharasium bene reassumpsisse disputationem ipsam. Quod vero de mente concilii hujus sit, quod pingantur solum, quia sic apparuerunt, non autem, quia circunscribi possint; colligitur ad litteram ex epistola Tharasii ejusdem, universæque synodi ad Constantinum, actio. 7. ubi sic dicunt. «Quamobrem omnibus modis recipiendæ sunt venerandæ imagines sanctorum quoque Angelorum, nam hominibus ipsi in forma hominis visi sunt.» Ecce, quod, quando determinatam fidem Synodus scribit, atque Tharasius, non reassumunt, pro ratione pingendi Angelos ly *quando circumscribi possunt*, sed reassumunt tantum hoc quod *hominibus in forma hominis visi sunt*. Quod sane monstrat illam Tharasii reasumptionem fuisset tantum pro bona reasumptione disputationis illius commendatam á Synodo per ly *etiam, domine*: non autem commendatam pro determinatione rei veritatis. Item á Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*. Pro quo vide 1. par. quæst. 50. art. 1. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Prov. 17. quod aureola per redundantiam erit in corp. et sic: «Animus gaudens ætatem floridam facit:» Item á Ps. 27. «In ipsa speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea.» Ubi per ly *adjutus sum*, scil. in corde, quod speravit in Domino, ostenditur gaudium animæ, et per ly *refloruit caro mea*, monstratur redundantia prædicta in corp. et corol. post ad secundum. Item á Ps. 83. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Ubi ad exultationem cordis, id est, animæ, declarat in plano sensu subsequi exultationem in carne. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á etc. ut art. 5. 6. et 7. appen. quod convenienter assignantur *tres* aureolæ, scil. *virginum, martyrum, et prædicatorum*. Adde, quod et aliæ scripturæ id insinuant, puta de martyribus Joan. 15. "Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amisis suis.» De doctoribus Marc. 8. Luc. 12. "Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.» De virginibus Apoc. 7. *Sequuntur agnum quocumque ierit*. Per hæc enim tria sigillatim insinuatur aliquid speciale (ut petere potest intelligenti) pro unoquoque illorum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Ephes. 6. quod aureola martyris est simpliciter aliis excellentior, et sic. "Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principatus, et potestates.» Ubi magis difficilem pugnam esse ostendit contra principes hujus mundi, quam contra concupiscentias carnis. Et, cum pugna contra concupiscentias sit difficilior, quam circa intelligibilia, ut habetur in textu, patet, ut quod et magis difficilem esse illam pugnam contra principes denotabit ibi Apostulus, quam circa intelligibilia. Consequenter ergo per hoc suum dictum aureolam martyrum, utpote certantium contra principes mundi, denotavit esse excellentiorem aliis duabus aureolis. Et, licet, per ly principes, atque potestates, intelligat ad litteram dæmones: tamen per quamdam analogiam principes mundi, Tyrannos, atque paganos, seu alias fidem Christi persequentes, tamquam speciales dæmonum ministros, cointellexit. Item á Joan. 15. "Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.» Item á Sap. 10. Custodivit illum Dominus ab inimicis, et á seductoribus tutavit eum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret.» Quæ quidem Ecclesia catholica applicat cuilibet martyri,

quasi per hoc testetur quod certamen martyrum est forte antonomastice, id est, per excellentiam, hoc est ceteris fortius. Ex quibus dic tu, ut supra. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 13. habes *primo*: quomodo per rationem, et quidem á fortiori, vel certe á simili, ostendas, merito esse insinuatum á 1. Cor. 15. quod unus alio aureolam excellentius habeat, et sic. «Stella á stella differt in claritate.» Ubi nomen stellarum intelligit sanctos, et nomen claritatis præmia illis reddita pro meritis. Stellam igitur á stella differre in claritate, est, secundum illum, præmia sanctorum pro meritis esse differentia, seu disparia. Quod si dicas, illum loqui de aurea, idest præmio essentiali, jam patet á fortiori, vel saltem á simili, quod etiam de aureola, id est præmio accidentali, sermonem suum intelligi vult. Aut igitur ad litteram planam, aut litteram á fortiori declarat intentum. Item ab Apoc. 21. ubi sub nomine civitatis, diversarumque rerum in civitate repertarum, dsscribit patriam cœlestem cum suis præmiis, aureis, et aureolis, et diversas exellentias ipsorum, quæ per te ibi videre poteris, et applicare proposito, pro quanto sufficit. Item á, etc. ut qu. 82. art. 2. appen. Item á etc. ut 1. p. q. 12. art. 6 appen. quæ, si recte applicentur, valent proportionaliter ad propositum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTÉSIMA OCTAGESIMA QUINTA.

DE PŒNA DAMNATORUM, IN SEPTEM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad damnatos post judicium: et primo de pœna damnatorum, et igne, quo eorum corpora cruciabuntur; secundo de his quæ pertinent ad eorum afectum, et intellectum; tertio de justitia, et misericordia Dei respectu damnatorum.

Circa primum quæruntur septem.

Primo, utrum damnati in inferno sola pœna ignis affligantur.

Secundo, utrum vermis eorum, quo affliguntur, sit corporalis.

Tertio, utrum stetus in eis existens sit corporalis.

Quarto, utrum tenebræ eorum sint corporales.

Quinto, utrum ignis quo affliguntur, sit corporalis.

Sexto, utrum sit ejusdem speciei cum igne nostro.

Septimo, utrum ignis ille sit sub terra.

ARTICULUS I.

Utrum damnati in inferno, sola pœna ignis affligantur.

Pro affirmativa.=Videtur quod damnati in inferno sola pœna ignis affligantur.

1. Matt. 25. Ubi eorum pœna exprimitur, fit mentio solum de igne, cum dicitur, *discedite á me, maledicti in ignem æternum.*

2. In purgatorio non dicitur esse nisi pœna ignis. Ergo nec in inferno erit nisi pœna ignis.

Antecedens prob., quia 1. Cor 3. dicitur: *uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Consequentia vero, quia sicut pæna purgatorii debetur peccato veniali, ita pœna inferni debetur peccato mortali.

3. Ubi est pœnarum varietas, est refrigerium aliquod. Sed in inferno nullum erit refrigerium. Ergo ibi nulla erit pœnarum varietas, sed sola pœna ignis.

Maior prob., quia varietas pœnarum refrigerium præstat sicut cum de calido quis transfertur in frigidum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur in Psal. 10. *Ignis, sulfur et spiritus procellarum pars calicis eorum.*

2. Job. 24. dicitur: *ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium.*

Determinatio.

CONCLUSIO. Damnati in inferno, non solum pœna ignis sed multis aliis pœnis cruciabuntur.

Prob. Primo, quia secundum Basilium, in ultima mundi purgatione, fiet separatio in elementis, ut quidquid est purum et nobile, remaneat superius ad gloriam beatorum; quidquid vero est ignobile et fœculentum, in infernum projiciatur ad pœnam damnatorum. Ut sicut omnis creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud Sap. 5. « Pugnabit cum illo orbis terræ contra insensatos. »

Secundo probatur, quia hoc divinæ justitiæ competit, ut sicut ab uno per peccatum recedentes, in rebus materialibus, quæ sunt multæ et variæ, finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter et ex multis affligantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod quia ignis est maxime afflictivus, propter hoc quod abundat in virtute activa, ideo nomine ignis vehementis, omnis, afflictio designatur.

Ad 2. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de purgandis et de damnatis. Pœna enim purgatorii non est principaliter ad affligendum, sed ad purgandum : unde per solum ignem, qui maxime habet vim purgativam fieri debet; damnatorum vero pœna non ordinatur ad purgandum, sed ad cruciandum. Et ideo et per ignem et per alias pœnas cruciabuntur.

Ad 3. Neg. minor, in proposito. Damnati enim transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus sine hoc quod in eis sit aliquod refrigerium, quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis á sua pristina naturali dispositione, ut contraria passio ad æqualitatem, vel temperiem reducendo, refrigerium causet, sicut nunc accidit, sed erit per actionem spiritualem, secundum quod sensibilia agunt in sensum, prout sortiuntur imprimendo formas illas secundum esse spirituale in organum, non secundum esse materiale.

ARTICULUS II.

Utrum vermis damnatorum sit corporalis.

Pro affirmativa.==Videtur quod vermis, quo affliguntur damnati sit corporalis.

1. Illud, per quod affligetur caro damnatorum, erit corporale. Sed per vermem affigetur caro damnatorum. Ergo vermis hic erit corporalis.

Maior prob., quia caro non potest affligi per vermem spiritualem.

Minor prob., quia Judith. 16. dicitur: « dabit ignem et vermes in carnes ipso- « rum. » Et Eccles. 7. « Vindicta carnis « impii, ignis et vermis. »

2. Aug. lib. 21. de Civ. Dei c. 9. dicit: « utrumquæ, id est, ignis et ver- « mis, pœna erunt carnis. » Ergo vermis erit corporalis.

AD ARGUMENTA.

Argumentum sed contra.

Aug. 20. de Civ. Dei c. 22. dicit. « Credibilius esse quod vermis, quo damnati affliguntur, non sit corporalis. »

Determinatio.

CONCLUSIO. Vermis, qui in damnatis ponitur, non est corporalis, sed spiritualis, qui est conscientiæ remorsus.

Prob. quia post diem Judicii, mundo innovato, non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum, nisi corpus hominis tantum, eo quod alia corpora mixta nullam habeant ordinem ad incorruptionem, ut supra dictum est, cum de innovatione mundi ageretur. Et quia

post illud tempus nulla erit futura generatio, aut corruptio.

Dicitur autem ille conscientiæ remorsus, vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit, sicut corporalis vermis, ex putredine carnis ortus, pungendo affligit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus prob. quod ipsæ animæ damnatorum, dicuntur, carnes eorum, pro eo quod carni subjectæ fuerunt. Vel potest dici quod per vermem spiritualem caro affligetur, secundum quod passiones animæ redundant in corpus: et hic et in futuro. Unde secundum hoc negatur maior. Et ad prob. negatur assumptum, quia per redundantiam, spirituale affligit corpus.

Ad 2. Dicitur, quod Aug. loquitur secundum quamdam comparationem. Non enim vult simpliciter asserere quod ille vermis sit materialis, sed quod potius esset asserendum ignem et vermem, materialiter intelligi, quam quod utrumque spiritualiter tantum, intelligatur, quia sic nullam pœnam corporalem damnati sustinerent, ut patet inspicienti ibidem seriem verborum ejus.

ARTICULUS III.

Utrum fletus, qui erit in damnatis, sit corporalis.

Pro affirmativa. Videtur quod fletus, qui erit in damnatis, erit corporalis.

1. Fletus, per quem potest probari vera corporum resurrectio, erit corporalis. Sed per fletum damnatorum potest probari vera corporum resurrectio, ut quædam Glos. dicit super Luc. 13. « Ergo fletus damnatorum erit corporalis.

2. Peccatores in culpa habuerunt delectationem interiorem et exteriorem. Ergo etiam habebunt fletum exteriorem.

Conseq. prob., quia tristitia, quæ est in pœna, respondet delectationi, quæ fuit in culpa, secundum istud Apoc. 18. « Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et « luctum. »

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

In quibus est corporalis fletus, fit resolutio lachrimarum. Sed in damnatis non potest fieri resolutio lachrimarum. Ergo non erit corporalis fletus.

Maior prob., quia fletus corporalis fit per quamdam resolutionem lachrimarum.

Minor prob., quia cum nihil in eis per cibum restauretur, tandem consumerentur; quia omne finitum, si aliquid ab eo continue abstrahatur, consumitur.

Determinatio.

Distinctio. In fletu corporali, duo inveniuntur. Unum est lachrimarum resolutio. Aliud est quædam commotio, et turbatio capitis et oculorum.

1.ª Conclusio. In damnatis non erit corporalis fletus, quantum ad resolutionem lachrimarum.

Manifestatur, quia post diem Judicii, quiescente motu primi mobilis, non erit aliqua corporalis generatio, vel corruptio, vel alteratio. In lachrimarum autem resolutione oportet esse illius humoris generatio, qui per lachrimas distillat. Unde quantum ad hoc, corporalis fletus in damnatis esse non poterit.

2.ª Conclusio. In damnatis erit fletus corporalis, quantum ad commotionem et turbationem capitis et oculorum.

Manifestatur, quia corpora damnatorum non solum ab exteriori, sed etiam ab interiori affligentur, secundum quod corpus immutatur ad passionem animæ in bonum vel in malum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod per flertum corporalem probatur resurrectio vera corporum, quia fletus etiam quantum ad secundum quod in eo consideratur, requirit corpus.

Ad 2. Dicitur, quod fletus ille corporalis respondebit delectationi culpæ quæ fuit in corpore et in anima.

Argumentum pro negativa probat primam conclusionem.

ARTICULUS IV.

Utrum damnati sint in tenebris corporalibus.

Pro negativa. — Videtur quod damnati non sint in tenebris corporalibus.

1. Greg. lib. 9. Moral. c. 49. Super illud Job. 10. *Sed sempiternus horror inhabitat*, dicit; quamvis ignis ille ad consolationem non luceat, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces, quos secum traxerunt de mundo reprobi, flamma illustrante sunt visuri. Ergo non erunt in inferno tenebræ corporales.

2. Damnati vident pœnas suas. Ergo in inferno non erunt tenebræ corporales.

Antecedens prob., quia videre proprias pœnas, ad damnatorum pœnam spectat.

Conseq. prob., quia nihil videtur, nisi in lumine.

3. Damnati habebunt potentiam visivam post resurrectionem. Ergo aliquid videbunt. Ergo in inferno non erunt corporales tenebræ.

Prima conseq. prob., quia si nihil viderent, frustra esset in eis visiva potentia. Secunda conseq prob. quia nihil videtur, nisi in lumine.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Basilius super illud Psal. 28. «Vox «Domini intercidentis flammam ignis,» dicit, quod virtute Dei separabitur claritas ignis ab ejus virtute adustiva, ita quod claritas cedat in gaudium beatorum, et ustivum ignis in tormentum damnatorum. Ergo damnati habebunt tenebras corporales.

2. Matt. 22. dicitur: ligatis manibus, et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Super quod dicit Greg. lib. 9. moral. cap. 46. Si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti dicerentur. Ergo in inferno sunt tenebræ corporales.

Determinatio.

Conclusio. In inferno erunt tenebræ corporales; cum aliquali tamen luce; ut damnati videant ea quæ ipsos torquere possunt.

Manifestatur. Nam dispositio inferni talis erit, quod maxime conveniat miseriæ damnatorum. Unde ibi sunt lux et tenebræ, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum. Ipsa visio secundum se est delectabilis; ut enim dicitur in principio Metaph. «Sensus oculorum «est maxime diligibilis, eo quod per ip«sum plura cognoscimus.» Per accidens autem contingit visionem esse afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostræ voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum, secundum lucem et tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quæ afflictionem cordi ingerere possunt. Unde simpliciter loquendo locus est tenebrosus; sed tamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quæ animam torquere possunt: et ad hoc satisfacit naturalis situs loci, quia in medio terræ, ubi infernus ponitur, non potest esse ignis nisi fœculentus, turbidus et quasi fumosus. Unde in forma probatur conclusio. Ea, quæ faciunt ad miseriam damnatorum, convenienter ponuntur in inferno. Sed corporales tenebræ, cum aliquali luce, faciunt ad miseriam damnatorum. Ergo convenienter in inferno ponuntur corporales tenebræ, cum aliquali turbida luce.

Maior proh., quia locus inferni debet esse dispositus ad hoc, ut competat miseriæ damnatorum.

Minor, quia tenebræ ponuntur ad tollendam delectationem visionis; aliqualis lux, ut videant afflictiva.

Quorumdam assignatio.

Quidam autem causam harum tenebrarum assignant ex commassatione corporum damnatorum, quæ præ multi-

tudine ita replebunt locum inferni, quod ibi nihil de aëre manebit: et sic non erit ibi aliquid de diaphano quod possit esse subjectum lucis et tenebræ, nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati.

AD ARGUMENTA.

Non oportet argumenta inducta solvere, quia tria priora probant in inferno esse aliqualem lucem. Alia vero duo ostendunt in inferno esse tenebras. Quæ vera esse in corpore monstratum est.

ARTICULUS V.

Utrum ignis inferni erit corporalis.

Pro negativa. = Videtur quod ignis inferni, quo corpora damnatorum cruciabuntur, non erit corporalis.

1. Ignis corporeus est materialis. Sed ignis inferni non est materialis. Ergo ignis inferni non est corporeus.

Maior prob., quia omne corporeum est materiale.

Minor prob., quia Dam. dicit in 4. lib. Ortod. fidei, in fine. « Tradetur « diabolus et dæmones, et homo ejus, sci- « licet, Antichristus, cum impiis peccato- « ribus, in ignem eternum, non materia- « lem, qualis est qui apud nos est, sed « qualem novit Deus.

2. Animæ damnatorum á corpore separatæ, deducuntur ad locum spirituale. Sed hujusmodi animæ deducuntur ad ignem inferni. Ergo ignis inferni non est corporeus, sed spiritualis.

Maior prob., quia Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. c. 32. *Spiritualem arbitror esse locum*, scilicet, in quem anima defertur post mortem corporalem.

3. Ignis, qui in modo suæ actionis sequitur modum culpæ ejus qui crematur, non est corporeus. Sed ignis inferni sequitur modum culpæ ejus qui crematur. Ergo ignis inferni non est corporalis.

Maior prob., quia ignis corporalis in modo suæ actionis non sequitur modum culpæ in eo qui igne crematur, sed magis modum humidi et sicci. Unde in eodem igne corporeo videmus eodem modo affligi justum et impium.

Minor prob., quia Greg. 4. Dial. c. 43. dicit; « unus quidem est gehennæ « ignis, sed non uno modo omnes cru- « ciat peccatores: unusquisque enim, quan- « tum exigit culpa, tantum sentiet de « pœna.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Greg. 4. Dial. c. 29. dicit; « ignem « gehennæ corporeum esse non ambigo, « in quo certum est corpora cruciari. »

Determinatio.

Conclusio. Ignis, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, erit corporeus.

Prob. quia corpori non potest convenienter aptari pœna, nisi corporea. Unde Greg. 4. Dial. c. 29. Ex hoc ipso probat ignem inferni esse corporeum, quod reprobi, post resurrectionem, in eum detrudentur. Aug. etiam manifeste confitetur ignem illum, quo cruciabuntur corpora, esse corporeum, ut refert Magister 4. dist. 44. Qualiter autem animæ ab igne isto crucientur, jam supra dictum est quæst. 161, art. 8.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod Damascenus non negat simpliciter ignem illum materialem esse; sed quod non est materialis, talis, qualis est apud nos eo quod quibusdam proprietatibus ab eo distinguatur, ut dicetur. Vel dicendum, quod quia ignis ille non materialiter alterat corpora, sed quadam spirituali actione agit in ea ad punitionem, ideo dicitur non materialis esse, non quantum ad substantiam, sed quantum ad punitionis effectum in corporibus, et multo amplius in animalibus.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod dictum Aug. potest hoc modo accipi, ut ideo dicatur locus ille, ad quem animæ deferuntur post mortem, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scili-

cet quo corpora existant in loco; sed alio modo spirituali, sicut angeli sunt in loco. Vel dicendum, quod Aug. loquitur opinando, sicut frequenter in libro illo facit.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ignis ille erit instrumentum divinæ justitiæ punientis. Instrumentum autem non solum agit in virtute propria, sed etiam in virtute principalis agentis, et secundum quod est regulatum ab eo; unde, licet ignis, secundum propriam virtutem, non habeat quod cruciet secundum magis et minus, secundum modum peccati; habet tamen hoc, secundum quod ejus actio modificatur ex ordine divinæ justitiæ. Sicut etiam ignis fornacis modificatur ex industria fabri, secundum quod competit ad effectum artis.

ARTICULUS VI.

Utrum ignis inferni sit ejusdem speciei cum igne nostro.

Pro negativa.=Videtur quod ignis inferni non sit ejusdem speciei cum igne isto corporeo, quem videmus.

1. Aug. dicit in lib. 20. de Civ. Dei, c. 16. et refertur á Magistro in 4. dist. 44. « Ignis æternus cujusmodi sit, homi« nem scire arbitror neminem, nisi forte « cui Spiritus divinus ostendit. » Sed naturam istius ignis, scilicet, quem videmus, omnes, vel fere omnes sciunt. Ergo ignis inferni non est ejusdem speciei aut naturæ cum igne nostro.

2. Greg. dicit in lib. 15. moral. c. 14. exponens illud Job. 20. « Devorabit « eum ignis, qui non succenditur. » Ignis corporeus, ut esse valeat, corporeis indiget fomentis, nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus substinere. At contra, gehennæ ignis, cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed creatus semel, durat inextinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Ergo ignis inferni non est ejusdem naturæ cum eo quem videmus.

3. Æternum et corruptibile non sunt ejusdem rationis, cum nec etiam in genere communicent, ut dicitur 10. Met. 26. Sed iste ignis est corruptibilis, ille autem æternus, Matt. 25. *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Ergo non est ejusdem naturæ.

4. De natura ignis nostri est lucere. Sed ignis inferni non lucet. Unde Job. 18. *Nonne lux impii extinguetur?* Ergo ignis ille non est ejusdem naturæ cum nostro.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lib. 1. Topic. c. 6. dicitur: *omnis aqua, omni aquæ, est idem specie.* Ergo eadem ratione, omnis ignis, omni igni, est idem specie.

Determinatio.

Conclusio. Ignis inferni, quantum ad id quod pertinet ad naturam, est ejusdem speciei cum nostro. Sed quantum ad materiam in qua invenitur, potest esse alius secundum speciem; quamvis hoc sit nobis ignotum.

Manifestatur. Nam ignis propter hoc quod est maximæ virtutis in agendo inter reliqua elementa, alia corpora pro materia habet, ut dicitur 4. Metheor. c. 2. Unde ignis dupliciter invenitur, scilicet, in materia propria, sicut est in sua sphæra; et in materia aliena, sive terrestri, ut est in carbone, sive aërea ut est in flamma. Quocumque autem modo ignis inveniatur, semper est idem specie, quantum ad naturam ignis pertinet. Potest autem esse diversitas in specie, quantum ad corpora, quæ sunt materia ignis. Unde flamma et carbo differunt specie, et similiter lignum igneum, et ferrum ignitum. Nec differt quantum ad hoc, sive ignita sint per violentiam, ut in ferro apparet, sive ex principio intrinseco naturali, ut accidit in sulfure. Quod ergo ignis inferni quantum ad hoc quod habet de natura ignis, sit ejusdem speciei cum igne qui apud nos est, manifestum est. Utrum autem

ille ignis sit in propria materia, aut si in aliena, in qua materia sit, nobis ignotum est. Et secundum hoc, potest ab igne qui apud nos est, specie differre, materialiter consideratus. Si enim ille ignis sit in propria materia, vel in materia á nostra, secundum speciem, differente, specie materialiter differret. Sin autem, erit ejusdem speciei, materialiter consideratus, cum igne nostro. Et sic remanet manifestata conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Aug. loquitur quantum ad id, quod est materiale in igne illo, non autem quantum ad ignis naturam. Secundum enim naturam est idem specie cum nostro; materialiter autem, an sit ejusdem speciei, Deus scit, et quibus voluerit revelare.

Ad 2. Neg. conseq. loquendo de igne illo, et nostro secundum naturam ipsorum. Ignis enim iste, qui apud nos est, lignis nutritur et ab homine succenditur, quia est artificialiter et per violentiam in alienam materiam introductus. Sed ignis inferni lignis non indiget, quibus foveatur, quia vel in propria materia existit, vel est in materia aliena, non per violentiam, sed per naturam á principio intrinseco. Unde non est ab homine succensus, sed á Deo, qui naturam illam instituit. Et hoc est quod dicitur Isaiæ 30: «Flatus Domini «sicut torrens sulfuris succendens eam.»

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod sicut corpora damnatorum erunt ejusdem speciei, cujus modo sunt, quamvis modo sint corruptibilia, tunc autem erunt incorruptibilia ex ordine divinæ justitiæ, et propter quietem motus cœli. Ita est etiam de igne inferni, quo corpora illa cremabuntur. Licet enim apud nos naturæ corruptibilis sit, tamen in inferno nunc ex ordine divinæ justitiæ, est incorruptibilis. Et post judicium, hoc etiam ex cessatione motus cœli habebit.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod lucere non convenit igni, secundum quemlibet modum existendi, quia in propria materia existens, non lucet. Unde non lucet in propria sphæra, ut philosophi dicunt. Similiter etiam ignis existens in aliqua materia aljena, non lucet, sicut cum est in materia opaca terrestri. Et similiter est etiam quando ex aliquo grosso fumo, ejus claritas offuscatur. Unde, quod ignis inferni non luceat, non probat sufficienter quod non sit ejusdem speciei cum nostro.

ARTICULUS. VII.

Utrum ignis inferni sit sub terra.

Pro negativa. = Videtur quod ignis ille non sit sub terra.

1. Job. cap. 18. dicitur de homine damnato. *Et de orbe transferet* eum Deus. Ergo ignis ille, quo damnati punientur, non est sub terra, sed extra orbem.

2. Si ignis inferni esset sub terra, non esset perpetuus, quod est falsum, quia ille ignis in sempiternum durabit.

Conseq. prob. Nullum violentum et per accidens, est perpetuum; sed si ignis ille esset sub terra, erit ibi per violentiam et non secundum naturam. Ergo, si esset ille ignis sub terra, non esset perpetuus.

3. In igne inferni, omnia corpora damnatorum post diem judicii cruciabuntur. Sed illa corpora locum replebunt. Ergo, cum futura sit maxima multitudo damnatorum, quia *stultorum infinitus est numerus*, Eccles. 4; oportet esse maximum spatium infra terram, in quo ignis ille contineretur. Sed inconveniens videtur dicere intra terram esse tantam concavitatem, cum partes terræ naturaliter ferantur ad medium. Ergo ille ignis non erit sub terra.

4. Mali super terram peccaverunt. Ergo ignis eos puniens, non debet esse sub terra, sed supra terram.

Conseq. prob., quia *per quæ quis peccat, per hæc et torquetur*, ut dicitur Sap. 11.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contrà.

1. Isaiæ 14. dicitur; « infernus subter-« te conturbatus est in occursum adven-« tus tui. » Ergo ignis inferni sub nobis est.

2. Greg. dicit 4. Dial. c. 42. « Quid « obstet, non video, quod infernus subtus « terram esse credatur. »

3. Super illud Jonæ 2: *Projecisti me in corde maris*, dicit Glos. idest, in inferno. Pro quo dicitur Matt. 12. *In corde terræ*, quia, sicut cor est in medio animalis, ita et infernus in medio terræ esse perhibetur.

Determinatio.

Augustini sententia.

Aug. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 16. et referturà Magistro lib. 4. sent dis. 44. dicit: « In qua parte mundi infernus sit, « scire neminem arbitror, nisi cui Divi-« nus Spiritus revelavit. »

Sententia Gregorii.

Greg. in 4. Dial. 142. super hac quæstione interrogatus, respondit. « Hac « de re temere definire non audeo; non-« nulli namque in quadam terrarum par-« te infernum esse putaverunt; alii vero « hunc sub terra esse existimant. »

Vera sententia.

Conclusio. Opinio dicentium infernum esse sub terra, est probabilior.

Hanc sententiam esse probabiliorem, ostendit Greg. ibidem dupliciter. Primo ex ipsa nominis ratione; sic dicens: « Si-« idcirco infernum dicimus, quia inferius « jacet quod terra ad cœlum est, hoc « esse infernus debet ad terram. »

Secundo ex hoc quod dicitur Apoc. 4. « Nemo poterat, neque in cœlo, ne-« que in terra, neque subtus terram « aperire librum; » ut hoc quod dicitur in cœlo, referatur ad Angelos: hoc quod dicitur in terra, referatur ad homines viventes in corpore: hoc quod dicit subtus terram, referatur ad animas existentes in inferno.

Aug. etiam lib. 12. super Gen. ad lit. c. 34. Duas rationes tangere videtur, quare congruum sit infernum esse sub terra.

Una est, ut quoniam « defunctorum « animæ, carnis amore peccaverunt, hoc « eis exhibeatur quod ipsi carni mortuæ « solet exhiberi, ut scilicet sub terram « retrudantur. »

Alia est, quod sicut est gravitas in corporibus, ita tristitia in spiritibus, et lætitia sicut levitas; unde « Sicut secun-« dum corpus, si ponderis sui ordinem « teneant, inferiora sunt omnia gravio-« ra; ita secundum spiritum, inferiora « sunt omnia terrestria, » et sicut con-veniens locus gaudio electorum est cœ-lum Empyreum; ita conveniens locus tristitiæ damnatorum, est infimum terræ.

Ab objectionem.

Nec movere debet quod Augustinus ibidem, scilicet 12. super Gen ad litte-ram, cap. 33. et 34. dicit, quod « inferi « sub terris esse dicuntur, vel creduntur; » quia, ut in libro 2. retractationum, cap. 24. hoc retractans dicit: « Mihi « videor dicere debuisse, magis quod « sub terris sunt inferi, quam rationem « reddere cur sub terris esse dicantur, « vel credantur. »

Quorumdam philosophorum positio.

Quidam philosophi posuerunt quod locus inferni erat sub orbe terrestri, ta-men supra terræ superficiem, ex parte opposita, et hoc videtur Isid. sensisse, cum dicit quod Sol et Luna in ordine quo creati sunt, stabunt, ne impii in tormentis positi, fruantur luce eorum. Quæ ratio nulla esset, si infernus infra terram esse dicatur. Pythagoras posuit locum pœnarum in sphæra ignis, quam in medio totius orbis esse dixit, ut patet per Arist. in 2. cœli, et mundi.

Reprobatio harum positionum.

Sed tamen convenientius his quæ in Scriptura dicuntur, est, ut sub terra locus inferni esse dicatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod verbum illud Job.

De orbe transferet eum Deus, intelligendum est de orbe terrarum, id est de hoc mundo. Et hoc modo exponit Greg. in lib. 14 Moral. cap. 11. dicens: « De "orbe quippe transfertur, cum superno "apparente judice, de hoc mundo tollitur, in quo perverse gloriatur. » Nec est intelligendum quod orbis hic accipiatur pro universo, quasi extra totum universum sit locus pœnarum.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod in loco illo conservatur ignis in æternum ex ordine divinæ justitiæ, quamvis secundum naturam suam non possit aliquod elementum extra suum locum in æternum durare, præcipue statu generationis et corruptionis manente in rebus; ignis autem ibi erit fortissimæ caliditatis, quia calor ejus erit undique congregatus, propter frigus terræ ipsum undique circunstans.

Ad 3. Dicitur quod infernus nunquam deficiet in amplitudine, quin sufficiat ad damnatorum corpora capienda. Infernus enim Prov. 30. inter tria insatiabilia ponitur. Nec est inconveniens, quod intra viscera terræ, tanta concavitas divina virtute servetur, quæ damnatorum omnium corpora capere possit.

Ad 4. Negat. conseq. Ad prob., dicitur, quod hoc quod dicitur. *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, non est necessarium, nisi in principalibus instrumentis peccandi; quia enim homo in anima et corpore peccat, in utroque punietur. Non autem oportet quod in quo loco quis peccavit, in eodem puniatur; cum alius sit locus qui viatoribus, et alius qui damnatis debetur. Vel dicendum, quod intelligitur de pœnis quibus homo punitur in via, secundum quod quælibet culpa suam pœnam habet annexam, prout quisque *inordinatus animus sibi est pœna*, ut dicit Aug. lib. 1. conf. c. 12.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 185.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*; quomodo per rationem excludas errorem *Algazelis*, Direct. Inquis. 2. p. q. 4. dicentis, quod in separatione ab ultimo Angelo, qui præest omnibus rebus, tota pœna animæ nostræ consistit, sicut et in ejus cognitione consistit tota nostra beatitudo. Item *Albanensium* dicentium, inferni alias pœnas non esse, quam eas, quas in hoc mundo experimur. Conclusio enim cum suis rationibus, contra omnes hos legitime militat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos merito damnari a Job 33. *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium*. Ubi si junxeris expositionem ejus ad tertium, videbis clare, quod nulla pœna similis est in mundo. Item á etc. ut qu. 89. art. 4. in tex. et eluc. Item á. etc. ut qu. 70. art. 3. append. vide etiam contra dictum *Algazelis* de beatitudine q. 92. art. 1. Item 1. 2. q. 3. art. 7. et 8. Item 1. p. q. 12. art. 1. 2. 4. et 5. Item á Ps. 10. " Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Item á. etc. ut 1. p. q. 93. art. append. *Tertio* vides: quomodo per rationem prædicta scripturarum, ac patrum, pro quanto, multas pœnas ultra ignem in inferno dari, insinuant, et intelligas, et probes, et tueari. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Babbi Moysis*, *Albanensium et Mundanitarum*, ut refert Direct. Inquis. 2. p. qu. 4. dicentium, quod mundus semper est in eodem statu mansurus. Ex hoc enim, quod nullum mixtum remansurum post judicium demonstrat præsens articulus, se contra illorum errorem militare ostendit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas hunc merito damnari

6, etc. ut qu. 91. art. 1. append. et qu. 74. art. 1. et 2. Item á, etc. ut prima par. qu. 10. art. 3. et qu. 46. art. 1. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem scripturarum Is. 66. Ezech. 20. Marc. dicta, videlicet, quod vermis damnatorum non morietur, et intelligas, et intellecta probes, eademque probata tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem intelligas scripturarum, Luc. 13. Matth. 13. Apoc. 1. Sap. 5. et hujusmodi, multa dicta: quibus insinuatur, fletum, planctum, gemitum, et similia fore in damnatis, sive tempore judicii, sive post. Hoc enim nihil refert in proposito, cum cœlum jam quieverit etiam in die judicii, quæ est ratio conclusionis corp. *Secundo* habes: quomodo prædicta, pro quánto id ipsum insinuant, et probes in vero sensu, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Matth. 22. quod in inferno erunt tenebræ corporales, et sic. " Ligatis manibus, et pedibus mittite eum in tenebras exteriores. » Ubi dicit ly *exteriores* ad differentiam spiritualem interiorum, quæ sunt privatio gratiæ, et gloriæ, et per consequens ly exteriores importat quod sint corporales. Item á Job. 10. " Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ, et tenebrarum, ubi umbra mortis, et sempiternus horror inhabitat. » Ubi per ly *tenebrosam*, ly *tenebrarum*, ly *opertam mortis caligine*, ly *umbra mortis*, ly *sempiternus horror*, satis denotat, quod illæ tenebræ sunt non tantum corporales, sed etiam maxime corporales, ita ut ex omni parte horrorem incutiant. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et defendas. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Sapien. quinto, quod ignis inferni est corporeus: et sic. «Armabit omnem creaturam in ultionem inimicorum.» Ubi, cum loquatur de existentibus in inferno, cruciatis ab igne, non videretur per hoc, quod omnis creatura armaretur contra reprobos, nisi ignis ille esset corporeus: si tamen intelligamus authoritatem illam de igne tantum. Nam, si esset spiritualis, cum etiam spiritualiter agat, tunc creatura spiritualis tantum armaretur contra damnatos. Quod si corporeus dicatur, tunc omnis creatura, sc. et corporalis, et spiritualis contra illos est. Agit enim actione spirituali, ut in ad primum, et nihilominus corporeus est. Ignis ergo ille secundum se sumptus est corporeus, secundum actionem vero suam consideratus, dici potest esse spiritualis. Patet autem, quod creatura omnis dividitur sufficienter in corporalem, et spiritualem. Item ab Apoc. 18. « In una die venient plagæ ejus, et igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam. Et flebunt, et plangent, cum viderint fumum incendii ejus, longe stantes propter timorem tormentorum ejus. » Item ab eod. 20. «Descendit ignis á Deo de cœlo, et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et infernus, et mors, missi sunt in stagnum ignis. Et, qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. » Ubi et per frequentem nominationem stagni, monstrare videtur illum esse corporeum: sicut etiam per frequentem nominationem Orientis factam á Matth. 2. in adventu Magorum innuitur. quod de Oriente proprie, et non large, quasi de aliqua parte declinante ad Orientem loquatur; per dominationem fumi, atque incendii, tamquam á proprietatibus ignis apud nos existentis ipsum denominando, videtur idem, quod prius, significare. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fundamentaliter á Philosopho (non enim habuit fidem, sed secundum naturam, quæ deservit supernaturalibus, loquebatur) in 1. Top. quod ignis inferni est ejusdem speciei cum nostro; et sic á simili: *Omnis aqua omni aquæ est idem specie*. Propter hoc et Ecclesia baptizat in omni aqua naturali, licet non omnis sit aqua Jordanis, in quo baptizatus est Christus. Voluit ergo Philosophus ibi dicere virtualiter, quod omnis terra omni

terræ est idem specie, et omnis aer omni aeri, et omnis ignis omni igni. Item á etc. ut q. 84. art. 3. ubi determinatur, quod ignis ultimæ conflagrationis est ejusdem speciei cum reliquo. Ex illo igitur loco authoritates á simili applicabis huc, pro quanto sufficit, et concludes intentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta philosophiæ, et scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas et tuearis. *Tertio* vides, quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem Almar. (ut refert Bernardus Luthzemb. in catal. hæret.) dicentis: infernum nullum esse, sed existentem in mortali habere infernum. Hic pro parte dicit aliqualiter verum, scilicet, quod existens in mortali habeat infernum, ut colligi potest ex secundo responso ad quartum, sed errat connectens, nullum alium infernum esse. Quod si nullus alius ab existente in mortali infernus est, profecto nec ignis inferni sub terra est. Et pro tanto hic adducitur error Almarici, et damnabitur. Item errorem Seleucianorum (Prat. Seleuciani.) dicentium infernum esse mundum istum, et nullum alium superesse, de quo dicas proportionaliter, ut nunc supra de Almarici errore. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hoc merito damnari, á etc. q. 69. á 5. app. Item á Job. 21. *In puncto ad infernum descendunt.* Item á Numer. 16. *Descenderunt vivi in infernum.* Ubi loquitur de Dathan, Abiron, et consequenter de inferno damnatorum, quo descenderunt. Item á Psal. 54. *Descenderunt in infernum viventes.* Item ab Apocal. 18. «Sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens; hoc impetu mittetur Babilon civitas illa magna. Et cap. 20. Vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem, qui est diabolus, et ligavit, et misit eum in abyssum.» Item á multis locis scripturarum, qui loquentes de inferno utuntur nomine descensionis, quo significatur aliquid infra terræ superficiem. Ex quibus locutionibus etiam videri datur, quam optime dixit ultima conclusio corpor. final. Item ab Innoc. III. in Concil. gener. extra de summ. Trinit. de fide cath. ubi in fine 2. capituli damnat doctrinam Almarici, et intelligitur de tota, secundum D. Franciscum *Pegna* dignissimum commentatorem directorii Inquisitorum, ibi. Pro tanto igitur, et Seleucianos condemnat Pontifex idem; pro quanto conveniunt cum Almarico. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto ignem inferni esse sub terra insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA SEXTA.

DE VOLUNTATE, ET INTELLECTU DAMNATORUM, IN NOVEM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad affectum, et intellectum damnatorum.

Circa quod quæruntur novem.

Primo, utrum omnis damnatorum voluntas sit mala.

Secundo, utrum aliquando pœniteant de malis quæ fecerunt.

Tertio, utrum magis vellent non esse quam esse.

Quarto, utrum vellent alios esse damnatos.

Quinto, utrum impii habeant Deum odio.

Sexto, utrum ipsi demereri possint.

Septimo, utrum possint uti scientia hic acquisita.

Octavo, utrum cogitent aliquando de Deo.

Nono, utrum ipsi videant gloriam beatorum.

ARTICULUS I.

Utrum omnis voluntas damnatorum sit mala.

Pro negativa. = Videtur quod non

omnis voluntas damnatorum sit mala.

1. Dæmones habent bonam voluntatem. Ergo et damnati bonam voluntatem habebunt.

Antecedens prob., quia Dion. dicit 4. cap. de div. nom. parte 4. « Dæmones "bonum et optimum concupiscunt, scilicet, esse, vivere et intelligere.»

Conseq. prob., quia damnati non erunt peioris conditionis quam dæmones.

2. Voluntas, quæ per se ordinatur ad bonum, est bona. Sed voluntas damnatorum per se ordinatur ad bonum. Ergo voluntas damnatorum est bona.

Minor prob., quia malum, ut Dion. dicit in 4. cap. de divin. nom. parte 4. *est omnino involuntarium*. Unde, si damnati aliquid volunt, illud volunt in quantum est bonum, vel apparens bonum; et sic eorum voluntas per se est ordinata ad bonum.

3. Aliqui erunt damnati, qui in hoc mundo existentes habitus aliquos virtutum secum detulerunt, utpote gentiles qui habuerunt virtutes politicas. Ergo in his damnatis poterit esse laudabilis voluntas.

Conseq. prob., quia ex habitibus virtutum elicitur laudabilis voluntas.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Voluntas obstinata, semper est mala. Sed voluntas damnatorum est obstinata. Ergo semper est mala.

Maior prob., quia obstinata voluntas numquam potest flecti nisi in malum.

2. Sicut se habet voluntas bonorum ad bonum, ita se habet voluntas damnatorum ad malum. Sed beati numquam habent voluntatem malam. Ergo nec damnati aliquam habent voluntatem bonam.

Determinatio.

Distinctio. In damnatis duplex voluntas considerari potest, scilicet, voluntas naturalis et voluntas deliberativa. Naturalis non est in eis ex ipsis, sed ex auctore naturæ qui in natura hanc inclinationem posuit, quæ inclinatio voluntas naturalis dicitur. Voluntas vero deliberativa est in eis ex ipsis, secundum quod in potestate eorum est inclinari per affectum ad hoc vel aliud.

1.ª Conclusio. Voluntas naturalis in damnatis est bona, secundum se.

Manifestatur, quia sicut natura, quæ in eis remanet, est bona, ita inclinatio naturæ, ab auctore naturæ indita, bona est.

2.ª Conclusio. Voluntas deliberativa damnatorum, semper est mala.

Prob. Illi, qui sunt perfecte aversi á Deo, semper habent deliberativam malam voluntatem. Sed damnati sunt perfecte aversi á Deo. Ergo damnati semper habent malam deliberativam voluntatem.

Maior prob., quia non potest esse aliqua bona voluntas, nisi per ordinem ad finem ultimum, qui est Deus. Unde qui sunt perfecte aversi á Deo, ut damnati, etiam quod aliquod bonum velint, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. anteced. Ad prob. dicitur, quod Dion. verbum intelligitur de voluntate naturali, quæ est inclinatio naturæ in aliquod bonum. Sed hæc naturalis inclinatio per eorum malitiam corrumpitur, in quantum hoc bonum quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantiis appetunt.

Ad 2. Dicitur ad minorem et ad ejus prob. quod malum, in quantum est malum, non movet voluntatem, sed in quantum æstimatur bonum. Sed hoc ex malitia damnatorum procedit, ut id quod est malum, æstiment bonum. Et ideo voluntas eorum est semper mala.

Ad 3. Neg. antecedens. Habitus enim virtutum politicarum non remanent in anima separata, eo quod virtutes illæ perficiant solum in vita civili, quæ non erit post hanc vitam. Etsi remanerent,

numquam in actum exient in damnatis, quasi ex obstinatione mentis ligatæ.

ARTICULUS II.

Utrum damnatos pœniteat malorum quæ fecerunt.

Pro negativa. = Videtur, damnatos numquam pœnitere malorum quæ fecerunt.

1. Qui semper vult iniquitatem suam quam fecit, numquam dolet de malo quod fecit. Sed « damnatus semper vult « iniquitatem suam quam fecit, » ut Bernardus dicit in canticis. Ergo numquam eum pœnitet peccasse.

2. Qui semper habet malam voluntatem, non dolet de malis quæ fecit. Sed damnati numquam habebunt bonam voluntatem, ut art. præced. dictum est. Ergo damnati numquam dolebunt de malis quæ fecerunt.

Maior prob. quia velle se non peccasse, est bona voluntas.

3. Voluntas Angeli post casum est inevertibilis, hoc modo, ut non possit recedere ab electione qua prius peccavit. Ergo et damnati non possunt dolere de peccatis á se commissis.

Conseq. prob., quia secundum Dam. lib. 2. Ortod. Fid. cap. 4. Hoc est hominibus mors, quod Angelis casus.

4. Peccatores aliqui in hoc mundo non dolent de peccatis commissis, vel propter excecationem mentis, sicut hæretici, vel propter obstinationem, sicut « qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, » ut dicitur Prov. 2. Ergo multo minus damnati possunt dolere se peccasse.

Conseq. prob., quia maior erit perversitas damnatorum in inferno, quam peccatorum in hoc mundo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Sap. 5. De damnatis dicitur: *Intra se pœnitentiam agentes.*

2. 9. Ethic. c. 4. dicitur quod « pœnitudine replentur pravi: mox enim « tristantur de hoc in quo prius delectati « sunt. » Ergo damnati, cum sint maxime pravi, magis tristantur.

Determinatio.

Distinctio. Pœnitere peccatorum contingit dupliciter. Uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem peccatorum pœnitet illum, qui peccatum, in quantum est peccatum, abominatur. Per accidens vero, qui illud odit ratione alicujus adjuncti: utpote pœnæ, vel alicujus hujusmodi.

1.ª Conclusio Malos non pœnitebit suorum peccatorum, per se loquendo.

Prob. quia in eis remanet voluntas malitiæ peccati.

2.ª Conclusio. Damnatos pœnitebit peccatorum, ratione pœnæ.

Prob. quia damnati affligentur de pœna quam pro peccato sustinebunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod damnati iniquitatem volunt, sed pœnam refugiunt. Et ideo peccatorum non pœnitet eos per se, sed ratione pœnæ adjunctæ.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod velle se non peccasse propter turpitudinem iniquitatis, est bona voluntas. Sed damnati non volunt se non peccasse propter turpitudinem peccati, sed tantum ratione pœnæ, quam sustinent.

Ad 3. Neg conseq. Nam sine aliqua aversione voluntatis continget, ut damnatos non pœniteat peccasse, quia in peccatis non refugiunt id quod prius appetiverunt, sed aliquid aliud, scilicet, pœnam.

Ad 4. Neg. antecedens. Nam homines in hoc mundo, quantumcumque obstinatos, per accidens de peccatis suis pœnitent, si pro eis puniantur, quia ut Aug. dicit in lib. 83. quæst, q. 36. « Videmus etiam ferocissimas bestias timore « pœnarum á maximis voluptatibus abstinere. » Sic et obstinati in peccatis, in hac vita dolent de peccatis ratione pœnarum, non ratione turpitudinis peccati.

ARTICULUS III.

Utrum damnati recta et deliberativa ratione vellent non esse.

Pro negativa. — Videtur quod damnati recta ratione deliberata, non possint velle non esse.

1. Aug. dicit lib. 1. et 3. de lib. arb. c. 7. «considera quantum bonum «est esse quod beati et miseri volunt. «Maius enim est miserum esse, quam «omnino non esse.»

2. Aug. in eodem lib. 1. c. 8. sic argüit. Prælectio supponit electionem. Sed non esse, non est eligibile: eo quod non habet apparentiam boni, cum nihil sit. Ergo non esse, non potest esse damnatis magis appetibile, quam esse.

3. Maius malum magis est fugiendum. Sed non esse, est maximum malum, cum tollat totaliter bonum: eo quod nihil relinquat. Ergo non esse, est magis fugiendum, quam miserum esse.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apoc. 9. dicitur: «In diebus illis «desiderabunt homines mori, et fugiet «mors ab eis.»

2. Ad vitandam miseriam hujus mundi, appetibile est aliquibus mori. Ergo multo fortius damnatis appetibile est non esse, secundum rationem deliberatam.

Antecedens prob., quia Eccles. 41. dicitur: «O mors, quam bonum est ju«dicium tuum homini indigenti, et qui «minoratur viribus, et deficit ætate, et «cui de omnibus cura est, et incredibili, «qui perdit sapientiam.»

Conseq. prob., quia damnatorum miseria, omnem hujus mundi miseriam excedit.

Determinatio.

Distinctio. Non esse, dupliciter potest considerari; uno modo secundum se. Alio modo in quantum est ablativum pœnalis vitæ et miseriæ.

1.ª Conclusio. Non esse secundum se nullo modo est appetibile.

Prob. quia non esse secundum se, non habet rationem boni, cum sit pura boni negatio.

2.ª Conclusio. Damnati secundum deliberativam rationem possunt præeligere non esse ei quod est in miseria esse.

Prob. quia malum, ut est ablativum miseriæ, accipit rationem boni. *Carere* enim *malo est quoddam bonum*, ut dicitur 5. Ethic. c. 1. Et per hunc modum melius est non esse, quam miserum esse. Unde Matt. 26. dicitur: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Et super illud Jerem. 20. *Maledicta dies, in qua natus sum.* Et dicit Glos. ordin. ex Jeron. ibid. Melius est non esse, quam male esse.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod verbum Augustini est intelligendum, quod non esse per se, non est eligibile, sed per accidens, in quantum scilicet est terminativum miseriæ.

Quod enim dicitur quod esse et vivere ab omnibus appetitur naturaliter, non oportet hoc accipere quantum ad malam vitam et corruptam et eam quæ est in tristitis, ut dicitur 9. Ethic. c. 9.

Ad 2. Dicendum, quod non esse non est eligibile per se, sed per accidens tantum, ut dictum est.

Ad 3 Dicitur ad minorem quod licet non esse, maximum sit malum; est tamen valde bonum, in quantum privat miseria, quæ est maximum malorum. Et sic non esse præeligitur ipsi esse in miseria.

ARTICULUS IV.

Utrum damnati in inferno vellent alios, qui non sunt damnati, esse damnatos.

Pro negativa. — Videtur quod damnati in inferno, non vellent alios, qui non sunt damnati, esse damnatos.

1. Lucæ 16. dicitur de Divite, quod orabat pro fratribus suis, ne venirent in *locum tormentorum.* Ergo et eadem ratione alii damnati non vellent ad minus

carnales suos amicos in inferno damnari.

2. Aliqui damnati inordinate aliquos non damnatos dilexerunt. Ergo in inferno existentes, non vellent eorum malum quod est esse damnatum.

Conseq. prob., quia affectiones inordinatæ á damnatis in inferno non auferuntur.

3. Damnati non desiderant augmentum suæ pœnæ. Ergo damnati non vellent alios damnari.

Conseq. prob., quia si plures damnarentur, maior esset eorum pœna. Sicut etiam multiplicatio bonorum, multiplicat eorum gaudium.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Super illud Isaiæ 14. *Surrexerunt de Soliis*, dicit Glos. ordin. Solatium est malorum, multos socios habere pœnarum.

2. In damnatis maxime regnat invidia. Ergo dolent de fœlicitate beatorum, et eorum appetunt damnationem.

Determinatio.

Conclusio. Damnati vellent omnes bonos esse damnatos.

Prob. Sancti gaudebunt de omnibus bonis, qui salvantur; ergo damnati dolebunt de omnibus bonis, qui salvantur.

Conseq. prob., quia sicut in beatis, in patria, erit perfectissima charitas; ita in damnatis erit perversissimum odium.

Et confirmatur, quia fœlicitas sanctorum á damnatis considerata maxime eos affligit. Unde dicitur Isaiæ 26. « Videant, « et confundatur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod tanta erit invidia in damnatis, quod etiam propinquorum gloriæ invidebunt, cum ipsi sint in summa miseria; cum etiam in hac vita hoc accidat, crescente invidia. Sed tamen minus invident propinquis, quam aliis, et maior esset eorum pœna si omnes propinqui damnarentur, et alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur. Et exinde fuit quod Dives petiit fratres suos á damnatione eripi. Sciebat enim quod aliqui eriperentur. Maluisset tamen fratres suos cum aliis damnari.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod dilectio, quæ non fundatur super honestum, facile rescinditur, et præcipue in malis hominibus, ut dicitur 9. Ethic. c. 4. Unde damnati non servabunt amicitiam ad eos quos inordinate dilexerunt; sed in hoc voluntas eorum remanebit perversa, quod causam inordinatæ dilectionis adhuc diligant.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis ex damnatorum multitudine pœna singulorum augeatur, in tantum tamen supercresceret odium et invidia, quod magis eligent torqueri cum multis, quam torqueri solos.

ARTICULUS V.

Utrum damnati habeant Deum odio.

Pro negativa.—Videtur quod damnati non habeant Deum odio.

1. Qui est ab omnibus diligibilis, non potest ab aliquibus odio haberi. Sed Deus est ab omnibus diligibilis. Ergo non potest á damnatis odio haberi.

Minor prob., quia Dion. dicit in 4. c. de div. nom. « Omnibus diligibile est « pulchrum et bonum quod est omnis « boni et pulchritudinis causa;» hoc autem est Deus.

2. Bonitatem ipsam nullus potest odio habere. Sed Deus est ipsa bonitas. Ergo Deum nullus potest odio habere.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Psal. 73 dicitur, « superbia eorum « qui te oderunt, ascendit semper.

Determinatio.

Distinctio. Deus dupliciter apprehenditur. Uno modo in se, sicut á beatis, qui eum per essentiam vident. Alio modo per effectus, sicut apprehenditur á viatoribus et á damnatis.

1.ª Conclusio. Deus per essentiam visus, non potest ab aliquo odio haberi.

Prob. quia Deus per suam essentiam est ipsa bonitas. Et ideo sic visus non potest alicui displicere.

2.ª Conclusio. Deus ratione alicujus sui effectus, potest ab aliquibus odio haberi.

Prob. quia aliqui effectus Dei sunt voluntati aliquorum repugnantes, in quantum eis contrariantur. Et secundum hoc non in se ipso, sed ratione illorum effectuum aliqui possunt Deum odio habere. Illi scilicet, quorum voluntati effectus Dei contrariantur.

3.ª Conclusio. Damnati habent Deum odio.

Prob. quia damnati percipiunt Deum in effectu divinæ justitiæ, qui est pœna. Et ratione hujus effectus odio habent Deum, sicut et pœnam quam sustinent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Deus est ab omnibus diligibilis secundum essentiam visus, et etiam naturali appetitu est diligibilis ab omnibus. Qui naturalis appetitus in damnatis pervertitur per id quod additur ex deliberata volontate ipsorum, quæ semper est mala.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ipsa bonitas secundum se et clare visa, non potest odio haberi; potest tamen ab his qui eam non vident in se ipsa, in suis effectibus odio haberi.

ARTICULUS VI.

Utrum damnati demereantur.

Pro affirmativa. — Videtur quod damnati demereantur.

1. Si damnati in inferno non demererentur, sequeretur quod ex sua damnatione commodum reportarent.

Conseq. prob., quia damnati habent malam voluntatem, quam hic habuerunt, et per quam hic demeruerunt. Unde, si ibi per illam malam voluntatem non demerentur, commodum profecto, ex hoc quod damnati sunt, reportant.

2. Dæmones post suum casum demerentur. Ergo et damnati post mortem demerentur.

Antecedens prob., quia serpenti, qui Adam ad peccandum induxit, fuit á Deo inflicta pœna, ut patet Gen. 3.

Conseq. prob., quia damnati ejusdem conditionis sunt cum dæmonibus.

3. Actus inordinatus ex libertate arbitrii procedens, non excusatur quin sit demeritorius, etiam si aliqua necessitas adsit, cujus necessitatis sit sibi causa. Sed inordinatus actus damnatorum ex libero arbitrio procedens, etsi adsit necessitas inordinate operandi, hujus necessitatis ipsimet causa fuerunt; scilicet, propriæ obstinationis. Ergo excusantur á demerito.

Maior prob. Nam *ebrius meretur duplicem maledictionem*, si ex ebrietate aliquod aliud peccatum committat, ut dicitur 3. Ethic. cap. 1.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Perversa voluntas in damnatis ex obstinatione procedens, est pœna. Ergo perversa voluntas eorum non est culpa, per quam demereantur.

Conseq. prob., quia pœna contra culpam dividitur.

2. Post ultimum terminum, non relinquitur aliquis motus, sive profectus in bonum, vel in malum. Sed damnati, maxime post diem judicii, ad ultimum terminum suæ damnationis pervenient, quia *tunc finem habebunt duæ civitates*, ut August. dicit in Ench. cap. 3. Ergo damnati, post diem judicii, perversa voluntate non demerebuntur. Sic enim cresceret eorum damnatio.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Damnati post diem judicii non demerebuntur.

Prob. quia omnes confitentur quod post diem judicii non erit aliquod meritum vel demeritum. Et hoc ideo est, quia meritum vel demeritum ordinantur ad aliquod bonum, vel malum ulterius consequendum. Post diem autem judicii, erit ultima consummatio bonorum et malorum, ita quod nihil erit ulterius ad-

dendum de bono, vel de malo; unde bona voluntas in beatis non erit meritum, sed præmium, et mala voluntas non erit in damnatis demeritum, sed pœna tantum. Operationes enim virtutum sunt præcipue in fælicitate; et operationes contrariæ sunt præcipue in miseria, ut dicitur 1. Ethic. cap. 10.

2.° Conclusio. Ante diem judicii, beatos mereri et damnatos demereri, quidam asserunt.

Modificatio.

Sed hoc non potest esse respectu præmii essentialis vel pœnæ principalis, quia quantum ad hoc utrique ad terminum pervenerunt. Potest tamen hoc esse respectu præmii accidentalis, vel pœnæ secundariæ, quæ possunt augeri usque ad diem judicii. Et hoc præcipue in dæmonibus, vel in Angelis bonis, quorum officio aliqui trahuntur ad salutem, ex quo beatorum Angelorum gaudium crescit: vel ad damnationem, ex quo dæmonum pœna augetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod damnatos perverse voluntate non posse demereri, est ad summum incommodum et ad summum malorum pervenisse. Et ideo nullum ex damnatione commodum reportant.

Ad 2. Neg. conseq. et hoc quia ad damnatorum hominum officium non pertinet alios ad damnationem pertrahere, sicut pertinet ad officium dæmonum; et ideo dæmones, quantum ad secundariam pœnam demerentur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod actus damnatorum non ideo non demeretur, quia sit necessarius, sed quia damnati ad summum malorum pervenerunt; propter quod eorum actus demeritorii non sunt, sed pœna ipsorum est, ut inordinate operentur.

ARTICULUS VII.

Utrum damnati possint uti notitia, quam in hoc mundo habuerunt.

Pro negativa. — Videtur quod damnati non possint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.

1. In consideratione scientiæ est maxima delectatio. Sed in damnatis non est ponenda aliqua delectatio. Ergo damnati non possunt uti scientia prius habita, secundum aliquam considerationem.

2. In hoc mundo, dum aliquis est in maximis tormentis constitutus, non potest considerare aliquas intelligibiles conclusiones, abstractus á pœnis quas patitur. Ergo multo minus hoc poterunt damnati in inferno.

3. Damnati sunt subjecti tempori. Ergo damnati obliviscentur eorum quæ in hoc mundo sciverunt.

Conseq. prob., quia longitudo temporis est causa oblivionis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lucæ 16, dicitur Diviti damnato: *Recordare quia recepisti bona*, etc. Ergo damnati considerabunt ea quæ in hac vita sciverunt.

2. In anima separata remanent species intelligibiles. Ergo anima separata potest considerare ea quæ in hac vita scivit.

Conseq. prob., quia frustra remanerent, si eis uti non possent.

Determinatio.

Conclusio. Damnati poterunt uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.

Prob. Illud quod ad tristitiam potest pertinere, erit in damnatis. Sed consideratio eorum quæ in hoc mundo sciverunt damnati, potest esse eis materia tristitiæ. Ergo damnati poterunt uti notitia, quam in hoc mundo habuerunt.

Maior prob., quia sicut propter perfectam sanctorum beatitudinem, nihil erit in eis quod non sit materia gaudii, ita nihil erit in damnatis quod non sit eis materia tristitiæ nec aliquid ad tristitiam potens pertinere deerit, ut sit eorum miseria consummata.

Minor manifest. Consideratio enim aliquorum notorum, quantum ad aliquid,

inducit gaudium, vel ex parte cognoscibilium, in quantum diliguntur; vel ex parte ipsius cognitionis, in quantum est conveniens et perfecta. Potest etiam esse ratio tristitiæ, et ex parte cognoscibilium quæ nata sunt contristare, et ex parte ipsius cognitionis, prout ejus imperfectio consideratur. Ut cum aliquis considerat se deficere in cognitione alicujus rei, cujus perfectam cognitionem appeteret. In damnatis igitur erit actualis notitia eorum quæ prius sciverunt, non ut delectationis causa, sed ut materia tristitiæ. Considerabunt enim et mala quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, et bona delectabilia quæ amiserunt; et ex utroque torquebuntur. Et similiter torquebuntur de hoc quod considerabunt notitiam, quam de rebus speculabilibus habuerunt, imperfectam esse, et se non adipiscisse summam ejus perfectionem, quam poterant adipisci.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod quamvis consideratio scientiæ sit per se delectabilis, tamen ex aliquo accidente potest esse tristitiæ causa, ut in corpore dictum est. Et sic erit in damnatis.

Ad 2. Negat. conseq. Ad prob. dicitur, quod in hoc anima conjungitur corruptibili corpori. Unde per hoc quod corpus affligitur, consideratio animæ impeditur. In futuro autem anima non ita trahetur á corpore, sed, quantumcumque corpus affligetur, anima semper lucidissime considerabit illa quæ ei poterunt esse causa mœroris. Et propter hoc non est eadem ratio de his qui in hoc mundo affliguntur, et de his qui torquentur in inferno.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod tempus est causa oblivionis per accidens, in quantum motus, cujus et mensura, est causa transmutationis; sed post diem judicii non erit motus cœli. Unde nec oblivio esse poterit ex quacumque diuturnitate; sed ante diem judicii, anima separata non mutatur á sua dispositione per motum cœli.

ARTICULUS VIII.

Utrum damnati aliquando cogitabunt de Deo.

Pro affirmativa.= Videtur quod aliquando damnati cogitabunt de Deo.

1. Damnati Deum odio habebunt, ut dictum est art. 5. Ergo damnati aliquando de Deo cogitabunt.

Conseq. prob., quia non potest haberi odio aptu, nisi id quo cogitatur.

2. Damnati habebunt remorsum conscientiæ. Ergo damnati de Deo aliquando cogitabunt.

Conseq. prob., quia conscientia patitur remorsum de actis contra Deum.

PRO NEGATIVA.

Diversorum positiones.

Existentes in imperfectissimo statu, numquam de Deo cogitabunt. Sed damnati erunt in imperfectissimo statu. Ergo damnati de Deo non cogitabunt.

Maior prob., quia perfectissima hominis cogitatio est, qua cogitat de Deo.

Determinatio.

Distinctio. Deus potest dupliter considerari. Uno modo secundum se et secundum id quod est ei proprium, scilicet, esse principium totius bonitatis. Alio modo secundum aliquid quod est ei quasi accidentale in effectibus ejus, ut sunt punire, vel aliquid hujusmodi.

1.ª Conclusio. Damnati nullo modo cogitabunt de Deo secundum se et secundum id quod est ei proprium.

Manifestatur, quia de Deo sic considerato, nullo modo potest esse cogitatio sine delectatione; quæ in damnatis non potest inveniri.

2.ª Conclusio. Damnati de Deo, ut est punitor, cogitabunt.

Manifest. quia consideratio de Deo, secundum hunc modum, potest tristitiam inducere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antécedens, quod damnati habebunt Deum odio ratione

punitionis, et hoc modo de ipso cogitabunt.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod cogitabunt de Deo, quem offenderunt, ut punitor est offensæ ab eis contra Deum factæ.

ARTICULUS IX.

Utrum damnati videant gloriam beatorum.

Pro negativa. = Videtur quod damnati non videant gloriam beatorum.

1. Damnati non vident ea quæ circa nos aguntur. Ergo multo minus possunt videre gloriam beatorum.

Antecedens prob., quia Greg. lib. 12. Moral. cap. 13. super illud Job. 14. « Sive nobiles fuerint filii ejus, » etc. dicit: « Sicut hi qui adhuc vivunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant; » ita mortui qui corporaliter vixerunt, vita in carne positorum, qualiter circa eos disponatur, ignorant.

Conseq. prob., quia magis distat á damnatis gloria beatorum, quam ea, quæ in hoc mundo aguntur.

2. Illud quod conceditur sanctis in hac vita pro magno munere, numquam conceditur damnatis. Sed Paulo Apostolo, pro magno munere est concessum videre vitam illam, qua sancti æternaliter cum Deo vivunt, ut dicit Glos. 2. Cor. 12. Ergo damnati sanctorum gloriam non videbunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lucæ 16. dicitur quod Dives in tormentis positus, vidit Abraham et Lazarum in sinu ejus.

Determinatio.

Conclusio. Damnati ante diem judicii videbunt beatos in gloria.

Prob. quia Greg. Hom. 40. de Divite, dicit; « infideles in imo positi ante diem « judicii, fideles super se in requie at« dunt. »

Declaratur. Damnati tamen non vident hoc modo gloriam beatorum, ut qualis sit cognoscant, sed solum cognoscunt eos esse in gloria quadam inestimabili; et ex hoc turbabuntur, tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amisserunt. Unde dicitur Sap. 5. de impiis: *videntes turbabuntur timore horribili.*

2.ª Conclusio. Post diem judicii damnati omnino beatorum visione privabuntur.

Prob. quia Greg. ibidem subdit. Quorum gaudia, scilicet beatorum, post, scilicet, diem judicii, contemplari non possunt.

Ad objectionem.

Nec tamen ex hoc eorum pœna, quam habebunt, illa visione beatorum in gloria minuetur; sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriæ beatorum, quam in judicio viderunt, vel ante judicium, et hoc erit eis tormentum. Sed ulterius affligentur ex hoc quod videbunt se reputari indignos videre gloriam quam sancti habere merentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ea enim, quæ in hac vita aguntur, non ita affligerent damnatos in inferno, si ab eis viderentur, sicut sanctorum gloria. Et ideo non ita ostenduntur damnatis ea quæ hic aguntur, sicut sanctorum gloria. Quamvis eorum, quæ hic aguntur, ostendantur eis ea ex quibus tristitia habere possunt.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Paulus inspexit vitam illam, in qua sancti cum Deo vivunt, eam experiendo et in futurum perfectius sperando: quod non fit cum damnatis, quibus ostenditur vita illa, ut ex tali visione magis affligantur, dum vident se tali vita fuisse privatos, nec eam sperare posse.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 186.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in radice, interimas hæreses *Origenistarum* dicentium: Beatitudinem, et miseriam non fore perpetuam: et Beatitudinis, et miseriæ quædam erunt alternationes: et, Beatæ animæ in corpora mortalia iterum sunt reversuræ, in quibus patientur, et hinc rursus ad beatitudinem evocabuntur, et beatitudinis, et miseriæ fiet circulus quidem. Item dicentium: Dæmones aliquando salvandos. Item *Libertinorum* dicentium quod diabolo, Dei misericordia presto erit. Per hoc enim, quod articulus præsens monstrat voluntatem damnatorum semper esse malam: monstrat et radicaliter, miseriam ipsorum necessario fore sine fine perpetuam. Vide regulam juris quintam, in ar. 2. app. allegatam. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tamquam in radice, ostendas, hos merito damnari á etc. ut q. 16. ar. 3. ap. et q. 94. ar. 2. Item á etc. ut 1. par. q. 94. ar. 2. et q. 62. ar. 8. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas merito esse dictum á Ps. 73. « Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. » Ubi ostendit manifeste, quod damnatorum voluntas est semper mala, utpote semper extensa in obstinatione superbiæ, et odii contra Deum. Et hæc est radix (ut tactum est) perpetuitatis in miseria illa pœnarum. Item á Benedicto XI in Extrav. *Benedictus Deus*, et á Con. Flor. sess. ult. in liter. sanct. unión. et á Mat. 25. et á regul. recitat. ab Aug. l. de fid. ad Petr. c. 28. et á quibuscumque affirmantibus una cum prædictis, quod suplicium damnatorum est perpetuum. Per hoc enim ostendunt, tamquam ab effectu ad causam, id est, tamquam á pœna ad culpam procedentes, quod voluntas damnatorum semper est mala, quinimo et obstinata in malitia. Nam, Bernardo instruente, *audivimus super malam voluntatem, et non erit infernus*. Item á etc. ut 1. par. q. 64. ar. 2. appen. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in radice, interimas hæreticam blasphemiam *Novatiani* (Prat. Cælestiani) plusquam infideliter dicentis: Deum esse crudelem. Quis enim articulum præsentem considerans, talem blasphemiam concipiat? Et si hic videat, ipsum non esse crudelem contra damnatos sempiterno igne eos puniens; quomodo umquam erga alios crudelem esse posse æstimare valebit? Cum igitur articulus præsens ratione demonstrat, Deum non esse crudelem contra damnatos, simul utique demonstrat per hoc ipsum, absolute nulli esse crudelem. Ratio autem radicalis funditus destruens hæresim illam blasphemam est, quod damnati numquam pœnitent de aliquo peccato suo, imo, quod semper peccant denuo: imo quod in iis sunt semper obstinati, art. 1. Regula autem juris quinta, de regul. jur. in 6. inquit. *Peccati venia non datur, nisi correcto*. Deus itaque æstimari pro certo debet justus in hoc, quod damnatis nullo modo correctis in tempore aliquo veniam peccati numquam condonat, consequenter nec poenam pro peccato: Contra igitur dictamen omne rationis, quo prædicta regula juris exprimit, temere loquitur quicumque, ex hoc quod damnatis supplicia Deus non aufert, ipsum crudelem esse blaspheme, pronunciat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Marc. 10. *Nemo bonus nisi solus Deus*. Ac si aperte dicat: adeo bonus est Deus, ut sit per essentiam, et non accidentaliter bonus, et ipsa essentia bonitatis in creaturis reperte causa existens. 1. par. quæst. 6. per totum. Per hoc igitur monstrat Marcus, quod sicut caliditas nihil potest frigiditatis habere commixtum, licet calidum possit ipsum frigus aliquo modo secum habere, ita bonitas divina nihil potest crudelitatis, vel alterius contrarii habere admixtum, licet bonum per participationem possit aliquod contrarium compati. Item á Psal. 144. *Suavis Dominus universis*, Item á Psalm. 91. *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo*. Nota ly *universis*, et ly *non est iniquitas*, et ly in eo. Est enim etiam damnatis suavis, quantum est de se, nec ulla iniquitas, et per consequens nec crudelitas, nec aliud sinistrum est in eo, licet sit

in iis, qui talem eum reputant. Pro cujus meliori captu vide art. 5. not. post ad secundum. Item á mille locis scripturarum apertissimis. Item á etc. ut 1. part. quæst. 20. art. 1 et 2. et quæst. 21. articul. 3. append. Item á etc. ut ibidem qu. 37. art. 1. Vide quæstio. 99. artic. 1. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Sapient. 5. quod damnati poenitent de malo quod fecerunt (licet sint obstinati in culpa) et sic. *Intra se pœnitentiam agentes, præ angustia spiritus gementes.* Item Apocal. 1. « Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ amen. » *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apocal. 9. quod damnati ratione deliberativa volent non esse: et sic. «In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam. Et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. » Ubi per replicationem ostenditur intensio desiderii, seu grandis magnitudo ejus. Quasi dixerit, quantumcumque poterunt, desiderabunt mortem. Item ab Oseæ 18. et Luc. 23. « Dicent montibus, operite nos: et collibus, cadite super nos. » Ubi, cum loquatur de aliquibus adhuc viatoribus præ nimietate angustiarum desperatis, monstrat á fortiori idem desiderium inesse damnatis. Nam damnatis nullus desperatio. Item á Psal. 139. " Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. Non subsistent, » scil. per patientiam. Voluit enim ostendere Psalmus, quod in miseriis damnati desperabunt, similes illis, qui afflictiones habentes animo non subsistunt: et consequenter desperationem incurrunt. Constat autem, desperatos desiderare non esse, ut experientia quotidiana docet. Ergo á fortiori de damnatis affirmare hoc ibi Psalmus intendedat, Ecclesiastic. 9. «O mors, quam bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, et deficit ætate. » Ubi loquitur de homine multum undique angustiato, et quasi præ desperatione mortem desiderante. Quæ et applica á fortiori, damnatis, ut fit in secundo argument. sed contr. Item á quibuscumque sacris litteris, Conciliis, et summis Pontificibus, qui desperationem damnatis inesse docent. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto, quod diximus, insinuant, intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatum ab Ezechiel. 32. quod damnati vellent alios esse damnatos, et sic. *Cum armis suis ad infernum descendunt.* Ubi per arma intelligitur perfecta invidia eorum, et loquitur de impiis, et incircumcisis, qui damnantur, ut patet in contextu. Per hoc ergo, quod invidiam maximam ponit Propheta remanere in damnatis, et ad invidiam pertinet non solum dolere de bono alterius, sed etiam velle omnes pati, quod ipse invidus patitur: per hoc, inquam, connotat intentum prædictum. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apoc. 16. quod damnati odio habent Deum: et sic: « æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas. » Ubi de damnatis hæc, á fortiori saltem, intelliguntur, quamvis ad litteram de quibusdam etiam viatoribus scelestissimis exponi possint, ubi et ostenditur, illos odire Deum, quem blasphemant in effectu poenarum et plagarum, quas sustinent. Item á Psal. 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Unde et intellige conclusionem secundam melius, sc. quod non verificatur pro tempora tantum, sed pro semper, et non pro eodem gradu odii semper, sed pro augmento in majus. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á scripturis, et quod damnati demerentur, et amplius demereri non possunt. Primum horum

insinuatur Genes. 3. «Serpens decipit me, et comédi, et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris, etc., super pectus tuum gradieris, et terram comedes.» etc. Ubi á simili ostendit, quod damnati omnes in tali casu (ut supra not. post ad secundum,) demereri possunt. Secundum autem insinuatur Joann. 16. *Princeps hujus mundi jam judicatus est.* Ubi ostendit á simili, quod fixum est judicium pœnarum damnatorum omnium, et consequenter, quod majorem poenam per demeritum suum non possunt mereri. Huic concordat jamdudum Augustin. dicendo (ut in argument. secundo sed contr.) *tunc finem habebunt duæ civitates*, videlicet, cœlestis Jerusalem, et infernæ Bbylonis. Ex bis ergo scripturis ostenduntur, etiam similia de beatis in eorum tamen genere. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto utrumque eorum, quæ diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas recte insinuatum á Luc. 16. quod damnati possunt uti notitia, quam habuerunt in hoc mundo: et sic. «Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.» Nunc autem tu cruciaris. Ubi ostenditur: et quod considerant mala, ex quibus damnati sunt, et bona delectabilia, quæ amiserunt, ut dicebatur in corp. circa secundam conclusionem. Nam per ly *recepisti bona* monstratur secundum prædictorum, et per ly *in vita tua*, monstratur primum. Quia enim ad vitam suam voluptuosam, et contra Lazarum avaram, usus fuerat talibus bonis temporalibus, ideo ex hoc damnatus erat, propter quod sequitur ly *tu cruciaris*. Et hanc reflexionem, quod scilicet propter abusum bonorum receptorum in vita sua damnati sint, ipsi cognoscunt. Item á Sap. 5. «Erravimus á via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis.» Ubi damnati, de quibus ad litteram sermo fit in contextu, declarant, se cogitare de his, quæ in mundo hoc sibi acciderunt. Et, licet ex superbia, quæ semper ascendit in eis contra Deum, adscribant suos errores lumini, et Soli, dicendo ly «justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis:» tamen impudentissime mentiuntur, cum scriptum sit Jo. 1. *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, et ipsimet tamquam á veritate manifesta coacti post multa confitentur dicentes: *In malignitate nostra consumpti sumus.* Recordantes namque plurimorum, quæ hic viventes gesserunt, sic lamentando mox ipsi subinferunt: "Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra et tamquam nuntius præcurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire: aut avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scidens per vim itineris aerem commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus *illius*. Sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.» Ecce, quod in inferno damnati habent notitiam etiam singillatim iniquitatum in mundo factarum, vanitatis mundi, et illorum quinque exemplorum ipsam vanitatem repræsentantium. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á etc. ut art. 5. ap. quod damnati aliquando cogitant de Deo. Non enim odio possunt habere Deum, nisi cogitarent de illo, ut patet. Unde et illæ, et quæcumque authoritates, testantur damnatos odio habere Deum, eædem per hoc ostendunt intentum præsens. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto damnatos cogitare quandoque de Deo insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Luc. 16. quod damnati gloriam beatorum vident: et sic. « Dives sepultus est in inferno: elevans autem oculos, vidit Abraham á longe, et Lazarum in sinu ejus. » Notá ly *á longe*. Per hoc enim declaratur sub aliis verbis id, quod dixit conclusio 1. per ly *non hoc modo, quod gloriam eorum, qualis sit, cognoscant*. Vide ibi not. immediate sequentem. Nota ly *in sinu Abrahæ Lazarum*, quod est videre beatum in gloria nunc post passionem Christi, ut declaratur quæst. 9 art. 4. Item ab Isaiæ 46. *Videant et confundantur zelantes populi, invidia pleni*. Hæc ibi: id est, populi, quales sunt damnati. Per ly *videant et confundantur*, denotatur multiplex tormentum ex visione illa ab eis reportatum. Loquitur enim formaliter Isaias eo modo, quo et solent scripturæ. Ut sub exemplo dicatur. « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Marci. 16. Id est, ex eo quod crediderit, et baptizatus fuerit, stando formaliter in hoc, nisi aliud addendo, puta quod non conformaverit mores credulitati, et votis in baptismo factis, merebitur salvari, et salvabitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et tuearis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAGESIMA SEPTIMA.

DE MISERICORDIA, ET JUSTITIA DEI RESPECTU DAMNATORUM, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de justitia, et misericordia Dei respectu damnatorum.

Circa quod quæruntur quinque.

Primo, utrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.

Secundo, utrum per divinam misericordiam omnis pœna tam hominum quam dæmonum terminetur.

Tertio, utrum saltem pœnam hominum terminetur.

Quarto, utrum saltem pœna christianorum.

Quinto, utrum illorum qui opera misericordiæ fecerunt.

ARTICULUS I.

Utrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.

Pro negativa. = Videtur quod ex divina justitia non inferatur peccatoribus pœna æterna.

1. Culpæ temporali non debetur pœna æterna. Sed culpa peccatorum est temporalis. Ergo pœna eorum non debet esse æterna.

Maior prob., quia pœna non debet excedere culpam. Dicitur enim Deut. 25. *Pro mensura peccati, erit plagarum modus.*

2. Unum peccatum mortale est altero maius. Ergo unum debet maiori pœna, quam alterum, puniri. Sed si pœna omnium peccatorum mortalium esset æterna, non magis puniretur unum quam aliud, cum pœna omnium infinita esset. Ergo non omnibus peccatis debetur æterna pœna, et per consequens nullum peccatum æterna pœna erit puniendum.

3. A justo judice non infertur pœna, nisi ad correctionem: *Pœnæ enim sunt quædam medicinæ*, ut dicitur 2. Ethic. cap. 3. Sed quod impii in æternum puniantur, non est ad correctionem eorum nec aliquorum aliorum, cum tunc non sint aliqui futuri, qui per hoc corrigi possint. Ergo secundum divinam justitiam non infertur pro peccatis pœna æterna.

4. Omne quod non est per se volitum, nullus vult nisi propter aliquam utilitatem. Sed pœnæ non sunt á Deo per se volitæ, non enim delectatur Deus in pœnis: nec ex pœnæ perpetuitate videtur aliquam utilitatem accidere posse. Ergo Deus non inferret peccato perpetuam pœnam.

5. Nullum per accidens est perpetuum. Sed pœna est eorum quæ sunt per accidens, cum sit contra naturam. Ergo pœna non potest esse perpetua.

6. Justitia Dei hoc requirere videtur quod peccatores ad nihilum redigantur. Ergo non videtur esse consonum divinæ justitiæ, ut peccatores perpetuo puniantur.

Anteced. prob., quia per ingratitudinem meretur quis amittere beneficia. Inter cætera autem Dei beneficia, est ipsum esse. Unde justum videtur, quod peccator, qui ingratus Deo existit, ipsum esse amittat.

Conseq. prob., quia si peccatores in nihilum redigantur, non possent perpetuam pœnam pati.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 25. dicitur: *ibunt hi*, scilicet peccatores, *in supplicium æternum*.

2. Sicut se habet præmium ad meritum, ita se habet pœna ad culpam. Sed secundum divinam justitiam, merito temporali debetur præmium æternum. Joan. 6. *Omnis qui videt filium et credit in eum, habet vitam æternam*. Ergo et culpæ temporali, secundum divinam justitiam, debetur pœna æterna.

3. Peccans in eum, qui est infinitæ dignitatis, meretur infinitam pœnam. Sed peccator peccans mortaliter, peccat in eum qui est infinitæ dignitatis. Ergo peccator meretur infinitam pœnam.

Maior prob., quia secundum Phil. 5. Ethic. c. 3. Pœna taxatur secundum dignitatem ejus, in quem peccatur. Unde maiori pœna punitur qui alapa percutit principem quam alium quemcumque.

Minor prob., quia quicumque mortaliter peccat, contra Deum peccat, cujus præcepta transgreditur, et cujus honorem aliis imperitur, dum in alio finem constituit; et cujus majestas est infinita.

Determinatio.

Conclusio. Decedentes ex hac vita in mortali peccato, juste á Deo æterna pœna puniuntur.

Manifest. primo ex differenti modo, quo quantitas pœnæ respondet quantitati culpæ. Pro quo est sciendum quod pœna habet duplicem quantitatem, scilicet, intensivam et extensivam. Intensiva pœna est, quæ est acerbior; extensiva vero, quæ est prolixior. Culpa etiam habet hanc duplicem quantitatem, scilicet, intensivam, quæ respicit maiorem vel minorem gravitatem culpæ; et extensivam, quæ respicit culpæ durationem. Hujusmodi autem quantitates sic se habent, quod quantitati intensivæ culpæ respondet quantitas intensiva pœnæ, ita quod, quanto culpa gravior fuit, tanto intensior pœna ei debetur. Unde dicitur Apoc. 18. «Quantum glorificavit «se, et in delitiis fuit, tantum date illi «tormentum et luctum.» Sed quantitas extensiva pœnæ non respondet quantitati extensivæ culpæ; non enim adulterium quod in momento temporis perpetratur, momentanea pœna punitur etiam secundum humanas leges; sed duratio pœnæ respicit dispositionem peccantis. Quandoque enim ille qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus, ut totaliter á civium consortio repellatur, vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem; quandoque vero non redditur dignus, ut totaliter á societate civium excludatur; et ideo, ut possit esse conveniens membrum civitatis, pœna ei prolongatur, vel breviatur secundum quod excedit ejus curationi, ut in civitate convenienter et pacifice vivere possit. Ita etiam secundum divinam justitiam, á qua humana originatur, aliquis ex peccato redditur dignus penitus á civitatis Dei consortio separari: quod fit per omne peccatum, quo contra charitatem peccat. Charitas enim est vinculum uniens civitatem Dei. Et ideo pro peccato mortali quod est contrarium charitati, aliquis est in æternum á societate sanctorum exclusus, et

æternæ pœnæ additus. Qui vero hoc modo peccant, ut tamen inde non reddantur digni totaliter separari á sanctæ civitatis consortio, sicut peccantes venialiter, tanto eorum pœna erit brevior, vel diuturnior, quanto magis vel minus purgabiles erunt; secundum quod eis peccata plus vel minus inhæserunt, quod in pœnis hujus mundi et purgatorii, secundum divinam justitiam servatur.

Aliæ sanctorum rationes ad idem ostendendum.

Inveniuntur etiam et aliæ rationes á sanctis assignatæ, quare juste pro peccato temporali, aliqui pœna æterna puniantur. Et

Prima est, quia peccaverunt contra bonum æternum, dum æternam vitam contempserunt. Et hoc est quod Aug. dicit in lib. 21. de Civit. Dei cap. 12. «Factus est malo dignus æterno, qui «hoc in se peremit bonum, quod esse «posset æternum.»

Secunda est, quia homo in suo æterno peccavit. Unde Gregor. dicit 4. Dial. cap. 44. «Ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.»

Objectio.

Et si objiciatur, quod quidam peccantes mortaliter, proponunt vitam suam in melius commutare, et ita, secundum hoc non essent digni æterno supplicio;

Responsio.

Dicendum est secundum quosdam; quod Gregor. loquitur de voluntate, quæ manifestatur per opus: qui enim in peccato mortali, propria voluntate, labitur, ponit se in statu, á quo erui non potest, nisi divinitus adjutus; unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato perpetuo manere; homo enim est spiritus vadens, scilicet in peccatum, et non rediens, scilicet per se ipsum. Sicut si aliquis se in foveam projiceret, ex qua exire non posset nisi adjutus, posset dici quod in æternum ibi manere voluerit, quantumcumque aliud cogitaret.

Vel potest dici, et melius, quod ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit, et quia ad finem vitæ tota vita ordinatur, ideo et ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad aliud peccatum, et vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi impune liceret. Et hoc est quod idem Greg. in lib. 34. Moral. c. 11. super illud Job. 41. «Æstimabit abyssum quasi senescentem, dicit: iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in suis voluptatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quam vivere.»

Tertia ratio potest assignari quare pœna culpæ mortalis sit æterna, quia per eam contra Deum qui est infinitus, peccatur. Unde cum non possit esse infinita pœna per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitæ intensive, requiritur quod sit infinita saltem duratione.

Quarta ratio ad hoc idem est, quia culpa in æternum manet, cum culpa non possit remitti sine gratia, quam homo non potest post mortem acquirere; nec debet pœna cessare, quamdiu manet culpa.

Sunt igitur quinque rationes, quibus ostenditur quod peccantes mortaliter, juste æterno supplicio deputantur.

Prima est: peccatum, per quod quis redditur dignus, ut perpetuo á cælesti civitate excludatur, juste æterno supplicio punitur. Sed per peccatum mortale, peccans redditur dignus excludi perpetuo á cælesti civitate. Ergo juste æternaliter punitur.

Secunda. Peccantes contra æternum bonum, juste æterna pœna puniuntur. Peccantes mortaliter, peccant contra æternum bonum, æternam vitam despi-

ciendo. Ergo juste æterna poena puniuntur.

Tertia. Peccantes in suo æterno, juste in Dei æterno puniuntur. Sed mortaliter peccantes, in suo æterno peccant. Ergo tales juste æternis poenis addicuntur.

Quarta. Peccantes contra infinitum, infinitam merentur poenam. Sed mortaliter peccantes, contra infinitum, id est, Deum qui est infinitus, peccant. Ergo juste infinita poena, saltem secundum durationem, puniuntur.

Quinta. Culpa, quæ in æternum manet, æterno supplicio debet puniri. Sed culpa decedentium in mortali peccato, semper manet. Ergo æternaliter juste puniuntur.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo negando maiorem. Ad prob. dicitur, quod poena non debet excedere culpam, quantum ad intensionem; secundum quem modum quantitas poenæ culpæ respondet; tamen secundum quantitatem extensivam, poena, etiam secundum humanas leges, culpam excedit.

Dicitur secundo, cum D. Gregor. ad minorem, quod quamvis culpa sit actu temporalis, voluntate tamen est æterna.

Ad 2. Neg. conditionalis subsumpta. Ad cujus prob. dicitur, quod quantitati peccati respondet quantitas poenæ secundum intensionem, et ideo peccatorum mortalium inæqualium erunt poenæ inæquales intensive, æquales autem durațione.

Ad 3. Dicitur quod maior non est universaliter vera. Poenæ enim, quæ infliguntur his qui á societate civitatis non poenitus ejiciuntur, sunt ad correctionem eorum ordinatæ. Sed illæ poenæ, per quas aliqui totaliter á civitatis societate exterminantur, non sunt ad correctionem eorum, possunt tamen esse ad correctionem et tranquillitatem aliorum qui in civitate remanent. Et ita damnatio æterna impiorum est ad correctionem eorum qui nunc sunt in Ecclesia. Non enim poenæ sunt ad correctionem solum quando infliguntur, sed etiam quando determinantur.

Ad 4. Neg. secunda pars minoris. Poenæ enim impiorum in perpetuum duraturæ, non erunt omnino inutiles. Utiles enim erunt ad duo. Primo ad hoc, quia in eis Divina justitia conservatur, quæ est Deo accepta propter seipsam. Unde Greg. dicit in 4. Dial. cap. 44. "Omnipotens Deus, quia pius est, cruciatu miserorum non pascitur. Quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur." Secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, et dum cognoscunt se evasisse. Unde Psalm. 57. *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, et Isaiæ ultim: *Erunt* (scilicet impii) *usque ad satietatem visionis*, id est, sanctis, ut Glossa interl. ibi dicit. Et hoc est quod Greg. dicit in 4. Dial. cap. 44. « Iniqui « omnes æterno supplicio deputati, sua « quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet, ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in illis respiciant supplicia « quæ evaserunt, quatenus tanto magis « divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio « vicerunt. »

Ad 5. Dicitur ad minorem, quod etsi pœna per accidens respondeat animæ, respondet tamen per se animæ culpa infectæ. Et quia culpa in perpetuum in ea manebit; ideo etiam erit pœna æterna.

Ad 6. Neg. antecedens. Pœna enim respondet culpæ proprie loquendo, secundum inordinationem, quæ invenitur in ipsa, et non secundum dignitatem ejus, in quem peccatur: quia sic cuilibet peccato responderet pœna infinita, secundum intensionem.

Ad probat. dicitur, quod quamvis peccans contra Deum, qui est auctor essen-

di, mereatur ipsum esse amittere; considerata tamen ipsius actus inordinatione, non debetur ei amissio esse. Quia esse præsupponitur ad meritum et ad demeritum, nec per inordinationem peccati tollitur aut diminuitur esse. Et ideo privatio ipsius esse non potest esse debita pœna alicujus culpæ.

ARTICULUS II.

Utrum per divinam misericordiam terminetur pœna, tam hominum damnatorum, quam dæmonum.

Pro affirmativa. — Videtur quod per divinam misericordiam omnis pœna terminetur, tam hominum damnatorum, quam dæmonum.

1. Deus omnibus miseretur. Ergo Deus quandoque dæmonibus miserebitur. Et sic tandem á pœna liberabuntur.

Antecedens prob., quia Sap. 11. dicitur: « misereris omnium, Domine, quia « omnia potes. »

Conseq. prob., quia inter omnia, dæmones continentur, utpote qui sunt creaturæ Dei.

2. His quos Dominus conclusit sub peccato, aliquando miserebitur. Sed Deus dæmones sub peccato conclusit, id est, concludi permisit. Ergo, dæmonum quandoque miserebitur.

Maior prob., quia Rom. 11. dicitur. « Conclusit Deus omnia sub peccato, ut « omnium misereretur. »

3. Creaturam, quam Deus ad beatitudinem fecit, non est justum ut sinat omnino periri, ut Anselm. dicit in libro 2. cap. 4. *Cur Deus homo.* Sed creatura rationalis, quæ etiam dæmones comprehendit, est creata ad beatitudinem. Ergo non est justum ut omnino permittatur perire.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Matt. 25. dicitur: « discedite á me, « maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Ergo dæmones æternaliter punientur.

2. Beatitudo bonorum angelorum numquam finietur. Ergo, nec miseria malorum umquam finem habebit.

Conseq. prob., quia sicut boni angeli effecti sunt beati per conversionem ad Deum, ita mali angeli effecti sunt miseri per aversionem á Deo.

Determinatio.

Origenis error.

Error Origenis fuit, ut Aug. dicit in lib. 21. de Civit. Dei, cap. 17 et 15. « quod dæmones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt á poenis. »

Reprobatio.

Sed iste error est ab Ecclesia reprobatus propter duo. Primo, quia manifeste auctoritati Sacræ scripturæ repugnat, quæ habetur Apocalyp. 20. « Diabolus « qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et Bestia et « Pseudopropheta cruciabuntur die ac « nocte, in sæcula sæculorum. » Per quæ verba, in scriptura, æternitas consuevit significari. Secundo, quia Origenes ex una parte Dei misericordiam nimis extendebat, et ex alia parte nimis eam coarctabat. Nimis extendebat, quia eam ad damnatos dæmones dicebat pertingere. Nimium vero eam coarctabat, quia ex hoc quod ponebat pœnas damnatorum terminari debere; consequenter oportebat dicere beatitudinem sanctorum finiendam esse. Ejusdem enim rationis esse videtur bonos angelos in beatitudine permanere, et malos angelos in æternum puniri. Unde, sicut ponebat dæmones et animas damnatorum quandoque á pœna liberandas ita quandoque á beatitudine in hujus vitæ miserias ponebat angelos et animas beatas esse devolvendas.

Vera sententia.

Conclusio. Pœnæ dæmonum et damnatarum animarum numquam terminabuntur.

Quæ conclusio remanet probata, tum ex auctoritate et ratione inducta pro

negativa. Tum etiam ex his per quæ Origenis error fuit reprobatus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Deus, quantum in ipso est, omnibus miseretur; sed quia ejus misericordia sapientiæ ordine regulatur, ad quosdam non se extendit, qui se misericordiæ fecerunt indignos. Sicut dæmones et damnati qui sunt in malitia obstinati. Potest tamen etiam dici, quod in eis quodammodo misericordia locum habet, in quantum citra condignum quantum ad pœnæ intensionem puniuntur, etsi á pœna totaliter non absolvantur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob., quod distributio illa intelligenda est, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; ita ut intelligatur auctoritas de hominibus, secundum statum viæ, quia, scilicet, et Judæorum et Gentilium misertus est, sed non omnium Gentilium, nec omnium Judeorum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod Anselmus intelligit non esse justum quantum ad decentiam divinæ bonitatis, et loquitur de creatura secundum genus; non enim est conveniens divinæ bonitati, ut totum unum genus creaturæ deficiat á fine, propter quem est facta. Unde, nec omnes homines, nec omnes angelos damnari convenit. Sed nihil prohibet quin aliqui, vel ex hominibus, vel ex angelis in æternum pereant, quia divinæ voluntatis intentio impletur in aliis qui salvantur.

ARTICULUS III.

Utrum divina misericordia patiatur homines in æternum puniri.

Pro negativa.=Videtur quod divina misericordia non patiatur saltem homines in æternum puniri.

1. Indignatio Dei non permanebit in homine in æternum. Ergo homines non punientur in æternum.

Antecedens prob., quia Gen. 6. dicitur. «Non permanebit spiritus meus «in homine in æternum, quia caro est;» et accipitur ibi spiritus pro indignatione, ut patet ex Glos. ordin. ibi.

Conseq. prob., quia indignatio Dei non est aliud quam ejus pœna.

2. Sancti in patria orabunt pro damnatis. Ergo damnati quandoque á pœnis per divinam misericordiam liberabuntur.

Antecedens prob., quia charitas sanctorum hoc facit in præsenti, ut pro inimicis exorent. In patria autem maiorem charitatem habebunt. Ergo tunc pro inimicis damnatis orabunt.

Conseq. prob., quia orationes sanctorum in patria cassæ esse non poterunt, cum sint maxime Deo acceptí.

3. Quod pertinet ad prophetiam comminationis, non impletur. Sed æterna damnatorum pœna pertinet ad prophetiam comminationis. Ergo videtur quod pœna damnatorum sit quandoque terminanda.

Maior patet ex hoc quod dictum est de subversione Ninive, quæ non fuit subversa, sicut prædictum fuerat per Prophetam, qui ex hoc etiam contristatus fuit, ut patet Jon. 3.

4. In Psal. 76. dicitur. «Numquid in «æternum projiciet Deus,» etc. Ergo Deus non puniet homines in æternum.

5. Super illud Isaiæ 14. *Tu autem projectus es*, etc. dicit Gloss. interl. Etsi omnes animæ aliquando habebunt requiem, tu numquam; et loquitur de diabolo. Ergo videtur quod omnes animæ humanæ aliquando requiem habebunt á pœnis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Inconveniens est ponere, quod justorum vita beata quandoque finiatur. Ergo etiam inconveniens est ponere, quod reproborum supplicium terminetur.

Conseq. prob., quia de utrisque simul dicitur, Matt. 25. «Ibunt hi, scilicet, «reprobi, in supplicium æternum; justi «autem in vitam æternam.»

2. Angeli post casum irreparabiles

fuerunt. Ergo et homines post mortem; et sic reproborum supplicium numquam terminabit.

Conseq. prob., quia « hoc est hominibus mors, quod angelis casus, » ut Damasc. dicit lib. 2. Orthod. fid. c. 4. Unde, sicut angeli post casum non reparantur, nec homines post mortem cum peccato, liberabuntur á pœnis.

Determinatio.

Error quorumdam.

Quidam, ut Aug. refert in 2. lib. de Civit. Dei. cap. 17. et 18. in hoc ab errore Origenis declinaverunt, ponentes dæmones in perpetuum puniri, sed omnes quandoque á poena liberari, etiam infideles.

Reprobatio.

Sed hæc positio est omnino irrationabilis; sicut enim dæmones sunt in malitia obstinati, et ita perpetuo puniendi; ita et hominum animæ qui sine charitate decedunt, et hoc quia hominibus hoc est mors, quod angelis est casus, ut Dam. dicit.

Vera sententia.

Conclusio. Per divinam misericordiam non terminabitur hominum damnatorum poena, sicut nec dæmonum.

Quæ conclusio remanet probata, tum ex rationibus pro affirmativa inductis, tum etiam ex reprobatione oppositæ sententiæ, quia scilicet homines damnati sunt in malo obstinati, sicut et dæmones: et quod in angelis fecit casus, in hominibus mors facit. Ita quod, sicut post casum angelos non poenitet culpæ; ita homines damnati post mortem in obstinatione culpæ remanent in perpetuum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod antecedens cum ejus probatione intelligendum est de homine, secundum genus suum; quia ab humano genere, quandoque Dei indignatio est remota per Christi adventum. Sed illi, qui in hac reconciliatione, quæ facta est per Christum, noluerunt permanere, in se ipsis divinam iram perpetuam fecerunt; cum non sit nobis aliquis modus reconciliationis concessus, nisi per Christum Dominum nostrum.

Ad 2. Neg. antecedens. Sicut enim Aug. dicit in lib. 21 de Civit. Dei cap. 24. et Gregor. 34. Moral. cap. 6, sancti in hac vita omnino pro inimicis exorant, ut convertantur ad Deum, cum adhuc converti possint. Si enim esset nobis notum quod essent præsciti ad mortem, non magis pro eis, quam pro dæmonibus oraremus. Et quia post hanc vitam decedentibus sine gratia tempus conversionis non erit, nulla pro eis fiet oratio, nec ab Ecclesia militante, nec á triumphante. Hoc enim modo pro eis orandum est, ut Apost. 2. Tim. 2. « Ut « Deus det illis poenitentiam, ut resipiscant á diaboli laqueis. » Ex quibus patet, quid ad probationem dicendum sit. In præsenti enim sancti orant pro inimicis, quia sunt in statu agendi pœnitentiam, in futuro autem non erit fructuosæ poenitentiæ locus.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod prophetia comminatoria poenæ tunc solum mutatur, quando variantur merita ejus, in quem comminatio facta est. Unde Jerem. 18. dicitur: « repente loquar adversum gentes et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud; si poenitentiam egerit gens illa á malo suo, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. » Cum autem damnatorum merita mutari non possint, comminatio poenæ semper in eis implebitur. Dicitur etiam ad eamdem maiorem, quod prophetia comminationis semper, quantum ad aliquid, implatur, quia ut dicit Aug. in prædicto libro 21. de civit. Dei cap. 24. « Eversa est Ninive, quæ mala erat, et bona ædificata est, quæ non erat, » etc.

Ad 4. Dicitur, quod illud verbum Psal. 76. pertinet ad vasa misericordiæ, id est, ad eos qui non se indignos misericordia fecerunt, quia in hac vita, quæ quædam

ira Dei est, propter vitæ miserias, vasa misericordiæ mutat in melius. Unde sequitur in eodem Psal. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Vel dicendum, quod hoc intelligitur de misericordia aliquid relaxante, non de misericordia totaliter liberante, si extendatur etiam ad damnatos. Unde non dicit, « continebit ab ira sua misericordias suas; » sed *in ira* quia non totaliter pœna tolletur; sed ipsa pœna durante, misericordia operabitur, eam diminuendo.

Ad 5. Dicitur, quod Glossa illa non loquitur simpliciter, sed sub hypothesi impossibili, ad exagerandum magnitudinem peccati ipsius diaboli, vel Nabuchodonosor. Et sensus est, quod si esset possibilis quies damnatis, potius homines, quam dæmones quiescerent. Vel potius alii homines, quam Nabuchodonosor.

ARTICULUS IV.

Utrum pœna Christianorum damnatorum per divinam misericordiam terminetur.

Pro affirmativa. — Videtur quod saltem Christianorum pœna per divinam misericordiam terminetur.

1. Marc. ult. dicitur: « qui crediderit « et baptizatus fuerit, salvus erit, » quod omnibus christianis convenit. Ergo, omnes christiani finaliter salvabuntur.

2. Jo. 6. dicitur: « qui manducat « meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Sed hic est communis cibus et potus christianorum. Ergo, omnes christiani finaliter salvabuntur.

3. 1. Cor. 3. dicitur: « si cujus opus « arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per « ignem; » et loquitur de illis, in quibus fuit fundamentum fidei christianæ. Ergo, omnes tales finaliter salvabuntur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

1. 1. Cor. 6. *Iniqui regnum Dei non possidebunt.* Sed quidam christiani sunt iniqui. Ergo, non omnes christiani ad regnum pervenient, et ita perpetuo punientur.

2. Illi qui viam veritatis non cognoverunt, æternaliter punientur. Ergo, et christiani, qui ab agnita veritate retrocesserunt, perpetuo punientur.

Conseq. prob., quia 2. Pet. 2. dicitur: « Melius erat illis non cognoscere « viam justitiæ, quam post agnitionem « retrorsum converti ab eo, quod illis « traditum est, sancto mandato. »

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam fuerunt, qui non omnibus hominibus promiserunt absolutionem á pœna æterna, sed solis Christianis, ut Aug. refert in lib. 21. de Civit. Dei, cap. 20. et 21. Et in hoc diversificati sunt. Quidam enim dixerunt, quod quicumque sacramenta fidei perceperunt, ab eterna poena erunt immunes.

Reprobatio.

Sed hoc est contrarium veritati; quia quidam sacramenta fidei recipiunt, qui tamen fidem, *sine qua impossibile est placere Deo*, non habent.

Et ideo alii dixerunt, quod solum illi ab æterna poena erunt immunes, qui sacramenta fidei sunt consecuti, et fidem catholicam tenuerunt.

Reprobatio.

Sed contra hoc esse videtur, quod aliquando quidam catholicam fidem tenent, et postea ab ea recedunt, qui non minori poena, sed maiori digni sunt. Quia 2. Pet. 2. dicitur: « melius erat illis non « cognoscere viam justitiæ, quam post « agnitionem, retrorsum converti. » Planum est etiam plus peccare hæresiarchas, qui á fide catholica recedentes, novas hæreses fingunt, quam illos qui aliquam hæresim á principio sunt secuti.

Et ideo alii dixerunt quod illi soli ab æterna poena sunt immunes, qui in fide catholica finaliter perseverant, quantumcumque aliis iovolvantur criminibus.

Reprobatio.

Sed hoc manifeste contrariatur Scripturæ, quia Jac. 1. dicitur: "fides sine "operibus mortua est," et Matth. 7. "Non omnis, qui dicit mihi, Domine, "Domine, intrabit in regnum cœlorum, "sed qui facit voluntatem Patris mei, "qui in cœlis est." Et in multis aliis locis, Scriptura peccatoribus æternas pœnas comminatur.

Vera sententia.

Conclusio. Soli christiani, in fide Catholica usque ad finem perseverabunt et ab aliis criminibus reperientur, finaliter absoluti, erunt ab æterna pœna immunes.

Quæ conclusio ex ratione, qua reprobata est ultima positio, et ex duobus argumentis pro negativa adductis, manifestata relinquitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Dominus ibi loquitur de fide formata, quæ *per dilectionem operatur*, in qua quicumque decesserit, salvus erit. Sed fidei formatæ non solum opponitur error infidelitatis, sed quodlibet peccatum mortale. Et ideo fidelis cum mortali decedens, æternaliter punietur.

Ad 2. Dicitur, quod Verbum Domini intelligitur non de illis, qui tantum sacramentaliter edunt, qui indigne quandoque sumentes, *judicium sibi manducant et bibunt*; ut dicitur 1. Cor. 11. Sed loquitur de manducantibus spiritualiter, qui per charitatem ei incorporantur, quam incorporationem facit sacramentalis comestio, si quis digne accedat. Unde, quantum est ex virtute sacramenti, ad vitam æternam perducit, quamvis aliquis per peccatum possit se tali fructu privare, etiam postquam digne sumpserit.

Ad 3. Dicitur, quod per fundamentum in verbis Apostoli intelligitur fides formata, super quam qui peccata venialia ædificaverit, *detrimentum patietur*, quia pro eis á Deo punietur: ipse tamen *salvus erit finaliter, quasi per ignem*; vel temporalis tribulationis, vel pœnæ purgatoriæ, quæ post mortem erit.

ARTICULUS V.

Utrum illi, qui operantur misericordiæ opera, puniendi sint æternaliter.

Pro negativa. = Videtur quod nullus eorum, qui opera misericordiæ operantur, puniendus sit æternaliter.

1. Jac. 2. dicitur: "Judicium sine "misericordia fiet illi, qui non fecit mi"sericordiam." Et Matt. 5. "Beati mi"sericordes, quoniam ipsi misericor"diam consequentur."

2. Matt. 25. Ponitur disceptatio Domini cum reprobis et electis, quæ non est nisi de operibus misericordiæ. Ergo solum pro operibus misericordiæ omissis, aliqui æternaliter punientur, et nemo eorum qui hujusmodi opera operatus fuerit, in æternum peribit.

3. Matth. 6. dicitur: "Dimitte nobis "debita nostra, sicut et nos dimittimus "debitoribus nostris." Et sequitur: "Si enim dimiseritis hominibus, etc. Ergo videtur, quod misericordes qui aliis peccata dimittant, ipsi veniam peccatorum consequentur, et sic non æternaliter punientur.

4. Super illud, 1. Timoth. 4: *Pietas ad omnia utilis est*, dicit Glossa ex Ambrosio ibid.: Omnis summa disciplinæ christianæ in misericordia et pietate est. Quam scilicet pietatem sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, sed non peribit. Si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes pœnas patietur. Ergo illi, qui insistunt operibus misericordiæ, et peccatis carnalibus detinentur, non in æternum punientur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

"1. Neque fornicarii, neque adulteri, "etc. Regnum Dei possidebunt." 1. Cor. 6. Sed multi, qui se exercent in operibus misericordiæ, sunt fornicarii, adulteri, etc. Ergo, non omnes misericordes

ad regnum Dei pervenient: et ita aliqui eorum in æternum punientur.

2. Jac. 2. dicitur: « quicumque totam « legem servaverit, offendat autem in « uno, factus est omnium reus. » Ergo, quicumque servat legem quoad opera misericordiæ et negligit alia opera, reatum transgressionis legis incurret, et æternaliter punietur.

Determinatio.

Quorumdam positio.

Quidam posuerunt, ut refert August. in lib. 21. de Civit. Dei cap. ult. Non omnes, qui catholicam fidem tenent, esse liberandos á pœna æterna, sed solum illos qui operibus misericodiæ insistunt, quamvis tales aliis criminibus sint subjecti.

Reprobatio.

Sed istud non potest stare; quia sine charitate non potest aliquid Deo esse acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam æternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiæ insistere, qui tamen charitatem non habent: et his nihil hæc possunt ad vitam æternam promerendam, vel ad immunitatem æternæ pœnæ, ut patet 1. Cor. 13. Et præcipue hoc apparet absurdum in raptoribus, quia multa rapiunt, et tamen aliqua misericorditer largiuntur.

Vera sententia.

Conclusio. Eos, qui cum peccato mortali decedunt ex hac vita, nec fides, nec opera misericordiæ liberabunt á pœna æterna, etiam post quantumcumque spatium temporis.

Hæc conclusio ex argumentis pro affirmativa, et ex ratione, qua contraria positio reprobata est, relinquitur manifesta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad auctoritatem inductam dicitur, quod illi misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinate impendunt; non impendunt autem ordinate misericordiam, qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis male agendo impugnant. Et ideo tales non consequentur misericordiam penitus absolventem, etsi consequantur misericordiam aliquid relaxantem.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod non propter hoc ponitur disceptatio solum de operibus misericordiæ quia pro eorum neglectu tantummodo aliqui punientur æternaliter, sed quia illi post peccata perpetrata ab æterna poena liberabuntur, qui per opera misericordiæ sibi veniam impetraverunt, *facientes sibi amicos de mammona iniquitatis.*

Ad 3. Dicitur etiam ad antecedens, quod illud á Domino dicitur de his qui petunt sibi debitum relaxari, non autem de illis qui in peccato persistunt: et ideo soli pœnitentes, per opera misericordiæ consequentur veniam penitus liberantem.

Ad 4. Dicitur, quod glossa Ambros. loquitur de lubrico venialis peccati, á quo aliquis post purgatorias pœnas quas *vapulationem* dicit, per opera misericordiæ absolvetur. Vel si loquatur de lubrico mortalis peccati, est intelligendum quantum ad hoc, quod adhuc in præsenti vita existentes qui in carnalia peccata incidunt, per opera misericordiæ ad pœnitentiam disponuntur. Unde talis non peribit, id est, per talia opera disponetur ad non pereundum, gratia introducta á Domino. *Qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 187.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Novatiani*, etc. ut supra dictum est q. 98. ar. 2. append. Hinc enim clare patet, quod non tan-

tum Deus inferens pœnam æternam peccatori, non est crudelis, sed etiam est justissimus. *Secundo* habes: quomodo per radicalem rationem ostendas, prædictam blasphemam hæresim merito damnari á etc. ut q. 98. art. 2. append. cum omnibus locis ibi citatis. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab oppositis á Jo. 6. quod ex divina justitia infertur pœna æterna peccatori: et sic. «Omnis, qui videt filium, et credit in eum, habet vitam æternam.» Ubi merito temporali ex justitia divina reddi demonstrat præmium æternum: et per hoc ex opposito vult cointelligi, quod temporali demerito ex divina justitia debetur pœna æterna. Quod si dicas illud esse de misericordia, quando redditur vita æterna, respondetur, quod, etiamsi justitia ibi non interveniret, quod tamen falsum est, nihilominus sequeretur adhuc illud ab oppositis dictum, quoniam justitia, et misericordia in Deo, ut in Deo, sunt idem; et per consequens tanta est una, quanta est altera: quoniam utraque est divina essentia. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis: *Quinto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim illam *Origenis* in textu narratam, et *Libertinorum* cum illo in hoc convenientium. Quam et interimas per rationes adductas á S. Thom. qu. 16. art. 13. et qu. 93. artic. 2. Item 1. p. qu. 62. artic. 8. et 9. qu. 64. a. 2. Hæc omnia, si bene applicentur, juvabunt propositum, non solum contra hæresim illam in princ. corp. dictam, sed etiam illam in fine á prima generatam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas merito canonice damnari, á etc. ut in append. omnium locorum hunc citatorum. Item specialiter á Benedicto XI. in Extravag. «Benedictus Deus, etc. Postquam inchoata fuerit talis intuitiva, et facialis visio, et fruitio in eisdem beatis, ejusdem visio, et fruitio sine aliqua intercisione, seu evacuatione prædictæ visionis, et fruitionis, continuata existit, et continuabitur usque in sempiternum.» Ubi de beatis illud dicit expresse: et illud idem implicite ab oppositis intendit, et dicit de damnatis. Ut enim dicitur in textu præsentis articuli, ejusdem rationis est bonos in æterna beatitudine permanere, et malos in æternum puniri. Item memento illius, quod sæpe alias dictum est: videlicet, Origenem esse damnatum ab Ecclesia in pluribus Conciliis: speciatim vero de eo, ejusque libris, scribere Gelasim Papam sic, «Origenis nonnulla opuscula, quæ vir Beatus Jeronimus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse renuenda. Hæc ille, ut recitatur dist. 15. Sancta Romana Ecclesia. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et Patrum, pro quanto pœnam damnatorum numquam finiendam insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Georgii David* dicentis, quod animæ infidelium salvabuntur æquæ ac fidelium. Ex quo erroneo dicto patet á fortiori, quod sentiebat fideles per divinam misericordiam ab æterna poena liberandos, si ibi ponerentur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illam damnari ab Ecclesia, ut art. 2. corp. Item ab Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item á etc. ut q. 89. art. 7. app. Ubi dictorum aliqua contra Georgium prædictum poteris applicare huc. Item á etc. ut art. 4. et 5. maxime in app. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Matth. 25. quod per divinam misericordiam homines damnati non liberabuntur in æternum, et hoc ex eo, quod post multa inquit sic: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Ubi á Deo misericorde ad æternitatem puniendi remittuntur. Misericorde, inquam: quia tunc apparebit in forma humana, cujus humaniter, id est, misericorditer est agere, et quia inquiret de operibus misericordiæ tamquam sibi specialiter complacentibus, ac tamquam qui velit, pro quanto in se est, misericordiam exhibere, nisi aliud obstaret, et quia secundo loco reprobos examinabit, tamquam qui ex misericordia differat confusionem illorum, et quia mittens illos in infernum non dicet, quod ignis paratus sit principaliter eis, sed diabolo, quasi misericordiam in hoc etiam erga homines illos osten-

dens. Hæc omnia in contextu Matthæi sunt, ut facile scrutari potest sapiens inde. Item á 2. Tim. 2. «Si non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.» Et de qua fidelitate intelligat, præmisit ly « si commortui sumus, et convivemus, si sustinemus, et conregnabimus, si negaverimus, et ille negabit nos. » Ubi vides, eum de fidelitate loqui, qua Deus et misericors, et justus est: misericors per ly « si commortui sumus, et convivemus, si sustinemus, et conregnabimus: » justus autem per ly « negaverimus, et ille negabit nos. » Ac si, omnia simul conjungendo, aperte dicat: Misericordia Dei non faciet umquam, quod sua justitia non impleatur; quia fit, ut qui finaliter negant eum, negentur ab eo: quoniam tunc Deus negaret semetipsum, quod esse non potest. Unde patet, quod damnatos continue Deum negantes, ut q. 98. a. 1. et alibi visum est, relinquere in æternis poenis, pertinet ad fidelitatem ipsius Dei, et consequenter, quod ex iis numquam á divina misericordia liberabuntur. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum pro quanto, quod diximus, insinuant, et intelligas, et probes, et defendas. *Quinto* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Aerii* dicentis, quod in fide manentibus nullum peccatum, quantumlibet grave, imputatur. Item Simonis Magi dicentis: nos salvari fide, non operibus. Item suspectam propositionem hæresim sapientem, ut refert censura generalis super Bibliam Psalm. 90. dicentem: qui Deo se sola fide commisserit, tutus agit, liberque est á malis universis. Item aliam eorumdem, ut refert eadem censura Psal. 93. dicentium: Misericordiæ Dei dono fidelis non perit cum infideli. Contra has enim omnes pugnat articulus, easque expugnat, ut patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito damnari á Conc. Trid. sess. 6. c. 15. «Asserendum est, etc. divinæ legis doctrinam defendendo, quæ á regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, fornicatores, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata.» Et c. 7. «Fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissime dicitur, in Christo neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur.» Item á Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Item á Conc. Aquisgranensi, lib. 3. cap. 15. «Frustra quis vocem Domini sui audire se dicit, et confidere in Domino, quando operibus fidem destruit.» Item á Conc. Parisiensi lib. 2. c. 10. «Dici solet á nonnullis, quod hi, qui in Christo renati sunt, quamquam scelerate vivant, et in malis operibus diem extremum claudant, diuturno, atque purgatorio, non tamen perpetuo, sint igne puniendi. Cum nullus id verum esse ex divinis oraculis astruere valeat; cavendum est, ut hoc non solum credant, verum etiam nec ex ore proferant; ne forte hoc dicendo, se et alios vana securitate deludant, etc. Quod ergo, qui in flagitiis viventes, et in eis perseverantes diem obeunt, atrociora sint tormenta passuri, quam illi, qui nequaquam baptizati, bona tamen opera fecerunt, declarat Petrus. Melius illis fuerat non agnoscere viam veritatis, quam post agnitionem ejus retrorsum converti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato. Et Dominus in Evangelio. Cum immundus spiritus exierit ab homine, etc. Si igitur juxta Evangelicam sententiam post agnitionem Christi quis nequiter vivendo spiritum immundum, qui á se tempore baptismatis expulsus est, cum demonum septenario sibi numero addito ad se redire facit, fiuntque illi novissima pejora prioribus; patet profecto, si in iisdem nequitiis vitam finierit, gravius illum, quam eos, qui, licet fidem Christi non perceperunt, bonis tamen operibus operam dederunt, puniendum. Proinde, sicut nulli de misericordia Dei desperandum est, ita nemo post hanc vitam judicium Dei, quod nisi justum esse non potest, sibi aliisque favorabiliter molliendo temperet, et propter hoc in hac vita bonis operibus deditus esse negligat.» *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, et patrum, pro quanto poenam Christianorum damnatorum per divinam misericordiam non esse terminandam insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam,

ut recitat Augustinus, dicentium: eleemosynam dumtaxat non facientibus supplicium perpetuum esse destinatum. Hæc pro tanto affertur in præsenti, pro quanto insinuat, quod facientibus eleemosynam non est destinatum supplicium perpetuum. Item hæresim *Zuinglii* dicentis: hominem posse salvari virtutibus propriis naturalibus, ut Cato, et Scipio salvati sunt. Item hæresim quorumdam innominatorum, ut refert Cardinalis Turrecremata lib. 1. de Eccl. c. 21. dicentium: quemlibet salvari posse in secta sua extra catholicam, et Romanam Ecclesiam. Quæ duæ ultimæ ideo adducuntur, quia eleemosinarios salvandos, etiamsi in aliis peccatis sint, subindicant. Nam unusquisque in secta sua vivens, potest facere eleemosynas, et eas utique propriis viribus naturalibus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas merito damnari á etc. ut q. 15. art. 3. qu. 14. art. 3. Item á regul. fid. cathol. quæ recitantur ab August. in lib. de fid ad Pet. c. 37. « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem extra catholicam Ecclesiam baptizatum participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ hujus catholicæ non fuerit redditus, atque incorporatus Ecclesiæ. Quia, si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, et noverim omnia sacramenta, charitatem autem non habeam, nihil sum. Nam et in diebus diluvii neminem legimus extra arcam potuisse salvari. » Ubi de baptizato, si vivat in alia secta extra Ecclesiam catholicam usque in finem, audisti, quid dixerit, et consequenter, quod á fortiori damnaverit hæreticos illos innominatos cum Zuinglio. Item ab eodem ibid. cap. 39. " Firmissime tene, et nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, sive schismaticum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui catholicæ Ecclesiæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo haeretica, vel schismatica pravitas perseverat usque ad mortem. » Ecce, quod illi, qui faciebant vim in eleemosyna, contra quos directe militat articulus, quanto errore detinebantur. Et, ut scias etiam eleemosynas non salvare aggregatos Ecclesiae catholicae, quod forsan opinari posses ex illa conditione apposita hic ab Augustino ly *si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus*, ideo audias ejusd. cap. 40. " Firmissime tene, et nullatenus dubites; non omnes, qui intra Ecclesiam catholicam baptizantur, accepturos esse vitam aeternam, sed eos, qui precepto baptismate recte vivunt, id est, qui abstinuerunt se á divitiis, et concupiscentiis. Regnum enim coelorum, sicut infideles haeretici, atque schismatici, non habebunt; sic catholici criminosi possidere non poterunt. » Et his omnibus, quanti valeant, inquit c. 44. " Hæc interim capitula ad regulam verae fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter, patienterque defende. Et si quem contraria his, non solum omnibus, sed etiam singulis dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge, et tamquam hæreticum, et christianæ, catholicæque fidei inimicum abjice. » Ceterum, quoniam de Romana Ecclesia mentionem fecerunt hæretici supradicti, ideo et de illa, et de ejus fide, vide magnalia supra q. 19. art. 3. append. Et q. 17. art. 1. app. Item q. 20. art. 1. corollarium post ad 1. Item præcipue q. 40. art. 6. app. et q. 14. art. 5. append. Quæ etiam facient aliquid pro articulis præmissis in quæst. præsenti: si noveris applicare. Item damnantur prædictæ hæreses et a. 1. Corinth. 6. et Jacob. 2. ut in arg. 1. 2. sed cont. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, et Patrum, pro quanto, non omnes opera misericordiæ exercentes suppliciis aeternis eripiendos insinuant, et intelligas, et probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo, etc.

AD LECTOREM.

Quæstionem de Purgatorio, quæ ad quæstionem CV, in tertia parte, tom. 10 contentam, consequi proprie debuisset, hoc loco reponendam putavimus; non solum ad unitatem in Summæ Theologicæ supplemento ordinem attendendo, sed etiam quia post singulas quæstiones appendices Fr. S. C. á Porrecta ponebantur, qui de hac non tradit appendices, quam author Mediceus in duas prudenter divisit quæstiones; ideoque, ne interruptio in appendicibus fieret.

APPENDIX DE PURGATORIO.

QUÆSTIO PRIMA.

DE IPSO PURGATORIO, IN QUINQUE ARTICULOS DIVISA.

Deinde, juxta secundum membrum divisionis factæ in quæst. 105, tom. 10, considerandum est de purgatorio, circa quem duæ erunt quæstiones; prima nempe, de ipso purgatorio: secunda vero de effectu purgatorii.

Circa ipsum purgatorium quærentur quinque.

Primo, utrum purgatorium sit post hanc vitam.

Secundo, utrum sit idem locus, quo animæ purgantur, et quo damnati puniuntur.

Tertio, utrum pœna purgatorii excedat omnem pœnam temporalem hujus vitæ.

Quarto, utrum pœna purgatorii sit voluntaria his qui purgantur.

Quinto, utrum animæ in purgatorio per dæmones puniantur.

ARTICULUS I.

Utrum purgatorium sit post hanc vitam.

Pro negativa. — Videtur quod purgatorium non sit post hanc vitam.

1. Si purgatorium est post hanc vitam, aut est pro illis qui in Domino moriuntur, aut pro his qui in Domino non moriuntur. Sed non potest esse pro his qui in Domino moriuntur, nec pro his qui in Domino non moriuntur. Ergo purgatorium non est post hanc vitam.

Minor prob., quoad utramque partem. Non est pro his qui in Domino moriuntur, quia Apoc. 14. dicitur: « beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo « jam dicit spiritus, ut requiescant á laboribus suis. » Ergo his qui in Domino moriuntur, non manet aliquis purgatorius labor post hanc vitam. Nec pro his, qui in Domino non moriuntur, quia illi purgari non possunt.

2. Decedentes in peccato mortali, statim ad supplicium æternum deportantur. Ergo decedentes in charitate, ad præmium vadunt, et ita non manet aliquod purgatorium post hanc vitam.

Conseq. prob., quia sicut se habet charitas ad præmium æternum, ita peccatum mortale ad æternum supplicium.

3. Deus non remunerat in futura vita bona quæ in præsenti vita fecerunt damnati. Ergo nec debet in futura vita punire mala quæ illi, qui erant in charitate, in hac vita fecerunt, quæ non sunt digna æterno supplicio.

Conseq. prob., quia Deus promptior est ad præmiandum bona, quam ad puniendum mala. Sicut igitur Deus non remunerat in alia vita ea quæ de genere bonorum fecit Pilatus, nec debet in eadem futura vita punire venialia mala com-

missa in hac vita ab eo qui est in charitate.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Dicitur 2. Mach. c. 12. «Sancta et "salubris est cogitatio pro defunctis "exorare, ut á peccatis solvantur. Sed "pro defunctis qui sunt in paradiso non "est orandum, quia non indigent. Nec "pro illis qui sunt in inferno, quia illi "á peccatis solvi non possunt.» Ergo post hanc vitam sunt aliqui nondum absoluti á peccatis, qui tamen solvi possunt, et tales habent charitatem, sine qua non fit peccatorum remissio. *Universa enim delicta operit charitas*, ut dicitur Prov. 10. Unde ad mortem æternam non devenient: quia "qui vivit et credit in "Christo, non morietur in æternum,» ut dicitur Jo. 11. "Nec tales ad glo"riam inducentur, nisi purgati, quia "nihil immundum ad illam perveniet,» ut patet Apoc. ult. Ergo aliqua purgatio restat post hanc vitam.

2. Greg. Nisenus dicit: "si aliquis, "Christo amico consentiens, in hac vita "purgare peccata minus potuerit, post "transitum hinc per purgatorii ignis "conflationem expeditur.» Ergo post hanc vitam restat aliqua purgatio.

Determinatio.

Conclusio. Purgatorium est post hanc vitam, et qui purgatorium negant, contra divinam justitiam, et contra fidem catholicam loquuntur.

Prob. Per contritionem deleta culpa, non tollitur ex toto reatus pœnæ, ut dictum est supra, quæst. 86. art. 4. et quæst. 95. art. 2. Nec etiam semper, dimissis mortalibus, tolluntur venialia, ut dictum est quæst. 87. Ergo oportet, quod ille qui post contritionem, et absolutionem peccatorum, ante debitam satisfactionem decedit, post hanc vitam in purgatorio puniatur, ac per hoc oportet esse purgatorium.

Conseq. prob., quia justitia Dei hoc exigit, quod deordinatio peccati, per pœnam debitam ordinetur. Ex qua ratione patet conclusio, quoad duas priores partes, scilicet, quod purgatorium sit, et quod dicere oppositum, est contra divinam justitiam; quia, inquam, Dei justitia hoc exigit quod peccatum in hac præsenti vita, vel in futura puniatur.

Altera pars, scilicet, quod negare purgatorium sit contra fidem, ostenditur. Quicumque Ecclesiæ auctoritati repugnat, heresim incurrit. Sed negantes purgatorium, auctoritati Ecclesiæ repugnant. Ergo hæresim incurrunt.

Minor prob., quia dicit Greg. Nisenus. "Hoc prædicamus, dogma veritatis servantes, et ita credimus, hoc "etiam universalis Ecclesia tenet, pro "defunctis exorans, ut á peccatis solvantur.» Quod non potest, nisi de illis, qui sunt in purgatorio, intelligi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor, quoad priorem partem; est enim purgatorium propter eos, qui in Domino moriuntur, qui tamen non egerunt debitam pro dimissis peccatis satisfactionem. Ad prob. dicitur, quod auctoritas illa loquitur de labore operationis ad merendum et non merendum, et non de labore passionis ad purgandum. Mortui enim non possunt amplius laborare ad merendum; possunt tamen pati ad satisfaciendum pro culpis remissis.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. negatur assumptum. «Non enim omnino «eodem modo se habet charitas ad præ«mium, ut peccatum ad supplicium. «Malum enim non habet causam perfec«tam, sed contingit ex singularibus de«fectibus. Bonum vero ex una causa «perfecta contingit,» ut Dion. dicit in lib. de Div. nom. c. 4. Et ideo, quilibet defectus impedit á perfectione boni, sed non quodlibet bonum impedit aliquam consummationem mali; quia numquam est malum sine aliquo bono, et ideo peccatum veniale impedit habentem charitatem, ne ad perfectum bonum, sci-

licet ad vitam æternam deveniat, donec sit ab illo purgatus; peccatum autem mortale non potest impediri per aliquod bonum adjunctum, quo minus statim ad ultimum malorum perducat Ex hoc igitur, quod decedentes in mortali statim ad æternam pœnam deducuntur, non sequitur quod decedentes in charitate statim in vitam æternam perducantur: quia potest aliquis in charitate existens indigere purgatione, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Et ratio est, quia ille, qui in peccatum mortale incidit, omnia bona anteacta mortificat, et quæ in peccato mortali existens facit, mortua sunt: quia Deum offendens, omnia bona meretur amittere, quæ á Deo habet. Unde ei, qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod præmium post hanc vitam, utpote quia omnia prius perdidit bona. Potest autem ei, qui in charitate decedit, manere aliqua pœna, quia charitas non delet omne malum quod invenit, sed malum quod est sibi contrarium, scilicet, mortalem culpam.

ARTICULUS II.

Utrum sit idem locus, quo animæ purgantur, et quo damnati puniuntur.

Pro negativa.—Videtur quod non sit idem locus, quo animæ purgantur, et damnati puniuntur.

1. Pœna damnatorum est æterna: dicitur enim Matt. 25. « Ibunt hi in ignem æternum. Ignis vero purgatorius « est temporalis » ut Magister dicit. Ergo non simul eodem igne puniuntur damnati, et purgantur animæ.

2. *Pœna inferni nominatur pluribus nominibus*, ut in in Psal. 10. Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, etc. Pœna autem purgatorii solum uno nomine nominatur, scilicet, ignis. Ergo non eodem igne et loco damnati et animæ puniuntur.

3. Hugo de Sanct. Vict. lib. 2. de sacram. part. 16. c. 4. dicit: « Probabile est, quod in his locis puniantur, « in quibus commiserunt culpam. » Greg. etiam lib. 4. dial. c. 40. narrat, quod Germanus, episcopus capuanus, Pascasium qui in balneis purgabatur, invenit. Ergo animæ non purgantur in loco inferni, sed in hoc mundo.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Greg. dicit, quod sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat, ita sub eodem igne peccator crematur, et electus purgatur. Ergo idem est ignis purgatorii et inferni.

2. Sancti patres ante adventum Christi fuerunt in loco digniori, quam sit locus, in quo purgantur animæ post mortem: quia non erat ibi aliqua pœna sensibilis. Sed locus ille erat conjunctus inferno, vel idem quod infernus. Alias Christus ad limbum descendens non diceretur ad inferos descendisse. Ergo et purgatorium est idem locus quod infernus, vel juxta infernum.

Determinatio.

Distinctio. Quamvis de loco purgatorii non inveniatur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possint ad hoc efficaces induci, tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis et revelationi factæ multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem.

Diversæ opiniones.

Quidam dicunt, quod secundum legem communem locus purgatorii est ubi homo peccat.

Reprobatio.

Sed hoc non videtur probabile, quia simul et in eodem loco potest homo puniri pro peccatis, quæ in diversis locis commisit.

Alia opinio.

Quidam alii dicunt, quod puniantur supra nos secundum legem communem, quia sunt medii inter nos et Deum quantum ad statum.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet, pro peccato.

Vera sententia.

1.ª Conclusio. Locus purgatorii, secundum legem communem, est inferior, inferno conjunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat; quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, in inferiori loco ordinentur.

Hanc probant duo argumenta inducta pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Purgatorium, secundum dispensationem, potest esse in diversis locis.

Manifestatur, quia sic quandoque in diversis locis aliqui puniri dicuntur, ut dicitur in argumento tertio pro negativa. Et hoc fit, vel ad vivorum instructionem, vel ad ipsorum mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad secundam partem antecedentis, quod ignis purgatorius est æternus, quantum ad substantiam; sed est temporalis, quantum ad effectum purgationis.

Ad 2. Dicitur ad utramque partem antecedentis, quod poena inferni est ad affligendum, et ideo nominatur nominibus omnium eorum quæ nos in hac vita affligere consueverunt. Sed poena purgatorii est principaliter ad purgandum reliquias peccati, et ideo sola pœna ignis purgatorio attribuitur, quia ignis habet purgare et consumere.

Ad 3. Jam dictum est quod probat secundam conclusionem.

ARTICULUS III.

Utrum pœna purgatorii excedat omnem pœnam temporalem hujus vitæ.

Pro negativa.=Videtur quod pœna purgatorii non excedat omnem pœnam temporalem hujus vitæ.

1. Quanto aliquid est magis passivum, tanto magis affligitur, si sensum læsionis habeat. Sed mortale corpus est magis passivum, quam anima separata. Ergo maior est pœna corporis in hoc mundo, quam pœna, qua purgatur anima post hanc vitam.

Minor prob. Tum quia corpus habet contrarietatem ad ignem agentem. Tum quia habet materiam, quæ est susceptiva qualitatis agentis, quod de anima non potest dici.

2. Pœna, quæ ordinatur contra peccata venialia, est levissima. Sed pœna purgatorii directe ordinatur contra venialia. Ergo pœna purgatorii est levissima.

Maior prob., quia secundum mensuram delicti, erit plagarum modus.

3. In hac vita, ille, cui dimissa est culpa, non erat reus gravissimæ pœnæ hujus vitæ. Ergo pœna, quam patietur post hanc vitam pro dimissa culpa, pro qua non plene satisfecit, non erit gravior, quam pœna istius vitæ.

Conseq. prob. Reatus, cum sit effectus culpæ, non potest intendi, nisi intendatur culpa. Sed in illo, cui jam culpa dimissa est, non potest culpa intendi. Ergo in eo non crescit reatus in morte, ut debeat pati gravissimam pœnam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Aug. dicit in serm. 4. de Animab. fid. quod «ille ignis purgatorii durior «erit, quam quidquid in hoc sæculo pœ«narum, aut sentire, aut videre, aut co«gitare quis potest.»

2. Quanto poena est universalior, tanto est maior. Sed poena animæ separatæ est universalior, quam poena corporis. Ergo illa poena purgatorii, quæ est animæ separatæ, est maior omni poena, quam corpus pati possit.

Minor prob., quia anima separata to-

to punitur, cum sit simplex, non autem ita est corpore?

Determinatio.

Conclusio. Minima poena purgatorii, excedit maximam hujus vitæ.

Prob. In purgatorio erit duplex poena. Una erit poena damni, in quantum scilicet, qui purgantur, retardantur á divina visione. Alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur. Sed quantum ad utrumque poena purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ. Ergo poena purgatorii est maxima. Minor quantum ad utramque partem probatur. Quantum quidem ad primam ostenditur sic. Quanto aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior. Sed affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam in animabus sanctis, est intensissimus: quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam, quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret. Ergo ejus retardatio maximum causat dolorem.

Quantum vero ad secundam ostenditur eadem minor. Quia, cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tanto magis dolet aliquis de aliquo læsivo, quanto magis est sensitivus. Unde læsiones, quæ fiunt in locis maxime sensibilibus, causant maximum dolorem. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo, si in ipsam animam aliquod læsivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligantur. Quod autem anima á corporali igne patiatur, nunc supponitur; sed hoc verum esse dicetur infra, quæst. 161, artic. 8. et ideo oportet poenam purgatorii, quantum ad poenam damni et sensus, excedere omnem poenam istius vitæ.

Quorumdam ratio ad conclusionem.

Quidam assignant rationem præpositæ conclusionis ex hoc quod in purgatorio anima tota punitur, non autem corpus.

Reprobatio.

Sed hoc nihil est, quia sic poena damnatorum esset minor post resurrectionem, quam ante; quod est falsum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis anima sit minus passiva, quam corpus, est tamen magis cognoscitiva passionis, et ubi est maior passionis sensus, ibi est maior dolor, etiamsi sit minor passio.

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera quando acerbitas poenæ attenditur solum ex quantitate peccati. Poenæ autem purgatorii acerbitas non est tantum ex quantitate peccati, sed magis ex dispositione, et statu ejus qui punitur. Idem enim peccatum gravius punitur in futura vita, quam hic. Sicut qui est delicatioris complexionis quam alius, magis sentit easdem plagas et flagella, quam ille qui est fortioris complexionis, et tamen judex juste utrique easdam poenas pro eodem delicto imponit.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod poena potest augeri non solum ex intensione culpæ, sed etiam ex diversitate dispositionis et status ejus qui punitur. Ille igitur, qui in hac vita erat reus minoris poenæ, in futura vita, ratione dispositionis quam habet in statu illo, sentit gravissimam poenam, ut in corpore dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum poena purgatorii sit voluntaria his qui purgantur.

Pro affirmativa.=Videtur quod poena purgatorii sit voluntaria his qui purgantur.

1. Poena, qua Deus punit eos, qui habent rectum cor, est voluntaria his qui puniuntur. Sed poena purgatorii est, qua Deus punit eos qui habent rectum cor. Ergo poena purgatorii est his qui eam patiuntur, voluntaria.

Maior prob., quia hæc est rectitudo cordis, ut quis voluntatem suam voluntati divinæ conformet.

Minor patet, quia illi, qui purgantur, sunt in gratia.

2. Omnis sapiens vult illud, sine quo non potest pervenire ad finem intentum. Sed illi, qui sunt in purgatorio, sciunt se non posse pervenire ad finem, id est, ad gloriam, nisi prius patiantur. Ergo voluntarie patiuntur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Nullus petit liberari ab eo, qui voluntarie sustinet. Sed illi, qui purgantur, petunt ab illa poena liberari: ut patet per multa quæ in lib. Dialog. á Greg. narrantur. Ergo illi qui sunt in purgatorio, non sustinent illam poenam voluntarie.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid dicitur voluntarium dupliciter. Uno modo, voluntate absoluta. Alio modo, voluntate conditionata. Sicut ustio est voluntaria, propter sanitatem consequendam. Primo modo, nulla poena est voluntaria. Quia ex hoc est ratio poenæ quod voluntati contrariatur. Secundo vero modo, potest esse aliqua poena voluntaria dupliciter. Uno modo, quia per illam poenam aliud bonum acquirimus: et sic ipsa voluntas assumit poenam aliquam, ut patet in satisfactione. Vel quia non assumit quidem, sed tamen eam libenter accipit sibi ab alio inflictam, et non vellet eam non esse. Sicut patet in martyrio quod martyres libenter eis illatum sustinuerunt. Alio modo, quia quamvis poena nullum bonum accrescat, tamen sine poena ad bonum pervenire non possumus. Sicut patet de morte naturali, et tunc voluntas non assumit poenam, nec vult eam esse, sed eam supportat. Et hac ratione poena potest esse voluntaria.

Quorumdam positio.

Quidam dicunt, quod poena purgatorii non est aliquo modo voluntaria; quia sunt ita absorpti in poenis, quod nesciunt se per poenam purgari, sed credunt se esse damnatos.

Reprobatio.

Sed hoc est falsum, quia nisi scirent se liberandos, suffragia non peterent. Quod tamen frequenter faciunt.

Vera sententia.

Conclusio. Poena purgatorii est voluntaria, non quidem simpliciter, nec quia voluntarie assumitur, sed quia illi, qui purgantur, eam voluntarie supportant.

Manifestatur, quia illi sciunt se ad finem intentum non posse pervenire, nisi prius poenam illam patiantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod poena, qua Deus punit eos qui habent rectum cor, est voluntaria, quia illi eam voluntarie supportant.

Ad 2. Eodem modo dicitur: potest enim aliquis velle á poena liberari, et tamen illa poena est ei voluntaria, modo dicto.

ARTICULUS V.

Utrum animæ in purgatorio per dæmones puniantur.

Pro affirmativa.=Videtur quod animæ in purgatorio per dæmones puniantur.

1. Dæmones incitant ad culpam, non solum mortalem, sed etiam venialem, quando aliud non possunt. Ergo in purgatorio ipsi animas pro venialibus torquebunt.

Conseq. prob., quia Magister dicit in fine dist. 47. lib. 6. quod *illos habebunt tortores in pœnis, quos habuerunt incentores in culpa.*

2. In hac vita purgantur justi per pœnas á diabolo inflictas: sicut patet de Job. Ergo etiam post hanc vitam purgandi punientur á dæmonibus.

Conseq. prob., quia purgatio á peccatis competit justis, et in hac vita, et post hanc vitam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ille, qui de alio triumphavit, injustum est, ut ei subjiciatur post triumphum. Sed illi, qui sunt in purgatorio, de dæmonibus triumpharerunt, sine pec-

cato mortali decedentes. Ergo non subjicientur eis, puniendi per eos.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Electi post hanc vitam purgantur, non ministerio dæmonum, nec ministerio Angelorum, sed sola divina justitia.

Manifestatur: non ministerio dæmonum, quia eorum victores extiterunt. Non ministerio Angelorum, quia cives suos non tam vehementer affligerent. Sed sola divina justitia, quia, sicut post diem judicii ipsa sola divina justitia succendet ignem, quo damnati in perpetuum punientur, ita nunc succendit purgatorium ignem.

2.ª Conclusio. Possibile est, quod Angeli purgandos ad loca pœnarum deducant, et dæmones eos concomitentur et assistant purgandis.

Manifestatur. Et quod possibile sit Angelos bonos ducere purgandos ad locum pœnarum, relinquitur ut manifestum. Dæmones vero eos comitantur; quia de eorum pœnis lætantur. Assistunt, ut in eorum exitu á corpore aliquid suum in eis reperiant, et ut de eorum pœnis satientur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Quamvis enim dæmones etiam ad peccatum veniale homines incitare possint, non tamen oportet quod eos pro venialibus puniant, quia decedentes solum cum venialibus triumphaverunt de dæmonibus, ac per hoc non convenit quod eis in alia vita subjiciantur.

Ad probationem dicitur, quod Magister ibi non loquitur de his qui purgantur; sed de damnatis, ut ex contextu apparet manifeste.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem, in proposito, ratio de hac et futura vita. In hoc enim sæculo, quando adhuc locus pugnæ est, puniuntur homines et á malis Angelis, sicut ab hostibus, ut patet de Job: et á bonis, sicut patet de Jacob, cujus nervus fæmoris Angelo percutiente emarcuit. Et hoc etiam dicit Dion. c. de Div. nom. quod boni Angeli interdum puniunt, scilicet in hoc sæculo, non autem in futuro.

QUÆSTIO SECUNDA,

DE EFFECTU PURGATORII, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde, juxta secundum membrum divisionis factæ in quæst. præcedenti, considerandum est de effectu purgatorii.

Et circa hoc quærentur tria.

Primo, utrum per pœnam purgatorii expietur peccatum veniale, quoad culpam.

Secundo, utrum ignis purgatorius liberet á reatu pœnæ.

Tertio, utrum á pœna purgatorii unus altero citius liberetur.

ARTICULUS I.

Utrum per pœnam purgatorii expietur peccatum veniale, quoad culpam.

Pro negativa. = Videtur quod per pœnam purgatorii non expietur peccatum veniale, quoad culpam.

1. Super illud 1. Jo. 5. "Est peccatum ad mortem, etc." dicit Glos. "Qui in hac vita non corrigitur, frustra post mortem ejus venia postulatur." Ergo nullum peccatum post hanc vitam, quoad culpam remittitur.

2. Anima post mortem non potest in peccatum veniale labi. Ergo nec á peccato veniali absolvi.

Conseq. prob., quia ejusdem est labi in peccato, et á peccato liberari.

3. Greg. dicit hom. 13. quod «talis "in judicio quisque futurus est, qualis "de corpore exivit, quia lignum ubi ce"ciderit, ibi erit." Eccles. 11. «Si er-

" go aliquis ex hac vita exit cum veniali, " in judicio cum veniali erit. » Et sic per purgatorium non expiatur aliquis á culpa veniali.

4. Culpa actualis non deletur, nisi per contritionem, ut supra dictum est. Sed post hanc vitam non erit contritio. Ergo post hanc vitam non erit remissio alicujus actualis culpæ.

Minor prob., quia contritio est actus meritorius. Tunc autem meritum non erit, sicut nec demeritum, cum secundum Damas. hoc sit hominibus mors quod Angelis casus.

5. Post hanc vitam in purgatorio non erit sensualitas fomitis. Ergo nec erit venialis culpa, quæ possit remitti et expiari per purgatorium ignem.

Antecedens prob., quia *fomes dicitur lex carnis*. Rom. 7. Unde non erit in anima separata.

Conseq. prob., quia veniale non est in nobis, nisi ratione fomitis: unde in primo statu Adam venialiter non peccasset, ut alias probatum est.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Greg. dicit in 4. Dial. et Aug. in lib. de ver. poenit. quod « quædam culpæ leves in futuro remittuntur: » quod non potest intelligi, quantum ad pœnam, quia sic omnes culpæ, quantumcumque leves, quantum ad reatum poenæ, per ignem purgatorium expiantur. Ergo venialia quantum ad culpam purgantur per ignem purgatorium.

2. 1. Cor. 2. « Per lignum, fœnum, et stipulam venialia significantur. » Sed lignum, fœnum, et stipula, per purgatorium ignem consumuntur. Ergo peccata venialia perpoenam purgatorii remittuntur.

Determinatio.

Conclusio. Culpa venialis, in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium.

Prob. quia poena illa, quæ est aliqualiter voluntaria, ut quæst. præced. dictum est, habebit vim expiandi omnem culpam, quæ simul cum gratia stare potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo, quod Glos. « illa loquitur de peccato mortali, " á quo, si quis in præsenti non corrigatur, frustra post mortem veniam " postularet. » Secundo, quod quamvis ille, qui cum peccato veniali decedit, non corrigatur á peccato veniali, in se; corrigitur tamen in merito, quia talis homo meruit hic quod ibi illa poena sit sibi meritoria.

Ad 2. Negat. conseq. Peccatum enim veniale contingit ex corruptione fomitis, qui in anima separata non erit, et ideo non poterit peccare venialiter. Remissio autem culpæ venialis est ex gratia, quæ in purgatorio erit in anima separata. Ad prob. dicitur, quod est vera in hoc statu, in quo homo potest et peccare, et peccati remissionem obtinere. In alia autem vita, potest quidem remitti peccatum veniale hic commissum, non tamen potest aliquid veniale committi, non existente ejus causa.

Ad 3. Neg. conseq. Stat enim, quod aliquis in judicio sit præsentandus in statu in quo decedit, et tamen quod ibi remittatur venialis culpa: et hoc, quia venialia non variant hominis statum, quia neque tollunt, neque diminuunt charitatem, secundum quam mensuratur quantitas gratuitæ bonitatis animæ. Et ideo, sive committantur venialia in hac vita, sive non; sive dimittantur, sive non, anima in eodem statu permanet.

Ad 4. Dicitur, quod maior est vera de remissione, quæ fit in hac vita, hæc enim sine pœnitentia non fit. Sed in purgatorio fit remissio peccatorum venialium, per tolerantiam voluntariam illarum poenarum. Ad id autem quod de merito in argüendo dicitur, respondetur quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse,

quamdiu homo aliquo modo manet in statu viæ, et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem venialis.

Ad 5. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis veniale peccatum ex proonitate fomitis contingat, tamen culpa in mente consequitur, et ideo etiam destructo fomite, adhuc culpa remanere potest. Unde in animabus purgandis remanere potest veniale remittendum, destructo fomite.

ARTICULUS II.

Utrum ignis purgatorius liberet á reatu pœnæ.

Pro negativa. = Videtur quod ignis purgatorius non liberet á reatu pœnæ.

1. Omnis purgatio respicit fœditatem. Sed pœna non importat aliquam fœditatem. Ergo ignis purgatorius non liberat á poena.

2. Contrarium non purgatur nisi per suum contrarium. Sed poena non contrariatur poenæ. Ergo per poenam purgatorii non purgatur aliquis á poenæ reatu.

3. Super illud 1. Cor. 3. « Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » dicit Glos. « Ignis iste est tentatio tribulationis, de qua scriptum est: vasa figuli « probat. » etc. Eccles. 27. Ergo homo expiatur ab omni poena, per poenas hujus mundi, saltem per mortem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Per poenam satisfactoriam, quam aliquis in hac vita sustinet, expiatur á debito poenæ. Ergo multo fortius per poenam purgatorii.

Conseq. prob., quia poena purgatorii est gravior, quam quælibet poena hujus mundi, ut dictum est quæst. præced.

Determinatio.

Conclusio. Poena purgatorii purgat á reatu poenæ.

Prob. Quicumque est alicujus debitor, per hoc á debito absolvitur, quia debitum solvit. Sed reatus nihil aliud est, quam debitum poenæ. Ergo per hoc, quod quis poenas purgatorii sustinet, solvit debitum poenæ quod pro peccato debebat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod reatus, quamvis non importet foeditatem, quantum in se est, tamen habet ordinem ad foeditatem, ex causa sua, scilicet ex peccato.

Ad. 2. Dicitur ad minorem, quod quamvis poena non contrarietur poenæ, tamen contrariatur reatui ad poenam, quia ex hoc manet obligatio ad poenam quod poenam quam debebat non sustinuit, et sustinendo poenam, tollitur reatus.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod in eisdem verbis sacræ scripturæ est multiplex intellectus. Unde et ille ignis potest intelligi tribulatio præsens, vel poena sequens: et per utramque venialia purgari possunt. Nec est necesse, quod per poenam mortis semper expietur poena venialis, ut act. 1. dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum á poena purgatorii unus altero citius liberetur.

Pro negativa. = Videtur quod á poena purgatorii non liberetur unus citius altero.

1. Quanto gravior est culpa, et maior reatus, tanto acerbior poena imponitur in purgatorio. Sed, quæ est proportio poenæ acerbioris ad culpam graviorem, eadem est proportio poenæ, levioris ad culpam leviorem. Ergo ita cito liberatur unus á leviori poena, sicut et alius.

2. In æqualibus meritis dantur æquales retributiones et in coelo et inferno, quantum ad durationem. Ergo videtur idem esse faciendum in purgatorio, scilicet, quod poenæ quarumcumque culparum debeant esse æquales in duratione.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est similitudo Apost. qui

differentias venialium per lignum, fœnum et stipulam significavit. Constat enim quod lignum diutius manet in igne, quam fœnum et stipula. Ergo unum peccatum veniale diutius punitur in purgatorio, quam aliud.

Determinatio.

Conclusio. In purgatorio, quidam diutius, quam alii torquentur.

Prob. Peccata, quæ sunt maioris adhærentiæ, tardius purgantur, quam ea quæ sunt minoris adhærentiæ. Sed quædam peccata venialia sunt maioris adhærentiæ quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur, et fortius in eis figitur. Ergo hæc peccata tardius purgantur, et pro eis diutius quis in purgatorio manet, quam alius, qui peccata minoris adhærentiæ habet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod aliud est loqui de acerbitate pœnæ, aliud de duratione pœnæ. Acerbitas enim pœnæ respondet quantitati culpæ, et ideo pro æqualibus culpis, æquales patiuntur pœnas, quantum ad intensionem. Diuturnitas autem respondet radicationi affectus ad culpam. Et ideo potest contingere quod aliquis, qui minus affligitur, diutius moretur eo qui magis affligitur.

Ad 2. Neg. conseq. Peccatum enim mortale cui debetur supplicium inferni, et charitas cui debetur præmium paradisi, post hanc vitam radicantur immobiliter in subjecto, et ideo quantum ad omnes est eadem diuturnitas utrobique. Secus autem de peccato veniali quod in purgatorio punitur, ut patet ex dictis.

FINIS TOMI UNDECIMI ET ULTIMI,

SEU HUJUS TERTII VOLUMINIS TERTIÆ PARTIS, CONTINENTIS QUÆSTIONES Á CENTESIMA DECIMA NONA USQUE AD CENTESIMAM OCTOGESIMAM INCLUSIVE, ET ETIAM DUAS QUÆSTIONES DE PURGATORII TRACTATU.

Index

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM, QUÆ IN HOC TERTIÆ PARTIS

TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA NONA.

De sacramento Extremæ-unctionis quantum ad ipsius essentiam, et institutionem in novem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Extrema-unctio sit sacramentum. 5
2. Utrum Extrema-unctio sit unum sacramentum. 7
3. Utrum sacramentum Extremæ-unctionis fuerit á Christo institutum. . . . 8
4. Utrum oleum olivæ sit conveniens materia sacramenti Extremæ-unctionis. . 9
5. Utrum oporteat oleum esse consecratum. 10
6. Utrum oporteat materiam sacramenti Extremæ-unctionis ese consecratam per Episcopum. 11
7 Utrum sacramentum Extremæ-unctionis habeat aliquam formam. 12
8. Utrum forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non per deprecativam. 14
9. Utrum prædicta oratio sit competens forma sacramenti Extremæ-unctionis. . 15
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaes. 119.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad novem praeced. art. appositae. 16

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA,

De effecti hujus sacramenti, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Extrema-unctio valeat ad remissioem peccatorum. 20
2. Utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti. 22
3. Utrum sacramentum Extremæ-unctionis characterem imprimat. 23
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 120.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad tres art. appositae. 24

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA PRIMA,

De ministro hujus sacramenti, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum laicus possit sacramentum Extremæ-unctionis conferre. 26
2. Utrum diaconi possint Extremam-unctionem conferre. 27
3. Utrum solus Episcopus possit Extremam-unctionem conferre. 27

Utilitas pro Ecclesia S. Dei. ex praeced. quaest. 121.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 28

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SECUNDA.

Quibus hoc sacramentum conferri debeat, et in qua parte corporis, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sanis conferri debeat Extrema-unctio. 30
2. Utrum sacramentum Extremæ-unctionis dari debeat in qualibet infirmitate. 31
3. Utrum Extrema-unctio debeat dari furiosis et amentibus. 31
4. Utrum sacramentum Extremæ-unctionis debeat dari pueris. 32
5. Utrum in sacramento Extremæ-unctionis totum corpus debeat inungi. 33
6. Utrum convenienter determinentur partes inungendæ. 34
7. Utrum mutilati debeant inungi illis unctionibus. 35
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 122.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad septem praeced. art. appositae. 36

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA TERTIA,

De iteratione hujus sacramenti, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sacramenta Extremæ-unctionis debeat iterari. 39
2. Utrum in eadem infirmitate debeat sacramentum Extremæ-unctionis iterari. 40
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 123.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 41

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA QUARTA,

De sacramento ordinis quoad ejus essentiam, et ejus partes, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ordo in Ecclesia esse debeat. 42
2. Utrum ordo convenienter definiatur. 43
3. Utrum ordo sit sacramentum. 45
4. Utrum forma hujus sacramenti convenienter exprimatur. 45
5. Utrum sacramentum ordinis habeat materiam. 47
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 124.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 49

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA QUINTA,

De effectu hujus sacramenti, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens. 53
2. Utrum in sacramento ordinis imprimatur character, quantum ad omnes ordines. 54
3. Utrum character ordinis præsupponat characterem baptismalem. 56
4. Utrum character ordinis præsupponat de necessitate characterem confirmationis. 57
5. Utrum character unius ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius ordinis. 57
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quaest. 125.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 59

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SEXTA.

De qualitate suscipientium hoc sacramentum, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in suscipientibus ordines, requiratur bonitas vitæ. 64
2. Utrum in suscipientibus ordines, requiratur scientia totius sacræ scripturæ. 65
3. Utrum ex merito vitæ aliquis gradus ordinis consequatur. 67
4. Utrum promovens indignos ad ordines, peccet. 68
5. Utrum aliquis in peccato existens, possit, sine peccato, ordine suscepto uti. 69
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 126.ª, seu appendices F. C. S. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 70

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA,

De distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum debeant plures ordines distingui. 75
2. Utrum sint septem ordines. 76
3. Utrum ordines debeant distingui per sacros et non sacros. 80
4. Utrum actus ordinum convenienter assignentur. 80
5. Utrum sacerdoti imprimatur character in calicis porrectione. 84
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 127.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad quinque præced. art. appositæ. 86

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA OCTAVA,

De conferentibus hoc sacramentum, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum tantum Episcopus conferat sacramentum ordinis. 89
2. Utrum hæretici, et ab Ecclesia præcisi, possint ordines conferre. 91
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 128.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duos præced. art. appositæ. 93

QUÆSTIO CENTESIMA VIGESIMA NONA,

De impedimentis hujus sacramenti, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sexus fœmineus impediat ordinis susceptionem. 95
2. Utrum pueri et carentes usu rationis possint ordines suscipere. 96
3. Utrum servitus impediat aliquem ab ordinis susceptione. 98
4. Utrum propter homicidium debeat aliquis ab ordinibus prohiberi. 99
5 Utrum illegitime nati, debeant á susceptione ordinum impediri. 100
6. Utrum propter defectum membrorum debeat aliquis á susceptione ordinum impediri. 101
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 129.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex præced. art. appositæ. 101

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA.

De his quæ sunt annexa sacramento ordinis, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ordinati debeant tonsuram deferre. 106
2. Utrum corona sit ordo. 107
3. Utrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis. . . 108
4. Utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas Episcopalis. . 109
5. Utrum Episcopatus sit ordo. 111
6. Utrum supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia. 112
7. Utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutæ. 113
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 130.ª, seu appendices F. S. C. á Porrecta ad septem praeced. art. appositae. 116

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA PRIMA,

De sacramento matrimonii, in quantum est in officio naturæ, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum matrimonium sit de jure naturali. 123
2. Utrum matrimonium cadat sub præcepto. 125
3 Utrum actus matrimonii sit licitus. 126
4. Utrum actus matrimonii sit meritorius. 128

Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 131.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 130

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SECUNDA,

De matrimonio in quantum est sacramentum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum matrimonium sit sacramentum. 133
2. Utrum matrimonium debuerit institui ante peccatum. 134
3. Utrum matrimonium conferat gratiam. 135
4. Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. 137
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 132.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 138

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA TERTIA,

De matrimonio quantum ad sponsalia, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio. 141
2. Utrum tempus septennii sit convenienter assignatum sponsalibus contrahendis. 143
3. Utrum sponsalia dirimi possint. 145
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quaest. 133.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 147

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA QUARTA.

De matrimonii definitione, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum matrimonium sit in genere conjunctionis. 149
2. Utrum matrimonium convenienter nominetur. 150
3. Utrum matrimonium convenienter definiatur. 151
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 134.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 153

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

De consensu matrimonii secundum se, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum consensus sit causa efficiens matrimonii. 154
2. Utrum oporteat consensum exprimi per verba. 155
3. Utrum consensus expressus per verba de futuro, faciat matrimonium . . . 156
4. Utrum consensus per verba de præsenti expressus, si desit interior consensus, faciat matrimonium. 157
5. Utrum consensus in occulto factus per verba de præsenti, faciat matrimonium. 158
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst 135.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 160

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SEXTA,

ARTICULI.

De consensu cui advenit Juramentum vel copula carnalis, in duos articulos divisa.

1. Utrum juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresso, faciat matrimonium. 163
2. Utrum carnalis capula, post verba de futuro consensum exprimentia, faciat matrimonium. . . . . 164.
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 536.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 165

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA,

De consensu coacto, et conditionato, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum aliquis consensus possit esse coactus. 166
2. Utrum aliqua coactio cadat in constantem virum. 167
3. Utrum consensus coactus tollat matrimonium. 168

4. Utrum consensus coactus, ex parte cogentis faciat matrimonium. 169
5. Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium. 170
6. Utrum aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. 171
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 137.ª, seu appendices F. S. C.
Porrecta ad sex praeced. art. appositae. 172

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA,

De objecto consensus, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam. 175
2. Utrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam, propter causam inhonestam. 176
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quest. 138.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 177

QUÆSTIO CENTESIMA TRIGESIMA NONA,

De bonis matrimonii, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum debeant haberi aliqua bona, ad excusandum matrimonium. . . . 179
2. Utrum bona matrimonii sufficienter asignentur. 180
3. Utrum sacramentum sit principalius inter bona matrimonii. 182
4. Utrum actus matrimonii excusetur per praedicta bona 184
5. Utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonii. 185
6. Utrum cognoscens uxorem, non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet. 187
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest, 139.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad sex praeced. art. appositae. 188

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA,

De impedimento matrimonii in generali, unico articulo absoluta.

ARTICULI.

Unicus. Utrum matrimonio convenienter impedimenta assignentur. 191
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex preced. quaest. 140.ª, seu appendix F. S. C. á
Porrecta ad unicum praeced. art. apposita. 195

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA PRIMA,

De impedimento erroris, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum error convenienter ponatur impedimentum matrimonii. 196
2. Utrum omnis error impediat matrimonium. 196
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 141.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 199

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SEGUNDA,

De impedimento conditionis servitutis, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum conditio servitutis impediat matrimonium. 200
2. Utrum servus possit contrahere matrimonium sine consensu Domini. . . 203
3. Utrum servitus possit matrimonio supervenire. 204
4. Utrum filii debeant sequi conditionem patris. 205
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 142.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 206

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA TERTIA,

De impedimento voti, et ordinis in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per obligationem voti simplicis, matrimonium contractum dirimi debeat. 208
2. Utrum votum solemne dirimat matrimonium jam contractum. 210

3. Utrum ordo impediat matrimonium. 211
4. Utrum ordo sacer possit matrimonio supervenire. 213
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 243.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 214

QUÆSTIO CENTESIMA QUADAGESIMA QUARTA,

De impedimento consanguinitatis, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum definitio consanguinitatis sit competens. 217
2. Utrum consanguinitas inconvenienter distinguitur per gradus et lineas. . . . 219
3. Utrum consanguinitas naturali jure matrimonium impediat. 222
4. Utrum consanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia. 225
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 144.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 228

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA,

De impedimento affinitatis, in undecim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur. 231
2. Utrum affinitas maneat post mortem viri aut uxoris. 233
3. Utrum illicitus concubitus causet affinitatem. 234
4. Utrum ex sponsalibus causetur affinitas. 236
5. Utrum affinitas sit causa affinitatis. 237
6. Utrum affinitas matrimonium impediat. 239
7. Utrum affinitas habeat per se gradus. 240
8. Utrum gradus affinitatis extendatur, sicut gradus consanguinitatis. . . . 241
9. Utrum conjugium contractum inter affines, vel consanguineos, semper sit dirimendum. 241
10. Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos, sit procedendum per viam accusationis. 242
11. Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos, procedi debeat per testes. 244
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 145.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad undecimus praeced. art. appositae. 245

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SEXTA,

De impedimento cognationis spiritualis in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum spiritualis cognatio impediat matrimonium. 250
2. Utrum per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur. . . . 252
3. Utrum spiritualis cognatio contrahatur inter suscipientem sacramentum baptismi et levantem de sacro fonte. 254
4. Utrum cognatio spiritualis transeat á viro in uxorem. 256
5. Utrum cognatio spiritualis transeat ad filios carnales patris spiritualis. . . 258
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 146.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 259

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SEPTIMA,

De cognatione legali, quæ est per adoptionem, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum adoptio convenienter definiatur. 262
2. Utrum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium. . 264
3. Utrum cognatio legalis contrahatur tantum inter adoptantem patrem et filium adoptatum. 265
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 147.ª, seu appendices F. S. C. á
Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 267

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA OCTAVA,

De impedimentis frigiditatis, maleficii, furiae, vel amentiae, incestus, et defectus aetatis, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum frigiditas impediat matrimonium. 268
2. De impedimento maleficii. Utrum maleficium possit impedire matrimonium. . 271
3. De impedimento furiae. Utrum furia impediat matrimonium. 273
4. De impedimento incestus. Utrum incestus, quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, matrimonium dirimat. 274
5. Utrum defectus aetatis impediat matrimonium. 275
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 148.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 276

QUÆSTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA NONA,

De disparitate cultus quae matrimonium impediat, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum fidelis possit contrahere cum infideli. 280
2. Utrum inter infideles possit esse matrimonium. 281
3. Utrum conjux conversus ad fidem, possit commanere cum uxore nolente converti 283
4. Utrum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere, nolentem cohabitare sine contumelia creatoris. 284
5. Utrum fidelis discedens ab uxore infideli, possit aliam ducere. 286
6. Utrum alia vitia solvant matrimonium, sicut infidelitas. 288
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 149.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex praeced. art. appositae. 290

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA,

De uxoricidio, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum liceat occidere uxorem, in actu adulterii deprehensam. 294
2. Utrum uxoricidium impediat matrimonium. 295
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quæst. 150.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 296

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA PRIMA,

De impedimento matrimonii, quod est votum solemne, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum alter conjugum, altero invito post carnalem copulam, possit religionem intrare. 297
2. Utrum alter conjugum possit, altero invito ante carnalem copulam, religionem intrare. 298
3. Utrum mulier possit nubere alteri viro, ante carnalem copulam, viro suo religionem ingresso. 299
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 151.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 300

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SECUNDA,

De impedimento quod supervenit matrimonio consummato, quod est fornicatio, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum propter fornicationem liceat viro, uxorem dimittere. 302
2. Utrum vir teneatur ex praecepto uxorem fornicantem dimittere 303
3. Utrum vir propio judicio possit uxorem fornicantem dimittere. 304
4. Utrum vir et uxor in causa divortii possint ad paria judicari. 306
5. Utrum post divortium, vir alteri nubere possit. 308
6. Utrum post divortium vir et uxor possint reconciliari. 309
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest, 152.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad sex praeced. art. appositae. 310

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA TERTIA,

De secundis nuptiis, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum secundae nuptiae sint licitae. 314
2. Utrum secundum matrimonium sit sacramentum. 315
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 153.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 316

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUARTA,

De annexis matrimonio, et primo de debiti redditione, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti. 318
2. Utrum vir teneatur reddere debitum uxori, non petenti. 319
3. Utrum liceat mulieri menstruatae debitum petere. 320
4. Utrum mulier menstruata debeat reddere debitum petenti. 321
5. Utrum vir et mulier in actu matrimoniali sint aequales. 323
6. Utrum vir et uxor possint emittere votum, contra debitum matrimonii, sine mutuo consensu. 324
7. alias 5. Utrum in diebus sacris impediatur petitio debiti. 325
8. alias 6. Utrum petens debitum in tempore sacro, mortaliter peccet. 326
9. alias 7. Utrum conjux teneatur conjugi reddere debitum tempore festivo . . 326
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaes. 154.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad novem praeced. art. appositae. 327

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUINTA,

De pluralitate uxorum, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum habere plures uxores, sit contra legem naturae. 331
2. Utrum aliquando licitum fuerit habere plures uxores. 336
3. Utrum habere concubinam sit contra legem naturae. 338
4. Utrum accedere ad concubinam, sit peccatum mortale. 340
5. Utrum aliquando licitum fuerit concubinam habere. 342
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 155.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 343

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEXTA,

De bigamia, et irregularitate ex ea contracta, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum bigamiae sit annexa irregularitas. 347
2. Utrum irregularitas sit annexa bigamiae, quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores, unam de jure, et alteram de facto. 348
3. Utrum contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis duxit uxorem non virginem. 349
4. Utrum bigamia solvatur per baptismum. 351
5. Utrum cum bigamo liceat dispensare. 352
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. qnæst. 156.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque art. appositæ. 353

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEPTIMA,

De libello repudii, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum inseparabilitas uxoris sit de lege naturæ. 356
2. Utrum potuerit esse licitum per dispensationem uxorem dimittere. 357
3. Utrum sub lege Moysis fuerit licitum uxorem dimittere. 358
4. Utrum liceat uxori repudiatæ, alium virum habere. 360
5. Utrum liceat viro accipere á se repudiatam. 361
6. Utrum causa repudii fuerit odium uxoris. 362
7. Utrum causæ repudii deberent in libello scribi. 363

Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 157.ª seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad septem præced. art. appositæ. 364

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA OCTAVA,

De filiis illegitime natis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum filii, qui nascuntur extra verum matrimonium, sint legitimi. 366
2. Utrum filii illegitimi debeant ex hoc damnum reportare. 367
3. Utrum filius illegitimus possit legitimari. 368
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 158.ª seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad tres præced. art. appositæ. 369

TRACTATUS DE FINE IMMORTALIS VITAE.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA NONA,

De his quæ spectant ad resurrectionem, et primo de loco animarum post mortem, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum animabus post mortem receptacula assignentur. 371
2. alias 7. Utrum sint quinque receptacula animarum. 373
3. alias 5. Utrum limbus sit idem quod infernus damnatorum. 375
4. Utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ. 376
5. alias 6. Utrum limbus puerorum sit idem quod limbus patrum. 378
6. alias 2. Utrum statim post mortem animæ deducantur in cœlum, vel in infernum. 379
7. alias 3. Utrum animæ in paradiso, vel in inferno existentes egredi valeant. . . 380
8. alias 3. quæstionis LXX. supplementi. Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo. 383
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 159.ª seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad octo præced. art. appositæ. 387

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA,

De suffragiis mortuorum, in quatuor decim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum suffragia per unum facta, aliis prodesse possint. 391
2. Utrum mortui possint juvari ex operibus vivorum. 393
3. Utrum suffragia per peccatores facta, mortuis prosint. 394
4. Utrum suffragia, quæ á vivis pro mortuis fiut, prosint facientibus. 396
5. Utrum suffragia prosint existentibus in inferno. 397
6. Utrum suffragia prosint existentibus in purgatorio. 400
7. Utrum suffragia valeant pueris in limbo existentibus. 402
8. Utrum suffragia prosint sanctis in patria existentibus. 402
9. Utrum orationes Ecclesiæ, sacrificium altaris, et eleemosyna, prosint defunctis. . 404
10. Utrum indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis. 406
11. Utrum cultus exequiarum defunctis prosit. 407
12. Utrum suffragia, quæ fiunt pro uno defuncto, magis proficiant ei, pro quo fiunt, quam aliis. 408
13. Utrum suffragia facta pro multis, tantundem valeant singulis, ac si pro unoquoque specialiter fierent. 410
14. Utrum tantum valeant suffragia communia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis, pro quibus fiunt, specialia et communia simul. 411
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 160.ª seu appendices Fr. S. C. à
Porrecta ad quatuordecim præced. art appositæ. 412

QUAESTIO CENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA,

De oratione respectu sanctorum qui sunt in patria, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sancti cognoscant orationes nostras. 420
2. Utrum debeamus sanctos interpellare, ad orandum pro nobis 422
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 161.ª seu appendices Fr. S. C. à
Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 426

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SEGUNDA.

De signis, quae judicium praecedent, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum aliqua signa praecedent adventum Domini ad judicium. 429
2. Utrum circa judicium sol et luna, secundum veritatem, obscurabuntur 430
3. Utrum virtutes caelorum, Domino veniente, commovebuntur. 431
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex preeced. quaest. 162.ª, seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 432

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA TERTIA.

De igne ultimæ conflagrationis, in novem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum mundi purgatio sit futura. 434
2. Utrum purgatio mundi sit futura per ignem. 435
3. Utrum ignis ille, quo mundus purgabitur, sit ejusdem speciei cum igne elementari. 437
4. Utrum ignis ille purgabit etiam cœlos superiores. 439
5. Utrum ignis ultimæ conflagrationis, alia elementa consumet. 440
6. Utrum omnia elementa per illum ignem purgabuntur. 442
7. Utrum ignis ultimæ conflagrationis judicium debeat sequi. 444
8. Utrum ille ignis sit habiturus talem effectum in hominibus, qualis per sanctos designatur. 445
9. Utrum ignis ultimæ conflagrationis involvet reprobos. 446
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 163.ª, seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad novem præced. art. appositæ. 447

QÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA QUARTA,

De resurrectione, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum corporum resurrectio sit futura. 450
2. Utrum resurrectio erit omnium generaliter. 453
3. Utrum resurrectio sit naturalis. 454
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 164.ª seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad tres præced. art. appositæ. 456

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA QUINTA,

De causa resurrectionis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis: ut jam supra agitatus hic dimittitur quærendus supra quæst. 56. art. 1. per totum. 459
2. Utrum vox tubæ sit causa nostræ resurrectionis. 459
3. Utrum ad resurrectionem angeli operabuntur. 461
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 165.ª seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad tres præced. art. appositæ 463

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SEXTA,

De tempore, et modo resurrectionis, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum tempus nostræ resurrectionis oporteat differri usque ad finem mundi. . 463
2. Utrum tempus resurrectionis nostrae sit occultum. 466
3. Utrum resurrectio futura sit in noctis tempore. 467
4. Utrum resurrectio futura sit subito vel successive. 468
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 166.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 469

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA SEPTIMA,

De termino á quo resurrectionis, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum mors erit terminus à quo resurrectionis in omnibus. 471
2. Utrum omnium resurrectio erit à cineribus. 473
3. Utrum pulveres illi, ex quibus humanum corpus reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam, quae eis conjungetur. 474
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 167.ª, seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 476

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA OCTAVA,

De conditionibus resurgentium, et primo de eorum identitate, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum anima idem corpus resumat in resurrectione. 477
2. Utrum sit idem numero homo, qui resurget. 479
3. Utrum pulveres humani corporis ad eam partem corporis, quae in eis dissoluta est per resurrectionem, oporteat redire. 482
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 168.ª, seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 484

QUÆSTIO CENTESIMA SEXAGESIMA NONA,

De integritate corporum resurgentium, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum omnia membra humani corporis resurgent. 485
2. Utrum capilli et ungues in homines resurgent. 486
3. Utrum humores in corpore resurgent. 487
4 Utrum totum, quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ, resurget in ipso. 489
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 169.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 496

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA,

De qualitate resurgentium, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum omnes resurgent in eadem ætate. 492
2. Utrum omnes resurgent ejasdem staturæ. 494
3. Utrum omnes resurgent in sexu virili. 495
4. Utrum homines resurgent in vita animali. 496
Utilitas pro Ecclesia S. Dei. ex præced. quæst. 170.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 497

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA PRIMA,

De impassibilitate corporum beatorum resurgentium, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt passibilia. 500
2. Utrum impassibilitas in omnibus futura sit æqualis. 503
3. Utrum impassibilitas excludat á corporibus gloriosis sensum in actu. 504
4. Utrum in beatis post resurrectionem sint omnes sensus in actu. 506
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 171.ª seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor præced. art. appositæ. 508

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

De subtilitate corporum beatorum, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi. 510
2. Utrum ratione subtilitatis competat corpori glorioso esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso. 512
3. alias 4. Utrum unum corpus gloriosum possit esse simul cum alio corpore glorioso in eodem loco. 514
4. alias 5. Utrum á corpore glorioso, ex sua subtilitate, removetur necessitas existendi in æquali loco. 515
5. alias 6. Utrum corpus gloriosum, ratione suæ subtilitatis, sit impalpabile. . . . 516
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 172.ª seu appendices Fr. S. C. à Porrecta ad quinque præced. art. appositæ. 518

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA TERTIA,

De agilitate corporum beatorum, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum corpora gloriosa sint futura agilia. 520
2. Utrum sancti quandoque utantur agilitate sua, ut moveantur. 522
3. Utrum sancti moveantur in instanti.. 523
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 173.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 525

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUARTA.

De claritate corporum beatorum, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum corporibus gloriosis conveniet claritas. 526
2. Utrum claritas corporis gloriosi possit videre á non glorioso oculo. . . . 527
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 174.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad duos praeced. art. appositae. 528

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUINTA.

De conditionibus corporum damnatorum resurgentium, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum corpora damnatorum, cum suis deformitatibus resurgent. 630
2. Utrum corpora damnatorum erunt incorruptibilia. 531
3. Utrum corpora damnatorum futura sint impassibilia. 533
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 175.ª, seu appendicis Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 535

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEXTA.

De cognitione quam habebunt resuscitati in judicio respectu meritorum, et demeritorum in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum post resurrectionem quilibet cognoscet pecata, quae fecit. 536
2. Utrum quilibet poterit legere omnia, quae sunt in conscientia alterius . . . 537
3. Utrum omnia merita vel demerita, propria et aliena, uno intuitu ab aliquo videbuntur. 538
Utilitas pro Ecclesia S. Dei. ex praeced. quaest. 176.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 539

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

De judicio generali, tempore, et loco in quo fiet, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum generale judicium sit futurum. 541
2. Utrum judicium fiet per vocalem locutionem. 542
3. Utrum tempus futuri judicii sit ignotum. 543
4. Utrum judicium fiet in valle Josaphat. 544
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 177.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 545

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

De judicantibus, et judicatis in judicio generali, in octo articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum aliqui homines judicabunt cum Christo. 547
2. alias 3. Utrum angeli debeant judicare. 549
3. alias 4. Utrum daemones exequentur sententiam judicis in damnatos. . . . 549
4. alias 5. Utrum omnes homines in judicio comparebunt. 551
5. alias 6. Utrum boni in judicio judicabuntur. 552
6. alias 7. Utrum mali judicabuntur in extremo judicio. 553
7. alias 8. Utrum angeli in futuro judicio judicabuntur. 554
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 178.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quatuor praeced. art. appositae. 555

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA NONA.

De forma judicis venientis ad judicium, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum Christus in forma humana sit judicaturus. 558
2. Utrum Christus apparebit in forma humanitatis gloriosa. 560
3. Utrum Divinitas á malis sine gaudio videri possit. 562
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 179ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres art. appositae. 563

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA,

De qualitate mundi post judicium, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum mundus innovabitur. 565
2. Utrum motus corporum coelestium cessabit. 567
3. Utrum in corporibus caelestibus claritas augebitur in illa innovatione. . . . 571
4. Utrum elementa innovabuntur per receptionem alicujus claritatis. 573
5. Utrum plantae et animalia debeant remanere in illa innovatione. 575
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 180.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 577

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA PRIMA,

De sanctorum beatitudine, et eorum mansionibus, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. An beatitudo sanctorum sit maior futura post judicium, quam ante. . . . 579
2. Utrum gradus beatitudinis debeant dici mansiones. 581
3. Utrum diversae mansiones distinguantur penes diversos gradus charitatis. . . 582
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quaest. 181.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres praeced. art. appositae. 584

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA SECUNDA.

De modo quo sancti se habebunt erga damnatos, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum beati in patria existentes, sint visuri paenas damnatorum. 585
2. Utrum beati compatiantur miseriis damnatorum. 586
3. Utrum beati laetentur de paenis damnatorum. 587
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 182.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad tres præced. art. appositæ. 588

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA TERTIA,

De dotibus beatorum, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sint ponendae aliquae dotes in hominibus beatis. 589
2. Utrum dos sit idem quod beatitudo. 592
3. Utrum competat Christo habere dotes. 593
4. Utrum angeli habeant dotes. 595
5. Utrum convenienter ponantur tres animae dotes. 597
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 183.ª, seu appendices Fr. S. C. á Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 600

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA QUARTA,

De aureolis, in tredecim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum aureola sit aliud á praemio essentiali quod aurea dicitur. 602
2. Utrum aureola differat á fructu. 605
3. Utrum fructus debeatur soli virtuti continentiae. 608
4. Utrum convenienter asignentur tres fructus tribus continentiae partibus. . 609
5. Utrum aureola debeatur ratione virginitatis. 610
6. Utrum martiribus aureola debeatur. 613
7. Utrum doctoribus aureola debeatur. 617
8. Utrum Christo aureola debetaur. 619
9. Utrum angelis aureola debeatur. 620
10. Utrum aureola etiam corpori debeatur. 621
11. Utrum convenienter designentur tres aureolae virginum, martyrum, et doctorum. 621
12. Utrum aureola virginum sit potissima inter alias. 623
13. Utrum unus alio excellentius aureolam habeat. 624
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quaest. 184.ª, seu appendices Fr. S. C. á

Porrecta ad tredecim praeced. art. appositae. 625

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA QUINTA,

De poena damnatorum, in septem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum damnati in inferno, sola poena ignis affligantur. 630
2. Utrum vermis damnatorum sit corporalis. 631
3. Utrum fletus, qui erit in damnatis, sit corporalis. 632
4. Utrum damnati sint in tenebris corporalibus. 633
5. Utrum ignis inferni erit corporalis. 634
6. Utrum ignis inferni sit ejusdem speciei cum igne nostro. 635
7. Utrum ignis inferni sit sub terra. 636
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 185.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad septem praeced. art. appositae. 638

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA SEXTA,

De voluntate, et intellectu damnatorum, in novem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum omnis voluntas damnatorum sit mala. 640
2. Utrum damnatos poeniteat malorum que fecerunt. 642
3. Utrum damnati recta et deliberativa ratione vellent non esse. 643
4. Utrum damnati in inferno vellent alios, qui non sunt damnati, esse damnatos. 643
5. Utrum damnati habeant Deum odio. 644
6. Utrum damnati demereantur. 645
7. Utrum damnati possint uti notitia, quam in hoc mundo habuerunt. . . . 646
8. Utrum damnati aliquando cogitabunt de Deo. 647
9. Utrum damnati videant gloriam beatorum. 648
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. quaest. 186.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad septem praeced. art. appositae. 649

QUÆSTIO CENTESIMA OCTOGESIMA SEPTIMA,

De misericordia, et justitia Dei respectu damnatorum, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna. 652
2. Utrum per divinam misericordiam terminetur pœna, tam hominum damnatorum, quam dæmonum. 656
3. Utrum divina misericordia patiatur homines in æternum puniri. 657
4. Utrum pœna Christianorum damnatorum per divinam misericordiam terminetur. 659
5. Utrum illi, qui operantur misericordiæ opera, puniendi sint æternaliter. . 660
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. quæst. 187.ª, seu appendices Fr. S. C. á
Porrecta ad quinque praeced. art. appositae. 661

APPENDIX DE PURGATORIO.

QUÆSTIO PRIMA,

De ipso purgatorio, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum purgatorium sit post hanc vitam. 665
2. Utrum sit idem locus, quo animæ purgantur, et quo damnati puniuntur. . . 667
3. Utrum pœna purgatorii excedat omnem pœnam temporalem hujus vitæ. . . 668
4. Utrum poena purgatorii sit voluntaria his qui purgantur. 669
5. Utrum animæ in purgatorio per dæmones puniantur. 670

QUÆSTIO SECUNDA,

De effectu purgatorii, in tres articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale, quoad culpam. . . 671
2. Utrum ignis purgatorius liberet á reatu poenæ. 673
3. Utrum á poena purgatorii unus altero citius liberetur. 673

FINIS TOMI UNDECIMI ET ULTIMI,

208.8
M 469
26421
MEDICI, HIERONIMUS, de
AUTHOR
Formalis Explicatio
Summae Theologicae S. Thome Aquin.
TITLE
Tome 11
Continens tertiae partis tertium
DATE LOANED
volumen.
BORROWER'S NAME
26421